LUCÆ
TOZZI
OPERA OMNIA.

LUCÆ TOZZI MEDICINÆ

PARS PRIOR

ΘΕΩΡΗΤΙΚΗ.

CURIOSA QUÆQUE TUM EX Physiologicis, tum ex Pathologicis deprompta; & Veterum, Recentiorumque Medendi Methodum complectens.

Editio novissima multo auctior, & emendatior.

TOMUS PRIMUS.



VENETIIS, MDCCXI.
Apud Nicolaum Pezzana.





B. B.

AMICO SUAVISSIMO SALUTEM.



ERIUS planè quàm decuit tui desiderii expectationem explêsse videor, φίλτατε Basili, & tot, tantisque precibus impelli voluisse ad scribendum de Medicina, quæ magis probassém ex immensa rerum farragine, nexisque ambagibus. Verùm si rei difficultatem spectes, & domesticas curas, quibus ne somno quidem me exsolvere licet, petitiones tuas negligere me parum habuisse non ampliùs quereris, facilioremque dilationis veniam impetrabo. Quæ enim major occurrere poterat difficultas, quàm rem nequaquam satis explicatam, perobscuram, ac perdifficilem contra omnium ferè Medicorum vota exponendam suscipere, & quæ dispersa, atque infinita videntur esse, ratione, ac distributione sub uno aspectu ponere? Accedit, quòd ad studium sapientiæ accendimur gloria, cujus spes omnis aberat, cùm exploratissimum haberem, me in hac re nulli placiturum: Iis enim, qui Medicinæ nimiam fiduciam habent, in temeritatis notam incurrere videbor, dogmata tot seculis firmissima ferè ab omnibus habita adeò manifestè convellens, ut neque Hippocrati parcam, ubi aliquid minùs sapienter ab ipso provisum corrigere oportuerit; qui verò inter cæteros Philosophos caput altius extulerunt, me otio abuti putabunt in tradenda hujusmodi disciplina, ac propterea Medicinæ Scriptorem illius naturam turpiter ignorare, nisi (quod gravius etiam esset) dolo, imposturisque propositum non vacare suspicabuntur. Dicis, non minoris esse momenti dubiæ artis fallacias detegere, quàm novam, & quidem optimam tradere, viroque ingenuo dignum tot mortalium misereri, ab ipsis,

quorum opem invocarunt, pereuntium. At vereor, ne tibi exciderint sermones, quos aliquando coram de naturalibus disciplinis habuimus, illas non sine divino consilio esse occultas, & ab ipsa Natura involutas, ne immerentes tanto Deorum munere fruantur; immò si quid operæ posuerimus, perdituros, cùm obliquas mentes rectis notionibus componere enitimur. Ad Sapientiam enim præcipua quadam sorte nascuntur homines, nec ulla præterea ratione curvæ in terras animæ subduci possunt in Cœlum, & tanti boni reddi capaces, hac mente rerum seriè comparata, ut Naturæ arcana obscura, atque abscondita sint prophanis; unde quæ adeò consulta

Cic. ex Plat. in Tim. opera teguntur εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν ex summorum Philosophorum instituto. Hæc, aliaque coram tantùm explicanda manum de tabula tollere suadebant; Verùm quoniam ita tu vis, obsequor, & planè quid rectum, & quid faciendum mihi sit diutiùs cogitare nolo, quandoquidem tua jussa meæ existimationi præponenda semper habui. In Operis distributione tuis etiam præceptis acquievi, illudque in duas partes divisi Θεωρητικὴν unam, Πρακτικὴν alteram: illa è penitiori Philosophia quædam selecta habet ad vulgi errores detegendos aptissima; hæc verò morborum descriptiones, & Artis canones. Partem Anatomicam præterire decrevi, tum quia ab aliis, potissimùm à Thoma Bartholino, accuratissimè descripta est, tum etiam quia ab illa parum juvaminis sperare posse Medicinam cognovi; in mortuis enim animalibus omnia aliter prorsùs se habent, quàm in vivis. Brevitati, simplicitatique quammaximè studui, & luculentè scribere, etiam si minùs quàm alii politè, conatus sum, bubulci documento, qui aviculam quærens, bovem amisit: Non levis author in hac re mihi fuit Cicero inquiens:

3. de Fin. *quidquid de re bona dilucidè dicitur, mihi præclarè dici videtur; istiusmodi autem res dicere ornatè velle, puerile est, planè autem, & perspicuè expedire posse, docti, & intelligentis viri*. Quàm brevissimè fieri potuit, rem ad Historiam revocavi, neglecta methodo illorum, qui firmam certamque Scientiam è debilissimis fundamentis excitare voluerunt, quod caput, & causa tantorum errorum extitit; & quod sanè dolendum, non desunt nostra etiam ætate, qui nova Medicinæ fundamenta jacere adnitantur, atque ægrè admoneri ferant de hac re nullam scientiam tradi posse, nisi doctrinæ specie quorundam nugas nobis imponere sinamus, & quod nesciamus, turpiter nos scire arbitremur. Non negarim autem quandoque similia quærentibus pro urceo exisse amphoram, atque ultrò res summa contemplatione dignissimas oblatas esse, non aliter, ac illis accidit, qui Chaldæorum natalitia prædicta stabilire aggressi sunt per siderum observationes, ac propterea cœlo intenti multa, admirandaque detexerunt feliciori casu, quàm instituto: prudenter

verò,

verò & sincerè Veteres egisse videntur, qui Artis, quam ignorabant, præcepta tradere abstinuere, & toti in experientiis notandis fuerunt; etsi autem ipsæ etiam sæpissimè fallant, tamen si recto judicio existimentur, contemnendæ non sunt, etenim facem ad remediorum investigationem præferunt; unde deploratos alioqui morbos curari à peritis videmus: neque aliundè Medicinam originem, & incrementum habuisse crediderim, quamvis qui sanctiora ejus initia facere voluere, ad Deos retulerint: Trojanis autem temporibus vulnerum dumtaxat remediis clara fuit, deindè usque ad Peloponnesiacum bellum in nocte densissima latuit, atque ab iis solis, qui aliquandò ægrotassent, ediscebantur medicamenta, quæ malis succurrerint, proptereàque lege cautum erat apud Assyrios, ut morbis defuncti malè affectos circuirent, illosque docerent, qua ipsi ope adjuti evaserint: pariter apud Ægyptios, & Babylonios languentes in compitis expositi prætereuntes sciscitabantur, si quid salutare ad illum morbum experti fuerint; deindè in Græcia liberati languoribus inscribere cœperunt in tabellis, quæ in ædibus Æsculapii, Apollinis, cæterorumque Deorum affigebantur, quid auxiliatum esset, ex quibus omnia exscripsisse fertur Hippocrates, & instituisse Medicinam, quæ vocatur Clinice. Post hunc & Herodicum ejus discipulum, qui ut reunctoribus quoque quæstum faceret, Jatralepticen excogitavit, Philosophi subindè cùm Ægyptii, tum Græci rationes, quas suæ Philosophiæ principiis congruentes quisque putabat, adjunxere, unde prima factionum origo. Sequuti deinceps sunt Diocles Carystius, Praxagoras, Chrysippus, Herophilus, & Erasistratus; interim verò prisca illa Medicina ab experimentis deducta non defecit, sed sub Philino Coo magis viguit, quam prius Acron Agrigentinus Empedoclis discipulus illustraverat: ejus quoque fautores fuerunt Serapion Alexandrinus, Apollonius Antiochenus, Menodotus, Glaucias, & aliquanto post Heraclides Tarentinus; atque hæc factio in Sicilia orta ab Experientia, se Empiricen cognominavit. Recesserunt ab utrisque ex æquo Methodici nuncupati, qui causarum abditarum indaginem respuentes, nec quidquam tribuentes particularibus experimentis, reducebant affectus omnes ad generales duos, Adstrictum, & Laxum, quibus alii addidere tertium mistum ex ambobus: huic Sectæ auspicia dedit ex successoribus Asclepiadis Themison Laodiceus, eamque absolvit Thessalus Trallianus Neronis Medicus; quamobrem tam variæ sectæ (præter eas, quæ à locis Gnidiæ, Coæ, Rhodiæ nominatæ fuerunt) ortæ sunt. Neque hìc restitit illarum progressus, verùm singulæ deinceps in diversas adhuc curandi vias abierunt, & alii victu, alii medicamentis, alii inedia, alii exercitiis, alii balneis, nonnulli aliter medebantur, nec unus alteri omninò conveniebat.

Cels. in proœm. Pl. l. 29. cap. 1.

Sab. lib. 6. en. 2. Strab. lib. 16. & 3. & Herod.

Strab. lib. 8. Pl. l. 29. c. 1.

al. Prodicum.

Gale-


Galenus in tot Sectas divulsam Medicinam suæ integritati restituere conatus est, illam revocans ad Hippocraticam medendi rationem, quæ plusquam sexcentos annos neglecta fuerat, rationes plures adjecit, varias rebus causas assignavit, & methodum applicandorum medicamentorum tradidit, ideòque Dogmaticam, & Rationalem dixit. Mox, barbarie tranquillitatem Musis amicam bello confundente, unà cum Philosophiæ sectis tot Medicinæ perierunt; & Romani quidem nullam de illa rationem habentes ferè pessundari passi sunt. Succedentes deindè Arabes ad Galeni libros adhæserunt, ad quos quasi tempestate delati sunt, illiusque doctrinam, quam solam noverant, in primis excoluerunt. Moderniorum verò Arabum plerique è Græco codice Galenum rursùs interpretati novas Scholas instituerunt, & qui magis Avicennæ Arabum principi addicti erant, Avicennistas se nuncuparunt, qui verò Galeno, Galenicos. Hæc dissensio ad plures annos in Academiis Italiæ præsertim viguit, quousque Theophrastus Paracelsus libertate philosophica, non in aliorum libris, sed in Naturæ volumine Rationalem Medicinam quærere aggressus est, unde secta prodiit Paracelsica dicta; cumque chymica ope illam promoveret, quam primus Hermes tentaverat, Hermetica, & Chymica etiam appellata est, eamque præclarissimi viri amplexi sunt. Joannes Baptista Helmontius denique eadem ratione, ac philosophandi libertate usus ex Chymiæ penetralibus novam sectam condidit, quæ Hermetica nova, & Helmontiana dicta est; ut prætercam aliam, quæ à Prospero Martiano non multis ab hinc annis tentata, Hippocratica nuncupatur. Non desunt etiam alii, qui rem aliter tractaverint, unde Medicinæ ortum, progressumque ignorent necesse est, qui tanta cum admiratione Neotericorum conatus excipiunt, & liberè dicta adversùs Veterum placita ferre nequeunt, putantes Medicam facultatem ab illis inventam, & expolitam perperam à Recentioribus exagitari, & floccipendi, cùm tamen medendi certa Ars nunquam extiterit. Plura quidem mihi hæc scribendi suggeruntur, verùm plerumque noctis processit, suadentque cadentia sidera somnum.

D. Monfortius tibi plurimam salutem dicit. Opusculorum ejus exemplaria describenda, ut ad te mitterem necesse non duxi, cùm prope diem in lucem sint proditurа: alterum est de Geometrica determinatione: alterum Trigonometriam usque adhuc ageometria fœdam absque tabularum usu geometricè exhibet, utrumque insigne. Mirum enim quantum determinandi imperitia maximi alioqui Viri erraverint; quin ipsi analyseos magistri in rebus factu impossibilibus tempus consumpserunt, atque à facillimis tamquam si in ἀδύνατον incidissent, pedem illicò retulere. Trigonometrici opusculi excellentia, vel indè colligi potest, quòd nostri Geometræ, quibus illius argumentum

com-

communicavi, vix fieri potuisse credunt, quod ego multos dies in manibus habui. Methodum eamdem excoluit, quam in solutione problematum à Leidense quodam propositorum excogitavit. In illum præterea bonam meæ moræ partem reiicias velim, adeò enim sibi hæc despectui habet, ut etiam mihi invisa fecerit: illa namque studia excolenda maximoperè arbitratur, quæ mores corrigunt, atque hominem terrenis curis exsolvunt; è naturalibus autem disciplinis illas probat, quæ ad hæc viam sternunt, atque admirationem ignorantiæ filiam nobis adimunt, ut sunt quæ Mundi constitutionem, rerumque naturam, amotis speculationibus, quarum nullus fructus, exhibent. Illum semper equidem dilexisti, sed quotidie pluris facere debes, quòd te in primis amat, nec tui mentionem intermitti sinit. Vale, & me etiam quod soles, amare perge. Idibus Quintilis, Anno à partu Virginis septuagesimo nono supra millesimum sexcentesimum. Neapoli.

LUCAS TOZZI.



NOI

NOI REFFORMATORI

Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di revisione, & approbatione del P. Fr: Vincenzo Maria Mazzoleni Inquisitore nel Libro intitolato: *Lucæ Tozzi Neapolitani Opera Phisico-medica in quatuor Tomos distributa*, non v'esser cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente, per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Prencipi, & buoni costumi, concedemo Licenza à Nicolò Pezzana stampatore, che possi esser stampato, osservando gl'ordini in materia di Stampe, & presentando le solite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. 5. Agosto 1710.

Carlo Ruzini K. Proc. Ref.

Alvise Pisani K. Refor.

Agostino Gadaldini Segr.

TOMO I. continentur.
Medicinæ Pars Theoretica, & Practica.

TOMO II.
In I. & II. Aphorismorum Hippocratis commentaria.

TOMO III.
In III. & IV. Aphorismorum Hippocratis commentaria.

TOMO IV.
In V. VI. & VII. Aphorismorum Hippocratis commentaria.

INDEX TITULORUM,

Qui in hoc primo Tomo continentur.

IN PARTE THEORETICA.

IN PARTE PRACTICA.

De

LUCÆ



LUCÆ TOZZI MEDICINÆ

PARS PRIOR.

ΘΕΩΡΗΤΙΚΗ.

DE HOMINIS *Generatione.*



HOMINES, non aliter quàm cætera Animalia, ex Ovo gigni, jam ſatis eſt exploratum. Et mirum ſanè, noſtris Medicis, poſthabitis obſervationibus, illas ſententias cordi fuiſſe, quæ minus probationis habent, cùm vel ex ipſo Hipp. hoc diſcere potuiſſent, qui *lib. de Nat. Pueri* fatetur ſe Pſaltriæ abortiri cupienti ſaltare juſſiſſe, illamque à ſaltatione ovum abjeciſſe molli putamine obvolutum. Hinc non omninò vana fabula exiſtimanda erit, quæ de Ledæ filiis ex Ovo editis circumfer-[illegible]. Neque Animalibus tantùm, verùm etiam Plantis commune eſt prodire ex ovo, quod ipſum ſemen eſt, ut nuper deprehendit Cl. Malpighius *in Anat. Plantar.* cùm unicum ſit Naturæ in omni generatione inſtitutum; quamvis Animalium pleraque ex ovo intra uterum excludantur, ut ſunt ferè omnia villoſi generis, inter quæ etiam Homo recenſetur: proptereàque futilis eſt illorum opinatio, qui Animantes quaſdam ex putri fieri contendunt, quam longiùs hìc proſequi ſuperſedeo, cùm Gaſſendus, & cæteri melioris notæ Philoſophi rem confecerint. Non pigebit tamen adnotaſſe, quæ in hanc rem Franciſcus Redi induſtriè obſervavit, in carnibus nempè, ac piſcibus, ad quos Muſcis aditus patebat, mox vermes apparuiſſe, in illis verò, quos in obſignatis phialis occluſerat, aut humo contegi curaverat, non item, etiamſi in aquam fæculentam abiiſ-

sent, undè perspicuum esse potest, quæ vulgò creduntur ex putredine, reverà ex semine, & ovis vix nostris sensibus conspicuis, fieri. Quod vel inde patet, quia hi vermes iterùm in muscas, & crabrones abeunt, à quibus ova deposita fuere, ex Arist. 3. *de gener. Anim. c. 9. & 5. de hist. animal. c. 19. & seq.* Neque quis miretur nullo incubatu in his opus esse, cùm hoc nedum insectis contingat, verùm etiam plerisque aliis animalibus, quibus tenuis calor satis est, ut sunt Testudo, Crocodilus, Lacertæ, & Pisces, ex *eodem 5. de hist. Animal. cap. 33. & 6. ejusd. oper. cap. 3. & alibi.*

Idem suadetur ex constanti harum Animantium similitudine: Quomodo enim fieri poterit, ut omnes muscæ, mures, formicæ sibi adeò similes oriantur, nisi ex eodem semine? Quòd si quis casu fieri putet; unde tàm felix casus, cujus solertiam imitari nulla Ars potest?

Illis, qui Ranarum subitam generationem ex limo, atque æstiva pluvia obiiciunt, occurrit idem Redi *de Generat. Insect.* ostendens, Ranas illas ante casum pluviæ natas, & in sicco inter dumeta, saxa, vel limum delitescentes, subsidentes, immotasque, cùm terræ colorem imitentur, ab illa haud facilè discerni. Cujus rei evidens indicium esse subdit, quòd stomachum plenum cibi, & intestina excrementorum, eo ipso, quo natæ creduntur, momento habeant. Id quod etiam multò anteà edocuisse refert Theophrastum Aristotelis successorem *lib. de Animalib. subitò apparentibus.* Insuper ex observatione, Thomæ Bartholino communicata ab Oligero Jacobæo, constat Ranas ex spermate non perfici ante dies duodecim. Is enim anno 1673. Mense April. excepit sperma Ranarum è lacu Hafniensis suburbii, & vitro inclusit, aqua postmodùm pura quotidie affusa, radiis solaribus exposuit, observavitque prima die ovum conglobari, deinde sensim illius partes conformari, quousque tandem die duodecimo Rana perfecta prodierit. Unde absque semine momento temporis pluvia decidente illas haud posse fieri jurarem; verùm quæ fortè per Æstatem ova, in campis, & dumetis relicta sunt, excluduntur, & novi ranunculi apparent; licet Ovid. 15. *Metamorph.* elegantissimè dixerit.

Semina limus habet virides generantia Ranas,
Et generat truncas pedibus, mox apta natando
Crura dat: utque eadem sint longis saltibus apta,
Posterior superat partes mensura priores.

Cætera, quæ hic afferri possent de generatione insectorum in vino, aceto, fructibus etiam cortice obtectis, plantis, animalibus, & similibus, legi poterunt apud ipsum Redi.

Quoniam verò eundem, ut jam dictum, tenorem in animantium productione Natura servat, cùm in suis operibus sui quàm simillima esse soleat, nec facilè licet in Homine observationes habere; Fabritius ab Aquapendente, Aldrovandus, Coiterus, Parisanus, aliique sedulò pullorum gallinaceorum, utpote magis familiarium, generationem contemplati sunt, ut hinc deinde ad Humanam per conjecturas transirent.

Primò itaque in Gallinarum ovario observarunt exiguam quandam papulam, quæ sensim aucta rubrum colorem adipiscitur, deinde à ramo abrumpitur; & per infundibulum, sive uteri tubam deorsum delata, albumen, quod in plicis, cellulisque

que tum uteri, tum tubæ restagnat, induit, & tandem in extremo utero duriori testa contegitur; In quo præterea apparent chalazæ, circularis, & exigua capacitas in obtusiori parte, & cicatricula quædam aviculæ pupillam referens, quæ ex Harveo præcipua totius ovi pars existit, & quarta die ab incubatu in fœcundatis ovis conspicitur instar puncti sanguinei saliens, è quo etiam sanguinis ductus diffunduntur, & omnia corporis rudimenta notari jam possunt. Sexto die viscera omnia, & intestina ferè internoscuntur, & pullus moveri incipit galbæ similitudinem referens. A septimo ad decimum omnia manifestiora evadunt, & alæ, pedes, pedumque digiti cernuntur. Interim, quum enarratæ partes sensibiliores fiunt, albumen paulatim absumitur per venas, & arterias, quæ tàm ad ipsum, quam ad vitellum diriguntur. Decimo quarto die omnia viscera intra propria conceptacula, occluso thorace, & abdomine, recondi videntur, cerebrumque sua calvaria contegi, & viscera priùs albicantia rubescere. Deinceps umbilicalia vasa comparent, plumisque pullus vestiri incipit, seseque movens & respirat, & pipit. Albumine tandem absumpto, venæ, & arteriæ, quæ ad ipsum pertingebant, exiccantur, quæ verò ad vitellum, intestinis adjunguntur. Post vigesimum primum diem, aucto fœtu, cortex rumpitur, & pullus in lucem editur. Hæc eadem in cæteris volatilibus contingunt, quamvis tempore differenti.

Harveus his non contentus, Cervas, Damas, aliaque animalia secuit, atque in illis etiam ova detexit, unde *exercitat.63. de generat. vivipar.* hæc habet. *Quo modo, ordine, ac ratione pullus ex ovo fabricatur, & producitur, eodem pariter, ex conceptu præexistente, viviparorum fœtus proveniunt: una scilicet, atque eadem est utrobique generationis species, & utriusque exordium; ovum dicitur, vel saltem analogia quadam tale habetur; nempè, ovum est conceptus foris expositus, undè pullus procreatur: conceptus, est ovum intus manens, donec fœtus debitam in eo perfectionem acquisiverit; cætera verò conveniunt.* Novit hoc etiam Arist.7. *de hist. Animal. cap.7.* ubi ait: *Omnia tum Natatilia, tum Pedestria, tum etiam Volatilia, sive animalis, sive ovi forma proveniunt, simili modo gignuntur.* Et iterùm 3. *de gener. Animal. cap.9. Quæ intra se pariunt Animal, iis quodammodò post primum conceptum oviforme quoddam efficitur; humor enim in membrana tenui continetur, perindè quasi ovi testam detraxeris.* Et cit.7. *de hist. Animal. Generationis primordium in Animalibus est velut ovum sua membranula contectum, detracto putamine.* Quamvis hucusque à Medicis, duce Galeno *in libris de semine*, creditum sit Maris, & Fœminæ genituram intra uterum recipi debere, ibique simul commisceri, ut ex utriusque commistione unà cum materno sanguine conflaretur massa, ex quà deinde Embryo lunari revolutione exurgeret undequaque organis absolutus.

Demum Nicolaus Stenonius postquàm diversorum Animalium Viviparorum exta rimatus esset, atque reperiisset in uteris Vaccæ, Ovis, Canis, Cuniculi, Ursæ, Erinacei, Leporis, Salamandræ, Testudinis, Piscis spinæ, Torpedinis, Galei levis, Viperæ, Lupæ, Cervæ, Damæ, Scrofæ, & Asinæ ova, de humanis fœminis hæc refert. *Prima, in qua testiculos me dissecuisse memini, dicebatur quinquagenaria, ubi multæ in-*

tra testiculos vesiculæ continebantur, ipsa cervice uteri pressa serosus humor exudabat; in ligamento uteri rotundo videbantur fibræ motricibus similes versus os pubis abire &c. Mox subdit. *In Juniore muliere, & multa erant ova, & rotunda, nec ejusdem magnitudinis omnia, difficilia tamen separatu propter soliditatem substantiæ, qua continebantur.* Et Hannemannus addit fuisse etiam observata ova à Laurentio Gieseler Archiatro Brunsvvicensi in testiculo, seu ovario puellæ novem annorum hydrope extinctæ. Quod confirmans Thomas Bartholin. *in respons. ad Hannemannum tom. 2. Act. Hafniens. observ.* 104. inquit: *De ovario in fœminis post Stenonii nostri diligentiam nemo ambigit. Idem Stenonius in Theatro Hafniensi demonstravit Ova in Cadavere fœmineo, eaque coxit aliorum Ovorum more, cunctisque spectatoribus ostendit: ita decocta pellucida visebantur nullo vitelli vestigio, quod neque in Ovis ovinis coctis deprehendit filius meus Gaspar, sed albumen duriusculum solum. Quo autem modo ex ovario in uterum, per tubam ejusdem patentem, ovum fœtus humani descendat, ostendit in nupera figura Fridericus Ruyschius Anatomicus Amstelodamensis.* Hæc Bartholinus.

DE FOEMINÆ, ET MARIS Vi in Generatione.

MAjor Medicorum pars cum Galeno 1. *de sem. c.* 4. & 5. & 2. *ejusd. oper. c.* 1. asserit tam Marem quàm Fœminam seminalem substantiam æquè præstare, atque ex utriusque complexu embryonem exoriri. Aristoteles verò 1. *de gener. Animal. c.* 2. efficientiam tantummodò Masculo concessit, Fœminæ verò materiam.

Sed ambiguitates istas Anatome jam sustulit. A fœminæ enim ovario albicans quidam humor vesiculis contentus, ad formam ovi molli putamine obtecti conglobatus in uterum deponitur; à Mare verò fœcundatur; undè motus origo, & partium incrementum. Cùmque in ovo membrorum rudimenta adsint, quæ à plastica vi masculei seminis fœcundantis disponuntur, fit ut tùm Patri tùm Matri non raro filii similes nascantur.

Præter hunc humorem albumini non dissimilem pelliculis contentum, & instar ovi conformatum, nullum aliud semen à fœminis pro generatione suggeritur; quod inde evidens esse potest, quia resectis ovariis castrantur fœminæ, quæ steriles fiunt. Serosus autem, & albicans ille humor; qui in coitu ab illis effundi[illegible]tur, reverà seminalis non est, & in ipso concubitu foras prosilit, quare ad generationem conferre nequit, nisi quantum per illius emissionem Veneris oblectamentis fruuntur, ne mares recusent; immò pleræque absque illius effusione concipiunt. Itaque fœcundandi vim solùm virile semen habere certum est. Verùm unde illi hoc contingat adhuc sub Judice lis est.

Harveus cùm animadvertisset illud in utero post concubitum non contineri, existimavit *immaterialiter*, sive per contagium, ut ipse ait, fœcundare, ad eum sanè modum, quo conceptus in cerebro perficiuntur.

Aristoteles, semini inesse putat quoddam proportione respondens elemento stellarum. Inquit enim 2. *de gener. Animal. cap.* 3. *Inest in semine omnium, quod facit, ut fœcunda sint semina, videlicet quod calor*

voca-

vocatur, idque non ignis, non talis facultas aliqua est, sed spiritus, qui in semine, spumosoque corpore continetur, & natura, quæ in eo spiritu est, proportione respondens elemento stellarum. Verùm hæc rem non explicant, sed potiùs reconditorum verborum tenebris illam obvolvunt.

Arbitrantur alii vim hanc prolificam Genituræ impertiri à quodam principio interno vitali, quo ipsam præditam esse ajunt.

Quoniam verò à similibus conjecturas facere haud incongruum est, ubi certæ probationes deficiunt, observamusque semen sale quodam volatili præditum, illi non multùm absimili, quo cætera fœcundari solent, suspicandi ansam arripimus sal illud fœcundandi vi pollere, quo etiam Animalia ad Venerem excitantur, & salacia redduntur: semine enim excreto, vel infuso, tentigo illa cessat; hinc Salacis nomen non immeritò derivarit: atque apud Plutarchum *quæst. natural.* habetur, *quod Pecus salem lingens fit ad coitum pronius; canes quoque salsamento eso celeriùs concipiunt; & naves, quibus sal vehitur, plures alunt mures, ob frequentiorem coitum.* In his salibus etiam rerum semina esse videntur, tùm quia Ægyptus Nili nitro, & arva culmorum adustorum salibus fœcundantur, ut habet Columella *lib.*2.*c.*10. *& l.* 3. *c.* 10. Unde Virgil. *lib.*1. *Georg.*

Semina vidi equidem multos medicare serentes,
Et nitro prius, & nigra perfundere amurca,
Grandior ut fœtus siliquis fallacibus esset.

Tùm etiam quia ex suis salibus plantæ, & Animalia regenerantur, ut testatur præ cæteris Borellus *Centur.* 2. *obs.*21. *& Centur.* 4. *obs.*34. & aliquando nobis obtigit ex cineribus cancrorum fluviatilium contra Rabiem præparatis novos cancros regeneratos videre; quamobrem quæ plurimo sale volatili constant, ut pistachia, nuclei pinei, castaneæ, legumina, aromata, & id genus alia, semen fœcundius reddunt, & præterea ad Venerem maximoperè stimulant; cùmque id pre tenuitate obtutum effugiat, Harveus uteros Damarum, & Cervarum inanes, nullaque substantia sensibili imbutos vidit. Necesse est autem spermatis crassamentum intra uterum effundi, ut volatilis illa substantia tutò intus devehatur, quæ tantæ est efficaciæ, ut & fœtum ipsum in utero prægnantem aliquando reddiderit, ac sic partus fœtos Matres ediderint; quemadmodùm de Muribus refert Aristoteles 6. *de hist. Animal. cap.* 37. & Ælian. *lib.* 17. *cap.*17. ac de plurimis aliis Animantibus meminerunt Germani *in Ephemer. ann.* 1670. *in schol. obs.*36.

Utque id percipiatur, & historiæ Authoribus fides sartatecta maneat, res altiùs repetenda est. In suis operibus, ut sæpè diximus, eodem se modo natura gerere solet, unde in rebus difficillimis argumentum ab uno ad aliud Naturæ opus deducere rationi est consentaneum. Atqui plantarum semina continent novarum plantarum cum earum seminibus rudimenta, sive etiam veras plantulas cum foliis, fructibus, & seminibus reliquarum, reliquarumque eadem energia præditarum in infinitum, si rerum natura ita ferret. Neque sensus judicio in his regi debemus, qui mirum quantum mancus, & debilis in nobis est: quis enim unquam crederet Acarum minimum animal, & vix conspicuum, habere oculos, os, dentes, cor, sanguinem, arterias, venasque; nisi etiam in ejus superciliis pilos,

pilos, oculorumque colores microscopium nuper detexisset? Sic pariter ova fœtus rudimenta continebunt, & cum illis ova deinceps futurorum fœtuum, quorum aliquod fortè reliquis majus cum primo ovo simul fœcundari, & partus edi fœtos contigerit. Atque hinc nedum mirabilis Natura est in maximis operibus, extollendisque tam altè sideribus, ut Solis penè immensa altitudo, habito ad illa respectu, nullius momenti sit; verùm etiam in minimis.

Constat etiam semen reverà ex sanguine non fieri, sed esse glutinosum quendam humorem, qui cum eodem sanguine per Arterias perpetuò excurrit. Quòd si aliquando post largiorem Veneris usum sanguis effundi dicatur, serum nondum à sanguine secretum præ nimia libidine intempestivè eruperit: præterquam quòd suspecta nimis redditur hujusmodi observatio, quandoquidem emisso universo Semine, cessat tentigo, & pruritus Veneris; Ni tamen dicere velis ex immoderato illius usu arteriolas reserari, aut dirumpi, unde pro semine cruor erumpit.

DE FOETUS CONCEPTIONE, & Formatione.

CONceptionem intra septem dies à concubitu fieri creditum est, Formationem autem Masculorum ad dies triginta, & Fœmellarum ad quadraginta differri, ut docuit Hipp. Harveus in Damis, & Cervis observavit quadraginta quidem diebus Fœtus formationem absolvi, quamvis primis triginta nihil sensibile in illarum utero appareat, itaut solis decem ultimis tota debeatur. Nobis verò præfinitum diem determinare difficile nimis videtur, siquidem omnia pro diversitate rerum Generationi conferentium variari possunt.

Lib. de Nat. Pueri.

Plurimum negotii attulit antiquioribus Medicis, & Philosophis quæstio de parte in Fœtu primogenita. Hippocrates, ne fortasse ulli injurius videretur, omnia simul membra formari fassus est. Galenus Hepati primas tribuit, quod tanquam Paterfamilias sanguineo alimento cętera membra nutricaret. Alcmæon referente eodem Gal. Cerebrum primùm exoriri arbitratus est. Democritus umbilicum, ex Plutarcho, ut velut anchora fœtui inserviret, ne intra uterum naufragium pateretur. Empedocles ex Gal. primo loco spinam quasi corporis carinam extrui putavit.

Lib. de loc. in homine, & diæta.

Lib. de Format. fœtus c. 1. lib. de hist. Philos. lib. de Amore Par. c. erga liberos. lib. de hist. Philosoph.

Harveus cum plerisque aliis, qui ad αὐτοψίαν hujus rei indaginem revocarunt, observavit in partium conformatione primo obtutu punctum saliens micare cum adjunctis quibusdam fibris sanguineis, illasque in teretes ductus venosos, & arteriosos veluti in circulum adactos, & rubore suffusos, sive mavis dicere, sanguine repletos commutari: sanguinem autem perenni vibratione salientis vesiculæ propelli ex arteriis in venas. Insequentibus diebus spinam & dorsum extrui cum articulis: Caput tribus vesiculis constans extuberare, quarum una cerebrum, duæ aliæ oculos referunt; eodemque tempore Cordis vascula magis conspicua fieri, ejusque motum patentiùs observari; deinde reliqua viscera, ventriculum, intestina, jecur, lienem, pulmones, & cæteras partes cordis structuram explentes efformari; denique thoracem, & abdomen claudi, & viscera antea constructa intra ipsorum ambitum recondi.

At accurati alioquin viri, & de re hac optimè meriti formari primò putarunt

tarunt partes illas, quæ per incrementum conspicuæ primùm fiunt, nec animadverterunt in ovis etiam non fœcundatis stamina, & membrorum lineamenta observari, atque omnia in unum veluti nodum convenire, qui Cordis est rudimentum. Hæc verò à fœcundatis tantùm differunt, quòd in his accedens spiritus per totos artus, seu filamenta diffusus, incubitu, seu simili calore adjutus, illa disponit, unde moveri, & vegetare incipiunt, conspicuaque redduntur. Hoc primùm suspicabar tantùm, donec in ovis tum fœcundatis, tum non fœcundatis etiam ante incubatum periculum fecissem, & nullò discrimine in illorum interiori albumine pulli rudimenta in formam polypi diposita apparuerunt, cujus corpus medius eorundem nodus referebat. Utque rei certior fierem alia à primis incubitus diebus observare institui, in quibus omnia prioribus similia visa sunt, & eò manifestiùs, quò plures dies in incubatu fuerant, quousque tandem ex ipsis rudimentis pullus conformatus apparuerit. Frustrà igitur pars primogenita in fœtus formatione quæritur, quando simul omnium rudimenta præjacta sunt. Idem observare licet in seminibus plantarum, in quibus etiam germinum rudimenta in unum nodum conveniunt, quem si fortassè à vermibus erodi, vel alia causa dissolvi contingat, illis à mutuo nexu dissociatis, futuræ plantæ spes interit: Cujus rei non ignaræ formicæ, dum frumentum per æstatem colligunt, ne terræ foraminibus reconditum germinet, nodum hunc erodunt, ut notavit Plutarchus. De solertia Animalium.

Quamvis omnia futuri fœtus lineamenta in ovo præexistant, priusquam fœcundetur, neque inde quidquam præter motum, & vitam accipiant; solent tamen sæpissimè filii Patri similes nasci, cùm Mens, seu Animus corpus disponens iis delectari soleat operibus, quibus jam olim assueverat, & paternis similia lineamenta effingere, unde etiam Mores, & Ingenium. Hinc quoque est quòd seduli Pictores summo studio cavent, ne in suis operibus incidant in eosdem errores, & defectus, quibus ipsorum corpus laborare noverunt, & cum hoc vitio pugnandum summopere ajunt, quod cum judicio simul natum est: Anima enim corporis, & judicii magistra operibus gaudet similibus iis, quibus in compositione proprii corporis usa est. Atque hinc deducunt, fœminam non esse tam deformem, quæ Amatorem non inveniat. Vide Leonardum à Vinci. De Pictura c. 45.

DE VITA, & NUTRICATIONE Fœtus in Utero.

ANtiqui Medici crediderunt, fœtum in utero vivere vita Matris, & nutriri sanguine per vasa umbilicalia eidem ab illa suggesto.

Courveus *lib. 4. de Nutric. fœtus in Utero*, neque vitam, neque alimentum à Matre infanti communicari, sed propria illi hæc esse contendit, exemplo à pullo gallinaceo petito.

Verùm quamvis Vita fœtus propria sit, & à Matre non dependeat, cùm ejus cor pulset, & moveatur antequam vasa umbilicalia conspiciantur per placentam utero annexa, hisque ligatis desinat pulsus cùm in chorio, tùm in placenta, corde nihilominùs cum adjunctis arteriis pulsante; Alimentum tamen illi à Matre communicatur. Arteriæ enim uterinæ deponunt in placentam utero attiguam succum alibilem ovi albumini haud absimilem, qui per venam umbilica-

bilicalem simul cum refluente fœtus sanguine adigitur in ejusdem Jecur, è quo in Cor, & Arterias per universum corpus diffunditur. Animalibus autem, quæ placenta carent, ejus loco concessa sunt acetabula, cotyledones, aut carnosæ papillæ, quæ funguntur officio placentæ, adeòque succum hunc exugunt, & fœtui impartiuntur. Neque mirum si vasa umbilicalia mox à conceptu non appareant; siquidem non tam citò necessaria est nutricatio. Cæterùm Oviparorum pullis proprium alimentum intra Ovum habere necesse fuit, quoniam omninò sunt à matribus sejuncti.

Operæ pretium autem hìc esse duxi, fœtus cum utero connexionem explicare: Is duabus membranis, seu ovi integumentis, involvitur, altera tenuiori, altera crassiori: illa ἄμνιον dicitur, hæc χόριον, quæ, media placenta, utero adhæret. Nonnulli geminis hisce membranis addunt tertiam ἀλλαντοειδῆν, quam in brutis solùm reperiri plerique. Anatomicorum contendunt. Sunt hæ membranæ suis intertextæ venis, & arteriis, nullis tamen, nisi valdè exiguis, nervis. In Amnio continetur quidam humor pellucidus, aqueus, & albicans, in Chorio verò turbidus, & crassus. Antiquiores Anatomici existimarunt, humorem, qui in Amnio continetur, esse fœtus sudorem; qui verò in Chorio, urinam. At illorum sententiam falsam ostendit Harveus, tùm quia humores hi continentur in membranis, antequàm fœtus sit perfectus; tùm quia multa animalia nunquam sudare dicuntur, ut canes, & feles; alia plurima non mingunt. ut pisces, serpentes, & aves, cùm tamen in ipsorum ovis humores hi adhuc observentur; tùm quia si excrementa forent, in fœtu grandiore augeri deberent, cùm potiùs successu temporis, qui in Agnina est, minuatur; tùm demum quia animalia post partum avidè has membranas cum suis liquoribus devorant. Hinc colligitur alibiles illos esse, iisque fœtum in utero nutriri.

Qui putant cum Harveo humores istos nutritios esse, è placenta in chorium, & ex chorio in amnium depluere ajunt, inter quos Courveus, & Segerus. Qui verò humorem in chorio contentum excrementum dicunt, ut præ cæteris est Theodorus Aldes, illuc è vesica advenire inquiunt per Urachon, deindeque asservari in Allantoide.

Atqui a nec Allantoides in humano fœtu invenitur, nec Urachus ei pervius est, crediderim, Humorem in chorio contentum Urinam non esse, sed inutilem albugineæ materiæ portionem per canales ab Hepate uterino in chorium productos delatam: chorion enim venis, & arteriis abundat; unde Harveo à venarum choro Chorion dicitur, & quemadmodum per Hepar adultorum in cysti fellea bilis secernitur à sanguine, ita per Hepar uterinum in chorio fœculentus hic humor à sanguine semovetur. Cùm enim alimentum fœtui vel præparet, vel perficiat, verisimile quoque est, aliquantum saltem excrementi inde relinqui, quod fœtu grandescente adaugetur, atque in partu, dirupta hac membrana, affluenter prosilit. Cœterùm Urina in vesica toto tempore gestationis retinetur, nec per Urachon impervium aliò propelli potest, quàm per proprium meatum; Hinc ex Harveo ita tumet fœtus vesica, ut ferè universum ventrem occupet, licèt ille in utero non potet, atque alibilis succus depuratus in placenta, ac secretus à serosa, & aquea materia suggeratur. Ni dicere velis

velis cum P. Fabri umbilicales arterias per id temporis fungi officio emulgentium, deferendo lotium intra pelliculas chorii. In brutis autem Urachum perforatum habentibus urina è vesica in Allantoidem excurrere potest, adhibita etiam levissima pressione, ut notat Aldes, fortasse quia in illis urina abundantior esse solet. Observavit pariter in fœtu illam omni salsedine carere, atque æmulari saporem modici sacchari aqua diluti; & in observationibus Amstelodamensibus refertur, insipidam omninò deprehensam. Hinc est, quod tamdiù absque ullo detrimento detineatur.

Mihi quidem jam diù in mentem venerat, albicantem humorem in Amnio contentum assiduò restaurari debere à superveniente alio per ejusdem vasa delato; cùm tandem meam conjecturam confirmavit Thomas Barthol. qui testatur se vidisse in Amnio Brutorum candidas fibras, & multas, venis majores, quæ nec nervi sunt, nec fibræ; fortasse lacteæ erunt, hoc est albicantem, vel lacteum hunc Amnii liquorem deferentes venæ.

Anat. Renov. lib. 1. c. 36.

Hunc humorem, qui in Amnio continetur, in fœtus alimentum cedere verisimile est, qui verò in Chorio, vel Allantoide, esse ejusdem excrementum; tum quia ille, augescente fœtu, minuitur, hic augetur; tum quia, saltem in Brutis inter vesicam, & Allantoidem per Urachon mutuus est consensus, & Harveus quarto fermè mense in embryonis ventriculo invenit chylum, instar albuminis in Ovo, non dissimilis substantiæ ab humore isto, in quo fœtus innatat, illumque per os haustum fuisse suspicatus est; unde nil mirum, si in intestinis quoque fæces, Meconium Aristoteli dictæ, reperiantur, & quandoque observatæ fuerint in membranas emissæ, ut ex Coitero, Carpo, & eodem Harveo.

Subit autem hìc admirari Hippocratem *lib. de Carnibus, sive de principiis*, hoc idem edocuisse, his verbis: Τὸ δὲ παιδίον ἐν τῇ γαστρὶ συνέχον τὰ χείλεα μύζει ἐκ τῶν μητρέων τῆς μητρὸς: hoc est, *puer verò in utero, comprimens labia, sugit ex utero matris*: Et paulò post, Εἰ δέ τις ἐρωτοίη, πῶς τοῦτο οἶδέ τις, ὅτι ἐν τῇ μήτρῃ τὸ παιδίον ἕλκει, καὶ μύζει, τάδε αὐτῷ ἐστιν ἀποκρίνασθαι. κόπρον ἔχοντα ἐν τοῖσιν ἐντέροισιν γίνεται, καὶ ἀποπατέει ἐπειδὰν γένηται τάχιστα, καὶ οἱ ἄνθρωποι, καὶ τὰ πρόβατα. καίτοι οὐκ ἂν εἶχε κόπρον, εἰ μὴ ἐν τῇσι μήτρῃσιν ἔμυζεν. οὐδ' ἂν θηλάζειν τὸν μαζὸν ἠπίστατο γενόμενον αὐτίκα, εἰ μὴ καὶ ἐν τῇ μήτρῃ ἔμυζε: hoc est: *Si verò quis interroget, quomodò hoc sciat aliquis, quòd Puer in utero attrahit, & sugit, hæc illi sunt respondenda: Stercus habentes in intestinis nascuntur, & exonerant ventrem, postquàm nati sunt, statim tum Homines, tum Pecudes; atqui non haberet stercus, nisi in utero suxisset; neque sugere mammas nosset subitò natus, nisi etiam in utero suxisset*. Quam fortasse doctrinam ipse edoctus est à Democrito, cujus hæc sententia fuit, referente Plutarcho 5. *de placit. Philosoph.* Idem probat Galenus *lib. qui inscribitur, An Animal sit, quod in utero continetur*, repetitque 5. *aphor. comm.* 37. ex mente ejusdem Hippocratis *lib. de Natur. Pueri* inquiens: *Trahit infans à sanguine ad se id, quod dulcissimum est, simul autē & lactis parte aliqua fruitur*.

Prætereà ejus situm in utero leviter adumbratum ab Hippocrate *lib. de Natur. Pueri*, & ab Aristotele 7. *de histor. Animal. cap.* 8. accuratè describunt Realdus Columbus 12. *de Re Anatom. c.* 12. Julius Cæsar Arantius *lib. de Hum. fœtu c.* 12. Thomas Barthol. *lib.* 1. *Anat. cap. penult.* aliique. Caput habet in superiori uteri parte, brachia ita inflexa, ut ipsorum

cubi-

cubiti lateribus adhæreant, manus tibiis, plantiſque pedum nates, oculi genibus incumbunt, naſus demùm ipſa inter genua jacet; itaque figuram rotundam æmulatur: hæc enim aliis capacior, minùs fœtui, & matri moleſta eſt. Cùm autem tempus partus imminet, caput ad uteri oſtium dirigit, ut exeat.

Donec in utero eſt, non reſpirare plerique exiſtimarunt, ac propterea à Natura conceſſum ei eſſe peculiare vas Ovale dictum, quo ſanguis à vena cava aſcendente in ſiniſtrum ventriculum, & Aortam detrudatur.

Lib. de Natur. Pueri. At contrarium viſum eſt Hippocrati, qui fœtum reſpirare pluries edocet, potiſſimùm autem cum ait: Καὶ δὴ καὶ τοῖσιν ἄνω τὴν πνόην ποιέεται τῷ τε ϛόματι, καὶ τῇ ῥινί: ideſt: *& jam etiam* (fœtus) *ſupernis partibus ſpirationem facit tùm ore, tùm naribus.* Cujus ſententiam commendat Gal. *c. lib. An Animal ſit, quod in utero continetur cap.3. Sed non facilè quis* (ut habet Clariſs. Boyle in Phyſico-Mechanicis experimentis) *imaginabitur, quomodo Aer matris corpus tranſmeare valeat, & tegumenta, quibus fœtus involvitur, præſertim cùm Natura peculiaria vaſa temporaria in Infantulis excogitaverit, ut ſanguis circulare poſſit; undè non eſt veriſimile Infantes in utero propriè reſpirare.* At illicò ſubdit: *Cùm ex noſtris pateat experimentis omne propemodum liquorum genus, interſperſis aeris corpuſculis, perinde ac Aqua, abundare, non videtur abſurdum, ſi quis dixerit grandeſcentem fœtum, (præſertim cum ſuperior involventis Amnii pars liquore deſtituta ſit, & halituoſa tantùm ſubſtantia compleatur) obſcuram quandam reſpirationem exercere, præcipuè cùm non ſit vana fabula Infantulos in uteris Matrum auditos fuiſſe vagientes; & ipſe Dominam quandam novi, cujus Amici, cum ea paucis ab hinc annis prægnaret, apud me conqueſti fuerunt, illam vagitu infantuli ſui plurimùm multoties terrefactam, quod & ipſa unà cum Amicis illius prodigioſum quid eſſe autumavit.* Id ipſum probat ex eo, quòd audiantur pulli in ovo, nondùm perrupto putamine, pipientes. Idem teſtantur Hildanus, Libavius, Sennertus, Fincelius, Thomas Bartholinus, Plempius, aliique plures, de Infantum vagitu intra uterum. Unde exiſtimaverim cum Bartholino fœtum in utero, ſaltem ultimis menſibus, cùm maturitati, & partui proximus eſt, ſine multiplici tamen muſculorum thoracis conatu, reſpirare. In *German. Ephemer. tom. 1. obſ.62.* fertur, puellum in utero matris, dum hæc in templo erat, edidiſſe ejulatum, funeſtum prænuntium ſibi, Matri, Patri, domui, & toti Pomeraniæ, ut Balthaſar Timæus exiſtimavit: noverat enim Matrem veneno, & Patrem peſte extinctos, domum incendio conflagratam, & totam Pomeraniam bello exagitatam. 2. Anat. Renov. c.8.

Nùm etiam vigilet, & moveatur, an verò dormiat, & quieſcat, curioſiùs quæri ſolet. Ariſtoteles majorem temporis partem dormiendo conſumere ait, ſicut pariter, cùm primò in lucem editur, obſervamus. Verùm teſtantur gravidæ ſe nedum, cùm partui proximæ ſunt, ſed etiam in primis menſibus varias embryonum motiones percipere. 5. de gener. Animal. c. 1.

Ex injucundè, moleſtèque fœtum afficientibus, ipſum dolere, ac lacrymari; & ex lacteæ ſubſtantiæ in Amnio contentæ exſuctu, ſalſæ, dulcis, aut inſipidæ ſalivæ perceptione, guſtare par etiam eſt. De Auditu minùs vereri licet, nam ſi vagitus infan-

fantium intra uterum audire possumus, quid obstat, quin ipsi quoque externos sonos audire queant? Atqui ex Aristot. tonitrua plurimùm nocua sunt pullis nondùm exclusis. Quod ad Visum nullus dubito fœtum intra uterum clausis oculis immorari, & si fortasse eos aperiat, cùm lumen illuc non pertingat, videre non posse, sicut neque externos odores sentire.

Postremò, quamquàm Ludovicus Forgius asserat, Infantes in utero excogitare; existimaverim ego, rationalem partem pro eo tempore otiari, sive quòd adhuc organa imperfecta sint, sive quòd simulacra rerum nondum noverit. Hinc meritò à quibusdam comparatur illorum Intellectus tabulæ rasæ, in qua nihil est depictum. Cæterùm de Risu nil certi determinari potest, quamvis paulò post partum leviter contractis labiis ridere videantur, si verus risus is dici mereatur.

DE SVPERFOETANTIBVS, & Multiparis.

DE Hominum superfœtatione nonnulli dubitarunt; sed innumera propemodùm extant apud gravissimos Scriptores ejusdem exempla. Hippocrates nedum totum librum de Superfœtatione conscripsit, verùm etiam 5.*epidem.* refert mulierem quandam Larissæam Gorgiæ uxorem, quadraginta dies post primum partum, alterum incompletum edidisse. Arist. 7. *de hist. Animal. cap.* 4. fœminam septimo mense unum, deinde duos justo mensium numero peperisse memorat: Et Plinius 7. *hist. natural. cap.* 11. aliam, unum justo partu, quinque mensium alterum. Superfœtationis quoque meminit Avic. *f.* 21. 3. *tr.* 2. *c.* 16. Jo: Rhodius *observ. Medic. cent.* 3. *obs.* 52. refert de Navicularii cujusdam Patavini conjuge, quæ quovis anno superfœtare consueverat. Demum (ut Sennertum, Peredam, Schenckium, reliquousque omittam) Theodorus Kerkringius *in suo spicileg. Anat. obs.* 2. testatur penes se asservari duo sceleta geminorum, uno partu editorum, quorum alter octavum mensem attigerat, alter verò nondùm quartum, scilicet binis ovis diverso tempore fœcundatis.

In multiparis plura simul ova fœcundari contingit, pariterque fœtus increscere, nutriri, & ad maturitatem simul provenire: quod frequentissimum in Ægypto esse ait Arist. ubi fertiliores fœminæ feruntur. Testatur etiam B. Albertus Magnus, in Germania mulierem enixam simul viginti duos infantes; aliamque ejecisse in pelvim centum quinquaginta corpuscula magnitudine auricularis digiti. Alia numerosi partus exempla refert Schottus. Ipseque vidi hìc Neapoli anno 1666. mense Januarii, unico partu natos quatuor infantes, tres masculos, aliam fœmellam, qui paulò post baptismate loti vita defuncti sunt. Hinc, gemellis exceptis, raròhi partus superstites sunt, cùm ob uteri angustiam nec satis nutriri, nec adolescere possint. Immò si Naturæ opificium contemplemur, quæ gemina tantùm ubera hominibus largita est, aliis verò Animalibus, quæ plures simul fœtus edunt, mammarum multitudinem; humani partus trigemini, quadrigemini monstrosi videntur. Cum autem contingit plures simul generari, diversis membranis obvolvuntur, licèt exteriorem communem illos habere posse scribat Bartholinus.

Cap. 7. de hist. Animal.

Phys. Curios. p. 1. lib. 3. c. 29.

DE

DE MONSTROSIS, & maculosis Fœtibus.

LUdit aliquando Natura, & pro naturalibus monstrosos fœtus profert, qui multifariam peccare solent. Vel enim debitam membrorum proportionem non habent, ut cùm Pygmæi capiti cervix Gigantis jungitur, vel giganteam molem Pumilionum pedes sustinent: aut in aliquo membro deficiunt, vel excedunt; ut cum oriuntur unoculi, multoculi, itemque unipedes, multipedes, unimani, multimani, bicipites, acephali. Aliquibus partes in proprio situ non sunt, cùm Nasus non inter oculos collocatur, brachia non adjunguntur humeris, oculi in occipitio, vel in scapulis innascuntur, quo vitio afficiebantur monstra illa, quæ refert Plinius. Demum capite ob- (7. hist. natur. c. 3.) longo, vel turbinato; vervecino, canino; pedibus, vel manibus belluinis; semihominis, semibruti, vel omninò alterius speciei, & conditionis Infantes nati sunt.

Contingit autem hæc monstra oriri vitio uteri, plasticæ seminalis virtutis, imaginatricis perturbatione, aut cùm in ovo fœtus principia malè disposita sunt.

Tanta etiam vis inest alimento, ut nedùm Animi mores alterare valeat, ut fertur de ferarum pullis domi altis, sed etiam exteriora. Quæcumque enim alio lacte quàm materno nutriuntur, multum à naturali, propriaque constitutione declinant. (Lib. 12. c. 1.) *Quamobrem*, inquit *A.* Gellius, *non frustra creditum est, sicuti valet ad fingendas animi, atque corporis similitudines vis, & natura seminis, non secùs ad eandem rem lactis quoque ingenia, & proprietates valere: Neque in hominibus id solùm, sed in pecudibus quoque animadversum; nam si ovium lacte hædi, aut caprarum agni alerentur, constat fermè in his lanam duriorem, in illis capillum gigni teneriorem.* Et Aristoteles: (3. de hist. Anim. c. 12.) *Aquarum diversarum usu nonnulla suos immutant colores, alibi enim candida, alibi nigra redduntur: sunt etiam aquæ multis in locis, quas cùm oves biberint, moxque inierint, nigros generent agnos. In Antandria duo sunt fluvii, quorum alter candorem, alter nigritiem pecoribus facit. Scamander etiam amnis flavas reddere oves creditur, quam ob rem Xanthum pro Scamandro nuncupatum ab Homero autumant.* Hinc scitè apud Virgilium Dido Æneæ crudelitatem exprobrans, illum ferarum lac suxisse dicit. (6. Æneid)

Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus author,
Perfide: sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanæque admorunt ubera Tigres.

Nec minùs ingeniosè Ariostus induxit Melissam sub persona Atlantis, (Cant. 7.) Rogerii mollitiem ita objurgantem:

Di midolle già d'Orsi, e di Leoni,
Ti porsi io dunque li primi alimenti? &c.

In Arboribus etiam, & frugibus major plerumque vis, & potestas est, ad earum indolem, vel detrectandam, vel augendam, aquarum, atque terrarum, quæ alunt, quàm ipsius, quod jacitur, seminis; ac sæpè videas arborem lætam, ac nitentem in locum alium transpositam deterioris terræ succo deperisse, aut novas induisse qualitates, ut author est Theophrastus. Unde de Persea Columella:

Stipantur calathi, & pomis, quæ barbara Persis
Miserat, (ut fama est) patriis armata venenis.

At

At nunc expositi parvo discrimine lethi,
Ambrosios præbent succos oblita nocendi.

Ad monstrosos partus referri possunt ortus ex diversæ naturæ parentibus, ut cum ex Asino, & Equa fit Mulus, ex Asina, & Equo, Hinnus. Oportet tamen Animalia, quæ ad generationem commiscentur, quadam analogia convenire, ut sunt Hircus, & Ovis, Canis, & Vulpes, Leo, & Pardus. Idem observandum in plantis, ut refert Porta *in sua Magia naturali*.

Vulgò putant, quæ æquivocè progenita dicuntur, sterilia esse. Verùm experimenta ostendunt, Leopardum, Lyncem, & similia sterilia non esse. De Mulabus potior erat difficultas: At testatur Aristoteles eas frequenter in Syria parere; quod & confirmat Plin. *lib.* 8. *cap.* 44. Et Theophrast. idem evenire in Cappadocia fatetur, licèt illæ diversi generis à nostratibus ferantur. Convenit his P. Fabri, subditque nuper in Arvernia mulam peperisse. Romæ etiam paulò ante Pontificatum Clementis VII. mulam enixam esse scribit Alexander Tassonus. Insuper Stenonius in binis mulabus dissectis hæc observavit: *In una testes exigui admodùm erant, & in iis nulla ovorum vestigia reperiebantur; In altera testiculi magni erant, ut in Asina, sed pauca, & exigua ova continebantur*; Hinc colligit posse mulam absque miraculo parere: sterilitatis autem caussam esse, Ova vel nimis parva, vel intra Ovarii profunditatem nimium immersa.

6. de hist. Animal. c. 24. & 36.

5. de gen. Animal. propos. 67. n. 4.

Ad Androgynos, seu Hermaphroditos quod spectat, qui utroque sexu pollere creduntur, reverà Fœminæ sunt, Clitoridem tamen paulò longiorem sortitæ; etenim hac extra uteri ostium producta plerumque abutuntur, & mutuò coeunt, quæque aliquandò sexus mutationem subiisse in primo cum maribus concubitu, præ nimio Veneris oblectamento, referuntur; ut de Iphide in marem conversa ait Ovid. 9. *Metamorph.*

Vota puer solvit, quæ fœmina voverat Iphis.

Cæterùm de Satyris, Hippocentauris, Minotauris, Sphingibus, Sirenibus, aliisque hujusmodi monstris, consulæ præ cæteris Gassendum *to.* 2. *syntagm. Philos. lib.* 1. *sect.* 3. & Schottum *in sua Physica Curiosa lib.* 3. *de Mirabil. Homin.*

Hìc in illorum sententiam non iverim, qui Gigantes, & Pygmæos inter monstra connumerant, cùm debita membrorum proportione præditi sint. De Gigantibus, quamvis nonnulli dubitarunt, num unquàm extiterint, illorum tamen frequens mentio fit in sacris literis, & apud Pomponium Mela, Solinum, Plinium, Plutarchum, necnon D. Augustinum, & Lactantium Firmianum. Pygmæos narrat Aristoteles habitare in cavernis prope Nilum in superiori Ægypto, eosque pugnare cum Gruibus. Plin. quoque pluribus in locis eorumdem meminit, præsertim verò *lib.* 7. *c.* 2. inquit, eos à Gruibus plurimùm infestari, quamobrem arietum, caprarumque dorsis insidentes, sagittisque armatos, Veris tempore, constructo agmine, ad Mare descendere, & ova, pullosque illorum dispergere. Idem quoque fatentur alii Scriptores relati à P. Schotto. At perlustratis locis, ubi illi degere dicuntur, numquam inventi fuere; casu tamen nasci posse pluribus experimentis constat, immò & arte fieri non novum. Memoratur enim *in Ephemeridibus Germanicis, ann.* 1670. *observat.* 79.

8. de hist. Animal. c. 12.

c. loco,

Virum

Virum quendam filiorum suorum à die Nativitatis solitum unguento quodam inungere spinam dorsi, & juncturas artuum, quo crescere non possent; quare Magnatibus oblati iniquo parenti mercedem immerenter comparabant.

In maculandis, variandisque fœtibus plurimùm Imaginationi esse tribuendum clarius est, quàm ut hìc explicari mereatur; unde Arist. docuit, proles cæterorum animalium magis, quàm hominis suis parentibus similem gerere naturam, quia homo vago, varioque plurimùm animo in coitu est, & prout Pater, Materque in conceptu affecti fuerunt, ità prorsus evariare. Et Gal. ad pulchros fœtus efformandos valdè conferre asseruit in coitu pulchras imagines præ oculis habere. Et quidem non immeritò, cùm plurimis experimentis hoc constet, inter quæ primum sibi locum vindicat, quod de Jacob fertur *Genes.* 30. qui cùm oves vario colore distinctas cuperet, virgas in aquarum canalibus, quo potaturæ illæ agebantur, detractis corticibus, variegatas collocavit, unde Agni diversicolores nati sunt: atqui D. Hieronymus, & Augustinus, Pererius, Vallesius, aliique, varios illos colores ad ovium imaginationem referunt.

10. sect. problem n. 2.

Lib. de ther. ad Pis. c. 11.

Refert insuper Lycosthenes, Romæ ex illustri quadam muliere natum esse villosum puerulum instar Ursi ungulis armatum, quoniam domi multæ Ursorum imagines aderant, Insignia scilicet Familiæ.

Testatur Heliodorus, Persinam Æthiopissam aspectata frequentiùs Andromedæ statua, albam ex Æthiope prolem edidisse.

Lib. 1. de reb. Æthiop.

Sachsius *in Gammarologia* narrat, prægnantem quandam Gammarum attentiùs aspicientem in Silesia puellam genuisse, cuius pedes chelis simillimi erant: & Salmuth. *in observat.* aliam à fele perterrefactam peperisse filiam, cui loco manus, felis pes anterior fuit. Petrus à Castro *in observ. Med.* de cujusdam Lusitani uxore meminit, quæ cùm videret fratrem ictu sauciatum, & cruore perfusum, manum faciei admovit, & enixa est filiam maculam sanguinis in facie gerentem. Thomas Bartholinus *in Centuriis* refert, duas fœminas post obsidionem urbis Hafniæ, crebris tormentorum bombardis auditis, & globis ignitis volitantibus visis, infantes peperisse cum tuberculis protuberantibus, globis similibus. Kerkringius *in spicileg. Anatom.* addit mulierem gravidam, cùm accepisset, filiæ suæ, quæ in caput deciderat, os occipitis fractum esse, hoc nuncio perculsam, post octo dies infantem edidisse mortuum, & occipitis osse carentem, cujus loco pelliculæ dilaceratæ, & divulsæ aderant. Alterius etiam mulieris meminit, quæ ira percita menstrua statim sensit fluentia, & quidem singulis mensibus recurrentia; quindecim verò, ante partum, diebus, illa absque intermissione fluxerunt: peperit tandem puellam, cui ab ipsa nativitate ad quindecim dies usque menses fluere visi sunt, deinde suppressi redierunt post exactum mensem, & post alterum iterùm, tertiùm iisdem correpta mense Octobris 1668. Amstelodami epileptica mortua est. Plures ejusmodi casus referuntur à Borello, Gassendo, Bartholino, & aliis.

Plerique fortuitò hæc fieri ajunt. Sed qui fortuito eventui affingi possunt constantes effectus, quos non semel, aut bis, sed in dies experimur.

Rationem verò, qua Imaginatio suas vires exerit, multi diversimodè explicare conati sunt.

Gas-

Gassendus ait: *Videtur species, imagove rei externæ, quæ externi sensus interventu impressa fuerit cerebro, & facultatem Imaginatricem in ea residentem moverit, sic commovere appetitum, famulantesque ipsi spiritus, ut ipsi quoque spiritus impressionis factæ vestigium retineant, ipsumque per corpus secum deferant*, &c. Et iterùm sequenti capite hæc habet; *Rem certè miram narrat Munsterus de prægnante quadam, cuius frontem propè admotam ad frontem alterius, cùm superveniens tertia ex improviso collisisset, natæ deinceps fuere ex ea gemellæ fronte cohærentes. An jam sic mutuò cohærebant, collisiosque illa ex accidente fuit, & ad coalitionem nihil fecit? An potiùs quia talis collisio suspicionem ingerit magnam, debuere gemellæ sub eadem contineri secundina, ut contingere aliquando idem Hippocrates est Author? Quippe debuerunt frontes sese immediatè contingere, non suis membranis discerni. An igitur tenellæ frontes debuere quoque ita collidi, ut laceratione facta, & cohæsione perseverante, ac alimento semper affluente coadunatæ, colligatæque ad invicem concreverint? At quid collisionem intra uterum fecit? Profectò nil suppetit præter vim Imaginationis, qua nempè spiritus materni devehentes propriæ collisionis imaginem intra puellarum corpuscula, itá affecere eam utriusque partem, ad quam speciatim destinabantur à parte matris consimili, ut quo se pacto, illa habebat, eodem se ipsæ habuerint*, &c. Hæc illæ.

Lib. 4. de Gener. Animal. c. 4.

Honoratus Fabri, *Cùm imaginandi facultas*, inquit, *humores corporis commoveat, & ex diversa humorum agitatione ratio sanguinis diversa evadat, & ex hac diversa ratio spermatis, ex hac demum diversus tum cutis, tum pilorum color; quid mirum si nonnunquam imaginandi vis, præsertim si paulò vehementior est, diversum quoque colorem fœtui inducat? Cùm autem species, vel affectio vegeta sensui externo impressa traducatur in organum sensus interni, qui ab imaginandi facultate non differt, & ex hoc in reliquum corpus, ac præsertim in vasa, & viscera; quo fit, ut humorum motus cieatur; quid mirum si species sensui externo impressa, talem, vel talem colorem fœtui conciliet? Hinc ratio cur oves Jacob fœtus ederent diversi coloris, pro diverso virgarum aspectu; hinc alba mater Æthiopem parere potuit, & album Æthiops.*

Lib. 5. de Appetitu sensitivo, prop. 49. n. 5.

Kirkerus Phantasiam pictricem effingit spiritu corporeo utentem pro penicillo, speciebus pro coloribus, infantili corpore pro tela, in quo prototypon maternum depingit.

In arte magna lucis, & umbræ l. x. p. 2. c. 2.

Vallesius Generativam asserit potentiam subiici potentiæ Imaginativæ, tum quia percepto aliquo Venereo objecto illicò genitales partes inflantur; tum quia in Venereis insomniis nocturnæ contingunt pollutiones.

Lib. de sacr. Philosoph. c. 11.

At solis verbis hi lusisse videntur. Neque fictæ species, seu imagines rerum apprehensarum in spiritus, & sanguinem impressæ, ut Peripatetici ajunt, physicos, realesque effectus parere possunt, potissimùm fœtu jam formato. In Actis enim Anglicis anni 1667. narratur, fœminam sexto mense gravidam ex aspectu simiæ in Theatro vestitæ, edidisse monstrum figura simiæ præditum. Et mirum sanè, potuisse humanam formam averruncari, & omnia penitùs innovari post sextum mensem à conceptu. Accedit, plerùmque maculas cuti infantis impressas imitantes cerasa, fraga,

fraga, mala punica, graves molestias inferre, cùm fructus, quorum species, illæ referunt, ad maturitatē perveniunt. Quinimmò novi quendam, qui à genitiva nota mali punici quotannis febricitabat Autumno, cùm illa maturescunt. Vivit adhuc Neapoli decimum annum agens Puer cujus totum sinistrum brachium variis materni desiderii notis est refertum, ostreis, spondylis, dactylisque quàm simillimis; manus verò metacarpium cancri marini corpus, & digiti chelas referunt; quia nempe Mater sexto mense gravida, venales viderat marinos cancros, ostreas, spondylos, dactylosque, pisces è concharum genere, illorumque desiderio capta sinistrum sibi brachium, manumque tetigit, ut eadem refert: quo verò tempore iidem pisces pinguiores evadere solent, brachium, & manus intumescunt, & dolorem, febremque inferunt. Sed & quanta sit vis, & efficacia Imaginatricis in concitando humores corporis, corpusque ipsum commovendo, & alterando, benè norunt, qui ex perceptione rerum malè olentium, aut palato, & stomacho infensarum, præsertim è genere catharticorum, statim nausea corripiuntur, alvo turbantur, & toto corpore contremiscunt.

DE PARTV.

QUemadmodùm fructus, qui maturuere, sejuncto pediculo, sponte sua decidunt, ita & Infantes ab utero, & placenta sejuncti, prodeunt in lucem.

Partus causas existimavit Fabritius ab Aquapendente Respirationis, & alimenti necessitatem, atque infantis pondus. Harveus *cap. de Partu* putavit succi intra Amnium contenti, alendoque fœtui destinati inopiam, vel à relictis recrementis depravationem. Crediderim ego Maturitatem potiorem esse partus causam; tunc enim placenta ab utero separatur, uterinæ carunculæ resiccantur, & abscinduntur vasa umbilicalia, eodem fermè modo, quo in fructibus fieri experimur, ut non sine ratione comparaverit Gal. connexus fœtuum cum utero fructibus in arbore pendentibus.

Cùm ergo maturus est fœtus, humores aquosi in chorio contenti, diruptis secundinis, effluunt, unde uterus laxatur, ejus orificium aperitur, fœtusque ad exitum properat. Ut verò Partus reddatur facilior, tùm ipsius fœtus, tùm Uteri, immò & totius materni corporis nisus exquiritur; quamobrem ut secundinæ scindantur, Sternutationes moventia adhiberi jussit Hipp. Atque ex Harveo in naturali, & genuino partu sibi operas mutuas præstant parturiens mater, & pariendus fœtus, quamvis non rarò hic solus prodierit proprio molimine, ac nisu, etiam extincta matre, & mortuum infantem mater proprio conatu pepererit. 5. aphor. text. 49.

Contingit aliquando prodire Infantem suis secundinis indutum, & tunc illum Galeatum, seu vestitum vocant. Hoc autem, quod rarum in Hominibus, frequentissimum est in Canibus, Ovibus, aliisque, præsertim verò in Vipera edente suos partus tenui membrana obvolutos, quæ nonnisi tertia à partu die ex Arist. dirumpitur, licèt adhuc intra uterum quandoque scindi soleat. 5. de hist. Anim. c. ult.

Benè nasci dicitur infans, cùm in caput prodit; In pedes autem procedere, inquit Plinius, contra naturam est, & magis adhuc à natura alienum, si in brachia, in latus, vel in clunes exeat, quia periclitari solent Lib. 7. c. 8

nedum

nedum infantes, sed & ipsæ matres. Consueverunt autem Veteres in difficili partu ventrem cædere ad fœtus extractionem, quamobrem partus Cæsareus appellabatur, ut refert idem Plinius de Scipione Africano,
Lib.7.c.9 Manlio, & Julio Cæsare, qui inde Cæsaris nomen adeptus est.

Tempus pariendi cunctis Animantibus statutum est. Elephantum referunt duos annos utero gestare; Equam menses undecim; Camelum, & Bovem decem; Cervam octo; Ovem, & Capram quinque; Suem quatuor; Canem, & Felem duos; Cuniculum mensem. Soli Homini incertum est, & vagum, ut etiam notavit Arist. 7. *de hist. Animal. cap.*4. Peramatus *lib. de Hom. procreat. cap.*8. refert humanum fœtum vitalem editum mense quinto, atque etiam quarto. Vallesius *lib. de sacr. Philos.* natam suo sæculo puellam quinquemestrem, & duodecimum annum agentem vidit. Adrianus Spigel. meminit alterius partus initio sexti mensis editi. Cardanus de aliis suo tempore testatur, necnon fatetur Cardinalem Sfondratum octavo mense natum. De septimestri partu passim referuntur historiæ. Plurimos etiam octavo mense exortos vixisse fatentur Plinius, & Aristoteles, præsertim in Ægypto, & Insula Naxo, ubi Bacchus octavo mense natus, perhibetur. Affirmant alii cum Varrone hoc
Lib. 7. cap.5. idem evenire in Insula Cypro. Plinius ait: *Vestiliam Caii Herditii, ac posteà Pomponii, & demum Orfiti, clarissimorum Civium conjugem, enixam esse Sempronium septimo mense, Suillium Rufum undecimo, Corbulonem septimo, posteà Cæsoniam Caii principis conjugem, octavo.* Unde apud Cæcilium.

Insolet ne mulier decimo mense parere?

Pol nono, etiam septimo, atque octavo.

Non desunt qui dicant, esse hominum gignendi summum finem decem menses exactos, idque Plautus *in Cistellaria* affirmat his verbis.

Tum illa, quam compresserat,
Decumo post mense exacto hic peperit filiam.

Et Menander naturæ rerum peritissimus.

Γυνὴ κυεῖ δεκάμηνος.

Ovidius refert Romulum annum decimo mense clausisse, quia nempe totidem humano partui satis essent. Fast.1.

Tempora dirigeret cùm conditor Urbis in anno
Constituit menses quinque bis esse suo.
Quod satis est utero matris dum prodeat Infans,
Hoc anno statuit temporis esse satis.

Non videtur ab hac opinione alienus Virgil. cùm ait: Eclog.4.

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

Partuum similiter ad undecimum, duodecimum, decimum tertium, & ad decimum octavum usque mensem productorum præ cæteris meminere Gassend. *tom.2. de gener. Animal. lib.* 4. *sect.* 3. *cap.* 6. Schenck. *lib.* 4. *obs.* & Schottus *lib.* 3. *Phys. Cur. cap.*50.

Hinc non rectè putavit Hippocr. Octimestres partus vitales non esse ob succedentem afflictionem alteri, quæ habita est in septimo mense; tum quia duplex hæc afflictio tantùm asseritur, quæ si vera esset, frequentiùs accideret in partu decimestri, ob motionem factam in nono mense; tum etiam quia octimestres maturiores, quàm septimestres sunt, qui nihilominùs supervivere dicuntur; tum demum quia non plenè constat quinam octimestres sint, & quòd hi solum sem- Lib. de Octimestri partu.

ſemper intereant, cùm poſſint non minus, ac alii ſupervivere, ſi nimirùm maturo tempore in lucem prodeant, quemadmodùm ex adverſo nonimeſtres, ac decimeſtres quandoque pereunt, ſi fortè debitam perfectionem non ſint adepti.

DE VITA.

HIc in Vita non ea, quæ primario loco ſunt, utpotè quæ diviniorem originem habent, & Mens, ſeu Animus appellatur, ſed ea, quæ ſecundum locum obtinent, & Vitæ, ſeu ſenſuum exercitia nominari commodè queunt, accipimus. Re enim intellecta, ut voluit Cicero, in verborum uſu faciles eſſe debemus.

Quid enim Mens ſit, difficile eſt exiſtimare, ita multa de ea Philoſophi commenti ſunt. Thales dixit Animam eſſe Naturam quiete carentem, ſeque perpetuò moventem: Philolaus, Harmoniam: Xenocrates, Numerum ſe moventem: Ariſtoteles ἐντελέχειαν: Poſſidonius, Ideam: Hip-
Plutarc. pocrates, Spiritum tenuem per corpus omne diſperſum: Heraclitus
Macrob. Ponticus, Lucem: Democritus, Spiritum inſertum atomis ea facilitate motus, ut corpus illi omne ſit pervium: Heraclitus Phyſicus ſcintillam ſtellaris eſſentiæ: Hipparchus, Ignem: Anaximenes, Aera: Epicurus, Corpus contextum ex tenuiſſimis partibus, læviſſimis, rotundiſſimiſque, non multùm diverſis ab iis,
Lib. 3. ex quibus eſt Ignis; Unde Lucretius.

Nunc igitur quoniam eſt Animi natura reperta
Mobilis egregiè: perquàm conſtare neceſſe eſt,
Corporibus parvis, & lævibus, atque rotundis.

Laert. lib. 9. Pythagoras, Plato, aliique, Divinæ Mentis, quæ mundum complet, partem, cæteris quoque Animantibus communem. Unde Horatius illam appellavit Divinæ particulam Auræ. His etiam aſſentiri videtur Virgilius cùm ait. 4. Georgic.

Eſſe apibus partem Divinæ mentis, & hauſtus
Æthereos dixere: Deum namque ire per omnes
Terraſque, tractuſque Maris, Cœlumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.

Et 6. Æneid. —*Cœlum, ac Terras,*
Campoſque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit: totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.
Inde hominum, pecudumque genus, Vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus.
Igneus eſt ollis vigor, & cœleſtis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.
Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque, nec auras
Reſpiciunt clauſæ tenebris, & carcere cæco.

Quid autem ſit illa vis, & unde ſit, minimè intelligibile puto; &, ut Tullius loquitur, non eſt certè nec Cordis, nec Sanguinis, nec Cerebri, nec atomorum: Anima ſit Animus, igniſve neſcio: nec me pudet, ut iſtos fateri neſcire, quod neſciam: illud, ſi ulla alia de re obſcura affirmare poſſem, ſive Anima, ſive ignis ſit Animus, eum jurarem eſſe Divinum. 1. Tuſc.

Vitam verò ſecundo loco acceptam Aſclepiades dixit eſſe ſenſuum exercitium: Plerique ex Ariſtotele conſiſtere illam putarunt in manſione calidi in humido, cùm ille dixerit *lib. de long. & brev. Vitæ, cap. 5.* Τὸ ζῶον ἐστι φύσει ὑγρὸν, καὶ θερμὸν, καὶ τὸ ζῆν τοιοῦτον: quod explicans Gaſſendus ait, eſſe manſionem caloris, ſeu flammulæ in humido tanquam in pabulo oleagineo. Unde Galenici, Ariſtoteleique deſumpſerunt, quæ de mutua refractione, & miſtura quatuor putatarum qualitatum in conſtituendis temperamentis habent, quamvis non omnibus de hoc ſecum conveniant. Hæc autem pluribus vana demonſtrarunt Helmontius, Gaſſendus, Boyle, aliique.

Empedocles, Critias, & Philo Hebræus ſcitè quidem in ſanguine Vitam eſſe docuerunt; licèt enim non minùs apud Philoſophos de hac re dubitare contingit, tamen, deſperata certi cognitione, id ſequi licet, quod veriſimile videtur, ſcilicèt ſanguine partes omnes calefieri, & ad vitales operationes excitari, quæ vetus etiam fuit Medicorum aſſertio. Liquet porrò in primo illo puncto ſaliente Embryonis excitari motum fermentationi non abſimilem, quo ſanguis intra bullulam turgeſcens irrumpit in arteriolas, & venulas, deinde per univerſum corpus pari ratione diffunditur, ut miro quodam ſucceſſu ſenſim vaſa omnia compleat, & vitales motus excitet.

Pleriſque perſuaſum, quod proficuum, & vivificum eſt in ſanguine, atque illum fluidum ſervat, omninò à calore pendere. Verùm pluries obſervavi in Animalibus tùm jugulatis, tùm abſque ulla ſanguinis effuſione extinctis, deſtrum cordis ventrem concreto ſanguine oppletum, etſi cor calore adhuc, halitibuſque fumantibus præditum eſſet. His accedit quod refertur in actis Philoſophicis Anglicis ann. 1677. in Inſulis Caribum, Teſtudinum ſanguinem frigidiorem obſervari omni aqua illius loci, cùm tamen is fluidus ſit, & vitam, motumque in arteriis, & corde validum tueatur.

Quibuſdam placuit ex jugi motu ſanguinem vegetum eſſe, & fluitare, cùm motus partes exagitet, attenuetque, & conglobari haud ſinat. At Clariſſ. Cornelius notat in ſanguine halitus quaſdam acri ſalſilagine præditos, quibus viget: iis enim evaneſcentibus illicò in grumos concreſcit; ac addito ſale diutiùs floridus perſeverat. Hoc etiam ſyderata membra in adapertum animalium jugulum immiſſa plurimùm juvantur, & peritiores Chymici potentiſſimum ex eo Spiritum roborando cordi, reficiendiſque viribus valdè proficuum eliciunt. (In progym. de Vita.)

Jam verò, unde hæc Salſilago ſanguini accedat, inquirendum. Et quamvis à fœcundante principio communicata dici poſſit, Theodorus Kerkringius putat à glandulis atrabilariis, ſeu Renibus ſuccenturiatis dictis, derivari humorem quendam älioſo-ſalſum, qui per venas emulgentes in Cavam deferatur, atque hinc Cor petens excitet illam effervescentiam, quam Franciſcus Deleboe Sylvius à ſalſo cum acido permiſto ibidem fieri contendit, ideòque fatetur ſe animadvertiſſe ſanguinem, qui egreditur à glandulis prædictis, ac per venas emulgentes refertur, differre ab eo, qui per arterias in illas ingreditur. (Præf. Spicil. Anat.)

Ut verò debita ſanguinis energia conſervetur, ad illum ritè percolandum, perficiendumque, varia, & miro ordine, viſcera Natura diſpoſuit, potiſſimùm glandulas per to-

tum fere corpus disperſas, Cyſtim felleam, Renes, Meſenterium, Pancreas, Jecur, Lienem, Pulmones, aliaque.

Ex varia autem ejuſdem percolatione, ſecretioneque, per immutatum partium complexum, Ætatum variatio contingit. Cùm enim in prima ætate partes laxiores, mollioreſque ſint, ſanguis ita in illis imbibitur, ut & calorem vegetum, atque augmentum carnium inducat, unde fit ut pueri plurimùm nutriantur, & creſcant, dicanturque præ cæteris calidi-humidi. In juventute verò textura partium magis coarctatur, ſanguis tantùm tenuior, & ſalſior trajicitur, minuiturque aliquantulum nutritio, & augmentatio; augetur autem robur vitale, quia ſanguis ob motum citatiorem fit tenuior, floridiorque, unde calida-ſicca Juventus exiſtimatur. In Virilitate inſuper partes paululùm obrigeſcunt, textura magis conſtipatur, & ſanguis diuturna circulatione ſubactus glutine ſenſim, & ſalſugine deſtituitur, acidior, nigriorque evadit; unde homines in hac ætate frigidi-ſicci dicuntur. Denique in Senectute ita partes rugantur, & rigent, ut portio glutinoſa, & alba ex cibo ſuggeſta facilè in illis hæreat, adeòque partium nutriendarum poros ſubire nequeat, unde exoriuntur catarrhi, tuſſes, articulorum dolores, podagræ, chiragræ, & ſimiles, cum exili partium nutritione. Cùmque portio florida, ac vivida plurimùm infringatur, idcircò Senectus extremè frigida-ſicca creditur.

Præterea variat hæc partium, & ſanguinis conſtitutio à ſeminibus, nutrimento, exercitiis, regionum incolatu, viſcerum fermentis, morbis, reliquiſque cauſis ferè innumeris, quibus homines præſertim ſubiiciuntur. Cæterùm quæ corpora ſanguinem ſortita ſunt floridiorem, vegetiora, & calidiora obſervantur, quamvis gracilia; quæ verò magis glutinoſo ſanguine abundant, obeſiora ſunt, at minùs calida.

Poſtremò, quòd hujuſcemodi corporum, & partium conſtitutio progreſſu ætatum mutetur, evidentius eſt, quàm ut probatione egeat: etenim cutis rugas contrahit, caput calveſcit, & caneſcit, cerebrum ſiccatur, & à calvaria multum recedit, tympanum auris contrahitur, oculorum humores, & tunicæ conflacceſcunt, & viſcera omnia languent. Hoc idem colligere licet ex eo, quia plerique cibi per pueritiam, & juventutem nobis gratiſſimi, in ſenectute deinde evadunt injucundi; & qui ante alicujus ægritudinis invaſionem inſipidi erant, mox vel in ipſa ægritudine, vel cùm ab ea evaſimus, ſapidi redduntur. In quam rem lepidam ſanè hiſtoriam narrat Matthæus Hertodius: Quidam toto ſuæ vitę ſpatio ſe panem guſtaſſe non meminerat, tanquam ſuæ naturæ omninò contrarium, quamvis famelicus eſſet; quartana febre correptus omnia reſpuens, panem ſolum appetivit, & comedit, ex cujus eſu quartana curatus denuò illum nauſeavit. Ibidem mulier quædam memoratur, quæ cùm nec caſei odorem tolerare poſſet, gravida deinde eodem ſummoperè delectabatur. (In Ephemer. German. an. 1671. obſerv. 144.)

Ex his nullo negotio colligitur à ſanguine variè affecto, diverſaque partium conſtitutione exoriri diverſas corporum habitudines, quas Temperamentorum differentias Medici dixerunt; etenim cùm ſanguis convenienter percolatur per debitum partium complexum, concinna temperies, ut dicitur, exurgit; ſi verò in hoc aliquo modo peccetur,

aut

aut in calidum, aut in frigidum Temperies degenerabit.

Similiter, quæ sanguini disjungendo, attenuandoque apta sunt, habitudinem corporis in calidam commutant; quæ verò sanguinem crassiorem, & glutinosiorem reddunt, sive illius secretionem impediunt, frigidam temperiem invehere dicentur.

Insuper Viventia à sanguine florido simul, & glutinoso, sive vivifico, & auctifico, quo scilicet vigent, & augentur, calida-humida appellantur; quamvis ubi gluten prævalet, opimiora, ubi verò sanguis est floridior, calidiora percipiantur; unde Aristoteles dixit, Viventia calido vivere, & humido nutriri.

Denique sanguinis, & cordis motus ita invicem dependent, ut altero deficiente alter deficiat; In lipothymia namque cordis motu diminuto, illicò sanguinis circuitus impeditur; & si fortasse sanguis congelascat, aut ægritudine, aut infusione alicujus liquoris coagulantis, subitò quoque motus cordis retardatur, & languet. Mutuò igitur sibi opitulantur, & vitam tuentur sanguis, & cor: hoc, intimo motu sanguinem agitante, ac peficiente; illo verò, halitu, seu spiritu, ut ajunt, vitali, volatili, & balsamico cor ad motum excitante. Rem percipere licet ex Machinis hydraulicis motum aquæ diù perpetuantibus, in quibus aqua impellitur à machinamentis hydraulicis, & simul impellit Machinæ instrumenta, unde ejus motus continuatur.

DE MOTU CORDIS, & Sanguinis.

NIhil Animantibus magis necessarium motu, seu pulsu Cordis, qui tamen adeò explicatu difficilis est, ut rem dixerit Fracastorius soli Deo cognitam.

Aristoteles arbitratur illum esse à sanguine ebulliente, & cordis ventriculos dilatante, cujus sententiæ adhærere visi sunt Cartesius, Harveus, Hogelandus, Regius, aliique, quamvis non omnes eodem modo illam explicent. Plerique enim fermentum quoddam nitro-sulphureum in Cordis ventribus supponunt: nonnulli spiritus: alii flammulam, seu Calorem insitum. Conveniunt tamen, quòd asserant sanguinem cordis ventriculos ingressum, sive dicto fermento, sive calore, & flammula rarefieri, ac turgescere eò usque, ut nedum cor distendat, sed & amplius exquirens spatium, sponte sua potiùs, quàm adigente Corde, in adjunctos tubulos, & in Aortam profluat, ac deinde in totum corpus, & arterias excurrat. Lib. de Respir. c. 20.

Sed hanc assertionem pluribus exagitat præ cæteris Richardus Lovver, qui hanc in sanguine ebullitionem excitari, aut in corde ejusmodi fermentum adesse negat. Primò, quia brevem nimis in illo moram sanguis habet, ut impossibile videatur tantam, & subitam ebullitionem promovere. Secundò, quia hujusmodi in corde fermentum gratis videatur effictum, nam deberet aliunde assiduò suggeri, ut toto vitæ spatio motum perpetuaret. Quòd si dicatur per arterias coronarias in ventriculos effundi, obstabit Anatome, qua cuique perspectum est membranam ventriculorum interiorem adeò imperviam esse, ut nihil penetrare patiatur, prout liquoribus injectis idem Lovver evincit. Tertiò eandem infirmat duobus experimentis, altero in Cane, è cujus vena jugulari sanguinem ferè dimidium detraxit, injecta interim per vices pari ce- Tractat. de Corde.

revisia modico vino mista, quod toties repetiit quousque loco sanguinis pallidior solùm tinctura loturæ carnium similis è vena proflueret, cordis interea pulsu vix relentescente; Altero verò à Medico fide dignissimo eidem communicato. Adolescens annorum sexdecim ferè ad mortem adductus erat à gravi hæmorrhagia, quæ nulla arte cohiberi poterat, cùmque juscula exhiberentur, profluente interim sanguine, eò tandem deventum est, ut sanguis jam totus efflueret, succederentque assumpta juscula, interim corde constanter pulsante, donec fluxu consopito juvenis paulatim integræ saluti fuerit restitutus, & exinde in virum robustum evaserit. Verùm his non evincit infusos liquores non potuisse misceri cum aliis liquoribus, seu salibus adhuc in vivo animali existentibus, qui illos sanguini analogos reddere potuerint; præsertim cùm multæ sint Animantes, quæ pro sanguine subalbidum tantùm humorem illi æquipollentem nactæ sint.

In fundam. Medic. 4. edition. l. 2. sect. 2. c. 5. Plempius postquàm plura congessit in Cartesium, statuit tandem (at qua ratione videant Lectores) cordis diastolem fieri ab influxu sanguinis ad cor perpetuò pulsi; systolem verò à facultate contrahente.

Pulsum autem esse propriam, intimamque cordis motionem, qua ipsum diastole, & systole attollitur, ac deprimitur, suadet potissimùm palpitatio ejusdem etiam exempti, & omni sanguine depleti, atque in plures particulas dissecti, ut in Viperæ, & Anguillæ corde observatur: testaturque Gassendus cor Cyprini vivi extractum, ac denudatum dilatari, & contrahi, pulsareque in longum tempus. Accedit, quòd vena Cava, Arteriaque venosa ligatis per aliquod tempus etiam tùm pulsat, nullo interim sanguine influente, ut præ cæteris notat noster Cornelius. (Progymn. de Vita.)

Arteriarum verò motus, seu pulsus omninò à sanguine præterfluente pendere videtur. Dum enim Cor contrahitur, sanguinem evomit in Aortam, unde in reliquas arterias ille diffunditur, quo fit, ut dilatentur in cordis systole, constringantur verò in diastole; si enim Arteriæ vinciantur, sub ligatura pulsationem amittunt, & in syncope languescente corde, ac motum intermittente, cessant quoque arteriarum pulsus.

Lib. an sanguis in Arter. contin. cap. ult. Galenus conatus est experimento probare pulsificam vim per arteriarum tunicas diffundi: etenim immisso calamo intra arteriam per longum dissectam, ita tamen ut vulnus obturetur, & sanguis exilire non possit, videri nihilominùs, ait, arteriam totam pulsantem etiam infra calamum; at verò eandem filo obstrictam non amplius ultrà ligaturam micare, etiamsi sanguis ad arteriam, quæ est ultra filum, sicuti prius faciebat, per concavitatem calami feratur.

Verùm tentato hoc eodem experimento à Cl. viro Thoma Cornelio, visa illi est arteria, etiamsi tenui filo discissa ejus pars fistulæ foret alligata, ultrà vinculum pulsare, quamvis paulò obscuriùs.

In fundam. Medic. lib. 2. sect. 4. c. 1 & sect. 6. cap. 5. Plempius demùm testatur se molle gossipium incisæ arteriæ indidisse, ita tamen ne arteriam distenderet, nullumque motum ultra obturamentum observasse; unde deducit arterias non pulsare virtute per ipsarum tunicas diffusa, sed solo sanguinis influxu.

Neque mirum si ob impulsum sanguinem in Aortam reliquæ arteriæ etiam ab hac remotissimæ simul pulsent; etenim cùm omnes æquè sint sanguine plenæ, ab illo sanguine, qui Cordis systole in Aortam impellitur, alius

alius illi proximus urgetur, & sic illicò totus sanguis unà premitur, impelliturque. Cur autem venæ, quamvis arteriis per anastomosim conjunctæ, unà simul non pulsent, oritur, tum quia impulsus sanguinis in illis vix percipitur, cùm ex arteriis capillaribus in venas influens modicus sit; tum quia sanguis per unicam arteriam delatus à pluribus venarum ramulis exugitur, qui deinde ex angusto in ampliorem locum traducitur, quamobrem conspicuam distensionem in venis efficere non valet; tum etiam quia non semper rectà ab arteriis in venas traiicitur, sed per viscerum poros primùm excurrens, mox exsudat in venas, potissimùm eas, quæ exteriores partes corporis irrigant. His accedit quod observavit Bartholinus, exiles arterias non pulsare, quia in illis validus sanguinis impetus deest, unde à venis vix licet eas discernere.

Non solùm, ut jam vidimus, pulsifica cordis vis per arterias non diffunditur, verùm neque harum, & cordis constrictiones, ac dilatationes simul fiunt, ut perperam cum Herophilo existimavit idem Galenus, eo deceptus, quòd simul Cordis, & arteriarum vibrationes concordes sentiantur. At anatome vivi Animalis jam innotuit, cor percutere pectus systole non diastole, quia cùm Cor comprimitur ejus mucro accedit ad basim, & latera contractis ventribus attolluntur; in diastole verò à basi recedit mucro, & latera distenduntur: unde cùm cor systole sanguinem impellit, arteriæ diastole illum recipiunt.

Ex Arteriis reducitur in Venas, quæ cùm universæ tendant in Jecur tanquam in communem alveum, idcircò in illud universus sanguis per easdem corrivatur, atque ex Jecore in venam Cavam ascendentem, à qua in dextram cordis auriculam, adjunctumque ventriculum, postmodùm in pulmones per venam arteriosam, seu arteriam pulmonalem, & ex hac per arteriam venosam, seu pulmonalem venam in sinistram auriculam, sinistrumque ventrem traiicitur, ex quo tandem per Aortam, & universas arterias perenni, incessantique periodo refertur. Hoc inventum Gulielmus Harveus primus omnium evulgavit, licèt nonnulli ad Paulum Sarpam, Cæsalpinum, & Zoilium referant.

Et quamvis de hujusmodi sanguinis circuitu tam constans, & firma ratio nunc habeatur, ut fermè pudeat in controversiam eundem revocare, quia tamen non desunt adhuc, qui obstinatione quadam recens inventa odio habent, quodque rancedinem non sapit, nauseant, ideò aliqua in medium afferemus.

Confessa res est, & manifesta apud omnes, continenter certam sanguinis portionem è vena Cava ascendente in dextrum cordis ventriculum singulis dilatationibus effundi, ut pluribus præ cæteris ostendit Thomas Bartholinus. (Lib. 2. anat. cap. de Corde.) Quantum autem sanguinis singulis ictibus cor ingrediatur, vel ex eo egrediatur, licèt certò decerni non possit, minus tamen quàm sit drachmæ triens, nemo hucusque expertus est, etsi experimenta peracta sint in Animalibus minoris corporaturæ, quàm sunt Homines: immò plerique drachmam, nonnulli semiunciam, atqui etiam unciam sanguinis qualibet diastole cor introire observarunt, inter quos Harveus, VValæus, Hogelandus, Conringius, aliique. Cùmque singulis horis cor hominis ictus edat, ex observatione Cardani, quatuor mille; sequitur, ut totidem sanguinis (Consentit Kepler. Epit. Astron. l. 3. p. 3.)

drachmæ Cor ingrediantur (si drachmæ tantùm sanguinis ingressum homini singulis ictibus concedamus) atque adeò spatio sex horarum libræ sanguinis quinquaginta biscentum, (si singulis unciis octo drachmæ tribuantur) quantum vix totus homo pendet. Atqui Avicenna, cui assentitur Rolfinchius, ipsis hominibus sanguinis libras triginta tantùm, & Thomas Bartholin. nonnisi libras vigintiquinque tribuit. Tanta autem sanguinis copia, de qua jam diximus, haud-quaquàm Cordi suggeri ab alimentis dici poterit, quia longiori, quàm sex horarum spatio, à cibis abstinere solemus, & interim motus Cordis, & sanguinis ingressus in ejusdem ventres perennat. Quid si eos commemorare velimus, qui plures dies jejuni degunt? Igitur sanguinem in cor per arterias, venasque perpetuò reduci fatendum est.

f.5.l.3.tr. 1.cap.9.

Hinc peritiores Medici paulò supra partem veneno infectam stricto ligamine venas, & arterias vinciunt, ne ex accursu, & recursu, totus sanguis inficiatur. Hac eadem ratione evenit, cur Cantharides cubitis, & tibiis applicatę mictum sanguinis excitent, & vesicam lædant. Sic pariter cùm pedes humescunt, vel unguento populeo inunguntur, Cerebrum catarrho, somnoque gravatur.

In phlebotomiis, ut sanguis liberè per sectionem exiliat, ligatura adhiberi solet supra venam secandam, quia si infrà fieret, sanguis intercluso transitu, quo è partibus extremis versus interiores excurrit, non efflueret. Quòd si aliquandò Phlebotomus arctam ligaturam parumper relaxat, id facit, ne ex arctiori vinculo motus sanguinis per arterias, quæ venis subjacent, impediatur; Et si aliqua vena recidatur, ex trunco è partibus extremis ad Hepar tendente sanguis effluet; ab Hepate verò versùs truncum ne stilla quidem reducetur: Sic recisa vena jugulari profluit sanguis tantùm à parte superiori caput spectante; pars verò inferior omninò inanietur ob confluxum sanguinis ad Jecur. At contrarium contingit in arteriæ sectione.

Præterea si incidatur quæcumque vena, universus sanguis brevi egredietur, quod profectò non accideret, nisi ex arteriis in venas perenniter decurreret. Atque hinc etiam fit, ut quò arteriæ celeriùs pulsant, eò ocyus sanguis è venis profluit; unde optimum est sistendo sanguini arctam ligaturam ad eas partes adhibere, ex quibus ille traiicitur in apertam venam: sic etiam timor, aqua gelida, & quodcumque cordis, & arteriarum motum remoratur, sanguinem sistit.

Confirmat hæc omnia nuperrimum experimentum Oxonii primùm à Richardo Lovver tentatum in sanguinis ex uno in aliud animal transfusione (ut cæteras aliorum liquorum infusiones hìc sileam) deindeque à Gallis, Belgis, Italis, Germanis, & tota penè Europa repetitum, quo quidem insueto miraculo non semel extrema senectute confecti juvenescere, & ferè extincti è mortuis revocari visi sunt; ut propterea consultò videatur Ovidius inducere Æsonem à Medea, 7. Metamorph.
educto veteri cruore, succisque ad id paratis substitutis, pristinæ juventuti restitutum.

——— Stricto Medea recludit
Ense senis jugulum, veteremque exire cruorem
Passa, replet succis, quos postquàm combibit Æson,
Aut ore exceptos, aut vulnere: barba, comæque,
Canicie posita, nigrum rapuere colorem.

Pulsa

Pulsa fugit macies, abeunt pallorque, situsque,
Adjectoque cavæ supplentur corpore rugæ,
Membraque luxuriant. Æson miratur, & olim
Ante quater denos nunc se reminiscitur annos,
Dissimilemque animum subiit, ætate relicta.

Idemque repetitum ait in Ariete.

Protinùs innumeris effœtus laniger annis
Attrahitur, flexo circùm cava tempora cornu,
Cujus ut Æmonio marcentia guttura cultro
Fodit, & exiguo maculavit sanguine ferrum;
Membra simul pecudis, validosque venefica succos
Mergit in ære cavo: minuunt ea corporis artus,
Cornuaque exurunt, nec non cum cornibus annos,
Et tener auditur medio balatus aheno.
Nec mora, balatum mirantibus, exilit agnus,
Lascivitque fuga, lactantiaque ubera quærit.

At quid plura? Res adeò jam clara est, ut vel cæcis ipsis illuceat. Jure ergo optimo Plempius coactus rationibus, & experimentis palinodiam his cecinit: *Primùm mihi inventum hoc non placuit, quod & voce, & scripto publicè testatus sum; sed dum posteà ei refutando, & explodendo vehementiùs incumbo, refutor ipse; & explodor; adeò sunt rationes ejus non persuadentes, sed cogentes: diligenter omnes examinavi, & in vivis aliquot canibus eum in finem à me dissectis, verissimas comperi: hoc ut facerem, monitus quoque à clarissimo VValæo Professore Leidensi, cujus viri candido, sedatoque ingenio, & judicio plurimùm tribuo, multùmque in hac ipsa materia acceptum refero.* Hæc Plempius.

In fund. Med. edit.4.lib. 2.

Quoniam verò ductus, per quos sanguis ex Arteriis in Venas traiicitur, non percipiunt, de Circuitu sanguinis dubitare plerique coguntur. Verùm sanguinem ex Arteriis in Venas transfundi compertum est per Anastomosim, quam cognitam antiquis etiam, & potissimùm Galeno arbitrantur VValæus *epist.* 1. *de motu chyli ad Thomam Bartolinum*, & Plempius *fund. Med. l.2. de Circul. Sang.* tum etiam per quosdam ramusculos nectentes pluribus in locis ramulos arteriarum cum ramulis venarum; necnon per intermedios partium poros, etenim cùm arteriæ in viscera sanguinem effundunt, portio nutricationi apta iisdem agglutinatur, & in aliti substantiam convertitur; reliqua verò vel inepta, nec dum depurata, vel superflua percolatur in proximas venas; indeque revehitur in cor, tum propulsione, tum pressione arteriarum, adjuvante etiam peristaltico earundem venarum motu, & adjacentium musculorum distensione, contractioneque. Quòd si aliquando trajectio ista sanguinis ex arteriis in venas per carnes impediatur, vel vitio sanguinis, vel mala partium habitudine, sanguis ipse restagnat, immoraturque, & oriuntur inflammationes, tumores, pustulæ.

Pro diversa autem constitutione sanguinis circuitus non æquabiliter absolvitur. Variat enim pro Corporum, Sexuum, Ætatum, Anni temporum, & Victus ratione, necnon juxta varium statum valetudinis. Atque hinc pulsationes arteriarum diversimodè observantur, validæ, imbecilles, celeres, tardæ, magnæ, parvæ. Lovver *tractat. de corde* circumeuntis san-

sanguinis motum metitur ab urinæ decursu. Fallacem tamen conjecturam hanc ipse crediderim, quoniam plerùmque serum urinæ per venas lacteas, & aquæductus recta traiicitur ad capsulas atrabilarias, & Renes, atque à diversitate ciborum, & potuum, modò citatur, modò retardatur illius egestio.

Cùm ad sanguinis periodum omninò requiratur cordis, & arteriarum motus, qui diastole, & systole constat, cùm Antiqui, tùm Neoterici dubitarunt, cui bono utraque fit. Galenus existimavit Diastolem esse, tum ut Cor sanguinem à vena Cava ascendente traheret pro spiritibus vitalibus progignendis, & sanguine venoso perficiendo; tum etiam ut à pulmonibus frigidum aerem sugeret in fervoris refrigerium; Systolem verò, ut spiritus vitales in corde geniti per arterias in universas partes propellantur, & ut fuligines è corde elevatæ ventilentur, ne cor ipsum lædant, aut vitalem calorem in ipso residentem suffocent. At Recentiores ex his usibus aliquos probant, alios omninò reiiciunt. Admittunt quidem per diastolem sanguinem in cor intrudi à vena Cava ascendente per dextram auriculam; rident verò frigidum aerem (si tamen Cordis ventres ingreditur) per pulmones delatum refrigerando cordi inservire posse. Concedunt pariter per systolem propelli sanguinem in arterias; atque in universum corpus; at fuliginum, quas somniant, ventilationem, prorsùs eliminant à ventribus; nam via, quæ per arteriam venosam fingitur, omninò intercluditur ostiolis, sanguinis, & cujuscumque alterius liquoris regressum in pulmonem impedientibus. Accedit quod tantus calor, ut refrigerio egeat, & temperatione, nullus est, cùm neque rationi, neque experimento id cohæreat: dissectis enim vivis animalibus non major calor tactu percipitur in corde, quàm sit in cæteris visceribus.

DE RESPIRATIONE.

QUemadmodùm pulsu, & sanguinis circuitu, sic quoque respiratione Vita perdurat, foveturque. Viscera, quæ speciatim ad illam pertinere videntur, sunt Pulmones, & Thoracis musculi, quorum motu, & expansione aera respiramus.

Helmontius autem *in deliram.Catarrh.* opinatus est, Pulmones non moveri. At hanc opinionem pluribus convellit Thomas Bartholinus. De Pulmon. subst. & Motu sect. 3. Obiicit præsertim communem observationem in sectionibus vivorum animalium, in quibus pulmones manifestè dilatari, & pertrahi percipiuntur.

Verùm quamvis conspicuus sit pulmonum motus, non tamen inter omnes convenit, an suapte natura, an verò ab alio ipsi moveantur. Averroes voluit propriam, insitamque vim pulmonibus inesse, qua moventur, nulla tamen fretus ratione, aut experientia, quæ docet, desinentibus moveri Diaphragmate, & Thorace, cessare quoque motum Pulmonis. Non tamen negari potest, quod plerùmque ex illius motu commoveantur quoque Diaphragma, & musculi Thoracis; siquidem observamus in Tussi, Orthopnœa, Peripneumonia, & similibus, irritato, aut affecto pulmone, eoque ad motum lacessito, illicò obsequi Diaphragma; & musculos intercostales usui, & indigentiæ illius obtemperantes, quemadmodùm etiam notat VVillis. De Usu nervorũ cap. 14.

Ubi notare licet, quòd Pulmone laborante Respiratio, cordisque motus perturbatur; & cordis motu incitato

tato potiſſimùm in febribus, nedum Pulmones, ſed etiam univerſus Thorax agitatur, adeòque Reſpiratio crebra fit: & quamvis ſinguli ictus cordis non reſpondeant ſingulis thoracis amplificationibus, cùm unica thoracis explicatione, aut contractione plures cordis ictus fiant; talem nihilominùs ſervant in motu proportionem, & rhythmum, ut quò cordis motus celerior, ac frequentior eſt, eò quoque Reſpiratio crebrior, & velocior habeatur: Pueri enim celerem pulſum habentes, velociùs quoque reſpirant; ſenes verò utriuſque motus tarditatem experiuntur. Quò fortaſſe reſpexerunt Cæſalpinus, & Hofmannus cum Ariſtotele Pulmonis motum à Cordis motu pendere arbitrati. Lib. de Reſpir. cap. ult.

Reſpirationis motum voluntati ſubditum, & animalem omninò credidit Gal. quòd ex arbitrio cohiberi, & celerari videretur, exemplo ſervi barbari, qui cohibito ſpiritu mortem ſibi adſcivit. De mot. muſcul. cap. 5. Naturalem verò contendunt eſſe Cæſalpinus, Dunus, aliique ex Peripateticis. Difficultas ex eo orta eſt, quia ad Reſpirationem plura ſunt opus: præ ſumma enim illius neceſſitate omnem Natura adhibuit induſtriam, ut abſque noxa conſervaretur. Meatus aperuit binos, nares ſcilicet, & os: aſperam arteriam orbiculatam ſuis intertextam cartilaginibus, tanquam annulis, hianteque larynge munitam conſtruxit, ut aditus liberior pateret ingredienti aeri in pulmones, quos proinde ſpongioſos, & veſiculis diſtinctos effecit: Diaphragma ſuppoſuit partim membranaceum, partim muſculoſum, coſtiſque ſpuriis obligavit, ac tandem Thoracem ipſum adjunxit muſculis intercoſtalibus interſeptum ut hæc omnia Reſpirationem juvarent, tuerenturque.

Exiſtimarim ego Reſpirationem, quæ in ſtatu ſano quidem fit, ſed nobis non advertentibus, ſpontaneum motum eſſe, ac naturalem, pertinereque præcipuè ad Diaphragma, cui etiam obſequuntur muſculi abdominis (licèt aliquando initietur hic motus à pulmone, cùm is præſertim ægritudine aliqua afficitur) atque hoc pacto nobis dormientibus, nec ex arbitrio operantibus, immò multoties mente abalienatis, Reſpiratio abſolvitur; & ſi fortaſſe aliquo morbo Thoracis partes afficiuntur, ita celeratur, aut interrumpitur, ut nec ex arbitrio componi poſſit, quemadmodùm in inflammationibus pectoris, pulmonis, & diaphragmatis. Reſpirationem verò, quæ à nobis vigilantibus, mente advertentibus, ultroneis, ac ſanis exerceri ſolet, arbitrariam dicendam eſſe, inchoarique à muſculis intercoſtalibus, comitantibus etiam cum diaphragmate, tùm abdomine.

Neque verò Diaphragmatis motus arbitrarius dici omninò poteſt, cùm in Riſu ſæpiſſimè cohiberi nequeat. Non enim verum eſt, omnem motum per muſculos exercitum eſſe arbitrarium, & Naturalem muſculis non egere, ut hucuſque creditum eſt: experimur namque, pleroſque epotas aquas, cùm volunt, per os eiicere, & ventriloquos inſuetas voces edere, alios verò poſt mictum inopinatò contremiſcere, atque alios vix riſum cohibere poſſe. Hoc etiam ſentit Gaſpar Barthol. junior *in exerc. Anat.* nuper editis: Ait enim omnem quidem motum voluntarium per muſculos fieri, at non ideò omnem muſculum voluntarium motum exercere, quod deducit ex motibus convulſivis, & palpebrarum ſeſe claudentium, etiam animalibus invitis, potiſſimùm cùm ictus timetur; additque,

que, quòd etsi musculus instrumentum dicatur motus arbitrarii, non tamen omnem arbitrii actum adimplet, ut in addiscendis idiomatibus, & corporis exercitiis evenit: atqui Cor musculum esse docuit Hippocr. *lib. de Carn.* probatque Stenonius, quam vis illud naturali motu gaudeat.

de Glãd. & Musc. V. etiam Lovver. de Corde.

Quandoquidem verò Respirationis motu multa peraguntur, quæ arbitrio sunt subjecta, ut vox, & loquela, idcircò arbitraria quoque esse illa debuit. Aer etiam ingrediens per laryngem in Asperam, Gulæ junctam, intercipi poterat à præterlabentibus cibis, & potibus, nisi ab Animalis arbitrio respiratio regeretur.

Constat præterea Inspiratione, & Expiratione. Inspiratione Thorax distenditur, Diaphragma explicatur, & Pulmones inflantur, aere eorundem bronchia subeunte. Expiratione verò Thorax comprimitur, Diaphragma, & Pulmones concidunt, atque Aer egreditur, unde vitam inspiratione initiari, expiratione finiri palam est.

Quid verò Nobis, cæterisque Animantibus utilitatis accedat Aeris inspiratione, expirationeque, operæ pretium est etiam inquirere. Fatentur quidem omnes ad vitam conservandam Respirationem esse necessariam, unde ex Gal. dicitur: *Impossibile est, Viventem non respirare, & Respirantem non vivere*; sed ne hoc quidem exprimitur peculiare ejus bonum in vitæ tuitione.

Et mirum sanè inquàm varias, diversasque sententias ab Authoribus itum sit, quas fusa oratione recitat, & examinat præ cæteris Cl. Boyle *de vi Aer. elast. peculiari digress. de Respiratione.*

Aristoteli videtur attractus per respirationem Aer cordis calorem temperare. At quis hoc credet in Ranis, aliisque Aquatilibus, quæ calore ferè destituuntur, & tamen crebra respiratione egent?

Cartesius putat sanguinem motu attenuatum Aeris frigiditate debere condensari, ut evadat vitalis fomes flammulæ Cordis. At Deleboe hanc condensationem sanguinis cuidam sali per Aera disperso tribuit. Disp. Med. 7.

Existimant alii cum Gassendo, Respiratione, transeuntis sanguinis per Pulmones impuritates absorberi, & per expirationem, ac tussim (si fortasse solito crassiores fuerint) educi. Verùm etsi id concesserim, non tamen huic soli usui Respirationem esse mox patebit.

Potior Respirationis usus, visus est aliis trajectio sanguinis circulantis à dextro in sinistrum ventriculum per Pulmones, qui nisi aere distendantur, præterfluentem sanguinem nec admittunt, nec deferunt. At facto experimento per Robertum Kook, ut refertur *in actis philosophicis Acad. Anglic.* innotuit superstes animal in vita esse, pulmonibus, vel immotis; neque eorum depressionem, seu quietem, sanguinis Circuitum impedire, nec mortis causam esse; unde colligit novi aeris defectu potiùs animal interire.

Paracelsus opinatus est, aliquid in aere esse vitali elixiri valdè analogum, quod restaurandis nostris spiritibus inserviat, unde indesinenter recentioris aeris inspiratione egeamus, illoque absumpto, non amplius aerem vitæ fovendæ utilem esse. Refert etiam Boyle Drebellio innotuisse, non totum aerem, at ejus portionem, quam vocat quintessentiam, Respiratione haustam, vitalem flammam fovere, illaque consumpta, vel crassioribus halitibus infecta, hanc diù manere non posse, atque ideò

quen-

quendam liquorem præparaſſe, quo abſumpta, vel infecta aeris pars reſtitueretur, purgareturve. Nonnulli exiſtimant Ἄπνουν, de qua dictante Empedocle ſcripſit Pauſanias, hu-
Ex Heraclide apud Laert. in Vita Empedocl. juſmodi fuiſſe, ut Vitam abſque reſpiratione tueretur, putantque, Heraclidem idem ſenſiſſe, cùm ait: Τὴν ἄπνουν τοιοῦτόν τι εἶναι, ὡς τριάκοντα ἡμέρας συντηρεῖν ἄπνουν καὶ ἄσηπτον τὸ σῶμα: *Apnum tale quid eſſe, ut triginta dies ſervaret non reſpirans, & incorruptum corpus*. Verùm aptiùs
Vid. Her. Steph. in Theſ. Lin. Græc. fortè interpretati eſſent, *Apnum tale quid eſſe, ut triginta dies ſervaret nihil expirans odoris, ſcilicet tetri, & incorruptum corpus*, ex Callim. Apno etiam Empedoclem mulierem defunctam ad vitam revocaſſe, ac proindè maximam gloriam conſequutum, Sacrificium ad Piſianactis
Apud Laer. ib. agrum feciſſe teſtatur idem Heraclides, qui & peculiarem libellum de hac re conſcripſit, unde inquit Pli-
Lib. 7. cap. 52. nius: *Huc pertinet nobile illud apud Græcos volumen Heraclidis ſeptem diebus fœminæ exanimis ad vitam*
6. de loc. aff. 5. *revocatæ*. Galenus credidit Ἄπνουν eſſe morbum, quo ſine ſpiritu Ægrotantes multum tempus detinentur; etſi ibidem dixerit impoſſibile eſſe viventem non reſpirare, & ſpirantem
Variar. lect. l. 4. c. 14. non vivere: cui etiam Mercurialis inter Medicos alioqui ſatis eruditus adhæret.

Ipſe verò Boyle non negans expiratum, & inſpiratum Aerem condenſando, refrigerandoque ſanguinem per pulmones tranſeuntem magni quandoque momenti eſſe, cenſet *depurationem ſanguinis in illo tranſitu non tantùm unum eſſe ex ordinariis, ſed præcipuis reſpirationis uſibus*; ſuſpicatur tamen Aerem in Reſpiratione aliud quid agere, hucuſque non plenè explicatum, ut ipſe admonet *in experimentis Phyſico-Mechanicis, digreſſ. de Reſpirat.*

Quòd autem inſpirato Aere ſanguis purior, floridiorque evadat, hinc patet, quia, ut etiam obſervat Lovverus, purus, & floridus in Pulmone eſt ſanguis ſemper, plus quàm in alio viſcere. Lib. de Corde.

Aer denique reſpirationi idoneus eſt, in quo flamma perdurat; hinc in cavernis, & fodinis metallorum, ubi craſſior eſt, & gravibus halitibus refertus, ignis pariter, & foſſores extinguuntur, niſi in liberiorem ſubitò deferantur; quod etiam in cellis vinariis, cùm muſtum fermenteſcit, evenire conſuevit. In rariori, & laxiori, Animalia deficere pluries expertus eſt Boyleus; refertque Acoſta ſeipſum altiſſimos Peruanæ regionis montes tranſeuntem violento vomitionis impetu etiam ſanguinem emiſiſſe, & parum abfuit, quin animam efflaſſet. Et Ariſtoteles ait in montis Olympi jugo vix vivere poſſe homines, niſi ſpongiis aqua plenis Aerem craſſiorem reddant.

Reſpirare quoque Piſces ſentit Plinius: *Quoniam*, inquit, *& pulmo-* Lib. 9. c. 7
num vice aliis poſſunt alia ſpirabilia ineſſe viſcera, ita volente natura, ſicut & pro ſanguine eſt multis alius humor. In aquas quidem penetrare vitalem hunc halitum, quis miretur, qui etiam reddi ab his eum cernat, & in terras quoque tanto ſpiſſiorem naturæ partem penetrare, argumento animalium, quæ ſemper defoſſa vivunt, ceu Talpæ. Accedit, quòd, Fluminibus denſo gelu ſupertectis, piſces ſub aquis moriuntur, ſi diù externo aere priventur: His enim & multus, & nullus Aer nocuus eſt, vitalique uſui eſſe nequit.

DE

DE HIS, QVÆ VITAM Comitantur.

QUÆ Vitam potiſſimùm comitantur ſunt Vegetatio, Senſus, & Motus tum Animi, tum Corporis. Quæ ad Vegetationem pertinent, à Medicis Naturales operationes dici ſolent; quæ verò ad Senſum, & Motum, Animales.

DE VEGETATIONE.

CUm vegetent Alimento, & eodem vitam tueantur Animalia, pauca hìc de Nutricatu attingemus. Aſſumptus cibus, attritus, & ſalivario rore madefactus exſolvitur primùm in Ventriculo, mox in albicantem ſubſtantiam converſus, è tenui inteſtino in venas lacteas excurrit, deinde cum ſanguine miſtus Vegetationem promovet.

Cibi exolutionem, ſive Chyloſim Ariſtoteles, Galenus, & quotquot ex antiquioribus Philoſophis, & Medicis his ſe ſponte manciparunt, ad elixationis genus retulerunt. At falſi quidem ſunt: quædam enim animalia, præſertim Aquatilia, optimè digerunt, voraciſſimaque ſunt, licèt eorum venter frigidiſſimus obſervetur, quemadmodùm notat Breſſanus de Aſello marino; quin etiam res duriſſimas brevi conficiunt, quas nec aqua ferventiſſima, neque ipſe ignis mutaret. Atqui cibus ita coctione alteratur, ut omninò in aliam naturam videatur tranſire, quod ſanè nullus calor efficiet. Neque febricitantes ipſi malè digererent, in quibus majorem calorem pro amovendis morbificis cauſis Natura excitat.

Prætereà multa animalia, ut præ cæteris dicitur Chamæleon, nunquam bibunt, & tamen ſolida quæque alimenta, quàm benè digerunt; Narraturque in Actis Anglicis ann. 1667. quod in Inſulis Caribum Animalia vel parum, vel nihil bibant, velut Equi in Guanaboa, ubi etiam Vaccæ tranſacto ſpatio ſemeſtri, & Capræ ſemel ſingulis hebdomadis potant; quin immò refert Gaſſendus quendam Amicum ſuum nunquam potaſſe, vel vix ſemel anno, ut Amicis gratificaretur, prȩter multos alios totam hyemem à potu abſtinentes. Accepi etiam à noſtro Amico, fide non indigno, fœminam quandam Neapolitanam per decennium ab omni potu ſe abſtinuiſſe, quamvis ſeptuagenaria eſſet.

Exiſtimavit Eraſiſtratus cibos attritu confici, & in chylum mutari, quod in Avibus ſaltem verum eſſe docuit Harveus, qui advertit, illas lapillos, & alia duriora deglutire, ut eorum ope conterere poſſint cibos ſolidos, adjuvante pariter motu muſculorum, qui utrinque lateribus Ventriculi adjacent. Hànc ſententiam amplexi ſunt noſter Thomas Cornel. *progymnaſm. de Nutricat.* & Franciſcus Redi *epiſtol. ad P. Kirker.* atque experimentis confirmarunt in diverſi generis volatilibus. Cel. in proœm. exerc. de Gener. Animal. 7.

At non æquè in omnibus Animantibus coctionem, & ciborum diſſolutionem per attritionem fieri par eſt: Homines enim non adeò duro ventriculo præditi ſunt, immò plerumque obſervatum numiſmata cuprea, aut argentea à quibuſdam omninò integra egeſta fuiſſe, quibuſdam verò mortem attuliſſe. Cujus rei notabilem hiſtoriam tradit Kerckringius *Spicil. Anatom. obſ.* 1. & Borell. *cent.* 4. *obſ.* 25.

Arbitrantur Recentiores ferè unanimes chyloſim fermentationis ope perfici, ajuntque ingeſtum cibum fermento quodam exolvi, ejuſque

partes

partes tenujores à craſſioribus ſecerni. Hoc autem Helmontius, & Petrus Caſtellus putant eſſe acidam melancholiam à Liene ad Ventriculum tranſmiſſam. Aliiex Sennerto *lib.* 3. *Pract.p.*1.*ſ.*2.*cap.*4.*q.*2. acidum humorem ventriculo ingenitum. Petrus Borel. *cent.*2. *obſerv.* 1. Bilem, quæ è cyſti illuc defertur. Plerique ſpiritus quoſdam. Alii reliquias fermentorum, quæ ex præcedenti cibo in ventriculi plicis ſuperfuerunt. Sylvius demùm ſalivæ, qua manſus cibus imbibitur, totam fermentationis vim tribuit.

Hujuſmodi verò ciborum exolutio quamvis non ſine calore fiat, non tamen ſolius caloris opus eſt, cùm quędam illo potiùs concreſcant. Neceſſarii prætereà ſunt quidam liquores, ſeu ſucci analogiam retinentes cum liquoribus, ſeu menſtruis chymicis, metalla, aliave duriſſima corpora ſolventibus: Non enim quicunque cibos diſſolvere apti ſunt, ut pariter non omnia menſtrua omnium corporum ſolutionibus ſufficiunt, cùm quædam aquis ſtygiis, alia ſpiritu vini, nonnulla aceto, aliiſque acidis liquoribus, pleraque ſola aqua calida diſſolvantur. Univerſale autem menſtruum corpora in primigenia elementa reducens non adhuc vidimus, quamvis ſuum Alkaeſt jactet Helmontius.

Diſſolventes hos liquores ingenitos eſſe Ventriculo, vel è glandulis ibidem ſitis extillare, vel ab arteriis illuc corrivantibus ſuggeri neceſſe eſt. Neque enim ex cyſti fellea ſuppeditari queunt, cùm nullus hinc ductus pateat; & ligatura in vivis animantibus, ad vas Breve dictum adhibita, oſtendit neque à liene illos ſuffici.

Acido-acres eſſe Experientia teſtatur tum in ructibus à paſtu, tum in expirationibus, & halitibus è diſſectis ventriculis animalium vivorum acorem præ ſe ferentibus, fortè quia acido-acria magis digeſtionem promovent. Crediderim etiam cum Sylvio plurimùm prodeſſe ciborum diſſolutioni ſalivam; quæ ſuo ſale fermentationem adjuvat, & aquea conditione cibos diluit. Hìc adnotare non abs re erit extrahi è ventriculis avium ſal tantæ efficaciæ, ut eo calculi tum in veſica, tum in renibus ſiſtentes diſſolvantur, quo fortaſſe fit, ut lapilli ab iiſdem deglutiti promptè comminuantur, quemadmodùm etiam animadvertit Gaſſendus.

Quæ autem obiiciuntur à Plempio *lib.*2.*fundam. Med. cap.* 8. *de Ventriculo*, non tanti ſunt, ut hanc opinionem infirment. Ait namque *cibum ingeſtum debere attolli, ſi fermentationis beneficio fieret chyloſis*. At experimur à paſtu turgentem ventriculum, & eò ſenſibiliùs quo cibi aſſumpti fermenteſcere magis apti ſunt: Non multùm autem durat hujuſcemodi diſtenſio, ut ipſe [illegible], quia ſucci ventriculi cel[illegible]ant cibi diſſolutionem, & ſe[illegible] chylus in Inteſtina, ac vaſa chylifera protruditur. Quod inſuper ſubdit, *cibos, potuſque fermentationi idoneos promptiſſimè concoqui debere, ut fructus, ſervisia, muſtum*; Valdè leve eſt. Nam præterquam quòd fermentationes in nobis citiſſimè fiant, ſi illas, quæ in muſto, & fructibus obſervantur, ſpectes; cibi etiam aliqui quamvis ex ſe facillimè fermenteſcant, non tamen ſubitò diſſolvuntur, & præcipitationem ſubeunt.

Neque majoris ponderis videntur argumenta, quæ affert Franciſcus Piens. Ciborum enim diſſolutio non ſolùm à proprio, inſitoque eorundem fermento, ut ille opinatur, ſed potiſſimùm à ſuccis exolventibus, qui in ven-

De Febr. in genere c. 5.

ventriculo sunt, perficietur; quamobrem etsi cibi sint acidi, pingues, saliti, putrefacti, ut ipse inculcat, nihilominùs exolutioni haud inepti redduntur, immò faciliùs à Ventriculi fermento dissolvuntur, siquidem quæ ex sese fermentationem non subirent, superaffuso convenienti liquore statim fermentescunt. Sic radices herbarum, aridæque plantæ contusæ, liquoribus affusis, fermentationi subiiciuntur, præsertim si leni calore juventur, id quod vel maximè in cibis, dentibus attritis, & salivario rore maceratis credere licet.

Expleta jam ciborum dissolutione, & Chylosi, confectus cibus per Pylorum detruditur ad intestina tenuia, ibique secretis portionibus fœculentis per intestina crassa ad alvum deturbandis, reliquæ puriores, & alibiles, glandulis plicisque intestinorum adhærentes à conterminis lactearum venarum oscillis excipiuntur, deferunturque ad commune Chyli Receptaculum, & ex hoc per tubulos Chyliferos thoracicos in Cor: illis autem semel ingressis prohibetur regressus à valvulis per vasa chylifera dispositis.

Hæc autem chyli depulsio adjuvatur quàm maximè à continua Diaphragmatis pressione, facta nedum in ventriculum, verùm etiam in universum abdomen; ut pariter à motu intestinorum peristaltico. Confert etiam ventriculi coarctatio, qua, quod continet, per pylorum ad intestina propellit: sicut enim adstricto pyloro per vomitum eiicit quæ sibi infensa sunt, ita constricto stomacho per pylorum demittit, quæ jam sunt digesta.

Medicorum plerique existimarunt, ventriculum undique occlusum manere, quousque totus chylus simul aperto pyloro demittatur ad intestina. Sed repetitæ Animalium vivorum sectiones edocuerunt, chylum, quemadmodùm elaboratur, ita similiter per pylorum subindè traduci ad intestina tenuja, & vasa lactea; quinimmò refert VValæus se aliquandò observasse cibos in ventriculo eodem ordine dispositos, quo ingesti fuerant. Verum tamen est, quòd alimenta facilioris exolutionis priùs egeruntur, quàm difficilioris, quæ plerumque multo post tempore à pastu ventriculum gravant. Dissectis prætereà ventriculis, inventa fuere esculenta ante plures dies assumpta, & pluries observati sunt ægrotantes evomuisse cibos jamdudùm ingestos, cùm tamen alia alimenta per id tempus omninò digesta fuerint.

Anatome pariter innotuit, cibos intra ventriculum non semper lactescere, cùm aliquando observati sint proprium colorem non amisisse; atque in ovibus, capris, bobus, quæ herbaceis vescuntur, viridem adhuc colorem referunt.

Cùm ex ventriculo confectus cibus jam descenderit, succi exolventes acido-acres sensim in illo congregantur, cùmque à ciborum commistione temperari, & infringi nequeant, ex illis halitus diffunduntur, qui tunicas, fibrasque potissimùm stomachi vellicant, & extimulant, unde sensus exoritur, qui Fames dicitur. Et si tanta fuerit humoris acris copia, & efficacia, ut valdè nimis stomachus vellicetur, atque assumptus cibus citissimè dissolvatur, Fames immoderata exurgit, quam Medici Lupinam appellant.

Quòd si fortasse acres isti humores deficiant, aut crasso lentore retundantur, vel etiam diluantur, inepti dissolutioni evadunt, ut plerumque contingit Corporibus phlegmaticis, & cachecticis dictis, quæ appetentia, & fame

& fame carent, & quidquid assumptum fuerit, malè digerunt. Atque hinc etiam fit, quòd à cibis præsertim pinguibus, & dulcibus fastidium pariatur, & nausea; quamobrem nisi Natura hos Famis stimulos addidisset, incuriosi à cibis ad interitum abstineremus.

Quamvis superiùs dictum sit ad concoctionem perficiendam Potum non esse omninò necessarium, multùm tamen conferet si potissimùm sitis urgeat, quæ oritur cum humida substantia absumitur, vel crassescit, & partium irrigationi inepta redditur. Sedari autem solet humidi absumpti instauratione, vel dissolutione ejus, quod spissitudine ineptum jam irrorandis partibus evaserat. Absumptum humidum restauratur nedum frigido, verùm etiam calido potu, quem Romani, & Græci in deliciis habebant, nostrisque temporibus Itali, & Hispani potissimùm calidis potionibus delectantur, ut etiam Chinenses, & Japonenses: testaturque Gassendus de seipso *tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 1. quòd præ dolore dentium calidam bibere coactus, post sedatum dolorem, etiam per æstatem frigidam aversatus fuerit, deindeque post biennium quotidiana febre correptus, sola calida per paroxysmos ardentissimos sitim sedabat. Dissolvitur verò, & discutitur spissescens, ut plurimùm spiritu Vini, vel simili liquore, sicut etiam quibusdam medicamentis, quæ mansa salivam provocant, & poros crasso succo quasi obstructos aperiunt, qui rorem siti extinguendæ idoneum extillant, immò etiam aliquando propriis fermentis, & calore ros ille spontè exsolvitur, & fluitans fauces, & stomachum irrigat.

Lipf. 1. elect. Athen. l. 1. Ricc. & Maff. hist. Ind. Bonif. hist. ludr. l. 7. cap. 38.

Qua postremò ratione confectus chylus, atque à ventriculo in intestina tenuja demissus à suis fæcibus secernatur, ut puriores partes oscilla lactearum venarum ingrediantur, & fæculentæ deiiciantur ad alvum, nuperrimè enucleavit Sylvius Deleboe, qui à commistione succi pancreatici, & biliosi in tenui intestino chylum dilui, à fæcibus secerni, candoremque acquirere deducit, exemplo à similibus liquoribus petito: quod minimè latuit Naturæ consultissimum nostrum Thomam Cornelium.

Disp. Medic. 2.

Progymn. de Nutricatione.

Antiqui Medici censebant, chylum per venas Mesaraicas in Jecur deferri, & ab eodem in sanguinem commutari, Galeni dogmatis addicti, posthabito Aristotele, qui sanguinis generandi munus ad Cor detulerat. Post Erasistratum, Asellio primùm innotuit chylum per venas lacteas ferri, atque inde suspicatus est recta in Jecur tendere, unde Galeni sententiam confirmare visus est. At Joan. Pecquetus Jecur de principatu deturbavit, & è solio dejecit, cùm detexerit lacteas venas non quidem in Jecur, sed in glandulas lumbaribus vertebris substratas chylum deducere, atque ex illis per peculiares tubulos chyliferos thoracicos, & subclavios dictos in cor eundem deferri; unde à Corde in sanguinem verti opinatus est. Eodem postmodùm argumento Thomas Bartholinus confirmavit inventa Pecqueti, & simul sustinuit Hepatis patrocinium; nam cùm observasset quædam albicantia vasa Jecur usque tendere, existimavit chylum saltem ex parte illud subire; mox ubi cognovit vasa illa lymphæ deducendæ inservire, Hepatis patrocinium deseruit, & pro Corde stetit. Re tandem plurimùm hinc inde discussa, invitis Riolano, Deusingio, Bilsio, & aliis, Hepati exequias fecit, illudque tumulavit, & Cordi sanguinis efficiendi munus restituit, quò simul confluere cùm sanguine chylum,

lum, & lympham decernit, ut apud ipsum est legere *in Opusc. Anatom. & in Anat. Renov.* At verò Hieronymus Barbatus Hepatis partes toto conatu suscepit, cùm advertisset per Pancreas intestinis affixum chyli portionem ad Hepar deferri per quendam venæ portæ ramum, illoque dissecto prodire sanguinem imperfectum, & crudum fibras nondùm adeptum, neque consistentem. Putarunt alii cum Harveo partem saltem chyli per venas mesaraicas cum remeante sanguine Jecur subire, potissimùm in Avibus, in quibus lacteæ non apparere dicuntur.

Libell. de sanguine, ejusque sero.

At frustrà inter tales viros de hac re multæ, & magnæ contentiones fuerunt. Viscera enim omnia, ipsumque sanguinem, simul in embryone conspicua reddi, ac in primis rudimentis præextitisse alibi demonstravimus. Sive autem Jecur, sive Cor, aut aliud viscus pertingat, nonnisi secretionem, purificationemque chylus adipiscitur, & cum sanguine permistus tamdiù circumagitur, donec depositis in diversis partibus, tamquam colis, inutilibus portionibus, purgetur simul, ac purpurascat. Neque desunt experimenta; sæpissimè enim ejusdem odoris, & saporis, ac fuerat cibus assumptus, eductus est per phlebotomiam chylus, ut testantur etiam Bartholinus, Rhodius, Lovver, & alii quamplurimi *in Ephemerid. German. ann.* 1670. *observ.* 28. memorati; quod utique non contingeret, si in aliquo viscere mutationem passus in sanguinem evasisset. Adde quòd idem Harveus observavit, nullo cæterorum viscerum vestigio in embryone apparente, primùm sanguinem prospici vix tenui bullula conclusum, unde asseruit illum primordia viventis initiare.

Atque hinc plenè puto satisfactum iri Th. Bartholino, Cordi Hæmatosin tribuenti ex eo, quia aliter vana videretur illius tam artificiosa structura. At quæ structura in bullula illa saliente, quo tempore rubet sanguis, & per ramulos venarum, & arteriarum excurrit?

Rubescit fortè chylus, & sanguineo colore tingitur ope salsitudinis in ipso sanguine existentis, ut in diversis salibus, & liquoribus est observare, potissimùm in sale tartari cum sulphure, ejusque oleo, sale ammoniaco, &c.

Sed & notatu dignum est, quod refert Georgius Elsnerus, qui deprehendit latitare quoque in chylo, quod ruborem exerit: Dissecto etenim cane vivo, ejusque abdomine aperto, cùm vasa lactea chylo turgida apparerent, injecta illis ligatura, motum ejus ad ductum Thoracicum impedivit, & post aliquot horas invenit liquorem rubicundum sanguinis instar loco chyli, atque hinc manifesto indicio deduxit colorem illum anteà latuisse, atque ex commistione alicuius salis in corpore existentis prodire.

Ephemer. German. an. 1670. obs. 61.

Præter sanguinem, ex chylo etiam generari putabat Galenus Bilem, Pituitam, & Melancholiam, humores, quos simul cum sanguine in venis contineri dixit; Bilem quidem amari saporis, coloris flavi; Pituitam insipidam, atque albicantem; Melancholiam acidam, & atram: illam cum scammonio, alteram cum cocco gnidio, tertiam cum epithymo analogiam habere, & speciatim ab ipsis attrahi, & educi.

Comm. de Nat. hum. l. de Ther. ad Pis. 3. de simpl. med. fac. 24. 1. de Natur. fac. 14. 2. de elem. 2. & alibi.

Sed hæc humorum in sanguine distinctio omninò imaginaria est. Nec suffragatur Galeno, ejusque asseclis, quòd eductus sanguis variis coloribus infici videatur: Hoc enim totum ab externo aere contingit; Aeri enim

expositus concrescit, corrumpitur, & non solùm illos à Galeno recensitos, sed multò plures alios colores exhibet; & si humor putatus bilis à reliquo sanguine separetur, qui paulò ante melancholicus videbatur, & fundo vasis hærebat, jam aeri expositus flavescere incipit, & in biliosum converti: evidens argumentum hos humores non esse diversos, sed tantùm ab aere apparentem variationem suscipere; quod & Fracassatus adnotat. Commentitium etiam est, quod de saporum varietate in sanguine narratur, & illi non absimile quod de medicamentorum purgantium analogia cum humoribus effictum est, ut alibi patebit.

In epist. Anat.

Non tamen inficiamur in sanguine, præter partem vividam, floridamque, observari portionem albam, quæ auctifica nostro Cornelio dicitur, quia Animalia illa nutriuntur, & augescunt: Hæc potissimùm apparet, ubi secta vena sanguis in fideliam aqua calida plenam effunditur: à florida enim parte secernitur, & ad fundum delabitur, ibique in gluten concrescit: illam tamen plerique è vulgo Medicorum pro materia purulenta, & putrida adstantibus ostentare solent. Eo autem sensibilior apparebit portio hæc glutinosa, quò cibi copiosiores fuerint ingesti, ac abundantiori chylo saturatus sanguis; unde fit, ut è jejunis, & diuturnam inediam passis eductus sanguis rubicundior observetur, cum nulla, vel paucissima albicante illa substantia, quam serum sanguinis appellat Barbatus.

Utraque hæc substantia ad universas corporis partes fertur; at in carnosis major pars seri nutritii glutine, fibrisque compactior deponitur; fluxilior verò, & limpidior per adjunctas glandulas in vasa lymphatica remeat. At in partibus membranaceis purius serum nutritium relinquitur, & reliquum sanguinis per venas regreditur; quo circa observare est in his partibus membranaceis venas nigricante sanguine magisque glutinoso refertas, unde fit, ut in illis facillimè remoretur, ac restagnet, proindèque acescat, & tumores, inflammationesque progignat. Quòd autem vasa lymphatica à glandulis potissimùm originem ducant, nuperrimæ observationes Anatomicorum demonstrarunt; quinimmò quò glandulæ grandiores, & plures, seroque abundantes in corporibus extant, eò etiam partes, & præsertim albæ magis augescunt, & adipe obteguntur: sicut pariter, quò sanguis glutinosior est, eò etiam nutricatio, & accretio in carnosis sensibilior observatur. Hinc non mirum si senes, & graciles modicè nutriantur: illorum enim sanguis fibris, & glutine destituitur, ac glandulæ prædictæ contabescunt, arentque. Nulla ergo necessitate cogimur in nutrimentum partium succum nerveum advocare cum Glissonio, VVarthono, & aliis, quos refellit Bartholinus.

In Spicileg. I. & in Anat. Renov. cap. de Nervis in gen.

Ridiculi autem videntur, qui asserunt conceptacula ali suis, quæ continent, excrementis. Etenim quis unquam crediderit, bilioso succo cystim felleam nutriri, vesicam lotio, & fæcibus intestina, quæ, quoniam inutilia, excernuntur, & si fortasse diutiùs retineantur, gravissima damna afferunt.

Præterea plures alii humores suis quoque vasis continentur, ut Humor cystis felleæ, succus Pancreaticus, Lympha, Aqua Pericardii, humores oculorum, aliique; de quibus fusiùs scripsere Sylvius, Graefius, Bartholinus, Gerardus Blasius, VVillisius.

DE SENSIBUS.

PHysiologorum plerique Sensus dividunt in Internos, & Externos: ad illos referunt Imaginationem, Æstimationem, & Memoriam; ad hos verò Tactum, Gustum, Olfactum, Auditum, & Visum.

Sensuum omnium originem, & principium Cor esse arbitratus est Aristoteles 3. *de part. Animal. c.*4. *&* 2. *ejusdem operis c.*10. & alibi, cui visus est subscribere Avic. *lib.*1. *f.*1. *doctr.*4. *c.*1. Averr. 2. *collect.* & Alex. Aphrodis. 2. *de An.* Verùm cùm ex Anatome innotuerit, Cerebrum esse nervorum principium, quibus sensationes fiunt, eoque læso, impeditisque nervis, operationes animales illicò deficiant, quod læso corde non contingit; sana ratione Medici contra Aristotelem deduxerunt Cerebrum, non autem Cor, esse originem, & sedem animalium functionum.

Non solùm omnes sensus à Cerebro sunt, verùm etiam in ipso reverà fiunt, ubi Animi, seu Mentis sedes esse dicitur. Et licèt prima fronte videatur visio esse in oculo, auditio in aure, cæteræque sensiones, quas externas vocant, in reliquis sentiendi organis; Aristoteles tamen quinque sensibus externis unum internum communem præfecit, qui de illis judicaret. Et Gassendus adeò luculenter insinuat sensiones in Cerebro fieri, & sensus omnes in una sede morari, ut dubitationi ampliùs non sit locus, potissimùm cùm aliò intenti objectum præ oculis positum non videamus, & sonum auribus exceptum non audiamus. Hinc Cicero 1. *Tusc.* ait: *Itaque sæpè, aut cogitatione, aut aliqua vi morbi impediti, apertis, atque integris, & oculis, & auribus, nec videmus, nec audimus, ut facilè intelligi possit, Animum & videre, & audire, non eas partes, quæ quasi fenestræ sunt Animi, quibus tamen sentire nihil queat Mens, nisi id agat, & adsit.* Celebre est quoque Pythagoræorum effatum: *Mens quippe omnia videt, & omnia audit, reliqua surda, & cæca.* Quare Apoplectici compunctiones, ustiones, ligaturas, dissectionesque non sentiunt, cùm tamen sentiendi instrumenta benè se habeant. Hæc igitur aditum præstant, quò Mens in Cerebro sentiat receptas à sensilibus objectis motiones, perculsionesque, per adjunctos nervos eidem communicando. Atque hinc Hippocrates 2. *aph. t.*6. *Quicumque dolentes parte aliqua corporis omninò dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat.*

3. de Ani. c.2.

tom.3. f.2 lib.6. c.1.

V. etiam Arist. l. de som. c.3.

Omnes autem sensiones, Tactiones sunt factæ in partibus nerveis sensu præditis. Nervi enim à sensilibus contacti continua motione Cerebrum afficiunt, unde perceptio, apprehensio, & cognitio rei sensibilis exoritur.

Neque reverà sentitur à manu, vel pede, sed à Mente, prout in manum, vel pedem intenta est; unde quoties illa abalienatur, dolor, aut voluptas non percipitur. Falluntur propterea qui mediis spiritibus, sive speciebus, sensiones fieri contendunt, putantque spiritus è Cerebro in extremas corporis partes veluti exploratores ocyssimè excurrere, atque ad Cerebrum redeuntes illi nunciare quid in singulis partibus jucundi, vel molesti accidat, ac si forent mentis compotes, per tortuosas nervorum ambages sibi vias planas, & expeditas consultissimè eligere, ut rerum species ad cerebrum quàm citissimè referant; quòd si fortè in furorem agantur, mox species illis affines perturbentur, Cerebrum vacillet, & nobis circùm omnia rotent.

Si-

Similia ſunt, quæ de ſpeciebus aſſerunt, quòd ſcilicet ſint *immateriales*, *& intentionales*, ſed ſenſibiles, & rerum corporearum, atque extenſarum repræſentatrices, non ſine manifeſta repugnantia; nam ſine tactu nulla res percipitur, aut impreſſionem facit, neque Tactus incorporeis rebus convenit;

Lucr. 1. de rer. Nat. *Tangere enim, & tangi, niſi corpus, nulla poteſt res.*

Unde ſcitè Gaſſendus *l.c. Si ſpecies ſunt quaſi quædam Imagines rerum corporearum, extenſarumque repræſentatrices, quomodò eſſe incorporeæ, ſive inextenſæ, ac ſine ullis partibus poſſunt? quomodò poteſt res dividua per individuam repræſentari? & ſi emanant ab ipſis rebus, quomodo ſi nihil ſunt ipſarum, ac ſi nihil propterea ab illis decedit, nihil ipſis deeſt? & ſi traiiciuntur per medium, quomodò moventur, quæ neque ſunt quidpiam per ſe, neque feruntur vehiculo, cùm accidentia tamen dicantur? Et ſi excipiuntur à ſenſu, quomodò ſenſus corporeus cùm ſit, apprehendere, ac in ſe admittere ipſas incorporeas poteſt?* Hactenus Gaſſendus.

Denique Arabes, duce Avicenna, ſenſus internos in Cerebri Ventribus fieri aſſeruerunt, Imaginationem quidem in ſuperioribus, Æſtimationem in medio, & Memorationem in poſtremo ventre. Fernelius movendi vim à medulla Cerebri pendere arbitratus eſt; vim ſentiendi verò à Meningibus, quo circa motum Cerebro, & ſenſum Meningibus attribuit. Renatus Carteſius haſce operationes Glandulæ pineali adſcribit, aitque illam eſſe ſedem, in qua Anima ſuas functiones exercet, atque in eam omnes rerum impreſſiones veluti in centrum tendere, & uniri.

(Phiſiol. l.5.c.10. — Lib. de affect. Anim.)

Verùm, ex accuratiori Anatomicorum obſervatione, Cerebri ventriculi videntur deſtinati emunctioni excrementorum, & non raro lapillorum pleni inventi ſunt, nec proptereà Animæ functiones vitiosè exercitæ fuere. Fernelii inſuper excogitato repugnat experimentum à Galeno allatum 7. *de placit. Hipp. & Plat. c. 3.* ubi refertur nulla offenſa ſenſus, & motus denudatum fuiſſe Cerebrum propriis tunicis, haſque diſſectas extractas eſſe illæſa tamen cerebri ſubſtantia; undè deducitur haud quaquàm in meningibus animales functiones peragi. Neque Carteſii ſententia, quam defendendam ſuſceperunt Henricus Regius, aliique, experientiæ cohæret. Refert enim Theodorus Kerckring. ſe Amſtelodami diſſecuiſſe cerebrum cujuſdam Pueri annorum quatuordecim atque in eo ne veſtigium quidem glandulæ pinealis inveniſſe, quinimmò in dextro priore Cerebri ventriculo albicantem lapidem repertum eſſe pendentem grana tredecim. Addit quoque Plempius *M. Sladum Medicum, & Anatomicum Amſtelodamenſem obſervaſſe in glandula pineali lapillos; & aliquandò tàm multos, ut ferè plus lapillorum, quam glandulæ eſſet, cùm tamen in vita mens ſana, & conſtans fuiſſet, ſenſus, & motus integri.* Teſtatur ſimiliter *in præfatione: ſe una cum multis aliis Medicis in Noſocomio Amſtelodamenſi vidiſse in puero ex hydrocephalo defuncto duram meningem oppletam aqua limpida ad libras quinque, quæ adeò cerebrum compreſſerat, ut vix appareret: at nullibi viſa eſt glandula pinealis, cùm tamen puer, dum in vivis degeret, motus, & ſenſus, & omnia mentis munera ritè obierit.*

(Lib. 4. c. 16. philoſ. Nat. — Spicil. Anat. obſ. 35. — Lib. 2. fund. Med. c. 6.)

Quare crediderim Cerebri potiùs Medullam ſenſionum omnium originem, & principium eſſe, cùm ab ea in re-

in reliquas corporis partes nervi diffundantur, quibus sensiones universæ fiunt.

Verùm refertur in *Ephemer. German. ann.* 1670. *obs.* 26. in quodam pago Patavii Bovis cerebrum in marmoream plane duritiem conversum inventum esse, unde de Cerebri officio jure quis dubitare posset, nisi ex adnotationibus ad observationes earumdem Ephemeridum anno sequenti editis constaret, à Malpighio observatum fuisse, Cerebrum illud non habuisse totam substantiam petrefactam, sed solùm exteriorem corticem, atque hinc fortasse cæteris bobus stupidior apparebat, ut ibidem memoratur.

Ex his colligi potest in Cerebri meditullio Imaginationem, Æstimationem, Memoriam, cæterasque animales functiones haberi per impressiones, & motiones factas in cerebro per nervos à rebus externis, atque adeò unum esse omnium principium: non secùs ac scribere, digladiari, & pingere, licèt res diversissimæ, non nisi ab unica manu promanant. Et si quandoque læsa Imaginatione Æstimatio integra videatur, ut in exemplis à Galeno relatis de Puero lanifici, & de Theophilo Medico; reverà tamen illa Æstimatio, quæ videtur sana, læsæ Imaginationi obsequitur, ac proindè à recto Rationis tramite aberrat.

4. de loc. affect. c. 1 & lib. de Sympt. differ. cap. 3.

Cùm ergo ab externis objectis excitatur motio in organis sensuum, & continuatur propagatione per nervos ad cerebrum usque; externa res, seu objectum, à quo pressio facta est, percipitur, & vestigium quoddam, quod phantasma dici solet, Cerebro imprimitur, unde Apprehensio, Æstimatio, Memoria, & cæteræ operationes animales emanant.

DE SENSU, QUI DICITUR Tactus.

Licèt omnes sensûs Tactus sint, peculiari tamen nomine Tactio dici solet sensio illa, qua objecta aspera, lævia, dura, mollia, calida, aut frigida judicantur, juxta diversam affectionem partibus à tactilibus objectis impressam: quæ enim disjungunt, incidunt, compunguntque, & se insinuando in poros, & texturam nervosarum partium sensum movent, calida dicimus; quæ verò constringunt, comprimuntque, atque adeò stuporem inferunt, vel nervorum fibras rigidas, durasque reddunt, sensilia frigida appellamus. Sic gravia, quæ fibras relaxant, ac distendunt; densa, ac dura, quæ prementi manui resistunt, unde fibræ, & partes nerveæ comprimuntur; rara verò, & mollia, quæ facilè cedunt.

Quotiescumque verò Tactilium particulæ ita adaptantur, ut blandam, lenem, ac texturæ partium convenientem, congruentemque applicationem efficiant, Tactio voluptuosa oritur: molesta, & injucunda, cùm incongruentes, atque inconcinnæ illæ fuerint partium nervosarum implexui.

Verumtamen est, quòd hæ Tactiones magis, minusque afficiunt, prout diversa Tactus organi textura est: non enim idem ubique nervorum, & fibrarum implexus. Hinc fit, quòd ubi cutis durior, ac densior, ut in vola manus, Tactio non tam sensibilis est, sicut in reliquis partibus mollioribus fibris nerveis contextis, à quibus solis sensio est; quæ enim his destituuntur, sensu etiam carent, veluti sunt ossa periosteo denudata, ligamenta, & cartilagines.

DE SENSV, QVI DICITVR Gustatus.

GUstatus dicitur sensio illa, qua sapida, vel insipida percipimus. Potissimum illius Instrumentum videtur Lingua, quæ vesiculis quibusdam exiguis, seu papillis cuspidem præcipuè refertam habet, ut exquisitiùs degustare possit, in radice verò latiores pori patent, per quos tenuiores alimentorum partes ad Cerebrum deferri possunt; atque hinc diuturnam inediam passi, & ferè exinaniti primo generosi liquoris libamine reficiuntur, ut observarunt etiam Malpighius, & Bellinus.

Hunc sensum movent quæcunque salibus prædita sunt, linguamque afficere apta. Pro illorum autem varietate diversi sapores exoriuntur. At lingua salivario rore madere debet, quo ciborum salia exolvantur, & faciliùs in ejusdem papillas inserantur, ac sensum pariant suavem, aut insuavem, prout linguæ texturæ adaptantur. Hinc est quòd ipse etiam Aristoteles sentit Gustatum esse Tactus speciem. 2. de An. cap. 11.

Saporum differentias plerique septem, nonnulli octo, alii etiam novem recensent: Acrem, ex pipere, & pyrethro: Amarum, ex felle, aloe, absinthio: Salsum, ex aqua marina: Acidum, ex malis citriis, & medicis, aceto: Austerum, ex mespilis, nucibus cupressi, cydoniis: Acerbum, ex fructibus immaturis, omphacio: Dulcem, ex saccharo, melle: Pinguem, seu oleosum, ex olivis maturis, terebinthina, butyro: Insipidum demùm, ex aqua distillata, ovi albumine crudo, & similibus.

Præterea multæ aliæ differentiæ compositæ, ac ferè innumerabiles haberi possunt, ut dulcis-unctuosus, acidus-acer, salsus-amarus, & similes: quinimmò, si rem acriùs spectes, infinitæ penè sunt; dulcedo enim, quæ ex melle non eadem est cum dulcedine, quæ ex saccharo, aut lacte; & amarities absinthii cum illa aloes.

DE SENSV, QVI DICITVR Olfactus.

CUm rerum Odoratarum particulæ tenuiores, & volatiles intimiores narium partes pertingunt ad processus usque mammillares, oritur sensio, Olfactus dicta.

Si quæ autem è rebus efflantur processuum mamillarium meatibus benè congruunt, & fibras nervorum leniter titillant, suaves, & gratos odores percipimus; cùm verò illis non congruunt, immò easdem fibras molestè percellunt, injucundos, & graves. Præter hos autem sunt & innumeræ aliæ odorum differentiæ, quas licèt sensu discernamus, haud tamen facilè est illas verbis exprimere.

Convenit Olfactus cum Gustatu, siquidem Coryza laborantes Gustu deficiuntur, sicut Olfactu, quia rheuma æquè consentientes nervos afficit. Differunt verò; quia Gustus eget humido, quo sapida diluantur, & faciliùs poros linguæ subeant; Olfactus autem tenuibus, levibusque halitibus afficitur, siquidem promptiùs ad processus mamillares penetrant; quamobrem odora igni exposita, contrectata, vel contusa abundantiùs olent, tenuibus partibus à crassioribus extricatis; & sapida, lingua suo rore destituta, vix degustantur.

Non solùm per Aerem, verùm etiam per aquas odor diffunditur, etenim propè Maris littora degentes odorem haurimus algarum, aliarumque rerum sub aquis latitantium, observamusque pisces sub aquis ad

escam accurrere, eosque allici odore salsamentorum ab Aristotele memoratur.

4. de histor. Animi. c.8.

DE SENSU, QUI DICITUR *Auditus*.

AUditum appellamus sensum illum, qui fit per Aures, cùm Aer appulsus Tympanum ferit, & subinde reliquas interiores auris partes, quousque Cochleam, & Labyrinthum pertingens adjunctos nervos commoveat, percellatque. Percussum autem Aerem in varios gyros adigi putarunt Stoici, eo propemodùm modo, quo observamus Aquam à lapillis injectis in orbes majores, majoresque expandi. Verùm sunt qui sonum per lineas rectas, non aliter ac lumen, propagari probent, speculis eodem modo illum reflectentibus. Quòd si fortasse in medio itinere obicem inveniat, repercutitur, ac resilit, & Echo formatur: quò autem obices concavi, & sinuosi magis fuerint, ac plures, eò etiam Echo sensibilior, & multiplicata percipietur.

Ex Plutar. & Lucr. l.

Organum Auditus Aristoteles statuit esse Aerem ingenitum in Auris interiori meatu. Themistius verò spiritum animalem. Vesalius in tribus Aurium ossiculis, Stapede, Malleo, & Incudine Auditionem fieri putavit. Plerique etiam Tympanum præcipuum ejus instrumentum existimarunt. Verùm licèt hæc omnia ad Auditionem contulerint, potissima tamen Neotericis videtur Cochlea cum adjuncto Labyrintho, ubi soni impressionem vehementiorem efficere possunt, eamque proximis nervis, ac Cerebro communicare.

2. de An. t.83. & 2. de partib. Animal. cap. 20.

1. de Hum. Corp. fabr. c.8.

Quamquàm autem exteriùs per Aures plerumque sonus percipiatur, potest etiam ex ore exaudiri: sic fides dentibus prehensas, & pulsatas Surdi non rarò percipiunt; & sæpissimè voces eminùs emissas, ut meliùs, distinctiùsque captemus, ore patulo exhaurimus, consentientibus scilicet nervis per linguam, & auditus organum diffusis, patenteque meatu à faucibus ad tympanum Auris protenso.

Nedùm Aer, verùm etiam Aqua sonum promovere potest, cùm Ranas sub illa coaxantes, & Piscium fragores audiamus. At, quia non adeò ut Aer, mobilis, & fluida est, cùm propè superficiem fit sonus dumtaxat auditur, in quantum Aqua tremorem illum attiguo Aeri impertitur; si verò aquæ moles tanta sit, ut tremori motorum corporum resistat, sonus non exauditur: sic Urinatores in profundum Maris demersi ictus tormentorum non audiunt à Navibus supra illos existentibus explosos, ut narrat Gassendus. tom. 2. lib.7.c.4.

DE SENSU, QUI DICITUR *Visus*.

IN hoc Sensu potissimùm magna Philosophorum, & Medicorum pars hallucinata est, *Avicen.6.nat. p.3.cap.*8. & cum eo Turisan. opticorum nervorum coitionem Visionis sedem esse credidit. Galenus Crystallum, Argenterius totum oculum, Gabeus verò Retinam. At Mariottus Choroidem, quæ est postica pars tunicæ Uveæ præcipuo Visionis usui esse contendit, quem refellit Jo. Pecquetus *peculiari Epist.* ut in *Ephemer. Gallic.* memoratur.

8. de usu part. c.6. & lib. de olfact. c. 3.

Neque minori dissentione, de modo, quo illa fiat, disceptarunt. Plato putat, oculos cujusdam ignis non urentis, seu lucis esse participes, lumenque diurnum ad illam ex ipsis effluentem incidens, propter similitu-

dinem,

dinem, ita cum eadem commiſceri, ut unum corpus conſtituat in rectos proceſſus diſpoſitum, unde uſque ad animam diffundatur ſenſio, quæ Viſus dicitur. Hanc propriam oculorum lucem etiam Carteſius aſſerit *Dioptr. cap.*1. cùm, inquit: *Viſus objecta poſſe percipi non tantummodò actionis vi, quæ ex iis emanans ad oculos noſtros diffunditur, ſed etiam vi illius, quæ oculis innata ad illa pergit. Verumtamen quoniam hæc actio nil niſi lumen eſt, notandum, neminem, præter eos, qui per tenebras inſtar felium cernunt, ſaltem ſi qui ſint, illam in oculis ſuis habere, & maximam hominum partem tantummodò per eam actionem videre, quæ ab objectis venit.* Stoici etiam cauſas eſſe videndi dixerunt, radiorum ex oculis in ea, quæ videri queant, emiſſionem, aeriſque ſimul intentionem. Ariſtotelei cùm nequiviſſent Magiſtri mentem ex ejus ſcriptis percipere, Democriti, & Epicuri ſententiam adulterarunt, & quod in illa probabile erat rejecerunt; dixeruntque, Viſionem fieri intromiſſione, ſeù receptione imaginum, vel ſimulacrorum, quæ à corporibus ad oculum impingunt: Verùm ubi illi corporea ſimulacra fecerunt, hi incorporea, & *immaterialia* inſulsè fingunt, cùm quæ incorporea ſunt, impreſſiones in res corporeas facere nequeant: Ockamus demùm, aliique *Species* incorporeas, & *Intentionales* deridentes, aſſerunt nil aliud requiri ad Viſionem, quàm ut objectum viſibile ſit, & oculus potens videre in debita diſtantia: Res ſanè lippis, & tonſoribus notiſſima, attamen modum non explicat, quo illa fiat.

Gal. 7. de decretis Hipp. & Plat. c. 5.

Gell. l. 5. cap. 16.

Verùm lumine oculos ingreſſo, ſive ab opacis corporibus reſiliente, ſive etiam è luminoſis directè illapſo, in Retina externorum objectorum idolum efformatur, atque nervuli ibidem exiſtentes ſic moventur, ut Cerebro rerum imagines communicent. Hoc videre eſt in cubiculo obtenebrato, ſi in illud lumini nonniſi unicus aditus concedatur per exiguum foramen vitrea lente clauſum, & alba papyro ad debitum intervallum radii ingreſſi excipiantur. Omnia tamen clariora erunt, ſi evulſum recens bovis, vel alterius magni animalis oculum ita ſecemus, ut ablata ea parte trium ejus membranarum, quæ cerebro obverſa eſt, ſatis magna pars humoris appareat nuda, nec tamen iſte humor effundatur, ſed contineatur charta, vel ovi putamine, vel alia quavis materia alba, & tam tenui, ut quamvis non ſit pellucida: omnem tamen luminis tranſitum non excludat, hunçque oculum foramini aſſeris ad id facti ſic immittamus, ut ejus pars anterior reſpiciat objecta Sole illuſtrata, poſterior verò conclave interius totum tenebroſum: hoc enim ita parato, non ſine voluptate, & admiratione picturam quandam in alba papyro foramini obverſa videbimus omnia objecta extra cubiculum poſita ſcitè ſatis imitantem. Vide Cartes. *Dioptr. cap.*5.

Cæterùm lumen (ut ex opticis patet) ſi in oculos directè illabatur, ipſum luminoſum corpus, lucis fons proſpicitur; ſi verò reflexè, varii colores, pro varietate umbræ intermiſtæ; demùm ſi refractè, modò ipſum luminoſum corpus, modò colores percipiuntur, prout omnes, vel aliquos tantùm radios ab oculis excipi contigerit. Varietas igitur colorum ex varia corporum textura, quæ diverſimodè lucidos radios reflectit, ex ſitu oculi variè illos excipientis, & denique ex diverſa incidentis luminis in-

inclinatione, exoritur. Hinc malè sentiunt Aristotelici, qui colores à lumine differre volunt, atque in reales, & apparentes distinguunt, cùm revera omnes ab uno lumine variè reflexo exurgant, & qui veri putantur ab immutabili objectorum textura dependent, quæ radios lucis semper eodem modo reflectit; qui verò apparentes, à vario, mutabilique partium objectorum positu, ut in collo Columbæ observare est.

Vid. Arist. lib. de color.

Quamvis autem bini sint oculi Animantibus concessi, per alterutrum tamen, dextrum, aut sinistrum res visibiles conspiciuntur, etsi utrique aperti sint, & quidem dextræ à dextro, & sinistræ à sinistro oculo videntur; cùm enim visibilia per lineas rectas spectentur, & in cunctis ferè Animantibus oculi ex diametro utrinque sint positi, extuberante nonnihil fronte, & spina nasi, proindè quæ ad dexteram sunt, nonnisi à dextro oculo videri possunt, & quæ ad sinistram à sinistro; quamobrem aves, ut sursum, aut deorsum, quod fortasse terruit, accuratius intueantur, alterutro oculo illorsum aspiciunt. In hominibus verò, quia oculi antrorsum spectant, idem objectum æquè ab utrisque videri potest, sed tamen nec per easdem lineas, seù radios lucis: Disponat quis in certa quadam distantia duos suę manus digitos tanto intervallo inter se dissitos ad Candelæ lumen, ut alter alterum oculum è regione respiciat, & pari ratione candelæ lumen occultet; si deindè dexter digitus deflectatur, dexter oculus benè videbit, neutiquam verò sinister, & è converso. Quòd si præterea digiti disponantur, ut solùm medietatem luminis candelæ impediant, tunc dexter oculus dextram solùm medietatem, & sinister sinistram spectabit, ut propterea ratum sit non omninò idem ab utroque oculo videri, nec per eosdem radios lucis. Idipsum experiri licèt, si ante sinistrum e.g. oculum in certa distantia tabula admoveatur adversùs Candelæ lumen, ita tamen ut latus tabulæ per rectam lineam contingere videatur lateralem candelæ superficiem; si deindè dexter oculus claudatur, lumen illud à sinistro haudquaquam videbitur; quinimmò neque si tabula collocetur, secundùm ejus latus in tanta distantia parallela à lumine, quantum scilicet distat alter oculus ab altero. Videtur autem lumen, & quodcumque aliud corpus unum, non geminum, quamvis oculi duo sint, quia sensio, & repræsentatio in interno sensorio per unicum conum una fit, pari modo, ac ex geminis auribus una fit soni perceptio. Sunt enim sensus isti externi veluti fenestræ, ac ductus, per quos sensilia transferuntur in sensorium internum; ubi sensiones omnes fiunt, ut superiùs dictum. Quo autem pacto per Anatomen id contingat, conatus est ostendere præ cæteris Guilielmus Briggs Medicus Londinensis *in sua Ophthalmogr.*

DE SOMNO, ET VIGILIA.

ETsi plerumque in Somno Sensus omnes consopiti jaceant, non raró tamen accidit dormientes alloqui, atque ad interrogata aptè respondere, & vulgare est, Imaginationem, Memoriam, immò Rationem ipsam exercere; unde Mentem somno non ligari manifestum est, licèt non omnium recordemur, quæ in alto sopore meditati sumus; hinc etiam dormientibus vigilantium munia obire contigerit. Galenus refert, se aliquando stadium dormiendo peragrasse, nec priùs experrectum, quam

2. de Mot. Muscul. cap. 4.

quàm ad lapidem offenderit. Plures alios somnambulos memorant Henricus ab Heers, & Petrus Salius, qui sanè mira patrarint. Novi etiam quendam, qui dormiens de nocte surgebat, indutusque, & ense accinctus fores aperiebat, domo egrediebatur, ac deambulabat, immò in Amicos incidens salutatus resalutabat, deindè domum rediens, depositis indumentis cubile iterùm petebat; at manè expergefactus rei immemor, interrogantibus Amicis, se domo noctu unquam egressum inficiabatur; tandem à domesticis ad id vigilantibus in ipso egressu excitatus, veritatis conscius factus est.

lib. de som. & vigil. c. 3. Somnum induci putavit Aristoteles, cùm calor naturalis recurrit ad partes internas, & præsertim ad Cor, ubi ipse Somni sedem collocavit. Paulo ante etiam dixerat Somni causam esse alimenti evaporationem ad Cerebrum.

Galenus *lib. 1. de Sympt. Caus. cap. ult. & 3. de Caus. puls. cap. 9.* quem sequuti sunt Avicenn. & Averr. Naturam ipsam spirituum refectioni intentam Somnum conciliare ait.

Alii ab obstructione, sive ventriculorum, sive meatuum Cerebri, unde spiritus animales ad organa inferiora pro externis sensionibus obeundis descendere prohibeantur, illum originem habere arbitrati sunt.

Verùm his omnibus experientia refragatur. Etsi enim febre leipyria laborantes exteriùs frigeant, & interiùs caleant, non ideò dormiunt. Sic etiam licèt plerumque à pastu in Somnum incidamus, sæpiùs tamen à lassitudine, & motu immoderato, ut ab solis ciborum vaporibus id evenire haud dici posse videatur. Præterea Somnum conciliant cantus, sonusque suavis, & aquæ murmur, quamvis ventriculus cibis gravis non sit, qui potiùs illis oppressus Vigiliam, quàm Somnum affert.

Similiter licèt post nimium motum, ac corporis defatigationem facillimè in Somnum prolabamur, fortasse Natura in virium refectionem incumbente; nihilominùs sæpissimè nulla prævia lassitudine, aut virium jactura, otiosos oculos Somnus urget.

Denique obstructio ventrium, & meatuum Cerebri, tantùm abest, ut placidam quietem, & Somnum inferret, quin potiùs omnes sensus adimeret.

Cartesius credidit, impedito spirituum discursu per nervos valvulis quibusdam, quæ palpebrarum instar clauderentur, recluderenturque, Somnum induci. Sed nullus Anatomicorum hucusque valvulas istas in nervis observavit.

Probabilius propterea videtur Somnus conciliari, cùm nervorum stamina, & fibræ, ea parte, qua cerebro cohærent, ita afficiuntur, ut minùs aptæ sint suis muneribus obeundis: nempè si crassescant, rigeant, contorqueantur, aut etiam laxiùs distendantur. Et quidem cùm Cerebrum à cibis leniter humescit, & irroratur sanguine, novo chylo, aut etiam alimenti parte rorida, & vaporosa imbuto, Somnus conciliatur; Hinc pueri, helluones, & qui phlegmatici vocantur, somnolentiores esse solent. Sic pariter cùm blandè percellitur, & continua, lentaque motione fibræ nerveæ laxantur, ut aquæ murmure, cantu, & similibus; vel cùm eædem immodico motu distensæ flaccescunt, & labascunt, atque à vicinis partibus solutum humorem exugunt, & tumefiunt, aut arefactæ rigescunt; vel denique cùm crassiores sanguinis partes diluuntur, tenuioribus dissipatis, faciliusque per arte-

arterias in cerebrum tendunt, quibus illud gravatur, & nervorum fibræ eidem adhærentes crassescunt. Has autem in Somno affici patet, cùm observemus caput inclinari, palpebras concidere, ac totum corpus labascere. Verùm hæc si modum excesserint, pro Somno, Coma, Carus, Lethargus, Catalepsis, Apoplexia, & similes morbi contingunt.

Cùm verò sensus solvuntur, & ad propria munia redeunt, Vigilia revocatur; restitutis quidem in debitam mollitiem, & flexilitatem fibris, itaut liberè flecti, contrahi, distendi possint. Hinc ad Vigiliam conferunt, quæcunque Cerebrum, & nervos apta sunt vellicare, & percellere, fibrasque extensas tueri. Sic, quia inedia, febribus, animi pathematis, sanguis fit tenuior, acrior, aut acidior, ejus vapore fibræ sollicitantur, & vigilare cogunt. Idem omninò accidit ab his, quæ sanguinem attenuare valent, ut sunt omnis generis aromata.

DE MOTIBUS CUM ANIMI, tum Corporis,

ANimi motus, sive pathemata originem trahunt à sensibus, qui pro varia objectorum Phantasiam moventium repræsentatione sub specie boni, vel mali diversimodè Animum commovent. Primò enim Cerebrum afficitur ab apprehenso objecto, mox in universum corpus, at sensibilius in Cor, affectio illa traducitur, unde ipsius, & sanguinis motus perturbatur, ac pathemata varia exoriuntur. Si namque sanguis concitetur, Ira; si remoretur, Timor; si intumescat, Gaudium; si verò detumeat, Mœror, & Luctus enascuntur. Cæteras Animi perturbationes latè prosequuntur Cartesius, Gassendus, aliique Naturæ consultissimi Philosophi, quæ licèt innumeræ ferè sint, septem tamen ad Rem Medicam magis facere videntur, Amor, Odium, Gaudium, Mœstitia, Timor, Spes, & Ira.

Ab Amore sunt Cordis saltus, æstus, furor, suspiria, vigiliæ, corporis macies, & pallor. Unde Ovid. 1. de Arte.

Attenuant juvenum vigilatæ corpora noctes;
Curaque, & in magno, qui fit, Amore, dolor.

Præterea, morum elegantia, audacia, facundia, corporis cultus, ingenii perspicacia, & sedulitas, ut de proprio filio narrat Cardanus. Ex adverso quæcunque ab Amore sunt, Odium corrigit, & corrumpit.

Gaudium, seu Lætitia cerebrum recreat, cor summa voluptate implet, diaphragma titillat, & ad risum incitat, pulmonem, & pectus dilatat, potissimùm verò faciem, & oculos grato, roseoque colore perfundit, unde maximè sanitati confert. Plerisque autem repentinum interitum attulit, exoluto veluti summa dulcedine Corde. Cujus rei exempla lege apud Valer. Max. Gellium, Plutarch. Plin. & alios. Hinc si Gaudium fuerit immoderatum, & extremam cordis amplificationem, sive immodicum risum inducat, reprehensione, pudore, & formidine temperabitur. Gal. 2. de sympt. Caus. c. 5.

Desperato Gaudio, ob aliquod præsens malum, Tristitia exurgit, quæ pigrum, & ineptum hominem reddit, cor comprimit, & si diù perseveret, melancholicum delirium inferre poterit. In sacris literis dicitur: *Spiritus tristis exsiccat ossa, & in mœrore animi deiicitur spiritus*. Temperatur gaudio, & lætitia. Juvare autem potest, cùm im-

immoderatos motus cæterarum perturbationum corrigit.

Timore afficitur Animus ex malo imminente, & ferè inevitabili. Quòd ſi inevitabile prorſus ſit, Mœſtitia, & Deſperatio ſequetur. Eo ſanguis minùs fluitat; quapropter hæmorrhagiæ ſiſtuntur. Immoderatus, & repentinus Timor ſyncopen, & mortem aliquando attulit, ut refert Gal. 5. *de loc. aff.* 1. Corrigitur ſpe, ira, & ſimilibus pathematis, quæ ſanguinem pavore craſſiorem redditum ſolvere poſſunt.

Spes nedum apta eſt tollere metum, & mentem quieti reſtituere, verùm etiam Deſperationi opponitur, quam tandem mors ſequeretur. Unde Tibullus *lib. 2. eleg. ult.*

Jam mala finiſſem letho, ſed credula vitam
Spes fovet.

Cùm cætera Numina in cœlum avolarent, hæc ſola in terris homines miſerata remanſit. Hinc Ovid. 1. *de Pont. eleg.* 7.

Hæc Dea, cùm fugerent ſceleratas Numina terras,
In Diis inviſa ſola remanſit humo.

Sæpè etiam animum cruciat. Quare Statius *lib. 1. Theb.*

——Spes anxia mentem
Extrahit, & longo conſumit gaudia voto.

Ira ſanguis efferveſcit, & attenuatur, decoloratis corporibus color reſtituitur, & aliquando Paralyſis ea ſoluta eſt: Hinc dixit Hipp. 2. *epid. ſect.* 4. prodeſſe nonunquam iraſci. Et Valleriola *lib. 2. obſ.* 4. refert, ſuum conſobrinum jamdudùm nervis contractum iræ æſtu convaluiſſe. Cùm verò extra limites vagatur, febrem excitat, & furorem. Unde Phocilides:

Θυμὸς ὑπερχόμενος ϡ μανίην ὀλοόφρονα τεύχει.

Illi opponitur Triſtitia, & Metus. Molli etiam ſermone frangitur.

Motus denique Corporis vel Animales ſunt, vel Naturales. Animales dicimus, qui animo advertente fiunt; Naturales verò, qui ſponte Naturæ, & animo non intelligente, ut ſunt inteſtinorum motus, ſternutatio, tuſſis, ſingultus, & ſimiles, quos cohibere nullo modo poſſumus. Plerique alii motus miſti obſervantur, veluti Reſpiratio, Riſus, Oſcitatio, qui etſi ſponte Naturæ proveniant, illos tamen cohibere in noſtra poteſtate eſt. Eſt & alia quædam motus ſpecies, quæ ad neutram harum reduci poſſe videtur, ut eſt ſomnambulorum motus, qui licèt naturalis prima fronte videatur, re tamen perpenſa à voluntate regi credendum eſt, cùm eant, redeantque, quò velint, immò illos quandoque flumina petiiſſe, & nataſſe referunt hiſtoriæ. Ad longum autem uſum hujuſmodi motus cauſa referri poteſt: ſic enim experimur nonnullos expeditis digitis chordas harmonicè prætentare, quamvis alii operi intenti ſint.

Harum motionum Vvilliſius voluntarias, ſive animales adſcripſit Cerebro, Cerebello verò involuntarias, ſeu naturales, ideò, quia motus miſtos ad Nervos ab utroque dependentes detulerit.

DE VITÆ DISSOLUTIONE, *Ejuſque cauſis.*

HActenùs de iis, quæ vitam tuentur, jam quæ illam diſſolvunt, expediamus. Vitæ diſſolutio dupliciter accidit: naturaliter, cùm ſenſim provecta Ætas vires, & animum aufert; præter naturam verò, cùm cauſæ morbificæ Vitam in medio curſu recidunt. Hoc autem manifeſtum fiet, ſi primùm totius Vitæ progreſſum recenſeamus.

A pri-

A primo ortu partes corporis teneriores ſunt, & laxiores, in quibus ſanguis facilè inhæreſcit, atque ideò puelli magis nutriuntur, & vigent; Deindè ab aere, exercitiis, vigiliis, cibis, egeſtionibus, pathematis, & cæteris id genus cauſis, membra ſenſim denſantur, indurantur que; hinc ſanguis tenuior tantùm modico glutini admiſtus per denſiorem texturam traiicitur, & partibus inhæret; trajectus verò repetitis circuitibus magis, ac magis attenuatur, quapropter plus roboris, quàm nutricationis Juvenes adipiſcuntur. Aſſiduo prætereà motu, aliiſque cauſis, plurima fiunt ſanguinis diſpendia, & vigor imminuitur, unde fermenta, ſales, ſeù ſucci, quibus ciborum exolutiones, ſecretiones, nutricatus, & cætera hujuſmodi peraguntur, vitiantur, aut deficiunt, ut teſtantur cruditates, oculorum caligationes, & ſimiles affectiones, quæ his, qui è Juventute exceſſerunt, accidunt. Tandem ſanguis cùm glutine, tùm vivida parte deſtitutus ineptus redditur roborandis, alendiſque partibus; hinc extrema ſenectus, & decrepitas: tunc enim labaſcit cor, pulmones ægrè expanduntur, arteriæ parum ſanguinis admittunt, remittuntque, & vix pulſant. Poſtremò motu deficiente vita definit. Quare Gal. *lib. de Marcore cap.5. Nam is*, inquit, *eſt vitæ terminus, ac finis, ipſa nimirum Cordis ab actione ceſſatio*. Et Ariſtoteles *lib. de vita, & morte* ait: *Vitam finiri, aut reſolutione, cùm alimenta deficiunt, vel ſuffocatione, cùm plus juſto aſſumuntur, indèque excrementa cumulantur, & ſuffocant.*

His affine eſt, quod in plantis etiam obſervatur, quæ areſcunt defectu nutritii ſucci, qui ob mutatam partium texturam, fibris obrigeſcentibus, traiici non poteſt in univerſam illarum ſubſtantiam, & nuper obſervatum eſt, ut refertur *in Act. Philoſoph. ſoc. Reg. Angel.* ſuccum in plantis circumire, non ſecùs ac ſanguis in Animantibus; unde Naturam ubique eodem modo ſe gerere ſatis manifeſtè patet.

Medicis ferè omnibus naturalis Mortis cauſa hucuſque viſa eſt Calidi nativi extinctio, & Humidi radicalis, ut ajunt, abſumptio à ſuperveniente alio calore, quem Influentem dicunt, ſive ab illo eodem, qui Inſitus eſt. At quò plures in hanc opinionem ivere, eò minus rem attentè conſiderarunt. Qui enim fieri poterit, ut calor ſive Inſitus, ſive Influens illis dictus, Nativum calorem deſtruat, quando illum adaugeri ab iiſdem ſupponant? Inſuper cùm nonniſi à contrariis qualitatibus fieri rerum deſtructionem cum Ariſtotele cenſeant, miror, ſuaderi poſſe à calore potiùs, quàm à frigore nativum calorem, & Vitam extingui? Et ſi à frigore hanc extinctionem fieri putarent, planè hoc frigus excedere deberet calorem, quem unanimi conſenſu in viventibus prævalere omnes confitentur. Accedit, quod, ſi Calor abſumendo Humidum radicale, ut volunt, ipſe quoque ſenſim conſumeretur, quemadmodùm evenit in lucernæ flammula, quæ abſumpto oleo, extinguitur, profectò in Juvenibus utpotè calidioribus humidum manifeſtius exhauriretur, & macies, ac tandem mors, ſenectute non expectata, contingeret, quod ſanæ mentis nemo ſuſpicabitur. Ipſe etiam Gal. hanc veritatem fatetur *lib. de Marcore cap.3.* ubi refellit opinionem eorum, qui aſſerunt corpora à calore conſumi, ſicut à flamma ligna.

Nec magis probabile eſt, quod cum Valleſio *ſuper 4. Meteor.* nonnulli

nulli existimant à fuliginibus retentis per poros senilis cutis expirare nequeuntibus, atque adeò levem febrim excitantibus, naturalem mortem accidere. Cùm Calor in senibus desit, à quo possint hujusmodi fuligines elevari. Nec modum explicant, quo febriculam inferre possint. Cætera mittimus, quæ adeò levia, & futilia sunt, ut pigeat illa recensere.

Plerique putant, ope Medica, posse vitam ad longissima tempora produci, inter quos fuit Ægyptius ille Philosophus relatus à Gal. *cap. lib. de Marc. cap. 2.* immò exemplo Æsonis, sanguinis transfusione senes renovari posse contendunt: & Hermetici summis laboribus pulverem philosophicum inquirunt, quo possint morbos fugare, & vitam incolumem ad plura sæcula prorogare. At quo ipsorum desiderium sapienti homine dignum est, eò difficilius assequi datur, & ipse Paracelsus, qui gloriabatur se posse vitam diutissimè tueri, vix quadragesimum septimum annum attigit; sive quòd termini constituti sint, qui præteriri non possint; sive quòd impossibile sit deperditos vitæ fomites, aut alimentis, aut secretioribus Medicinæ arcanis ex æquo restaurare. Quæ verò referuntur de Phœnice, Serpentibus, Aquila, Cervis, & de Indo quodam Viro, cujus meminit P. Maffeus *lib. 11. Hist. Ind.* & de Joanne Macleyne Scoto, quem narrat Plempius *fundam. Med. lib. 2. s. 4. c. 8.* deque multis aliis memoratis à Gassendo *tom. 2. s. 3. lib. 13.* fabulosa quidem, vel ficta existimantur: nisi credere velimus, vegetiores tantùm illos evasisse, & vitam, quousque licitum est, prorogasse.

Quoniam verò causis morbificis, quibus impeditur sanguinis, & cordis motus, & præter naturam, seù violenta Mors accidit, ope Medica occurrere valemus, conabimur, quantum in nobis est, Morborum naturam, differentias, causas, symptomata, & reliqua explicare, ut tandem, opportunis remediis adinventis, quàm serius possumus, Naturæ concedamus.

DE MORBIS.

Quemadmodùm in bona corporis habitudine Sanitas, ita in mala consistit Morbus. Nemo, quod sciam, Medicorum Morbos à vitiis corporis distinxit, quò factum est, ut hexadactylon, ridiculè sanè, morbosum appellarint, etsi optima habitudine fruatur. Libet igitur cum Ptol. *lib. 3. quadrip. c. 16.* distinguere Morbum à Vitio: Vitium quidem semel inflictum constantes dolores non affert; Morbus verò, vel continuos, vel reciprocos. Unde Cardanus *ibidem*: *Vitia sunt cæcitas, surditas, clauditas: inflicta enim semel dolorem afferunt, inde postea nequaquam. Morbi autem in hoc conveniunt omnes, quòd dum adsunt, dolorem afferunt, sed duorum tamen sunt generum; quidam enim sunt reciproci, ut Asthma, Comitialis, Podagra, qui, ut abscedunt, redeunt, Morbi verò non reciproci sunt, ut Febres; & morbi laterales. Vitia prætereà fermè sunt inseparabilia, sed minùs affligunt; Morbi contra, natura sua, sunt separabiles, licèt reciproci medii quasi natura sint inter simplices morbos, & vitia.*

A mala corporis habitudine variæ Morborum differentiæ exoriuntur. Cùm enim bona valetudo videatur esse à sanguine, & partibus ritè constitutis, idcircò morborum alii erunt à sanguine peccante, alii verò à partibus à proprio, naturalique statu recedentibus.

Si

Si Sanguis effœtus evadat, debilitas pulsus, virium languor, partium refrigeratio, & totius corporis hebetudo præsto sunt; ut macies, & tabes, si, amisso glutine, solvatur. Si verò, vel acidus, vel acer, aut motu celerior fiat, inflammationes, pustulas, & similes morbos affert. Si demum plus justo serosus evadat, hydronosi, seu aquei morbi exoriuntur. Ad sanguinem quoque referre licèt ægritudines, quæ à reliquis corporis humoribus lympha, bile, succo pancreatico, & similibus sunt, cùm vel à sanguine hi malè secernuntur, vel secreti iterùm commiscentur, & illum inficiunt.

Ad partes, quod attinet, si à propriis locis recedant, magnitudine augeantur, scindantur, corrumpantur, vel obstruantur illarum ductus, aut alio modo afficiantur, Luxationes, Tumores, Ulcera, Putredines, Obstructiones, & hujusmodi emergunt.

Præter has Morborum differentias, aliæ sunt: A Sexu, ut satyriasis, priapismus; nec non podagræ, quæ ut plurimùm Maribus accidunt: Affectiones hystericæ, quas Fœminis.

Ab Ætate, ut Variolæ, Aphthæ, quæ pueros sæpiùs invadunt: Tusses verò, & Asthmata, senes.

Ab Origine, Hæreditarii, ut cùm à Parentum vitio emanant. Idiopathici, qui ab ipsamet parte affecta originem trahunt. Sympathici, qui sunt per consensum alterius partis patientis.

A Tempore, alii sunt Acuti, qui quadragesimum diem non excedunt; Alii Chronici, qui ulterius protrahuntur.

A Loco, ut sunt Endemici aliquibus tantùm Regionibus familiares, inter quos connumerari meretur lues Americana illius Regionis peculiaris, quam ad Nos Hispani detulerunt, vocataque est Gallica, quia primùm Galli in obsidione Neapolitana illam sævissimam experti sunt, pariterque in Americam nostras variolas iidem Hispani invexerunt, quibus crudelissimè illic grassantibus innumeri penè perierunt. Celebris quoque est morbus Tarentinus, qui jure ad quoddam Furoris genus referri potest, & nisi musica, choreisque compescatur, certum est correptos brevi morti concessuros: sunt qui ad Mare avidissimè accurrunt, & toti immerguntur in aquis: alii foveis excavatis, capite tantùm supereminente, terra obruuntur: alii ad Tympanorum, Tubarum, Bombardarum strepitus, cæteraque hujusmodi exultant; speculis, nudis ensibus, variisque coloribus delectantur. Per Æstatem quotannis solet morbus exasperari, unde fabula vulgo nata est, quòd Araneæ Tarentinę morsu ictis tamdiù saltandum sit, quandiù ipsa vixerit. Verùm illæ per idem tempus adeò venenosæ fiunt, ut ferè Aspidem, & Viperam vincant, nec ullam opem à choreis, & sonis sperare est contra illarum morsum; quod experti sunt quidam milites Hispani Tarenti degentes, qui incolis illudebant, quod fœminæ ut plurimùm his morsibus obnoxiæ essent, quasi aliud mente agitantes morbum simularent, atque ab his araneis à quibus hunc furorem inferri dicebatur, vano insanoque tentamento sese morderi passi sunt, & mox gravissimis symptomatis correpti periere, frustrà ad choreas variis sonorum modis invitati. Cæteris autem temporibus illarum morsus, vel nullus est, vel innocuus, veluti plerisque aliis venenosis animalibus accidit; unde factum, ut quibusdam causa dubitandi data sit, num reverà deleteriæ illæ forent. Notabile prætereà est, quòd Morbum cætero-

qui

qui Endemicum, affecti quocumque iverint, fecum ferant; diuturnitate tamen temporis, & fudore à faltibus, & choreis habito, curari folet.

Epidemici demum Morbi funt, qui vitio aeris, vel alimenti, alteriufve caufæ communioris hominibus accidunt.

DE MORBORVM CAVSIS.

SIcut variæ omni ævo extitere Medicorum fectæ, fic variæ Morborum Caufæ excogitatæ funt. Quidam enim ex fapientiæ profefforibus, ut habet Celfus, ex quatuor principiis, vel fuperans aliquid, vel deficiens adverfam valetudinem creare dixerunt; quo refpexiffe videtur Hipp. *lib. de flatib.* definiens Medicinam Adjectionem, & Detractionem; adjectionem quidem eorum, quæ deficiunt, detractionem verò eorum, quæ excedunt; quamvis in fine ejufdem libelli Morborum omnium caufas ad flatus referat: & *lib. de Nat. hum.* partim ex aere, & partim ex victu illos effe dicat: Herophilo omne vitium effe in humidis vifum eft: Erafiftrato in fanguine, fi in eas venas, quæ fpiritui accommodatæ funt, transfundatur, & inflammationem, quam Græci φλεγμονὴν vocant, excitet, eaque inflammatio talem motum efficiat, qualis in febre eft: & Afclepiadi in corpufculis per invifibilia foramina manantibus, fi fubfiftendo iter claudant: Themifon Laodiceus, & Theffalus Trallianus, cæterique Methodici referebant omnes affectiones ad adftrictum, & laxum, unde illarum curationes dirigebant ad relaxationem, & adftrictionem eorum, quæ vel adftricta, vel laxa effent.

In Proœm.

Galenici cùm in Morbis triplicem agnoverint differentiam, intemperiem, malam compofitionem, & folutionem continui; caufas morborum fecerunt quæcunque concinnam partium fimilarium temperiem alterare, organicarum ftructuram lędere, utrarumque nexum diffolvere poffunt.

Paracelfus, ejufque affeclæ poftquam Morbos fubftantiam effe ftatuerint, inutileque exiftimarint illos à Caufis, & Symptomatis diftinguere, aliamque divifionem probaverint, qua fcilicet in Deales, Aftrales, Naturales, Mentales, & Venenofos diftribuuntur, caufas fecerunt I. Deum, qui five ob peccata, five ob alios fines fibi foli cognitos, ægritudines in homines immittit. II. Aftra, quæ mediis fuis influxibus morbos excitare poffunt. III. Naturam, cujus vitio ægritudines contingunt, vel omnibus, vel particularibus individuis. IV. Ens pagoycum five mentale, fub quo comprehendunt tùm morbos ex propria Imaginatione, tum à fpiritibus malis, Deo tamen permittente, tum etiam ab Incantationibus inductos. V. demùm Venena, five naturalia, five artificialia.

Dividunt pręterea plerique Paracelfiftarum Morbos in Coagulatos, & Refolutos propter femina, quorum fructus inquiunt, vergere, vel in coagulationem, vel in refolutionem. Alii verò cum eodem Paracelfo *in labyrinth. Med. err. c. ult.* duo alia morborum genera ftabiliunt ex Iliaftro, & Cogaftro, quorum primum ex pravis feminibus, fecundum verò ex corruptione emergit.

At Petrus Severinus morbos omnes, illorumque caufas ad quatuor tamquam Monarchas reliquorum retulit, nempè Epilepfiam, Hydropem, Lepram, & Podagram: Ad Epilepfiam revocat catarrhos, paralyfes, fpafmos, vertigines. Ad Hydropem, apoftemata, ictеritiam, cachexiam. Ad Le-

Lepram, ulcera omnia. Ad Podagram denique, colicam, nephiritidem, cephalęam; licèt aliquando afferat Morbos, aut ex superioris, aut ex inferioris globi seminibus oriri.

Recentiores demùm Hermetici Morbos, & Causas ad tria principia referunt, Salem scilicet, Sulphur, & Mercurium. Ex Salibus ajunt proficisci ulcera, erosiones, dysenterias, hæmorrhagias. Ex Sulphure, inflammationes, febres, & si sulphur narcoticum sit, soporiferas affectiones. Ex Mercurio, epilepsias, apoplexias, paralyses, catarrhos, & nonnumquam etiam contagiosos, & epidemicos morbos. His addunt affectus ex Tartaro pendentes, ac propterea tartareos dictos. Cui divisioni inhæret Quercetanus *in Tetrade Morborum capitis*.

Sed non facilè est, omnes Hermeticorum, & Paracelsistarum de Morborum Natura, & Causis sententias in medium afferre, cùm vix invenire liceat unum, aut alterum sibi ipsi consentientem: etenim ita verbis insuetis, & abstrusa oratione Paracelsus in suis scriptis usus est, ut mentem ejus assequi perquàm difficilè sit; quo factum est, ut illius asseclæ non conveniant in rerum natura explicanda, ejusque mente aperienda: alius enim aliam, pro libitu, commentus est expositionem.

Non dissimili modo suam de Morborum natura, & Causis sententiam attulit Jo. Baptista Van-Helmont. Multis in locis repetit morbum esse ens reale, sed potissimùm *in Ignot. Hosp. Morb.* ubi postquàm longa oratione improbavit quidquid in Scholis de Morbis, Morborumque Causis, & Symptomatibus edocetur, proponit Archeum spiritum indispositè motum, ac operantem esse universale Morborum principium. Causas verò, quas reliqui Medici efficientes] vocant, putat ipse esse tantùm occasiones, quibus Archeus irritatur, unde oritur Idea morbosa, & compositum illud resultans ex perturbato Archeo tanquam efficiente, & præfata Idea seminali, morbum progignit. Itaque causæ occasionales, sive internæ, sive externę illæ fuerint, imprimunt in Archeo imaginem, sive ideam, cujus causa ipse irascitur, perturbatur, contristatur, ac diversimodè affligitur, unde morbus exoritur, ut idem prosequitur *in Ort. Imag. Morbos.* Morbos prętereà dividit in Recepta, & Retenta. Recepta, quæ forinsecùs intrant in nos, & Archeum commovent, vel offendunt; Retenta verò, quę ut plurimùm in nobis sunt genita, aliquando etiam extrinsecùs assumpta, *ut in Morb. Phalang. & in divis. Morb.* ubi deindè subdividit Recepta in Injecta à sagis ope Dæmonum, Inspirata ab endemicis, Suscepta ab irruentibus, Assumpta, à cibo, potu, veneno, pharmaco, & in Heteroclita: sicut pariter Retenta, in Relicta ab excrementis, Transmutata in digestionibus, & ab una in aliam digestionem Transmissa, ut fusiùs apud eundem est videre *in Divis. Morb.*

Neoterici, sicut antiquioribus Galeni documentis non sunt assentiti, ita nec Paracelsi, aut Helmontii inventis acquievere, sed in alias adhuc sententias profecti sunt. Et primò plerique ex Chymicorum etiam familia oriundi, Morborum causas existimarunt Acidum, & Alkali; quam sententiam novissimè sequutus Ottho Tachenius *in suo Hippocr. chym.* multis rationibus, & experimentis conatur stabilire Acidum, & Alkali, ab Hippocrate *lib. de Diæta* sub nomine Ignis, & Aquæ indigitata, universalia rerum principia esse, atque ab iisdem diversimodè commistis, inversis, exorbi-

bitantibus, depressis, aut denique dissociatis, omnes ægritudines pendere; sicut contra per eorundem convenientem, accuratamque applicationem, posse quascunque infirmitates curari. Quod confirmavit alio etiam libello, cui titulus *Clavis Hippocraticæ Medicinæ*. Iisdem vestigiis inhæsit Bernardus Svvalve *libello Acidum, & Alkali* inscripto, in quo sub forma Dialogi inter Neochmum, & Palæphatum hinc inde argumenta proponit, ac tandem concludit omnia Naturam, ejusque imitatricem Artem per Alkali, & Acidum producere, atque ex his, quidquid ad Medicinam facit, deduci posse.

Franciscus Sylvius Deleboe Batavus, qui rem Medicam Anatomicis inventis superstruere, & chymica ope promovere nisus est, Morbos, morborumque Causas pendere, ait à varia mistura succorum nuper ab Anatomicis accuratioribus repertorum, potissimùm succi pancreatici, biliosi, & lymphatici; atque ex his putat componi humorem, quem Triumviralem appellat, qui in Intestinis gracilibus levem fermentationem excitet, & deindè per venas lacteas transeat in cor, ubi levem aliam, & Naturæ convenientem fermentationem suscitet ad sanguinis perfectionem. Ab horum autem dissidio, & vitio morbos omnes oriri, atque adeò febres, tumores, inflammationes, doloresque fieri asserit, prout ipsi humores naturam adepti fuerint acidiorem, viscidiorem, acriorem, vel salinam; unde depravatis fermentis coctiones, & reliquæ functiones malæ insequantur, ut latius apud ipsum.

Pari modo, Paulus Barbette, Morbos, sanguinis, lymphæ, succi pancreatici, aliorumve succorum vitio tribuit.

Franciscus Travaginus Venetus, constitutis duobus Naturę principiis, Acido, & Salso, ex varia eorundem complicatione elicit nedum varias rerum mutationes, verùm etiam morbos, eorumque causas, & curationes, ut colligi potest *ex sua synopsi, & epistolis ad Societatem Regiam Angl. datis*, quæ in Actis Philosoph. Angl. referuntur *mens. Nov. Ann.* 1667.

Tandem Jo. Fridericus Helvetius res Anatomicas, chymicas, & diversa experimenta congerens suum Diribitorium Medicum composuit, ubi omnium morborum, accidentiumque tum internorum, tum externorum naturas, causas, & curationes explicuit ex saporibus, odoribus, provenientibus à fermentorum, effervescentiarum, aut putrefactionum salibus, sulphuribus, & mercuriis, quæ malè inveniuntur in succis alibilibus omnium ventriculorum, glandularum, vasorumque lymphaticorum totius corporis; asseritque, quòd quemadmodùm sanitatis conservatio pendet ex sola conveniente fermentatione in partibus habita, ita vitiatis fermentis, aut omninò absumptis, sanitas deficit. Ex fermentis autem diversimodè vitiatis, & in acrem, acidam, salsam, amaram, vel in similem pravam conditionem degenerantibus, diversi generis morbos oriri ait, de quibus speciatim agit, & cuique sali producto ex fermento vitiato suos attribuit morbos, methodumque docet illos curandi per medicamentorum simplicium speciales signaturas.

Occasiones etiam Morborum recensentur Aer, Cibus, Potus, Motus, Quies, Somnus, Vigilia, Egestio, Retentio, & Animi pathemata, quæ indifferentes dici merentur, quia tum obesse, tum prodesse possunt, prout bene, vel malè illis utimur, & plerisque procatarcticæ dicuntur.

Inter has autem primum tenet lo-

cum Aer, qui cùm facillimè mutationes subeat, diversarum alterationum causa est.

Et primò videntur illum alterare Corpora cœlestia. Equidem accedente Sole ad nostrum verticem, vel ab eodem recedente temporum vices mutantur, & Aer, vel calidior, vel frigidior persentitur: hinc non immeritò Hippocr. 3. *aphor.* diversos asserit morbos generari ex anni temporum varietate. Et Quercetanus in suo *Diætetico polyhistor. sect. 2. cap. 2.* ait non solùm alterari Aerem ex solaribus periodis, verùm etiam à lunaribus vicissitudinibus, reliquorumque siderum tum errantium, tum fixorum mutationibus.

Lib. de Aer. aq. & loc. & epid.

Mutabilis quoque est Aer à varia positione, variaque Cœli habitudine. Hinc Regiones ad meridiem expositæ calidiores sunt, ad boream verò frigidiores, intermediæ temperatæ.

Alterari insuper plerique illum putant influxibus, siquidem observari contendunt Lunam lumine auctam catarrhos movere, motus epilepticos concitare, articulares dolores incutere; quibus suffragari videntur per id tempus pinguiores Echini, Cancri, Ostreæ, & similes; atque Hippocr. 4. *aphor.* 5. qui in exhibendis purgantibus medicamentis multos dies vitari jubet sub Cane, & ante Canem; *& libro de medicam. purg.* alios dies notat circa Solstitia, & alios circa Æquinoctia *lib. de Aer. Aq. & Loc.* Immò ibidem Astronomicam agnitionem Medicis inculcat, & vix errare Medicum posse, inquit, qui stellarum congressus præsentire, & observare novit. Qua autem ratione ipsi viderint.

Mutationes præterea subit à vaporibus, & halitibus, ex quibus nubes, caligines, nives, pluviæ, venti, unde viventia plurimùm afficiuntur; præsertim cùm halitus sunt bituminei, sulfurei, nitrosi, aliusve naturæ. Non semel etiam ex apertis voraginibus eruperunt maligni halitus, quibus Aerem inficientibus, perniciosa orta est lues, ut historiis notum.

Jo. Villan. Naucler. & Baron.

Ad hæc non parum confert locorum conditio, etenim montanus tenuior est, & frigidior, maximèque ventis expositus; paludosus verò, & campestris crassior, calidior, & minùs agitatus.

Noxius quoque fit Aer, cùm plus justo attenuatur, vel vaporibus inficitur, unde ægritudines, & mors consequuntur. Exempla malorum ex tenuitate Aeris affert Joseph à Costa *Hist. Ind.* referens transeuntes per verticem altissimi montis Peruani, ubi Aer nimis tenuis erat, sanguinem expuere coactos esse, & vix summo labore, ac spongiis aqua madidis periculum evasisse. Id etiam constat ex nuperis experimentis Boylæis, & Florentinis, etenim si in vitreis phialis animalia includantur, & inde Aer extrahatur, modo ab ipsis descripto, post inconditos motus expirant.

Non minora damna affert, cùm vaporibus crassior evadit, sic nuper vidimus hic Neapoli extinctos tres homines, qui descenderant in cisternam jam diù clausam, in qua oleum asservari consueverat. Experiri idem licèt in æstuanti musto: si enim illi animalia admoveris illicò vitæ jacturam sentiunt, & si persistas emoriuntur.

Celebris quoque est inter Puteolos, & Neapolim Cryptula ad oram paludis, quam accolæ ab anguium frequentia, ut ferunt, *Anguianam*, seu *Agnanam* vocant, ubi si Canes, vel alia Animalia malignum illum halitum respirare cogantur, intermoriuntur, & nisi opportunè in liberum Aerem extrahantur, omninò pereunt; promptiùs verò expergiscuntur, si il-

lorum

lorum nares, effoffo extra cryptulam fcrobiculo admoveantur. Solertiffimus nofter Thomas Cornelius domi etiam fimile quid parare novit, quo animalia, & faces ardentes, ficut in cryptula prædicta, extinguuntur.

Compertum denique habemus in illo Aere homines poffe vivere, in quo candelæ flammula perdurat; quo experimento fifi metallarii in profundas fodinas defcendere non reformidant.

Affumpti etiam Cibi multifariam obeffe poffunt, vel quia pravæ conditionis funt, ut fungi, tubera, lolium; vel quia immodicè, aut intempeftivè illis utimur; vel quia debito ordine non fervato ingeruntur. A Conditione mala ciborum exurgunt cacochymiæ, cachexiæ, hydropes, tumores, obftructiones pro varia eorundem natura. A Quantitate immodica plenitudines, laxitates, compreffiones, ut fi nimis tenuis effet, infequerentur extenuationes, languores, animi defectiones. Ab Importunitate cruditates, naufeæ, vomitus, fluxus. Ab Ordine non fervato corruptiones, nidores, diarrhϾæ, ventris dolores. Verùm in his confuetudinis ratio femper habenda eft.

Quod ad Potum, Aqua nifi limpida fit, & omni odore, fapore, & colore carens, fæpè aliquid detrimenti infert, cùm per terrę meatus tranfiens metallorum, cæterorumque foffilium naturam induerit. Sic quæ ex nivibus folutis aquæ bibuntur, noxiæ funt, quia impuræ, & nitrofæ. Officiunt etiam paluftres, utpotè ftagnantes, limofæ, ac fœtidæ. Ex Ephemeridibus Germanicis habetur, quendam, poft hauftum ftagnantis aquæ, ventriculi doloribus divexatum fuiffe, ac tandem, femeftri elapfo, vomitu tres bufones rejeciffe. Thomas etiam Bartholinus fimile quid refert eveniffe Catharinę Altenburgenfi.

Anno 1671. obfer. 56.

in fuis centuriis Anatom.

Vinum fimiliter, quamvis vires reficiat, & coctionem adjuvet, fi tamen copiofiùs hauriatur, aut nimis recens, acefcens, aut quod jam fugit, maxima damna inferre folet.

Cæterùm tum Aqua, tum Vinum nocere poffunt pro variis ætatibus, & corporum conftitutionibus. Hinc obefi, decolorati, languidi, crudi, ficut plurimùm juvantur à moderato vino, ita ufu aquæ lęduntur. Immodicum verò fi bibatur Vinum maximè obeffe folet, fluxiones concitat, cerebrum hebetat, & ventriculum gravat. Semper autem vinum commendabile eft in fenibus, confuetis, & crudis; Puerulis verò, infuetis, & ftomacho vacuo omninò interdicendum. Uno verbo: ficut nil utilius optimo, moderatoquè vino, ita eodem immoderato nil pernicioflus. Hinc Virgilius. De Vin. & Ven.

Vina fitim fedent, natis Venus alma creandis
Serviat, hos fines tranfiluiffe nocet.

Ampliùs Motus, & Quies immoderata, vel intempeftiva humano corpori officiunt. Et quidem Motus nimius, vel importunus vires enervat, fluxiones, & dolores excitat, fanguinem attenuat; unde febres, inflammationes, & fimiles affectiones inferre poteft. Quòd fi à paftu fiat, diffolventes fuccos diftrahens coctionem impedit, aut eofdem acuens diftributionem, fecretionemque ante tempus properat, proindèque obftructiones venarum lactearum, difficiles anhelitus, ventris dolores, cæterafque ægritudines affert. Sic quoque fi poft cibum animo ad profundè fpeculandum moveamur, præter ftomachi languorem, perturbatamque coctionem; confequetur capitis imbecillitas, cerebri, & oculorum hebetudo, cæterorum-

que fenfuum labefactatio, vel oppreffio.

Similiter nimia quies craffos fuccos coacervat, fanguinem, parte florida diminuta, motui ineptum reddit, meatus omnes obftruit, excrementa retardat, caput, & cerebrum gravat, obnoxiumque reddit omnibus affectibus foporofis, animum, & fenfus fegnitie opprimit, corpus pravis humoribus replens ad hydropem, vel cachexiam difponit. Unde Ovidius:

2.de Pōt.

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus,
Ut capiant vitium, ni moveantur Aquæ?

Ex Otio nedum Corpus, verùm etiam Animus vitia contrahit; quare idem Poeta:

1.de Remed.Am

Quæritur Ægifthus, quare fit factus adulter:
In promptu caufa eft, defidiofus erat.

Præterea Somnus nimius corpus iners, fegnemque animum reddit, excrementorum egeftionem retardat, capiti vapores, & craffos fuccos offundit, fanguinem, & reliquos humores confiftentiores efficit. Pariter longa Vigilia vires, fenfus, mentemque labefactat, ciborumque coctionem pejorare folet. Hinc Hipp. *aph.* 2. *t.*3. *Somnus, & Vigilia, utrumque fi modum exceſſerit, malum.* Et *t.*4. *Non fatietas, non fames, neque aliud quidpiam, quod modum Naturæ exceſſerit, bonum.*

Hæc verò nedum immodica, verùm etiam intempeftiva nocent. Sic Somnus meridianus præfertim infuetis, & capitis affectionibus obnoxiis nocens eft, tum quia facilè interrumpi folet, unde evaporationes ad cerebrum delatæ tàm brevi tempore difcuti, refolvique nequeant ex Avicenna; tum etiam quia fomno fan-

3.1.doct. 2.cap.9.

guinis, & cordis motus tardior evadit, quare chyli portiones per tubulos lacteos in Cor illapfæ, nec benè adhuc percolatæ, Cerebrum petentes, illud premunt, & offufcant, quæ, nifi repetitis circumactionibus fecernantur, graves afferunt ægritudines; unde Schola Salerni, cap. 3.

Febris, Pigrities, Capitis dolor, atque Catarrhus,
Hæc tibi proveniunt ex Somno meridiano.

Peffimus etiam eft Somnus vefpertinus, cùm alimenti diftributionem, ejufque percolationem impediat, & ab aliis, quàm à cibi vaporibus, originem trahat, nifi tamen illum laffitudo, ad reficiendas vires, conciliet. 2.aph.48

Vitandus autem eft fub gravibus malignarum Arborum umbris. Hinc Lucretius *lib.6.*

Arboribus primùm certis gravis umbra tributa eft,
Ufque adeò capitis faciant ut fæpe dolores.

Et Virgilius *eclog.*10.

Surgamus. Solet eſſe gravis cantantibus umbra:
Juniperi gravis umbra: nocent & frugibus umbræ.

Notabile eft quod refert Aldrovandus *in fua Dendrolog.* de quodam Ruftico, qui cùm fub umbra nucis fomno indulfiffet, paralyfi correptus fuit; poft aliquod tempus fub umbra quercus iterùm foporatus convaluit. Noxam quoque patiuntur, qui in locis humidioribus, & fubterraneis fomno capiuntur, quæ copiofis halitibus, & vaporibus referta funt.

Indebitæ præterea Retentiones, quæ caufæ morborum procatarcticæ effe dicuntur, præ cæteris funt, fæcum, lotii, fudoris, cæterorumque excrementorum, quorum in ftatu fano depulfionem Natura ipfa molitur;

tur; unde colicus dolor, volvulus, veficæ, & renum inflationes, & dolores, febres, catarrhi, laſſitudines, & id genus mala. Cùm verò egeſtiones immodicæ fiunt, ut in lubrica alvo, uſu Veneris nimio, ſudoribus immoderatis, conſequuntur inteſtinorum laxitas, ani procidentia, teneſmus, virium imbecillitas, malæ, & diminutæ nutricationes. Deteriora omnia erunt, ſi his accedant cibi, aut chyli ejectiones, hæmorrhagiæ, & bilis effuſiones, potiſſimùm ſi à medicamentis, venenis, aut noxiis cibis, & potibus cauſam habuerint.

Animi denique pathemata præcipuorum morborum omni ævo occaſiones extitere, iis præſertim, qui ſuas perturbationes moderari non benè norunt. Quare Galenus majorem induſtriam adhibendam eſſe docuit in regendis Animi pathematis, quàm in corporalibus curis mitigandis: & 3. *Art. Med. Liquet*, inquit, *ab ipſis* (benè valentibus) *caveri oportere omnes animi immodicos affectus, videlicèt, Iræ, Triſtitiæ, Furoris, Timoris, Invidiæ: hæc enim alterant, atque à naturali ſtatu corpus avertunt*. Conſtat ſiquidem ex Amore tabem, mentis alienationem, febrim, pervigilium, & inquietudinem oriri, quandoque etiam mortem, ut de quadam Amante, quæ præ Amore ad mortem ferè ægrotavit, narrat Galenus *lib. de præſag. ad Poſthum. cap. 6.* Idem fertur de Antiocho, qui novercam adeò deperibat, ut niſi voto potitus eſſet, proculdubiò periiſſet. Ira pariter & Odium febres, & furores non ſemel pepererunt. A Timore etiam, corporis refrigeratio, animi deliquium, & membrorum omnium exſolutio orta ſunt. Ex Gaudio virium diſpendium, ac ſyncope. Et denique ab Invidia, & Mœſtitia angores, extenuationes, deliria melancholica, ſuſpiria luctuoſa, & conſimilia accidentia eveniunt, præſertim cùm hujuſmodi perturbationes immoderatæ, repentinæ, & diuturnæ fuerint.

Lib. de lud. par. pil. c. 1. text. 16.

Crediderim tamen ex his, aliquibus efficaciorem vim ineſſe interitum inferendi. Gal. *Ab Ira*, ait, *nemo interiit, utpotè nec calore perfrigerato, nec ejus robore ſoluto*: quaſi dicat neminem interire, niſi cordis robore labefactato, quod in Ira potiùs augetur. Ob immoderatam autem voluptatem, immodicam Mœſtitiam, & nimium, ac repentinum Timorem mors interdum conſequuta eſt, hoc tamen diſcrimine, ut advertit idem Galenus, quod in magna Lætitia, & vehementi Timore ſubitò mors accidit, ſecus verò in Mœſtitia. Cujus rationem affert, quia in Gaudio, & Timore motus ſubitò fit, in Triſtitia verò ſenſim. Sed de his ſatis.

2. de ſympt. Cauſ. c. 5.

5. de loc. aff. 1.

2. de ſympt. Cauſ.

Synecticas inſuper Morborum cauſas aſſerunt Galeni, & Avicennæ Sectatores eſſe humores, quorum in venis, ajunt, contineri quatuor, quos vocant Bilem, Sanguinem, Pituitam, & Melancholiam, atque hi ſi quantitate peccaverint Plethoram, ſive plenitudinem quoad vaſa dictam conſtituant; ſi verò qualitate, Cacochymiam; ſi demum pravitate, qua inepti nutritioni, & inemendabiles fiant, Cachexiam, & Cacoethiam inferant. In reliquis conceptaculis contentos, appellant Bilem felleam, Melancholiam lienoſam, & Pituitam tum Cerebri, tum Ventriculi; quorum ſi Bilioſi putrefiant, convertanturque in Vitellinos, Porraceos, Æruginoſos, & Atrabilarios, exurgant febres tertianæ, ardentes, & malignæ, necnon inflammationes, eryſipelata, dyſenteriæ. Pituitoſi, & Phlegmatici pariant catarrhos, tuſſes, podagras, articulares dolores, tumores frigidos, &

œdematosos, apoplexias, paralyses, comata, suffusiones, surditates; & si putrescant, febres quotidianas, lethargos, anasarcas. Melancholici, scirrhos, splenis obstructiones, affectiones hypochondriacas, deliria melancholica; putrescentes autem, febres quartanas. Sanguinei demum, potissimùm si incalescant, synochas febres, phlegmones, cæterasque hujus generis ægritudines inducant. Hinc morbos omnes faciunt Sanguineos, Biliosos, Pituitosos, Melancholicos, vel etiam mistos; adeòque calidos, frigidos, humidos, aut siccos appellant. Hæc Galenici; qui etsi Rationales se jactent, quod minimè rationis erat, commenti sunt.

Alii cum Hipp. *lib. de veteri medicina*, asserunt; *Non calidum, non frigidum, non humidum, non siccum, magnam vim habere in morbis inferendis, sed Acerbum, & Acidum, & Amarum, & Salsum, & Dulce, & Fluidum, atque alia hujus generis*, & nuperrimis observationibus Anatomicis fulti internas morborum causas esse ajunt.

Bilem, si videlicet peccaverit acrimonia, oleosa crassitie, nimio sero, excessu, vel defectu, & si extra propriam sedem divagetur.

Succum Pancreaticum, cùm præter naturam fit acidus, austerus, & glutinosus.

Lympham, si consimilibus vitiis afficiatur, potissimùm salsedine, & mordacitate.

Sanguinem diversimodè fermentescentem, & in exsolutionem, coagulationem, præcipitationem, immoderatam exaltationem, aut evaporationem vergentem.

Fermenta omnium glandularum, & ventriculorum, mutata, inversa, impedita, vel infracta.

His adjunguntur Excrementa retenta, vel vitiata.

Peccare autem, inquiunt, Bilem acrimonia, in febribus præsertim ardentibus, diarrhœis, dysenteriis, choleris: oleosa crassitudine, cùm in calculum concrescit etiam in ipsa cysti: nimio sero, cùm aquea est, & naturali acritate privatur: incremento, in alvi immodicis egestionibus, & icteritia; defectu verò, in alvo styptica, imperfectis, vel vitiatis secretionibus: vagatur demùm, cùm ad intestina non defertur, aut aliò vergit, quàm deceat.

Succum Pancreaticum, austeritate, aut lentore, in alvi fluxibus, diarrhœa, dysenteria, necnon in febribus potissimùm intermittentibus, in Pancreatis, & adjunctorum viscerum obstructionibus.

Lympham, cum salsa, aut acris evadit, ideòque erodit, & dilacerat suos ductus; itemque cùm adeò serosa, & fluida est, ut spontè sua exudet; aut extrà proprios tubulos lymphaticos vagatur, unde diversos morbos parit, præsertim hydropes.

Sanguinem, cùm nimis fermentescit, unde febres synochas, inflammationes, hæmorrhagias; vel diminuitur, indeque virium lapsus, refrigerationes, marcores, deducunt. Sic cùm acer, salsus, acidus, aquosus, seu serosus evadit, diæreses, diapedeses, cachexias, cacochymias, febres, tumores, ulcera, pustulas, anthraces. Denique cùm è propriis vasis egreditur, & in grumos concrescit, tumores, & inflammationes; sive etiam suppurationes, corruptiones, fungosas, & excrescentes carnes fieri contendunt.

Fermenta pariter vitiari ajunt, cùm invertuntur, deficiunt, excedunt, aut malè cum sanguine, cæterisque succis permiscentur. Sic in

cordis

cordis ventriculis lympha, chylo, & ſanguine indebitè commiſtis, febres varias pro varietate pravæ fermentationis exoriri arbitrantur. Itidem cùm ſucci in ventriculo, glandulis Cerebri, & Meſenterii, aliiſque vaſis contenti perturbantur, infriguntur-que, digeſtiones, ſecretiones, & nutricationes malas, indeque vomitus, & dejectiones, in quibus Galenici humores flavos, citrinos, vitellinos, porraceos, rubiginoſos, atrabilarios, & ſimiles obſervant.

Excrementis demum non benè percolatis, aut retentis, inflationes, diſtenſiones, & dolores: immoderatè verò, intempeſtivè, aut per loca indebita fluentibus, cruciatus varios, vigilias, languoreſque ſubſequi conjectant.

Cæterùm cùm in Chyli ſecretione ſuccus Pancreaticus Bili prævalet, ipſeque Chylus ſecretioni, ac dilutioni contumax eſt, elevari docent halitus craſſiores inteſtina diſtendentes, & lancinantes, quos appellant flatus: nonnunquam etiam illorum originem ad cibos referunt, nempè caſtaneas, fabas, cæteraque legumina, herbarum radices, aniſum, coriandrum, & ſimilia, ſale volatili, phlegmate, vel acido id efficientia; hoc tamen diſcrimine, quod aromatis, & aliis, quæ ut plurimùm ſale volatili conſtant, excitentur flatus, & ſimul diſcutiantur; herbarum verò radicibus, & cæteris, in quibus phlegma, & acidum abundat, moveantur quidem, at non diſcutiantur.

DE MORBORVM Symptomatis.

GAlenus *lib. de Symptom. diff. cap.* 1. omnem affectum, quo à naturali ſtatu recedimus, putavit eſſe Morbum, vel morbi Cauſam, vel Symptoma; atque ex his, qui actionem vitiat, Morbum, qui hunc præcedit, Cauſam; affectum verò, qui morbum, velut umbra corpus, ſequitur, Symptoma appellat. Sed reverà cauſæ morbificæ pravam conſtitutionem partium inducunt, in qua Morbi natura conſiſtit; (cùm Morbus nil aliud reipſa ſit, quàm Modus Corporis malè ſe habentis); partes verò malè conſtitutæ, atque à Cauſis morbificis affectæ actiones vitioſè edunt, illaſque Symptomata nuncupamus; & quia Cauſæ non tam facilè innoteſcunt, idcircò mediis Symptomatis, ut ſignis, in earum agnitionem ducimur, quæ conſtitutionem naturalem partium depravarunt, & ex diverſa actionum læſione dijudicamus, quænam ſit illarum conſtitutio, quæve Cauſa illam induxerit; cùmque Symptomata non ſolùm denotent præſentem partium conſtitutionem morboſam, ſed etiam futuram prænuncient, fit, ut ex quibuſdam Medicorum obſervationibus, potiſſimùm Hippocratis, nedum præſens, verùm etiam imminens ægrotantium ſtatus exindè coniiciatur.

Tria Symptomatum genera Medici cum eodem Galeno *c. lib. cap.* 2. notant, alterum in Actione læſa; alterum in Excretis, & Retentis vitiatis; tertium denique in mutata corporis qualitate. Verùm morboſam partium conſtitutionem ſola actio læſa conſequitur, à qua deinde dependent tùm excretorum, & retentorum vitia, tùm qualitates corporis mutatæ; itaut ab his Medici arguere poſſint præceſſiſſe læſas partium actiones: nec immeritò; ſicut enim primum ſanitatis inditium ſunt illæſæ operationes, ita morborum læſæ.

Symptomata qualitatis mutatę dixerunt, mutatum colorem cutis, ut in ictero, eriſypelate, ſicut etiam linguæ,

guæ, in febre ardenti, & maligna; voces tremulas, & raucas, aurium tinnitus, ſibilum, ſtridores dentium, ſingultus, ventris rugitus, & murmur; gravem oris, alarum, aut pedum odorem; feras diſtillationes, nimium calorem, vel frigus partium, duritiem, mollitiem, acritudinem, ſcabritiem. Hujuſmodi autem ſymptomata partibus tantummodò ſolidis competunt, adeòque illarum operationum vitium ſequuntur.

Excreta vitiata ajunt, cùm eiiciuntur lapides, arenæ, lumbrici, bonus chylus, ſanguis, aut caro; nec non res putridæ, malè olentes, acidæ, amaræ, nigræ, flavæ, frigidæ, duræ. Similiter cùm fœces per os, lotium per alvum excernuntur, aut egeſtiones intempeſtivè, diminutè, vel immoderatè, pro conſuetudine, & natura, fiunt; ac denique cùm urina guttatim mingitur, vel cum dolore menſtrua expurgantur.

Retenta verò malè affecta, ſi lapides, vermes, & pravi ſucci non egerantur, tùm etiam ſi ultrà tempus, lotium, fæces, menſtrua, & ſimilia retineantur, aut ſi chylus in vaſis lacteis hæreat, ſanguis extra venas, & arterias, & bilis, ſuccuſque pancreaticus extra propria loca conſideant, aut à naturali ſtatu, & conditione recedant; ſic etiam ſi ſaliva, & ſerum cordis abundent.

Ptereà Actiones læſas dividunt in Abolitas, Diminutas, Adauctas, & Depravatas. Aboletur actio in cæcitate, ſurditate, paralyſi. Diminuitur in imperfectis coctionibus, pulſibus debilibus. Augetur in fame lupina. Depravatur demum in omnibus deliramenti generibus.

DE SIGNIS ADVERSÆ *Valetudinis*.

VEluti tota Medicina experimentis debetur, ſic varia ſigna Antiquiores Medici ex obſervationibus deduxere, quibus adverſam valetudinem dignoſcerent, aut præſagirent. Ex iis autem, quorum ſcripta ad noſtra tempora pervenerunt, vetuſtiſſimus quidem Auctor Hipp. 1. *epid. ſ.* 3. hæc habet: *Morbos dignoſcimus edocti ex communi omnium natura, & ex uniuſcujuſque propria, ex morbo, ex ægroto, ex his quæ offeruntur, ex eo qui offert. Ex his enim, & breviores, & graviores redduntur, ex tota ac partiali conſtitutione cœleſtium, & uniuſcujuſque regionis, ex victu, ex vitæ ſtudiis, ex ætate, cujuſque ſermonibus, moribus, taciturnitate, cogitationibus, ſomnis, vigiliis, inſomniis quibuſdam, & quandò, vellicationibus, pruritibus, lacrymis, exacerbationibus, ſeceſſibus, urinis, ſputis, vomitibus, & quæ, ex quibus, in quos, ſucceſſiones morborum, & qui abſceſſus ad perniciem, & ad judicationem. Sudor, rigor, frigiditas, tuſſis, ſternutationes, ſingultus, ſpiritus, ructus, flatus ſilentes, ſtrepentes, ſanguinis eruptiones, hæmorrhoides; ex his autem, & quæ per hæc fiunt, conſiderandum.* Et in Aphoriſmorum libris à ſpontaneis laſſitudinibus morbos imminentes denunciat: A timore, & mœſtitia diuturnis, nec non ex lingua incontinenti, aut aliqua parte corporis ſtupida, delirium melancholicum coniicit: A ſpumoſi ſanguinis ſcreatu, pulmonis affectum: A turbatis urinis capitis dolorem, atque à pellucidis phreneſim: A Cerebri concuſſione, aphoniam: A juvantibus quoque, & nocenti-

centibus morbis causam investigat *lib. de rat. vict. in acutis*.

In libris etiam Judicationum, Prędictionum, Prænotionumque considerari oportere ait, ægroti faciem, si his, quæ in sanis sunt, maximè difformis sit; si color pallidus, niger, aut lividus: si oculi involuntariè lacrymentur, aut pervertantur, aut alter altero minor fiat, aut albas partes rubentes habeant: si instabiles, eminentes, cavi, squallentes, obscuri sint: si palpebris non commissis æger dormiat: si nasus, & labia resoluta appareant, frigida, livida, aut albicantia: si lingua aspera, & resiccata: si vox faucibus hæreat, exilis, & tremula fiat, aut clangorem referat: si obliviosi languentes evadant, subsurdi, soporosi, tremuli: si supini jaceant porrectis manibus, & cruribus, iisdemque nimium contractis, aut inæquabiliter dispersis: si residere velint ob difficilem respirationem: si pedes non admodùm calidos, detectos habere cupiant: si dormientes hient: si ferocia responsa ferant, splendores præ oculis habeant, crebrè, aut rarenter respirent: si ex rigore perfrigerentur, & voce deficiant: si assiduò rigeant: si præter rationem non sitiant: si stillas sanguinis, aut largam hæmorrhagiam è naribus: si diuturnas vigilias, & anxitudines, stomachi morsum, aut dolorem, vomitum variegatum, maximum cibi fastidium, urinæ retentionem, aut spontaneam egestionem patiantur; atque ex his, aliisque innumeris, Morborum eventus prænoscendos proponit.

Speciatim verò in febrientibus mala observavit, ut aphorismis tradidit, frigidos sudores cum acuta febre; frigus partium extremarum; laborem à somno; maciem immodicam; nigram dejectionem; copiosum sudorem, & præsertim qui morbum non solvit; colli, oculorum, labiorum, & nasi contractionem; lacrymas involuntarias; respirationem difficilem, aut subsistentem; stomachi morsum, & circa ventrem æstum; ex somnis timores, aut convulsiones; dolores viscerum vehementes; rigorem, ex quo febris non intermittit; luctuosa suspiria.

Hippocrati etiam inhæsit Celsus; at breviorem in ordinem, quæ ille sparsim scripserat, digessit, *lib. 2. suæ Med.*

Rursùs in libris de Morbis, & internis affectionibus ex delirio, vigilia, in somniis perturbatis, sopore, sensuum hebetudine, coryza, Capitis ægritudines conjectat. Ex tussi, sputo, difficili respiratione, lateris, aut dorsi doloribus, Pectoris. Ex vomitu, nausea, fame læsa, dejectionibus, tumore, vel emaciatione, Ventris.

De pulsibus tamen vix uno, aut altero loco meminit, unde parum his fidere visus est. Hinc Mercuria l. 2. *Var. lect. cap.* 12. inquit, Hippocratem pulsus quidem novisse, sed neque eorum ullam curam gessisse; neque ad Artem, ut alia multa, redegisse. Gal. etiam *3. de Cris. cap.* 11. habet: *omnia ab Hippocrate, exceptis pulsibus, dicta sunt*. Et inferiùs: *Signa ex pulsibus sumpta Hipp. vel quia non noverat; vel quia non magni momenti existimavit, idcircò non est exequutus*. Non alienus ab Hippocrate Asclepiades Prusiensis pulsuum artem ut supervacaneam, & difficilem damnavit. Neque Celsus ullam illorum rationem habuit.

Ad hæc, Galenus addidit, quæ præcipuè ad partes affectas, & ad humores peccantes dignoscendos sibi idonea videbantur, ac proindè *in lib. de loc. aff.* ex læsa ratiocinatione, aut gravi sopore, Cerebrum; ex difficili respi-

respiratione, genarum rubore, aut spongiosæ carnis ejectione per tussim, Pulmonem; ex vomitu, & singultu, ventriculum; ex syncope, Cor; & ex raucedine, asperam Arteriam affici conjectat; ut pariter ex tumore in dextro hypochondrio, Jecur, in sinistro, Lienem, ex pungenti dolore, Membranas, & ex gravanti, Viscera. Et *lib. de plenitud.* & 1. *epid. comm.* 3. & alibi, ex flavedine, aut pallore cutis, oris amaritie, stomachi fastidio, rigore, siti, vigilia, fervore, pustulis, urina crocea, pulsuque celeri, Bilem; ex colore albicante, proclivitate ad somnum, segnitie, cruditate, pulsu tardo, & raro, & urina decolori, copiosaque, Pituitam; atque ex fusco, nigroque colore, habitu corporis hirsuto, pulsu parvo, cæterarumque operationum hebetudine, Melancholiam; ex rubore faciei, venarum tumore, pulsu magno, Sanguinem redundare ait. Signa etiam Criseos futuræ, coctionis, & cruditatis, nec non internoscendorum temporum morborum fusiùs prosequutus est, præsertim in libris de Crisibus.

Præterea pulsibus summoperè addictus, illorum doctrinam sic variam, & intricatam reddidit, metaphysicis differentiis excogitatis, ut imperceptibilis omninò sit, atque ad praxim revocari nullo modo queat; unde Montanus cæteroqui in verba Galeni jurare solitus, ingenuè fassus est in suis consiliis, seipsum longa annorum serie sex tantùm pulsuum differentias observare potuisse: & Plempius *in fundam. Med. lib.* 5. *sect.* 2. *c.* 2. infit, multa Medicos nugari, multaque mente confingere, quæ sensus nequit assequi; ut non immeritò pulsus ab Herophilo primùm descriptus nimiam propter subtilitatem desertus sit, atque Herophilea secta brevi desierit ex Plin. *lib.* 11. *c.* 37. & *lib.* 29. *c.* 1.

Galenum sequuti sunt Avicenna, Rhasis, Averroes, cæterique Arabes, qui tam magnifica de Humoribus Zinariis, Prassinis, Æruginosis, Vitellinis, aliisque jactant.

Neoterici, inter quos Sylvius, VVillisius, Barbette, existimarunt optimi Medici esse morborum causas potissimùm venari, proindè toti fuere in illarum signis investigandis; atque ex siti, lingua arida, diarrhœa, ardore, pruritu, partium irritamento, tum juvantibus acidis acritatem retundentibus, tum acribus nocentibus, Bilem acrimonia peccantem suspicantur; nimis verò oleosam, ex egestionibus acerrimis, calidisque, urina crocea, lingua scabra, arida, & fissa.

Ex acriori famis stimulo, corporis colore nigricante, pulsu parvo, & frequenti, doloribus ventris, juvamine à rebus acribus, & amaris, atque ab acidis noxa, succum lancreaticum solitò acidiorem evasisse judicant: austerum, ex insuetis meticulis, torminibus, alvo styptica, inflataque, pulsu parvo, ac debili: viscosum, tenacemque à fame diminuta, imperfecta secretione, vultu pallido, tactu frigidò, pulsu raro, juvamento ab aromatis, & damno à crudis cibariis.

A mala nutritione, glandularum tumore, imi ventris inflatione, albo cutis colore, seroque in meatibus, seu corporis sinubus consistente, Lympham redundantem. Et denique Fermenta vitiata dicunt à partium functionibus læsis, ut fame, digestione, secretione; unde fœdus cutis color, pustulæ, spontaneæ lassitudines, atrophia, cacochymia, & cachexia insequuntur.

Verùm, plusquàm decuerat graves viros, conjecturis his fisi sunt sive ignorantia, sive imponendi cupiditate

tate ducti. Quis enim adeò est incuriosus, ut proprias urinas non notarit, vesperi, ac mane, diverso colore infectas excerni, semperque flaventiores, quæ diutiùs retentæ fuerint, etsi optima valetudine fruatur. Sæpè etiam observatę sunt per totum morbum benè coloratæ, & cum contentis desideratis, cùm tamen ægritudinem mors exceperit, ut adnotarunt in primis Rhasis, & Avicenna. Et quamvis dicant urinam indicare vitium in sanguine, cum quo assiduè permeat; id haud indubitanter admittitur; immò nuper compertum est per compendiosiores vias à Ventriculo, & lacteis venis in Renes deponi posse. Atque esto, cum sanguine circuitum urina absolvat, qui fieri poterit, ut dignoscatur à quo viscere vitium contraxerit, cùm sic pervaderet ventriculum, vasa lactea, tubulos thoracicos, pulmones, cor arterias, glandulas, renes, ureteres, & vesicam, unde à succis hisce in locis existentibus infici poterit? Neque febrem indicat ex eo, quod rubens, & accensa, ut ajunt, inspiciatur, cùm laborantes diabete, pleuritide, phrenitide, quartana, ventriculi languore, quamvis febriant, tenuem, & decolorem illam mejunt; & contrà icterici, calculosi, scorbutici, veternosi, apoplectici, tametsi febre careant, croceum, crassius, & coloratius lotium egerunt. Ampliùs à ciborum conditione immutari non rarò solet; siquidem ab oleribus, & immodicis potionibus augetur, & decoloratur; ab asparagis, lupulis, apio, cinara turbatur, & malè olet; croco flavescit; casia nigricat; frigore etiam hyemali confundi solet, ut olei speciem referat. Quare ab urinis, sanguinis, arteriarum, venarumque, aut specialis alius visceris labem velle divinare, ineptiarum, & imposturæ suspicione non vacat. Demiror equidem VVillisium tantum huic pudendo Medicorum invento tribuisse, ut peculiarem epistolam eo conspurcare veritus non sit, quo & priùs Actuarius magnum volumen insperserat.

Certiora inditia pulsus observationes non habent, quamvis non adeò fœdè, & per obscenam, turpemque dictu inspectionem, ut sunt urinæ, & his fœdiora, notari possint. Magnus enim, & creber pulsus erit à sanguine vegeto, & abundanti, arterias plurimùm expandente; & contrà ab effœto, & deficiente, Parvus, & Debilis; Intermittens ab eodem concrescente. Hinc à pulsus observatione deprehendetur tantummodò varia sanguinis motio, & constitutio, quarum causa etiam esse possunt cibus, potus, labor, otium, somnus, vigilia, & subitæ Animi motiones: immò plerisque, ipsa natura, pulsus talis esse solet, ut obstet quò minùs hæc certò internoscantur. Longum esset reliquas omnes conjecturas prosequi, & examinare, suffeceritque his densas medicorum caligines discussisse, illosque in suspicionem rei, quæ indubitata à Galenicis, aliisque usque adhuc habita est, deduxisse.

DE TEMPORIBUS Morborum.

A Symptomatis, quæ comitantur, & consequuntur ægritudines, Morborum tempora, seu, ut vocat Galenus, ætates desumuntur, ac distinguuntur. Cùm primis diebus, primisque paroxysmis nec æger graviter laborat, nec ejus vires valdè infractæ sunt, & Symptomata vel nulla, vel levia comparent, Morbus in principio esse dicitur: pervenisse verò in Augmentum succedentibus diebus, cùm graviùs affligitur, & Symptomata,

mata, quæ aderant, exacerbantur, aut nova superveniunt: Et cùm eadem consistunt, Statum tenere existimatur: Cùm denique sensim mitescunt, vel omninò recedunt, Declinatio, & Remissio morbi instant; unde Hipp. 2. *aph.* 30. *Circa principia, & fines omnia sunt debiliora, in augmento verò, & statu fortiora*. Oriuntur autem hujusmodi Symptomatum, & Temporum mutationes à diversa morbificæ Causæ motione, ut etiam adnotavit Galenus *lib. de opt. sect. ad Thrasyb. cap.* 37.

Hæc tempora licèt in omnibus morbis notari possint, evidentiùs tamen in febribus, & potissimùm periodicis, & intermittentibus observantur, quæ utpotè ab excitata in sanguine fermentatione dependentes, à diversis fermenti viribus, conditionibus, & motu, manifestas mutationes, & temporum tum universalium, tum particularium vicissitudines sortiuntur. Certis autem limitibus præfiniri illa nequeunt: ubi enim morbi lenti sunt, & ad longiora spatia porriguntur, hæc eadem tempora prorogari par est, atque etiam corripi, in morbis acutis; unde ægritudinum motus, ac impetus observandus erit.

DE CRISIBVS, ET DIEBVS *Criticis*.

SUbitæ in morbis mutationes ad salutem, vel mortem à notabili causæ morbificæ motione, evacuationeve pendentes, Crises, seu Judicationes à Medicis appellantur. Has autem, ut salutares sint, ajunt, subitò accidere oportere, quibusdam diebus præsignari, ac tandem, prævia materiæ coctione, statuto die critico compleri, peccantis humoris expulsione, vel saltem in partes ignobiles depositiones, quam Abscessum, & Decubitum appellant.

At si verum fateri velint, qui Medicinam faciunt, nonnisi rarissimè hujusmodi subitas motiones, & crises observari affirmabunt; cùm sæpissimè morbi, eorumque causæ sensim deficiant, ac evacuatione paulatim habita terminentur, ut propterea Solutiones potiùs, ut loquitur Gal. 3. *de Cris.* 1. quàm veræ Crises dicendæ sint. Has tamen, & præcipuè narium hæmorrhagiam, sudorem, reliquasque egestiones, quæ subitò morbificam causam tollere possunt, in brevibus, & acutis potiùs, quàm diuturnis morbis evenire debere ratio suadet.

Salutares autem Crises fieri putantur in septimo, decimo quarto, vigesimo, aut vigesimo primo, vigesimo septimo, aut vigesimo octavo, trigesimo quarto, aut quadragesimo, quos vocant Decretorios; prædemonstrari verò in quarto, undecimo, decimo septimo, vigesimo quarto, trigesimo primo, & trigesimo septimo, quos Indices appellant. Quòd si non in his, sed in aliis diebus morborum mutationes contingant, malæ creduntur; adeò ut dixerit Hipp. 4. *aph.* 61. *Febricitans, nisi diebus imparibus*, quos Galenus interpretatur crisimos, *febris reliquerit, solet recidere*; id quod de sudoribus etiam scripserat *textu* 36.

At satis mirari nequeo Hippocratem Medicinæ parentem, & cordatum alioqui virum tantam Criticorum dierum rationem habuisse, ut quoslibet ægrotantium motus ad certos dies retulerit: cui Galenus nedum inhæsit, sed superstitiosè magis, atque aniliter, quàm physica, constantique ratione rem tractavit, & à Lunæ motibus illorum causas deducere conatus est: deerat hoc scilicet Medicinæ, ut ab Astrologia suppetias peteret: & non erubuit, sophistas appel-

appellare eos, qui inanem sophistarum sapientiæ ostentationem aspernati sunt, cùm vel ex ipso Hippocrate illorum vanitas colligi possit. In omnibus namque diebus is Crises accidisse testatus est. Refert enim 1. *epidem. sect.2. constit.3.* nonnullos morbum invasisse, & judicatum esse die uno, velut Evagonti Daipharsis filio accidit. Sudore etiam judicatos quosdam memorat statim ab initio 2. *epidem. sect.3.* In catarrhis, & distillationibus pluries visæ sunt febres optimè judicatæ die tertia; Sic Timochares ex distillatione, hyeme, tertia die evasit sanus per sudorem 5. *epid. & cit.* 1. *epidem. sect.* 2. *const.3.* Ex recidiva, quidam morbi tertia die judicati sunt. Desiit quoque Apemanto morbus in tertia, 4. *epid.* Mulier morosa *ægra* 11. 3. *epidem. sect.* 3. tertia die judicata est multo sudore, & mensibus erumpentibus.

1. de dieb. decret.

Quartam diem, licèt Galenus seipsum semel, & Archigenem bis tantùm Criticam vidisse dicat; non diffitentur tamen alii se observasse sæpiùs finitas in quarta die ęgritudines. Pericles namque *ægrotus* 6. *sect.* 3. 3. *epidem.* quarta judicatus est. Alius ex his, qui à Leocyde venerat, septima judicatus est: alius, quarta: Moschus, nona, 4. *epidem.*

De Quinta die idem pluries fatetur Hippocr. 1. *epidem. constit.* 3. & Metonem *ægrotum* 7. 1. *epidem.* sudore quinta die judicatum esse testatur.

Sextus dies cæteroqui Tyranno iniquè comparatus, & perniciosissimus creditus Galeno, inter Criticos tamen Hippocrati numeratur 1. *epidem. sect.* 3. his verbis: *Est autem primus decretorius circuituum, qui diebus paribus judicant, quartus, sextus, octavus, decimus, decimus quartus, vigesimus octavus, trigesimus, quadragesimus octavus, sexagesimus, octogesimus, & centesimus vigesimus*; quinimmò Criticus fuit Virgini Larisseæ *ægræ* 11. *sect.* 3. 3. *epidem.* & Euryanactis filiæ *ægræ* 6. 3. *epidem. sect.* 2. quæ sexta die à febre libera judicata est. Heraclidi item 1. *epidem. sect.* 3. etiamsi ante septimum morbo regio correptus fuisset, proficuus tamen is fuit, nec non Epigenis fratri natu majori, & Adolescenti cuidam 4. *epidem.* Addit etiam ibidem: *omnia in his temporibus sexta, & octava judicabantur circa Plejadum occasum.*

Septima dies omnibus Critica habita est, immò Criticorum omnium basis ex Galeno in suis libris *de dieb. decret.* atque eadem terminatos morbos sæpè memorat Hippocr. *cit.* 1. *epidem.* Et mulier, cui sanguis ex naribus erupit quarta, sexta, & septima judicata est 4. *epidem.*

Octava non solùm inter Criticas recensetur *c.* 1. *epidem. sect.* 3. sed & 4. *epidem.* dicitur: *Qui Asinum ex pacto elevavit tertia, & quarta, & quinta, & septima, & octava sanguis erupit, & judicatus est.*

De Nona superiùs meminimus, quæ inter impares Criticas refertur ab Hippocrate 1. *epidem. sect.* 3.

In Decima die Pythion *æger primus*, 1. *epidem.* sudavit, & judicatus est; deinde ex suppuratione circa sedem, quadragesima sanatus est.

De Undecima hæc scribit Hippocr. 1. *epidem. const.* 3. *Circa Arcturum autem multis undecima die judicatio facta est.* Et inferius: *Judicabantur autem his plerumque die undecima, quibusdam vigesima.* Et circa finem: *Quibusdam verò morbus judicabatur die undecima.*

Duodecimum ipse etiam Galenus pro Critico habet, & *lib.* 1. *de dieb. decr. cap.* 5. inter dies Criticos, octavum,

vum; decimum, duodecimum, decimum sextum, & decimum nonum numerat. At quoniam Hippocrati octavus, & decimus perfecte Critici sunt, plane; & eodem modo Decretorii erunt duodecimus, & decimus sextus.

Decima tertia, decima quarta, decima quinta, & decima sexta judicatos pariter legimus. Sic 4. *epidem.* qui juxta Medosadæ ædes habitabat judicatus est circa decimam quartam. Et 2. *epidem. sect.* 2. Hieroni judicatio facta est decima quinta die, ut cæteros prætercam.

Decimam septimam, & decimam octavam Criticas pariter iidem putarunt 4. *aph. t. comm.* 36. 1. *epid. sect.* 3. *&* 1. *de dieb. decr. cap.* 13. dicitur etiam 5. *epid.* *Undecima, & decima quarta, & decima septima, & vigesima judicabantur*, & ex Galeno 1. *epidem. comm.* 2. *tempest.* 3. *tex.* 85. *Nonnullis judicabatur undecimo, repetebat quartodecimo; judicabatur exacte octavo decimo.*

Nec desunt qui decimam nonam, vigesimam, & vigesimam primam Criticas experti sunt. Mulieri ex capite fortiter gravatæ judicatio facta est circa vigesimam; sicut & Olympiodori famulæ, aliisque accidit ad vigesimam 4. *epidem.* Cherion *æger* 5. 3. *epidem:* vigesima sanatus est; cum circa decimam nonam à febre liber evaserit. Ita alii plures.

Vigesima secunda, vigesima quarta, vigesima septima, trigesima prima, trigesima quarta, quadragesima, sexagesima, octogesima, centesima, centesima vigesima plurimi etiam à Morbis evasere, ut Polycrates 7. *epidem.* Nicodemus *æger* 10. 3. *epidem. sect.* 3. Virgo Abderitana *ægr.* 7. 3. *epidem. sect.* 3. Anaxion *ægr.* 8. *ejusdem libri*: Qui in Dealcis horto decumbebat *ægr.* 3. 3. *epid. section.* 1. aliique apud Hippocratem. At reliquis diebus colligendis abstineo, cùm tædeat ampliùs his nugis immorari, quas in dies Experientia ipsa patefacit; Unde vanam dierum Criticorum observationem notavit etiam Celsus *lib.* 3. *cap.* 4. Asclepiadem sequutus, & tandem concludit, Medicum non debere numerare dies, sed ipsas accessiones intueri.

DE METHODO MEDENDI.

Medicinæ Pars canones tradens labefactatæ sanitatis reparandæ, tuendæque, à Medicis dicitur Methodus, sive Ratio, qua per Indicationes remedia inveniuntur. At quia non omnes eandem in illis investigandis, curandisque morbis tenuere, propterea præcipuas memorare non gravabor.

DE METHODO GALENI.

Galenus per Indicationes petitas à morbis, morborumque causis, & symptomatis, salutaria præsidia inquirit. Cùmque Humanum corpus, in cujus gratiam hæc omnia peraguntur, vel sanum, vel morbosum sit; primarum Indicationum differentias duas esse ait 3. *Meth. cap.* 3. *Quod secundùm naturam se habet, custodiam sui indicante, & propterea quæ similia sui sunt postulante; quod præter naturam est, sublationem sui, eoque contraria requirente.* Hinc Indicationem definivit, *Comprehensionem juvantis simul cum comprehensione nocentis sine observatione, aut ratiocinio.* Vel, *sequentis, sive agendi insinuationem.* Quæ secundùm Naturam sunt, suique custodiam indicant, intelligit membra, vires, operationes, temperamenta, habitum corporis, ætatem. Præter

Lib. de opt. sect. ad Thrasyb. c. 11. & 2. method. c. 7.

natu-

naturam verò, suique amotionem postulantia, morbos, causas morborum, & symptomata.

Cùm autem agenda vel Sanitatem tueantur, vel Morborum causas depellant, idcircò conservationem per similia, curationem verò per contraria tentandam esse ait. Pro conservatione sanitatis potissimùm requirit congruum Aerem, Cibum, & Potum, Motum, & Quietem, Somnum, & Vigiliam, Egestionem, & Retentionem, atque Animi pathemata. In curatione verò nedum hæc, sed etiam phlebotomiam, hirudines, cucurbitulas, frictiones, ligaturas, emplastra, & similia adhibet; nec non medicamenta cathartica, vomitum moventia, diuretica, & alia hujus generis pharmaca.

In curandarum ægritudinum Indicationibus, tanquam rei Medicæ maximè necessariis, non solùm præsens sit oportet, quod præter naturam est, seu Indicans præter naturale dictum; verùm etiam Coindicantia, cum absentia Contraindicantium. Coindicantia vocat Galenus 13. *Meth. cap.* 16. Virtutem, Naturam, Ætatem, Anni tempus, Regionem, & Consuetudinem, & si quæ sunt id genus alia; Contraindicantia verò, quæ his contraria. Quoties igitur adest unum, vel plura simul, aliquod remedium indicantia, atque simul extant tolerantia, seu idem permittentia, & absunt, quæ contrarium indicant, tunc ait omninò remedium illud esse adhibendum. Cùm verò duæ simul ægritudines contraria expostulantes remedia complicantur, urgentiori obnixè incumbit, nec tamen alteram prorsùs negligit, nisi minùs urgens causa fuerit urgentioris, unde hæc curari ante illam nequeat, aut saltem curationi majoris impedimento sit. Cæterùm quamvis 2. *Meth. c.* 6. dicat primam curationem, quam etiam nonnulli continentem appellant, affectus esse, qui actioni incommodat; servato tamen ordine causarum, morborum, & symptomatum, ab amotione causarum curationem in omnibus morbis inchoandam esse docet 4. *Meth. c.*4. & iterùm 7. *Meth. c.* 12. & *lib. de opt. sect. ad Thrasyb. c.*25.

DE METHODO PARACELSI, & Helmontii.

PAracelsus, ut suprà diximus, omnia causarum, morborumque genera ad quinque capita revocavit, Deum, Angelos, Astra, Naturam, & Venena; quo circa quemadmodùm ab his morbos universos humano generi immitti contendit, ita & curationes eorundem, iisdem causis, vel placatis, vel remotis, haberi opinatur. Hinc Paracelsistæ sanitatem conservandi, exaltandique, vel si fortasse illa amissa fuerit, restituendi gratia, rebus prædictis occurrunt.

Et Primò, jubent Deum continuò esse colendum, ipsiusque leges servandas, atque adeò à peccatis omnibus abstinendum, & ab illis præcipuè, ob quæ experimur Deum meritò iratum morbosas plagas in homines immittere.

Secundò, Angelos exorandos, & præsertim tutelares, ut malorum Angelorum vim, quos multoties veneficorum, & sagarum ministerio morbos parere credunt, infringant. Præterea suadent, ut innocuè vivamus, nullique hominum, etiam ex abjectissimæ plebis genere, noxii simus, quibus aliquandò cum damnosissimo Dæmone commercium esse existimant, irritatisque facilè ab eodem auxilium petentibus impertiri, in gravem infensorum perniciem.

Tertiò, Constellationes observan-

das esse præcipiunt, putantes nempe sic malignos siderum influxus vitari posse, quibus plerumque ægritudinum causas attribuunt. Commendant pariter Regionis, Aeris, Alimentorum, quæ ad sanitatem, vel conservandam, vel recuperandam conferunt, congruentem electionem.

Quartò, Actiones cunctas sic dirigendas monent, ut ex illis nulla noxa, sed potiùs juvamen, & oblectamentum exoriatur, atque effugiamus cæterorum insidias, unde Venena non rarò exhibita perhibent.

Inductis autem Morbis occurrunt, amovendo causas, à quibus illos fieri, vel foveri putant, quapropter ad tollendos Deales præcipiunt, ut omni conatu placemus Deum, potissimum mediis illis, quæ Catholica Ecclesia edocet: hoc enim pacto non solùm à Deo, sed etiam à Dæmone inflictos fugari ajunt.

Quoniam verò, quæ de Incantationibus, Imaginibus, Signaturis, Sigillis, Characteribus ad hos morbos pellendos aliqui jactant, omninò vana, futilia, & superstitiosa sunt, ab his cordatiores Paracelsistæ abstinent. Neque Paracelsus revera aliquam his vim inesse credidit, sed tantùm hoc pacto Imaginationem, unde Animi pathemata, quibus Morbi nonnunquam feliciter terminantur, movere studuit. Hinc est, quòd Rustici, Mulierculæ, Monachi, Juristæ, & vulgares Philosophi, ac Medici, quandoque à morbis, medicamentis alioqui inefficacibus, liberantur, sola fiducia, quam maximam illis adhibere solent; quod veris Philosophis non accidit, qui parùm Medicis, & Medicamentis fidunt. Mendacii tamen, & imposturæ minimè arguendus est Paracelsus, quòd futilia remedia pro efficacissimis ægris pręponat, cùm, si ab Imaginatione vehementi talia apprehendantur, plurimùm juvare in dies experiamur, immò meo judicio Medici prudentię id verti potest; dummodò ea efficacibus remediis locum non eripiant.

Ad hæc referri possunt curationes Transplantatoriæ dictæ, cùm ex ægroto in aliud animal, vel etiam in quodcunque inanime corpus morbus transplantari, & transferri credatur, de quibus agit Severinus Danus, & passim referuntur historiæ à Borello in suis centuriis, & à Medicis German. *in Ephemer.* cæterisque.

Neque his tantùm insistunt Paracelsistæ in morborum curationibus, sed præterea alia efficacia remedia exhibent ad causas morbificas expellendas. Potissimùm verò utuntur iis, quæ Balsamum, ut ipsi vocant, vitale fovent, unde refectis viribus sponte sua morbificæ causæ deficiant, & sanitas restituatur.

Ab hac Methodo non multùm Helmontius recedit, qui præterquam quòd ad Deum, sidera, cæterasque causas morbos referat, unde illorum curationes petit, præcipuè studet roborando, placandove Archeo, causæque occasionali, ut ipse loquitur, removendæ: Hunc enim primum, & præcipuum opificem omnium operationum, & Morborum Authorem statuit, cùm suscepto idolo causæ morbificæ, indignatur. Arcana quædam remedia adhibet, chymica præsertim arte parata, inter quæ extollit suum catholicum medicamentum, ut omnibus morbis profligandis idoneum.

DE METHODO VVALÆI.

IN sua methodo VValæus tria sibi proponit, causarum sublationem, depulsionem morborum, & symptomatum mitigationem. Convenit autem

tem

tem cum Galeno, quòd maximè incumbat causarum amotioni, si tamen eæ cognitæ sint; sin minùs à cognitis orditur, & ab eo, quod magis urget, sive sit morbus, sive symptoma. Ex causis verò, quas tres esse ait, Procatarcticam, Antecedentem, & Continentem, vult Procatarcticam, vel tollendam, vel emendandam; Antecedentem, & Continentem in humoribus, vel spiritibus vitiatis existentes, omninò tollendas purgatione, sudorificis, diureticis, ratione tamen habita virium, paroxysmorum, temporum, &c. Symptomata etiam mitiganda semper monet, quoniam nil iis ægro molestius, nisi tamen quæ pro symptomatis mitigandis adhibentur, sanitatem lædant, aut causæ morbificæ evacuationem impediant, cujus rei exemplum petit ab usu opii; quod in vigiliis, & doloribus exhibitum, causarum expulsionem remorari poterit.

Præcipuos curationum canones ad quatuor reducit, quos latè prosequitur Fridericus Hofmannus *in sua Methodo*, primùmque investigat num curatio sit instituenda, consulitque Medicos, ne curationes morborum, quos immedicabiles norunt, aggrediantur; nec in declinatione, præsertim cùm crisis imminet, remedia exhibeant, spernantque medicamentum, quod æquale, vel majus damnum esset allaturum: sic varices, & ulcera, sponte in cruribus enata faciliùs tolerari, quàm temerè curari inquit. Insuper monet auxiliares manus esse præstandas, cùm ægrum ope Medica juvari posse constiterit, illumque suasu Hippocratis prius interrogandum, *quid ei doleat*, *qua causa*, *à quot diebus*, *an alvus secedat*, *& quo victu utatur*. His enim perspectis facilè morbum, ejusque causam, & partem affectam dignosci,

Lib. de affect.

necnon ægritudinis statum, & durationem coniici ait; unde ea peragantur quibus citò, tutò, & jucundè causæ auferri, symptomata mitigari, febrilium fermentorum secretio promoveri, & vires servari possint. Consideranda postremò suadet ægroti temperiem, consuetudinem, ætatem, sexum, anni tempora; etenim quæ ab assuetis tolerantur, cæteris non sine damno exhibentur, & quæ viris, aut juvenibus conveniunt, fœminis, puerisque noxia esse solent; nec eadem singulis tempestatibus proficua semper observantur; ut apud eundem Hofmannum fusiùs est legere.

DE METHODO, QVA REguntur nostris temporibus, qui se Galenicos jactant.

ADeò à Galeni methodo, & Veterum præceptis nostrates Medici, paucissimis exceptis, recessere, ut vix Galenici appellari mereantur; unde in peculiarem classem eorum Methodus mihi referenda visa est.

In omnibus cujusque generis ægritudinibus hunc morem statuta invariabilique regula servant. Primis diebus, statim ac fuerint accersiti clysterem infundunt ex decocto communi, vel ex jure pulli cum melle, & oleo viol. deinde sanguinem mittunt; sequentibus diebus, vulgaribus syrupis de oxysaccharo, boragine, violis, humores præparant, & alterant, atque interim, si calor persistat, & urinam inspiciant rubentem, (accensam illam dicunt) refrigerantibus potionibus insistunt, ac phlebotomiam repetunt, cùm pulsum elatum percipiunt; sin secùs, affigunt hirudines venis sedis; Urina verò decolorata apparente, pharmacum exhibent ex manna, syr. rof. sol., diatar-

taro, cremore tartari, saccharo rosſ. persic., elect. rosſ., aqua solutiva, angelica, & similibus, pro libitu: Mox si fortasse, ut facile est, symptomata ingravescant, malignitatem jam detectam vi medicamenti proclamant, & illicò cucurbitulas cum scarificationibus, & Vesicantia, summa præsidia, ut ajunt, applicant, nec non epithematis, lapide Bezoar, Margaritis, & Smaragdis præparatis cordi succurrunt, & penè totam Indiam orientalem, & occidentalem exhauriunt, ut undique malignitatem invadant, quod plerùmque solis Pharmacopolis maximo lucro cedit. Si malo fato in soporem æger prolabatur, capillos aqua ardente conspersos primùm cremant, mox sartaginem ignitam vertici apponunt, vesicantia renovant, arctis ligaturis extremas partes cruciant, per collum cauteriatum resticulam traiiciunt, res summè fœtidas naribus admovent: Certè istis

Horat. epist. 1. 1. ad Loll. *—— Siculi non invenere Tyranni*
Majus tormentum.

Si in delirium inciderit, ludibrio miserum ægrotantem exponunt, frigidos pepones dissecant, & excavatos in morem galeæ capiti imponunt, his ranæ succedunt, deinde galli, pipiones, catelli.

Si verò morbum protrahi contigerit, enemata singulo mane immittunt, medicamenta purgantia pluries repetunt; mox decocta, & juscula alterata ad plures hebdomadas propinant, interjectis syrupis magistralibus; postmodùm quia ab usu horum remediorum putant jecur excanduisse, aut salvatellam incidunt, aut hirudines mariscis affigunt, & cauteriis brachia, & crura sæpissimè simul inurunt; tandem ineunte æstate ad balnea, & sudatoria ægros amandant, nihilque his proficientibus, aeris mutationem suadent.

In victus ratione præterea se uniformes semper gerunt; etenim, sive morbi calidi, & acuti, sive frigidi, & chronici putentur, manè contusum, & carnes gallinaceas cum oleribus, boragine, endivia, cichorio præcipiunt; vespere verò consumptum ex iisdem carnibus, cum hepate, & ventriculo pulli gallinacei asso exhibent, atque statim à cœna thyrsum lactucæ conditum, conservam florum boraginis, aut cucurbitarum, & hujùs generis bellaria concedunt cum haustu aquæ, vel simplicis, vel scorsoneriæ, hordei, capillorum Veneris. A vino abstinent, veluti rabidi ab aqua, & vix, urgentibus ægrotis, illius cyathum permittunt pro stamocho, sed perquàm benè diluti, ne jecori obsit.

Intereà frictionibus, cucurbitulis, unctionibus non parcunt, & si fortasse aliquis dolor superveniat, dolentem partem assiduo oleo amygdalarum dulcium inungunt; si verò venter doleat, rete castrati calidum insuper addunt.

Quòd si à diuturnitate ægritudinis æger tabidus appareat, & summo marcore consumptus, præter unctiones totius corporis cum eodem oleo amygdalarum dulcium, balnea aquæ dulcis domi præcipiunt, vel ad nostrum Sebethum illum demandant: Lac Capræ, aut Asinæ nigræ, vel serum ad plures hebdomadas exhibent, mannam interiiciunt, clysteres ex lacte, jusculo pulli gallinacei, aut vervecis, & oleo amygdalarum iniiciunt, consumpta duo, vel tria nocte præscribunt, præsertim ex testudine, vipera, cancris fluviatilibus, limacibus: addunt pimpinellam, cichorium, melissam, hepaticam, endiviam, boraginem, cucurbitarum, peponum, & cucumerum semina,

reſque omnes, quas putant frigidas, humidaſque, exhibent: Renes, & Jecur unguento roſ. & ſantal. inunguntad illorum intemperiem calidam retundendam. Poſtremò, quos inefficacibus remediis vexarunt, faſcino, veneficiiſque affectos proclamant, atque Monachis, & Vetulis committunt. Pro coronide demùm minimè prætereibo, quòd quamvis ſatis rudes, & imperiti hi Medentes ſint, plerique tamen hominum inſcitia longè illos ſuperant, quoniam etſi occiſos ęgrotos ante oculos habeant, Medicos prædicant, præ nimia ſapientia id effeciſſe, & ideò, quia inſueta, & ingentia remedia tentare ſunt auſi.

DE EXPERIENTIA, RATIOne, & Analogiſmo.

IN exquirendis remediis Experientia primum locum ſibi vindicare videtur. Etſi enim Ratio maximi momenti ſit, ſi tamen illi Experientia refragetur, pro vera non erit habenda. Sunt igitur ambæ ita conjunctæ, ut nullo modo ſeparari queant; unde meritò Gal. dixit eſſe duo crura, quibus Medicinæ corpus firmatur: ſi itaque Ratio aliquid ſuadeat, quod Experientia reiicit, omninò ſpernenda eſt, & alia potior quærenda.

Sic Galenicis ratio dictare videtur curationem in Morbis per contraria peragendam eſſe; Paracelſiſtis verò per ſimilia. Illi ducuntur authoritate Hippocratis *lib. de flatib.* dicentis: *Contrariorum contraria eſſe remedia*. Subduntque ex Ariſtotele 1. *de gener. & corruption. text.* 49. *Quæ neque contraria, neque ex contrariis ſunt, ſe mutuò non extrudunt*: Hi verò, quoniam putant ſimilibus Naturam, quæ morbos ſimul, & cauſam morbificam debellat, juvari, atque ægritudinum cauſas à ſimilibus vinciri, & educi, eo ferè modo, quo ſmegmate ſordes, & oleum è pannis educuntur, ſimilibus curationem abſolvendam ajunt; quinimmò Helmontius ita contrarietatem omnem Naturæ ademit, ut illam dixerit contrariorum neſciam.

At Experientia utriſque repugnat, qua edocemur neque contrariis, neque ſimilibus morbos curari, niſi tamen nomine ludamus, cùm contrarietas, & ſimilitudo in rebus, ſi qua eſt, nil conferat ad illorum curationem. Experimur enim plerumque morbos ſinere tum ſimilibus, tum contrariis putatis medicamentis, tum quoque iis, quæ neque ſimilia, neque contraria dici poſſunt. Sic Renum dolorem à calculis inductum iiſdem calculis propinatis, ovorum teſtis, ſucco limonum, & non rarò elixire ex cancris, & ſpiritu vini parato tolli videmus: In febribus potus aquę gelidæ, ſpiritus chalcanti, ſicut etiam piper, centaurium, abſynthium, gentiana, in vino exhibita profuiſſe referuntur: ſitim ſedant pariter aqua ardens, aqua gelida, immò etiam calida, itaut conſtans medendi methodus per contraria, & ſimilia nullo pacto tradi poſſit. Quæ igitur præcipitant, aut compeſcunt fermentum febrile, febris cauſam tollunt, non autem quia ſimilia, aut contraria. Habita eſt hæc contrariorum, & ſimilium ratio à Philoſophis qualitates reipſà adſtruentibus, unde Medici his ægritudinum curationes fieri credidere: at qua ratione non video. Si enim per contrarias qualitates curatio abſolveretur, vel majoribus, vel minoribus viribus adverſùs Morbum illæ pugnarent: ſi majoribus, alter morbus, & ſanè deterior inferretur; ipſeque Gal. 2. *de Art. Cur.* vituperat uſum immodicè refri-

gerantium in inflammationibus, reprehenditque eos, qui maximis refrigerantibus, & humectantibus erysipelata curare nituntur; & Hipp. 2. *aph.t.*51. ait, *Plurimùm, atque repentè evacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, sive quovis alio modo corpus movere, periculosum: omne enim nimium Naturæ inimicum.* A minoribus nihil sperandum, cùm ex ipsis, *omnis actio physica sit à proportione majoris inæqualitatis:* Et *nullum subjectum intensa qualitate præditum à contrario remisso,* ut ajunt, *pati possit.* Neque ab æqualibus subsidium petendum est, quoniam inter æqualia actio nulla intercedere dicitur. Adde, quòd nullus unquam hanc virium æqualitatem aurificis statera examinavit.

Arist. 7. phys. c. 5. & lib. de mot. Anim. Averr. 4. phys. comm. 71. Conimbr. 1. de Gener. & Corr c. 9. q. 2. art. 1. & quæst. 3. art. 4.

Nec dicant posse actionem inter æqualia intercedere, cùm scilicet Natura in partes remedii venit, quod deinde efficacius redditum morbum eliminat, qui solus jam contra duo resistere nequit. Siquidem si licebit rebus inanimis judicii tantam vim tribuere, quantam plerique Medentium non habent, advocabit etiam morbus symptomata, & causas, quæ sibi adversùs conjuratos hostes auxiliares manus præbeant.

Atque hinc est quòd peritiores Galenici difficultatem medendi per contraria agnoscentes, explicarunt nomine contrarii nedum se intelligere contrarias Peripateticorum qualitates, verùm quidquid morbum expellere valet, quamvis illi simile, & ejusdem naturæ sit, cum Paracelsistis convenientes. Itaque licèt crediderint rhabarbarum cum febre in calida qualitate convenire, illi tamen contrarium appellare veriti non sunt ex eo, quia causam febrilem educere posse sunt arbitrati. Fluxum etiam fluxui, & Vomitum vomitui contrarium dixere, quia Vomitus, & Fluxus remediis illos magis moventibus curari putarunt; ut & Tetano aquam frigidam, cujus profusione illum solvi ait Hipp. *aph.*5. *t.*21.

Neque majoris momenti rationibus effatum illud fulciunt, quo similia similibus conservari inculcant, quippè qui quatuor conservationis modos in Scholis agnoscunt, quos vocant per *Manutenentiam; per similis Additionem; per contrarii Remotionem; & per ejusdem Impeditionem.* At re benè perspecta, primus modus solius Dei est, non Medici. Secundus in Medicina facienda, ipsis asserentibus, locum non habet, *cùm simile in simile non agat.* Posteriores modi illorum axiomati non cohærent: contraria enim removere, aut impedire, non est, similibus juvare, ut sibi falsò persuadent. Et quamvis in Galenum referant, quòd dixerit, Conservationem à similibus haberi; is tamen *lib. Art. Med. cap.* 85. *& sequent.* hanc nonnisi temperatis omninò naturis, quæ vix mente à Medicis concipiuntur, convenire, in reliquis verò per contraria exerceri debere docuit: Atque *in comment.* 2. 3. *libr. aph.* rationem reddens quare *Naturarum aliæ quidem ad æstatem, aliæ verò ad hyemem, benè, malève se habeant,* ait: *Ad æstatem quidem, frigidæ, & humidæ naturæ optimè afficiuntur; ad hyemem verò calidæ, & siccæ; sicuti etiam malè afficiuntur calidæ, & siccæ ad æstatem, frigidæ, & humidæ ad hyemem.*

Hinc patet, Rationem falsitatis esse suspectam, nisi ab Experientia probetur. Prudens igitur Medicus non sola ratione erit contentus, sed potissimùm experientiæ sit addictus, siquidem ex Celso *in proœmio,* ad ipsam curandi rationem nil plus con-

fert

fert quàm experientia. Unde *Manil.* 1. *Aſtr.*

Per varios uſus artem experientia fecit,
Exemplo monſtrante viam.

Prætereà ſumma ſolertia Naturæ veſtigiis inſiſtet in remediis inveſtigandis, itaut quibus mediis eamdem morbos pellere niti noverit, iiſdem ipſe utatur, non autem contrariis, quæ potiùs Naturam impediunt, ac diſtrahunt, quàm juvent. Hoc etiam ſubolevit Hippocr. *aſſerenti lib. de Arte prope finem*: *Natura ſtimulata, & impulſa Artis peritis, quæ facienda ſunt, demonſtrat: cogit autem partim coalitum in nobis calorem, pituitam per ciborum, ac potuum acrimoniam diffundere, quo intelligat quid ſibi viſum ſit de illis, quæ ut viderentur, ipſa machinata eſt, &c.* Et Galenus addit *lib.4. meth. med. cap.6.* ad mentem ejuſdem Hippocratis: *Poſt hæc autem ſi verba, quæ in lib. de ulceribus ab eo ſunt ſcripta, tùm quæ in aliis omnibus libris ſæpè propoſuit, recorderis, debere ſcilicet imitatorem eſſe Medicum non tantum Naturæ, ſed etiam eorum, quæ, cum ſua ſponte veniunt, conferunt.* Et *lib. 9. de decr. Hipp. & Plat. cap.* 8. ſubdit: *His judiciis uſus Hipp. hæc verba ſcripſit: Erudita Natura eſt, licèt rectè facere non didicerit: & alibi: Naturæ, inquit, morborum Medici ſunt: eodem modo ſe habet, & illud: Natura ſufficiet prorsùs. Vocat autem ipſam juſtam interdum, Medicum miniſtrum, imitatoremque ejus eſſe ait, & ſemper in peculiaribus tractatibus vim ejus celebrat, atque admiratur.* Hæc Galenus.

Itaque cùm obſervemus in morbis Naturam ſuſcitato calore fermentationem in ſanguine promovere, ut ſecretis, quæ in ipſo impura erant, & morbos fovebant, excretiſque per ſudorem, aut urinam, ſanguis defæcatus relinquatur, & malum deſinat, à calidis etiam opem ſperare oportet, quæ ſcilicet ad fermentationem citò ſolvendam faciant; non autem à frigidis, quæ illam impediunt, & morbum in longum protrahunt, quamvis ægris gratiſſima ſint, & fervorem febrilem compeſcere videantur, quo ſolo morbificam cauſam Natura expellere nititur. Simile quid experiri licet in muſto, in quod ſi calida aqua iniiciatur, fermentatio promovetur, & quàm citiſſimè ſecretis fæcibus illud clareſcit in vinum, ſi verò frigidam immiſeris, tantùm abeſt, ut fermentatio ceſſet, ut potiùs ad plures dies protrahatur.

Similiter quia in inflammationibus Naturam calore excitato reſtagnantem ſanguinem exſolvere, & per poros, ſive per alios ductus commodiores extrudere animadvertimus, remediis idem promoventibus illa juvanda erit. Sic Eryſipelata vini ſpiritu celerrimè diſcutiuntur, & majus præſidium in Pleuritide, Angina, Peripneumonia, cæteriſque non invenimus, quàm Elixir proprietatis, hirci ſanguinem, & quæcumque diaphoreſim adjuvant. Confirmant idem Catarrhi, Podagræ, Arthritides, Convulſiones, Paralyſes, quæ citiſſimè ſolvuntur ſuperveniente febre, quam ſi frigidis remediis ſedare contendant plerique imperitorum Medicorum, mala longiora, & deteriora efficient. Sic omnes, qui ſine febre morbi ſunt, longiſſimi eſſe ſolent; atque hinc etiam deterius malum ægro inferri nequit, quàm ſanguinis detractio, unde vires conteruntur, & calor naturalis imminuitur, à quo ſolo ſalutis ſpes eſt. Conſimilis detrimenti cauſa ſunt victus humidus, ſyrupi refrigerantes dicti,

unctiones frigidæ, & hujus generis potiones, præsertim abundantiores, & importunæ. Quare solis digerentibus, & dissolventibus, ac leniter per vias à Natura indigitatas, educentibus, utendum, ut sine ulla virium diminutione, potiùs vitium inductum corrigatur, aut auferatur, quàm succi plerùmque nutritii, & sanguinei educantur.

Cæterùm in Morbis, in quibus Natura consopita videtur, & nihil contra morbum moliri, opus, & labor est illam excitare aromatibus, tincturis, spiritibus, elixire, aliisque hujusmodi, quibus causa morbifica discutiatur, & sanguis vividior redditus eidem Naturæ adjumento sit; ut in apoplexia, comate, lethargo, quos spiritu sanguinis, elixirive propinatis non semel solutos vidimus.

In Morborum autem initiis, cùm vires constant, si quid molestum in ventriculo, adjunctisque visceribus percipiatur, levis aliqua evacuatio tentari poterit; quinimmò & cibus parcior indicendus, præsertim in acutis, eòque magis, quò vigor, & status instat 1. *aph.* 7. & 10. In augmento, & statu melius erit ab omni medicamento evacuante, vires infringente, & secretionem, coctionem, seu præcipitationem impediente abstinere 2. *aph.* 29. ideòque per id tempus solùm exhibenda erunt ea, quæ prædictam digestionem, secretionemque promovere, atque sudorem, urinam, aliasque convenientes egestiones ciere valent. In declinatione etiam ab omni opere vacandum, monente eodem Hipp. 1. *aph.* 20. *Quæ judicantur, & judicata sunt integrè neque movere, neque novare aliquid, sive medicamentis, sive aliter irritando oportet.* Morbi enim ad declinationem perducti sponte sua salubriter terminantur, nisi ægrotantes proprio, aut Medici errore recidant, in alios morbos delabantur, vel immodicas egestiones patiantur, unde viribus infractis mors præ languore sequatur, quare ab optimis etiam crisibus ægros interire notavit Hippocr. *in lib. prænot.*

In magnis, & perniciosis ægritudinibus eam adhibere diligentiam summoperè præstabit, ut si illæ remitti nequeant, saltem in longum protrahantur, documento Celsi *lib.* 2. *cap.* 5. dicentis: *Neque vitæ alia spes, in malis magnis est, quàm ut impetum morbi trahendo aliquis effugiat, porrigaturque in id tempus, quod curationi locum præstet.* Quòd si has inducias morbus non det, nec aliundè spes salutis effulgeat, satiùs erit ex eodem Celso *lib.* 2. *cap.* 10. anceps auxilium experiri, quàm nullum; & celebre est apud Medicos effatum: Melius est aliquid cum periculo tentare, quàm ægrum, dempta spe, certò perire; quamvis idem Celsus advertat *lib.* 5. *cap.* 26. *Prudentis hominis esse, eum, qui servari non potest, non attingere, nec subire speciem ejus ut occisi, quem sors ipsius peremit.*

At in morbis benignioribus, & qui spontè sua terminari solent, à medicamentis omninò abstinendum; tunc enim *summa Medicina est, Medicina non uti*, cùm, si indebitè illa adhibeatur, æger sanitatis, & vitæ, Medicus verò honoris jacturam faciet. Unde Galenus 1. *de dieb. decr. cap.* 11. ait: *Quædam peccata committuntur ab ægroto, quædam à Medicis putantibus, nisi quis introgressus ad ægrotum, deinde succingens se, vel cataplasma imposuerit, vel perfuderit, adusserit, vel clysterem indiderit, vel venam inciderit, vel cucurbitulas adjunxerit,*

vel

vel confricuerit, vel nutriverit, aut hujusmodi aliud factitaverit, nihil ab ipso gestum esse artificiosum; hi enim quoties ad ægrum accedunt, toties peccant. Cautè igitur hac in re agendum, & morbi, qui possunt absque ullo remedio sola Naturæ opera curari, minimè irritandi; etenim teste Hipp. *Naturæ sunt veræ morborum medicatrices*, quæ plerumque non adjuvantur, sed potiùs perturbantur, ac distrahuntur à Medico indebitè, vel importunè medicamina exhibente, atque non semel ægrotos in pejora mala ductos vidimus à Medicis medicamentorum multitudine, inconvenientique exhibitione; quòd si totum opus Naturæ fuisset commissum, benè illis consultum foret.

Abstinendum pariter à curationibus illorum morborum, qui inconstantes sunt, aut certas causas non habent: quare Hippocr. *lib. de rat. vict. in acut.* monuit, inconstantes, & erraticos morbos sinere oportere, donec constiterint: & 1. *epidem. sect.* 2. habet: *Te ad hoc exerceto in morbis, ut prosis, aut ne quid noceas.* Et Avic. *lib.* 1. *fen.* 4. *doctr.* 5. *c.* 1. *Cùm ignoras, quæ sit ægritudo, relinque eam Naturæ, & non properes, quoniam aut Natura superabit ægritudinem, aut ipsam manifestabit.* Et *lib.* 4 *fen.* 1. *tract.* 2. *cap.* 7. *Cave ne cures febrem, nisi cognoveris eam; quòd si non cognoveris, subtilia regimen.*

In singulis paroxysmis cavendum à medicamentis, & alimentis, quæ sanè conferet differre in declinationem, aut intermissionem, cùm scilicet æger morbo, & symptomatis minùs, aut nihil affligitur. Quod si morbi continentes sint, matutinis horis, in quibus plerumque quietem aliquam concedere solent, illa opportuniùs præbebuntur.

Atque hinc palàm fit, quàm infirmis obsint Medicorum plerique, & quidem maximæ apud vulgus existimationis, qui indiscriminatim victu plenissimo, crebraque remediorum mutatione, & quod gravius, repetitis phlebotomiis, & refrigerantium usu, digestiones, seù secretiones impediunt, ac in paroxysmis potus, quos alterantes vocant, temerè exhibent, atque ut suas medicamentorum formulas ostentent, illas componunt ex disparibus, & oppositis, quibus imponunt se velle simul succurrere capiti, jecori, cordi, stomacho, lieni: ea autem sic composita adeò perniciosa evadunt, ut sæpissimè, præter intolerabilem nauseam, citam mortem afferant. Horum enim Medicorum auxilia ad necem potiùs, quàm ad salutem excogitata sunt à Græcis in Romanorum odium, ut testis est M. Cato ad filium scribens his verbis. *Dicam de istis Græcis suo loco, Marce fili, quid Athenis exquisitum habeam, & quòd bonum sit, eorum literas inspicere, non perdiscere. Vincam nequissimum, & indocile genus illorum, & hoc puta vatem dixisse. Quandocumque ista gens suas literas dabit, omnia corrumpet, tum etiam magis si Medicos suos huc mittet. Jurarunt inter se Barbaros necare omnes Medicina, sed hoc ipsum mercede faciunt, ut fides iis sit, & facilè disperdant. Nos quoque dictitant barbaros, & spurciùs nos, quàm alios Opicos, appellatione fœdant.* Ex *Plin. lib.* 29. *cap.* 1.

Si quæ autem præstanda videntur, talia sint, ut ægro levamen citò afferant, & tutò, jucundèque juvare longa experientia sint probata, cujusmodi sunt, quibus ad febres omnis generis solvendas, & Veneream

luem

leum eradicandam, magno languentium lucro, nos utimur. Complures ſiquidem Morbi, niſi quàm citiſſimè, efficacibus, blandiſque remediis profligentur, in deteriores ſæpiſſimè mutantur, & languentis vires proterunt, itaut ampliùs prodeſſe nequeant, quæ etiam à perita manu ſuggeruntur, & non rarò obſervavimus ægrotos, arcanis, optimiſque remediis ſpretis, ſe Monachis, Vetuliſque commiſiſſe, qui faſcinum ſolverent, à quo ad extremam maciem duci ab iiſdem acceperant, ut tandem projectis viribus, & morbo contumaci reddito, nullis remediis juvari potuerint, atque omni ſpe deſtituti miſerè petierint.

Verùm tamen, non hinc quis generaliter deducat relegandas perpetuò ab uſu medico eſſe Aquarum, ſive naturalium, ſive artificialium, aliorumque liquorum humefacientium potiones, cùm ſucci præſertim præternaturales ſalino-acidi, vel acres, aliuſve ſimilis conditionis, ſpeciatim in febrientibus exceſſerint: Siquidem hi ſolis plerùmque largis potionibus, & tempeſtivis temperantur, & corriguntur, ac deindè per ſudorem, vel per urinam promptiſſimè abiguntur. Sic quoque abſorbentibus pulveribus iidem nonnunquam retunduntur, aut invertuntur, atque in aliam naturam permutantur, quà poſſint meliùs, ac faciliùs ſubigi, & eliminari.

Analogiſmus demum non leve indicium in Remediis inveſtigandis eſſe poteſt, undè morbos, inter quos aliqua ſimilitudo intercedere videtur, pari ratione curare tentabimus. Hæc verò ſimilitudo notanda eſt nedum in morbis, verùm etiam in medicamentis, undè licebit inferre, ſanguinem hirci cæteris inflammationibus fore utilem, ex eo quia in pleuritide prodeſſe obſervatus eſt. Expediet autem præſertim Analogiſmo uti, cùm morbus novus eſt, vel ignotus. Sic Scorbutum, in noſtra Italia novum, curare nitimur Naſturtio aquatico, Raphano ſylveſtri, Cochlearia nuper ad nos advecta, cæteriſque acribus, & aromatis, quæ hypochondriacis affectionibus utilia experti eramus, cùm his ſcorbutus quàm ſimillimus videatur.

DE PHARMACIS CATHARticis, & Emeticis.

PRiſci Medici, qui fuere antequam per maximos quidem viros ſalutaris iſta Profeſſio increviſ- Sen. ep. 95. Pl. l.
ſet, ſolis herbis contenti erant, nec 24. c. 1.
adhuc illas componere, & vires & 25. c.
temperare noverant; unde fertur 2. & 23. c.24.
à Melampo Prœti Argivorum Regis filias furiis agitatas ſanitati mentis reſtitutas helleboro, quod deindè ab inventore Melampodium fuit appellatum, quamvis Ovidius illas carmine, & herbis fuiſſe curatas referat. 15. *Metamorph.*

——Amithaone natus
Prœtidas attonitas poſtquam per carmen, & herbas
Eripuit furiis.

Donec Hippocrates magis, ac magis, gratia, & cura Artis nova inveſtigando inſudavit, varias compoſitiones detexit, literiſque prodidit uſum Peplii, Pepli, Thapſiæ, Elaterii, Cocci Cnidii, Scammoniæ, Colocynthidis, Veratri, Polypodii, Epithymi, Cnici, Cneori, Hippophais, Tithymali, Ricini, Sambuci, Betæ, & Mercurialis ab inventore Mercurio ſic dictæ, aliorumque, quæ in ſuis libris recenſentur. Dabat quoque lac Aſininum,

num, Bubulum, vel Caprinum, ejusque serum, ac squamam æris.

Post Hippocratem clarissimi fuere Theophrastus, & Dioscorides, cujus opera Majorum inventis accessere Cynocrambe, Esula major, Sesamoides, Lathyris, Agaricum, Aloe, Asarum, Scilla, Bryonia, Daphnoides, Chamelæa, Thymelæa, Empetrum, cæteraque.

Galenus sicuti ab his simplicium vires excepit, ita ab Archigene, Asclepiade, Andromacho, aliisque compositionum formulas mutuatus est, quibus addidit, quæ de Hiera picra, & Catapotiis tripharmacis circumferuntur.

Innotuere postmodum Recentioribus Græcis, Æginetæ quidem purgandi vis Hermodactyli, quem plerique cognitum dicunt Serapioni, una cum Sennæ usu; Aetio verò Euphorbii, quod priùs invenerat Euphorbius Musæ Antonii frater.

Post Gæcos, Arabes, quorum Princeps Avicenna, usi sunt Casia, Myrobalanis, Rhabarbaro, Tamarindis, Manna, Lapide lazuli, Psyllio, Turpetho, Rosa, Violis, & omnibus Aloes generibus; ex quibus etiam varias, & multiplices compositiones excogitarunt, quarum præcipuæ Pulvis Hieræ picræ, pilulæ cochiæ, & confectio Hamech Rhasi debentur; Sapori Regi præ cæteris syrupus de pomis: Avicennæ pilulæ de fumaria: Mesuæ verò electuarium rosatum, diaphœnicon, pilulæ aggregativæ, de Agarico, Fœtidæ, de Hermodactylis, de Lapide lazuli, Lucis, & tota penè Pharmaceusis, quibus sua addidere Nicolaus Alexandrinus, N. Mirepsius, N. Præpositus, & N. Florentinus, Arnaldus, Montagnana, Quercetanus, Castellus, aliique innumeri, quæ cùm satis nota sint, opus non est recensere.

Hermetici, & Paracelsi asseclæ, cùm experientia didicissent plura ex his violentiora esse, quàm ut ægris sufferri queant, illorum vires domuere, arcanis magisteriis extrahendo, quæ blandè ad Medicinam facere possent. Neque solùm his Medicinam mitiorem reddidere, verùm etiam novis inventis adeò locupletarunt, ut majora sperare frustrà sit, detecto usu Antimonii, Mercurii, Vitrioli, aliorumque fossilium, nec non Tartari, & Nitri.

Demum ex Indiis allata sunt Jalap, Mechoacan, & Gummi Peruvanum.

Horum verò Purgantium vires non omnes eodem modò explicarunt. Asclepiades, referente Galeno 1. *de Natur. facul.* 13. humores censuit à Catharticis non educi, sed generari, cùm vi sua massam sanguineam exagitent, ac perturbent.

Aristoteles 1. *sect. probl.* 43. Medicamenta, inquit, in ventriculo primùm dissolvi, & per easdem omninò vias ad venas pervenire, per quas cibus permeat, quò devecta, cùm inepta sint nutritioni, iterùm delabi, secumque quæ obsistunt abripere, & evacuare. In quam sententiam concedere videtur Masullus *libell. de Attract. c.* 14.

Galenus *cap.* 1. *de natur. facult. cap.* 14. *&* 5. *de med. facult. cap.* 25. *& lib. de Medic. purg.* & alibi passim repetit, pharmaca familiares sibi humores allicere, & peculiari quadam virtute, seù sympathia trahere, & educere, quemadmodùm magnes ferrum, & succinum paleas: cui adhæret Averr. *collect.* 5. *cap.* 2. qui partim ad electivam virtutem, partim etiam ad commensuratum, temperatumque calorem purgantem

tem medicamentorum facultatem refert.

Avicenna *lib. de virib. Cord.* quem sequutus est Mesues, proprietati peculiari Medicamentorum, Stellarumque influentiis id attribuit.

At potiùs irritando evacuationes promovere videntur, cùm parum illa à venenis diffideant, & Naturæ infensa sint, ut notavit præ cæteris Celsus. Assumpta namque in ventriculo primùm dissolvuntur, mox vasa lactea ingrediuntur, & cum sanguine venas, & arterias permeant, compactosque succos dissolvunt, qui jam dissoluti, unà cum fermentis partium vitiatis, in arterias mesentericas, & pancreaticas delabuntur, ac per intestina vellicata purgantur. Quæ verò crassioribus, & non adeò mobilibus particulis prædita sunt, adeòque prædicta vasa subire nequeunt, quod intestinorum, & ventriculi tunicis adhæret, aut ductus pancreatis, & cholidochi obstruit, extenuant, ac diluunt, & levi irritamento partes ad expulsionem invitant. Quæ denique minoris sunt efficaciæ, emolliendo tantùm alvum lubricant, ut violæ, pruna, cerasa.

Quantum autem conferat ad promovendam evacuationem partium irritamentum, ostendunt acres balani, quæ intestinum rectum solummodò vellicando etiam à partibus remotioribus humores educunt. Mercurius pariter emeticus vix linguæ admotus vomitus, & quandoque etiam dejectionis causa est; sicut etiam butyrum sale commistum, unguentum de Arthanita, simileve aliud umbilico immissum dejectionem provocat; & quò medicamenta acriora sunt, eò etiam validiora.

Quod à plerisque creditur de varietate medicamentorum peculiares humores allicientium, omninò vanum existimari debet, cùm idem catharticum, diversis anni temporibus, aut corporum constitutionibus, exhibitum variam effecerit evacuationem, quod etiam Hipp. docuit *lib. de med. purg.* & *lib. de Natur. Hom.* Nec aliam purgantium differentiam adnotare licet, nisi quod validiora crassiores, & copiosiores secessus, quàm mitiora provocent Judicium insuper à coloribus desumptum fallax est, cùm ipsa medicamenta variis coloribus eductos humores infecerint; præterquam quòd diversæ misturæ succorum prę-sertim Pancreatici, & Biliosi, illos colores gignere potuerint.

Medicamenta verò, quæ faciliùs exsolvuntur, citiùs quoque purgationem promovent. Sic Potiones ocyus, quàm Pilulæ purgant; & quæ exolutionem minimè patiuntur, re infecta, deiiciuntur. Novi ego quendam, qui nauseæ vitandæ gratia pilulas de tribus Galeni cera oblitas deglutivit, quas post biduum integras sine ulla purgatione dejecit, succis nempè ventriculi ceram solvere nequeuntibus. Hac etiam de causa, nonnulla, ut efficaciùs solvant, cum cibo exhiberi solent.

Dissoluta in ventriculo purgantia venas, & arterias subire, atque una cum sanguine diversas partes petere, humoresque ibi impactos solvere, & educere, nupertima experimenta docuere. Refertur enim *in Actis Anglicis Ann. 1667. mense Decembri* infusos fuisse purgantes quosdam liquores in venas plurium ægrorum, quorum unus præsertim Gallica lue affectus tophaceos tumores in brachiis patiebatur, facta infusione, dolores sentire cæpit in cubito, & post quatuor horas peccantium humorum dejectiones habere,

bere, unde exostoses abiere, & à morbo, quo infectus erat, omninò liber evasit. Demonstrant hoc idem pulsuum celeritas, & magnitudo mox ab assumpto cathartico, nec non à criticis per alvum evacuationibus febrium remissiones, & lactentium, medicamento à nutricibus epoto, purgationes.

Dum medicamenta per venas, & arterias permeant, obstructos viscerum meatus recludunt, & vitium in ipsis contractum tollunt, vel corrigunt, atque hysterica, hepatica, splenica, cephalica vocantur, quę speciatim hæc viscera, aut peculiares succos corrigunt, à convenientia particularum cum poris eorundem. Quòd autem aliis cum aliis rebus cognatio, sive analogia intercedat, cum aliis verò non item, manifestum reddunt præ cæteris calx, & sales, qui aqua solvuntur, spiritui vini, & oleo contumaces sunt: Plumbum aceti tantùm vapore in cerussam vertitur; & Mercurius licèt quamplurimis coagulantibus minimè cohibeatur, saliva concrescit.

Non inconsideratè hæc purgantia exhibenda sunt, immò omninò vitanda, cùm morbi tutioribus, levioribusque remediis cedunt, atque eorundem causæ sola correctione tolli, vel per alios ductus promptiùs, jucundiusque educi possunt. Si enim per sudorem, urinam, similesve egestiones citò, & tutò evacuari possent, haud esset arcessendum purgans medicamentum, quod sanè cæteris, & injucundius, & periculosius est; quin immò ex Galeno 2. *de rat. vict. com.* 12. Veneni naturam sapit; quare à Catharticis exagitatio non levis habetur, cum certa virium jactura, emaciatione, siti, nausea, & nonnunquam etiam febre, ac hypercatharsi; unde Hipp. *lib. de Med. purg. Eodem medicamento purgantur, & non purgantur, quandoque verò alia purgat, quàm quæ purgare solet; aliquando nimium purgat: quare fieri non potest, ut quis medicamentis confisus ea temere exhibeat.* Quod advertit etiam Galenus. Qua ratione motus Asclepiades, referente Celso *lib.* 5. *in principio*. Medicamentorum usum magna ex parte substulit, & cùm omnia ferè medicamenta stomachum lædant, malique succi sint, ad victus rationem omnem curam suam transtulit. Itaque ex Platone *in Timæo* nonnisi maxima urgente necessitate, cum aliis auxiliis commodè morbo occurri non potest, purgantibus medicamentis utendum, ad morborum causas tenaciùs hærentes deturbandas.

Educendi autem humores in iis ductibus resideant, oportet, quos medicamenta pervadere valent. Stagnantes enim in pectoris, renum, vesicæ, & uteri capacitate haudquaquam catharticis evacuare tentandum est, cùm inde retrahi non possint in ductus cum alvo consentientes; ni tamen à medicamentis exoptetur evacuatio aliorum succorum, de quibus suspicio sit, ne in prædictos sinus illabantur.

Virium præterea, ætatis, firmitatisque membrorum ratio summopere habenda est: nisi enim illæ constiterint, minimè licebit purgantibus uti. Nec consuetudo spernenda, nam quæ consueta sunt, etsi deteriora insuetis, minùs molestare solent 2. *aphor.* 50.

In febribus etiam præsertim ardentibus, oportebit omninò ab iisdem cavere, ex Hippocrate *lib. de medic. purg.* ubi ait: *Quicumque à fe-*

febribus fortibus corripiuntur, his medicamenta purgantia dare non expedit, donec febris remiserit. Quod pariter confirmat *lib. de rat. vict. in acut.* In inflammationibus, & hypochondriorum inflationibus quoque ab illis abstinendum, siquidem magis exasperantur, non sine vitæ discrimine. Denique in omnibus acutis morbis rarò medicinis purgantibus utendum, & maxima cum præmeditatione monuit idem Hipp. 1. *aphor.* 24.

Concocta insuper docuit Hippocrates esse medicanda, cruda verò non movenda 1. *aph.* 22. Concocta autem dicuntur, quæ secreta à sanguine, cæterisque bonis succis, fermentescere desinunt, & in præcipitationem vergunt, quod ostendunt symptomatum remissiones, & criticæ expurgationes. Cùm ergo peccantium humorum expurgatio Naturæ motus sit, quæ primùm secernit, deinde secreta educit, Medicus, ut illius adjutor, ac imitator, eadem purgare tentabit. Si namque is secretionem minimè opperiretur, ipsam & sanguinem interturbaret, & exagitaret, cum bonorum, & malorum simul succorum evacuatione. Non tamen hinc fortasse quis existimet debere semper Medicum in morborum curatione totum opus Naturæ committere, & crisim expectare. Nam tametsi id multoties summæ prudentiæ tribuendum sit, præsertim cùm remedium tutum non est, vel superfluum, aut morbus ipse ignotus; coctio tamen, seù secretio, præcipitatioque semper promovenda est; unde Helmont. *lib. de febr. cap.* 11. ait: *Verus Medicus ante crisim morbum superare debet, ideòque nec crisim expectat, nec optat.*

Humores verò plurimùm abundantes etiam in principiis morborum educendos esse colligitur ex eodem Hipp. 1. *aphor.* 22. & 4. *aphor.* 10. Galenus etiam 1. *aphor. comm.* 24. In morbis longis, inquit, coctionem semper expectare oportet, in acutis verò, dum turgent, etiam ab initio purgantibus uti possumus medicamentis: At non quia vagi, & errantes humores in partem principem decumbunt, ut voluit 4. *aphor. comm.* 10. hoc enim repugnat experimento circulationis sanguinis. Quare arbitror in Græco Aphorismorum Codice legendum ὀγκοῖ pro ὀργᾷ. Rarissimè autem, seù numquam ita turgere observantur, ut vasa inflent, & pondus, anxietudinemque inferant, quod vel ipse Hipp. adnotavit *eod.* 1. *aphor.* 22.

Purgationem etiam præcipiunt humoribus ad alvum vergentibus ex Hipp. *lib. de rat. vict. tex.* 64. & 7. *epidem.* qui filium Pythonis quarto die purgavit, quia patiebatur inflationem ventris cum murmure; ut pariter si in visceribus principibus illi consistere videantur, nempè cum Cerebrum apoplexia, aut comate; & Pulmo hydrope afficitur; adeòque Morbus urget.

Leviora, vel validiora purgantia eliget Medicus pro varietate conditionis, & quantitatis humorum, habitus corporis, ætatis, regionis, consuetudinis, & tempestatis, de qua speciatim dixit Hipp. 4. *aph.* 5. sub cane, & ante canem difficiles esse purgationes; vitatque Gal. *lib. quos, quibus, & quando* æstatem, & hyemem; idemque Hipp. *lib. de Aer. Aq. & Loc.* magnas temporum mutationes, utrumque solstitium, & æquinoctium, ac diversos stellarum ortus, & occasus.

Postremò viæ, per quas evacuandi sunt humores, liberæ sint 2. *aph.* 10. po-

10. potissimùm verò intestinorum; unde alvo adstricta purgans medicamentum non licebit propinare, priusquam illa fuerit emollita. Cæterùm, evacuationes multitudine æstimandas non esse refertur 1.*aph.*2. *&* 23. atque à siti superveniente desumptum indicium sæpissimè fallax experti sumus, quamvis contrarium suaderi videatur ex 4. *aphor.*19.

Ad hæc rediguntur Clysteres, quorum usum primam commonstrasse Ibin avem Ægypto peculiarem, quòd consuetudinem habeat se purgandi rostri aduncitate, eam perluens partem, qua ciborum onera redduntur, refert Plin. *lib.*8. *cap.*27. & Gal. *lib. de ven. sect. adv. Erasistr.* Et sanè quidem non minùs Catharsis vitæ conservandæ necessaria est, quàm ad eandem sustentandam assidua ciborum suggestio; nam sicut ciborum pars melior, & succulentior per venas lacteas in cor, & reliqua viscera deferri debet, ita pars crassior, & fæculentior ad sentinam Corporis, puta ad intestina, demandari, indèque expelli, ne reliquum corporis inficiat.

V. Gal. 1. de san. tuend. c. 2. & 3.

Varia deindè illorum genera adinventa sunt pro affectuum varietate. Hinc clysteres emollientes, & alvum laxantes, irritantes alii, & purgantes, impinguantes, adstringentes, discutientesque. Potissimi verò recensentur emollientes, & evacuantes, qui nulla, vel levissima motione alvi onera subducunt, quamvis illos omninò à praxi medica relegare conetur Helmontius *lib. de febr. cap.*7. ubi eosdem vocat pudendum Medentum subsidium. Prorsùs autem cavendum ab acribus, & catharticis, quibus intestina divexantur, & convelluntur, (& quidem aliquando accepimus ab honesto quodam viro, se à clysterio acri, quod vocant Medicinale, statim mente motum in vertiginem tenebricosam incidisse, quam deindè subsequuta est dysenteria, & vix tandem medicamentis ex opio sanitati fuisse restitutum) nisi tamen intestina torpida sint, vel viscosis succis infarcta; vel etiam ex paralysi, apoplexia, caro, penitus obstupuerint. In Ischiade etiam proficuus observatus est usus illorum ex vino, decocto colocynthidis, & bryoniæ, quibus tenaces succi educuntur. Non adeò tamen copiosi sint, ut retineri nequeant, aut valvulam intestini Colon lædant.

Quæ verò per vomitum purgant, parum differre videntur ab iis, quæ dejectionem movent, siquidem ista quoque si violenta fuerint, vomitum cient, ut notarunt etiam Vvalæus, & Fridericus Hofmannus.

Verùm ex his, quæ vomitum provocant, quædam mitissima sunt, & tantùm nauseam inferunt, ut sunt oleosa, pinguia, aqua tepida: Alia verò præter nauseam, leviter etiam ventriculum stimulant, & mediocrem evacuationem movent, ut Asarum, & Diasarum Fernelii, succus raphani, summitates recentes sambuci, anethum, semen urticæ, oxymel scilliticum. Alia demùm motionem validam, irritationemque ventriculo faciunt, adeòque humores etiam ex adjacentibus partibus educunt, uti sunt helleborus albus, nux vomica, vitriolum album, sal vitrioli, crocus metallorum, mercurius emeticus, turpethum minerale, pulvis algorethicus, aurum vitæ, hercules Bovii.

Inter hæc recenset Navigationem Hippocrates 4. *aphor.*14. quam, præ motu inæquali, nausea, & vomitus plerunque comitantur.

Quæcunque autem ventriculum val-

valdè exagitant; & laceſſunt, ut ſunt venena, cùm primùm in ventriculi tunicas impinguntur, vomitum concitant, eo quòd is ab irritamento quodammodò convellatur, & contracto pyloro ſursùm revolvatur.

Vomitoria in plurimis affectibus commendantur, potiſſimùm cùm ventriculus, pancreas, adjacenteſque partes noxiorum humorum copia infeſtantur. Non tamen omnibus, & quacunque temporum conſtitutione inconſideratè præcipienda. Sic Hippocrates ab his abſtinet in corporibus obeſis, difficulter vomentibus, melancholicis, & tabidis 4.*aphor.tex.6*.7.8. *&* 9. Unde in affectibus Gutturis, Pectoris, & Pulmonis vomitus periculoſus eſt, ut in herniis, procidentia uteri, oculorum inflammationibus; ubi nimirùm violentus ventriculi motus noxius eſt, & vaſorum diruptio, viſcerum delapſus, vel ſuffocatio timetur. Convenit verò in febribus præſertim intermittentibus, quarum fomes circa ventriculum jacet, ſicut pariter in nephritide, epilepſia, malacia, cæteriſque morbis, quos prę cæteris enumerat Fridericus Hofmannus: Potius æſtate, quàm hyeme illa probat idem Hipp. *cap*.4. *aph*. 4. quia tunc ductus corporis patentiores, & laxiores ſunt, faciliuſque humores per ſuperiora feruntur.

Demùm tempus matutinum opportunius eſt ad vomendum, ſtomacho nimirùm cibis vacuo, dummodò non adſit aſſumpti veneni ſuſpicio, aut ingruat paroxyſmus, ſive ventriculus plurimo cibo ſit gravatus; tunc enim, nulla mora interpoſita, vomitus ſunt provocandi. Juvabit etiam prius comedere, cùm oleoſi, viſcoſique humores ſunt per vomitum educendi, illi namque cibis devincti facilius à tunicis Ventriculi ſemoventur, & egeruntur.

DE DIURETICIS, ET Hydroticis.

QUæ urinam movent Diuretica dicuntur, ſuntque Radices Ariſtolochiæ rotundæ, Aſparagi, Althææ, Apii, Adianti, Fœniculi, Graminis, Glycyrrhizæ, Ononidis, Raphani, utriuſque Petroſelini; nec non Semina Rutæ, Urticæ, Sinapis, Naſturtii, Peponum, Cucurbitæ, Milii ſolis; Nuclei Ceraſorum, Perſicorum, Meſpilorum; Fructus Alkekengi, Baccæ Juniperi, Betulæ liquor, ſuccus Parietariæ, Decoctum herbæ Thee, & Ligni Indici nephritici; Reſina Terebinthi, &c.

Inſuper ſpiritus ſalis dulcis, balſamum ejuſdem, ſpiritus vitrioli philoſophicè elicitus, crocus martis aperitivus dictus, ſal Tartari volatile, ſpiritus Tartari rectificatus, flores ſalis ammoniaci, Arcanum duplicatum Mynſichti, lapis judaicus, lapis nephriticus Indicus, Cryſtallus, tinctura ſilicum cum ſpiritu ſalis urinæ volatili extracta, & alia plura.

Prætereà lapis nephriticus humanus, ſpiritus urinæ volatilis, lapides in veſicis felleis Bovum reperti, ſanguis Hirci, lapis Percarum, & Carpionum, teſtæ limacum terreſtrium, ovorum, & concharum, oculi, ſeù lapides cancrorum, lumbrici terreſtres, eorumque ſpiritus, & eſſentia, mille pedes, eorumque pulvis deſcriptus ab Hartmanno, ſal Ranarum, & Bufonum, Cantharides.

Qua autem ratione, non inter omnes convenit. Helmontius *lib. de lithiaſi cap*.5. *num*.17. *& ſeq*. in has claſſes diuretica diſtinguit: *Quænam*, inquit, *urinam corroſivo*

vene-

veneno acuunt, ut Cantharides. Alia aciditatem provocant, ac relinquunt in lotio, & ſtranguriam excitant, quales ſunt Cereviſiæ recentes. Sunt, quæ urinam reddunt abſterſivam, ut fontes aciduli, vitriolum Martis, lapis cancrorum; itemque herbæ paſſim gaudentes etymo diureticorum, continentque ſingulæ alkali volatile, vel ſaltem iſtud ſubter digerendum acquirunt. Sunt & quædam, quæ lotium provocant, ſtimulantque expultricem, quatenùs putrilaginem urinæ generant, cujuſmodi ſunt Raphanus, Aſparagus, & cætera. Sunt quoque diuretica, quæ grato odore lotium, reneſque reficiunt, ut Macis, Nux myriſtica, Terebinthina, Maſtiche, Juniperus. Sunt etiam quæ ex Alkali lixiviali ſub digeſtione, migrant in acredinem vias urinæ abſtergentem, inſtar ſaponis, excretricem ſtimulant, & adnatas ſordes incidunt, cujuſmodi ſunt, quæ ex teſtis, lapidibus, cineribuſque appropriatorum colliguntur, quæque ſola ſaxifragorum nomine digna videntur, præcipuè, ſi in gradum volatilitatis ſint deducta. Eſt demum Diureticorum genus, quod parva quantitate lotii copiam è toto corpore fundit, ut millepedes, ſpecies de becabunga, item ſuccus conchyliorum marinorum, nigrorum, oblongorum, & quæcumque nitrum volatile continent, quæque renes torpidos ex proprietate excitant. Eſt & genus, quod ſedandis renum doloribus utile, hæſitantes confortat, quale eſt in Croco, Rhabarbaro, & Caſia inverſis, ideſt vi ſolutiva priùs orbatis; ſpiritus ſalis marini nedum diureticus eſt, ſimulque ſtranguriam lenit, quibus calculus in veſica volvitur, verùm inſuper calculos renum minuit, ſi ultimo igne diſtilletur reverberii.

Vvilliſius *in Pharmac. Rational.* Diureticorum medicamentorum claſſes tres conſtituit deſumptas à fine, materia, & forma. *Quod ad finem*, inquit, *ſi quando cruor adeò craſſus, & tenax evadit, ut particulæ aquoſæ à reliquis haud facilè ſecedant, diuretica, quæ compagem ejus laxent, & ſerum fundant ejuſmodi ſint*, oportet, *quæ ſale volatili, vel acido pollent; tales namque particulæ combinationes à ſale fixo initas potiſſimùm diſſolvunt; quandoquidem verò hæc diatheſis & febri, & ſcorbuto communis eſt; in priori affectu diuretica maximè propria ſunt, tum acida vegetabilium temperata, ſal nitri, ſpiritus ſalis marini, vitrioli, tum ſale volatili prædita, uti ſpiritus C. C. ſalis armoniaci, ſal ſuccini, viperarum. In ſcorbuto verò cum urina, & pauca, & craſſa eſt, herbarum ſucci, & præparata, tum acria, tum acida, egregii ſunt uſus, item ſal, & ſpiritus urinæ, ſalis armoniaci, tartari, &c. Cùm autem ſanguis ſerum intra compagem ſuam non diù ſatis retinet, quin vel fluxionibus, ſeù potiùs coagulationibus obnoxius, illud hic, illic, in magna copia affatim deponens, catarrhos, aut tumores variis in locis concitat; vel ſanguis habitualiter debilis, ſimulque* δύσκρατος, *ſcilicet in acorem vergens, quoad particulas ſuas craſſiores ad coagulandum aptus eſt, proinde ut tenuiores inter circulandum ubivis ablegatæ, ac in partes imbecilliores decumbentes, affectus modo cephalicos, aut thoracicos, modò A-* P. 1. ſ. 1. cap. 1.

sciten, aut Anasarcam inducant. Diuretica in his casibus exhibenda sint ejusmodi, quæ sanguinem haud fundant, sed coagulationes ejus tollant uti sunt sale fixo, volatili, ac etiam alkalisato prædita. Insuper quæ Renum fermentum corroborant, aut restituunt, uti sulphurea quædam, & spirituosa. Ad hos fines Diuretica sulphurea, & mixta, sales herbarum lixiviales, pulveres testacei, sal, & spiritus urinæ, &c. millepedes, radices raphani sylvestris, semen apii, nux moschata, terebinthina, ejusque præparata, spiritus vini, quorum omnium virtus non est sanguinem fundere, & serositates è massa ejus præcipitare, sed cruoris coagulationes dissolvere. Reliquæ species à materia, & forma petitæ apud eundem videndę *part. prima Pharmac. sect.4.cap.2.*

Hydrotica, seù quæ sudorem cient, sunt Carduus benedictus, Angelica, Dictamnum utrumque, Gentiana, Contrayerva, Scorzonera, Zedoaria, Vincetoxicum, Scordium, Nasturtium, Cochlearia, flores Sambuci, folia Hyperici, eorumque sales, spiritus, extracta, aquæ. Similiter sarza parilla, saxifras, lignum guajacum, & sanctum, & ex Resinis, camphora, opium. Bezoarticum minerale, joviale, solare, lunare, Antimonium diaphoreticum, sulphur auratum Antimonii, Mercurius diaphoreticus, atque plura alia ex Antimonio, & Mercurio præparata; Sal volatile succini, ejusque Spiritus, ut & spiritus volatilis vitrioli, &c. lapis Bezahar, Unicornu, C.Cervi, Os de corde Cervi, spiritus, & sal volatile ejusdem, spiritus sanguinis, sal volatile urinæ, spiritus salis ammoniaci salsus, sal viperinum, sanguis hirci. Et alia.

Eadem, vel certè non multùm dissimili ratione, sudores, atque urinę provocantur; undè non rarò vices commutant, & quæ medicamenta ad urinam movendam exhibentur, sudores eliciunt, & contra.

Quibus denique in affectibus magis conferant diuretica, & sudorifica, & sub qua forma, ac dosi exhibenda sint, in Volumine de Morbis Partium exponemus.

DE PHLEBOTOMIA.

MEdicis, qui à sanguinis missione opem sperant, in hac medendi parte Magister extitit Hippopotamus: Assidua namque satietate obesus exit in litus, recentes arundinum cæsuras speculatus, atque ubi acutissimum videt stipem, imprimens corpus, venam quandam in cruce vulnerat, atque ita profluvio sanguinis morbidum aliàs corpus exonerat, & plagam limo rursùs obducit, ut habet Plin. *lib.8.cap.26.* Referuntque primùm Podalirium hoc remedii genus inter homines exercere ausum, Syrnamque Damœthi Cariæ Regis filiam è tecto delapsam, detracto ex utroque brachio sanguine, servasse, illamque deindè Patrem hominis ingenium admiratum ei uxorem tradidisse, Cherroneso in dotem attributa.

At Chrysippus Cnidius, cane pejus, & angue hoc inventum odit, & venæ incisionem ex omni medicinalium præsidiorum numero tollendam censuit. Sequuti hunc sunt Medius, & Aristogenes, Medici apud Græcos clarissimi. Præter hos jure optimo laudibus extollendus est Erasistratus, quòd ea omnia, quæ Veteres per Venæ sectionem curare conati sunt, ipse citrà illius usum medicatus est. Easdem curandi rationes abs-

Gal. de cur. rat. per sãg. miss. c.2. & adverf. Erasistr. cap.2.

absque venæ sectione prosequutus est Strato Erasistrati Auditor, ut cæteros sileam maximæ existimationis Medicos.

Sequentibus temporibus Galenus iterùm Phlebotomiam inter præcipua remedia recepit; quam usque ad Paracelsi tempora omnes ferè Medici retinuere, immò hoc uno præsidio cunctos morbos curare se posse crediderunt. Paracelsus verò de Phlebotomiæ auxilio rursùs dubitare cœpit, atque in omnibus ferè ægritudinibus loco ejus blandiora substituit medicamenta. Hujus vestigiis inhæserunt Severinus, Scheunemannus, Crollius, Hartmannus, Quercetanus, Faber, Poterius, Petræus, Crusius, Kergerus, Sala, aliique plures viri de Medica facultate optimè meriti. Demum Helmontius nullum sanguinis detractione detrimentum majus inferri posse opinatus est, ut latè prosequitur *de febrib. c. 4.* Idem omninò sentiunt ex nostratibus Thomas Cornelius, & Leonardus à Capua, quibus nudam sese Natura visendam exhibuit, cæterique maximæ expectationis Juvenes. At qua ratione Galenus Phlebotomiam probaverit, videamus.

Putavit, sanguinem non raro, plusquam Natura exigat, superabundare; plerumque etiam nimio calore putrescere, & cacochymiam contrahere, ac proindè detractione, & refrigeratione egere. Præterea, quandoque præter naturam ad aliquam corporis partem irruere, & inhærere; unde venæ sectione revellendum, aut derivandum existimavit. Denique in omnibus acutis morbis, quos magnos vocat, sanguinem mittendum arbitratur, cùm illi hoc magnum sit remedium.

Ad primum quod attinet, vix rationi consentaneum videtur, Naturam, quæ in necessariis nunquam deficit, in superfluis abundare, ut tantùm sanguinis progigni patiatur, quantum venæ ægrè capiant. Præterquam quòd nonnisi à cibis largè sumptis sanguinis superfluitas esset, quando potiùs, qui crapulæ indulgent, pinguiores evadunt; & in obesis minus sanguinis, & venæ tenuiores observantur, quàm in gracilioribus. Neque ex eo, quòd aliquando morbi spontè naturæ ab hæmorrhagia desiisse visi sunt, rectè inferri potest à Medico sanguinem esse mittendum: Nulla enim ars imitari solertiam naturæ potest; & quis unquam illam adeò dextrè imitabitur, ut abscessus, convulsiones, catarrhos, hydropem, excitata febri, medeatur? Immò non raro evenit, ut ipsa eadem in similibus evacuationibus peccet, & immodicas hæmorrhagias per nares, uterum, & mariscas, cum vitæ discrimine, concitet. Et si aliquando ægros sanguinis detractione ab orco revocatos prædicent, id casu quidem evenit, cùm hinc via ad salutem non pateat, & plerosque evidens periculum vitæ hoc præsidio subire observemus; neque bonis Medicis licebit experimenta per hominum mortes agere, & in re tanti momenti adeò periculosa, & dubia tentare, quæ rarissimè, & sine certa ratione aliquando juvasse visa sunt, & præterea sæpissimè interimant. Frustrà autem, ubi fractæ vires sentiuntur, ab electuariis, margaritis, smaragdis, aliisque pretiosis remediis, (quia magno pretio emuntur,) auxilium petitur, cùm in alimentum hæc non transeant, & à succis ventriculi non exolvantur. Adde, quòd si exolverentur, & in alimentum transire

possent, uti sunt juscula, & contusa, potiùs nocerent, quàm aliquid emolumenti afferrent, viribus effœtis, & ventriculo ad digerendum inidoneo jam reddito.

Ad reliqua verò. Impossibile quidem est sanguinem putrescere, aut cacochymiam contrahere, vita superstite, nisi cum rerum Naturæ imperitis putredinem dicere velimus substantiam illam albicantem nutritioni destinatam, quæ cum sanguine solet educi. Putredinem autem tantùm abest, ut phlebotomia tollat, ut valdè illam potiùs adaugeat, florida portione educta, reliqua crassiore, & corruptioni magis obnoxia remanente; & quemadmodùm ex Paracelso stultè ageret, qui vinum simul, & muscam illapsam effunderet, ita malo consilio Medicus putridam portionem cum florido sanguine vitę necessario educere tentaret. Neque peccans sanguis hac ratione corrigitur, sicut vinum fugiens detractione haud sisti videmus. Et quamvis refrigerare, & ventilare, ut ajunt, illis videatur sanguinis emissio; id tamen ad majorem ægri perniciem facit, etenim, aut morborum curationem impedit, aut vitæ fomitem penitùs extinguit.

Quòd autem dixerint Venæ sectione accurrentem ad læsam partem sanguinem posse sisti, ac retrahi, ignorantia circulationis factum est: putarunt enim sanguinem in humano corpore tanquam Vinum in utre immobilem manere, & posse aliquando à læsis partibus in auxilium trahi: Sed hos hìc nihil moror, cùm vix mihi persuasum habeam nostris temporibus, post tot erudita inventa, Rationales Medicos inveniri, qui hæc suspicentur.

Egressus demum è suis vasis sanguis, si fortassè alicubi restagnaverit, & tumores, seù inflammationes, quas dicunt, tulerit, non modò phlebotomia educi non poterit, verùm illa impedietur ejusdem exolutio, & per poros evaporatio, quæ sola in his affectibus promoveri debet.

Præthereà, malè ex Hippocr. 1. *aph.6.* ubi extremis morbis extrema exquisitè remedia convenire asserit, Galenus infert 2. *aph. comment.29.* illa esse Venæ sectionem, & Purgationem, cùm potiùs extrema, & magna remedia sint, quæ radicitus, & sine mora causas morbificas abscindunt; atque hæc bono consilio, Hippocrates in magnis, & acutis morbis adhibenda suadet, siquidem in his tardare periculosum est 4. *aph.10.* Contra verò magna mala appellanda sunt, quæ extremos motus, & labores excitant, viresque enervant, sitim augent, ventriculum perturbant, uti sunt Phlebotomia, & Pharmacia. Unde mirari satis nequeo eximios alioquin viros in hac re hallucinatos esse, quos tanta suorum Medicorum fiducia tenuit, ut propriæ vitæ jactura, summa hæc præsidia experiri veriti non sint, inter quos præcipui Galilæus, Gassendus, & quod maximum, ipse Vvillisius, Medicus nostri temporis celeberrimus. Accedit, quod Hippocr. *cit. loc.* potiùs de tenuissimo victu in morbis peracutis exhibendo loquutus est, quàm de Phlebotomia, & Purgatione; quod deducitur ex eo, quia in textu præcedenti, & sequenti de victu ægrotis præbendo sermonem habet: & quod gravius, ita etiam sentit Galenus in *comment. ejusdem aphorismi*, & Cardanus hac eadem ratione ait, hunc aphorismum cum sequenti conjungi debere.

Sunt

Sunt, qui phlebotomiæ parcunt, at hirudinibus utuntur, exiſtimantes malum, quàm minimum ab his inferri poſſe; tum quòd parum ægros debilitent, tum etiam quòd nonniſi putridum, & fæculentum ſanguinem exhauriant. At ridiculi ſanè hi ſunt: idem enim eſt detracti ſanguinis detrimentum, ſive ferro, ſive ſuctu is extrahatur; neque hirudines hac lege cum Medicis convenerunt, ut malum ſolùm ſanguinem biberent.

Sileo cætera his affinia, magno in pretio à noſtri temporis Medicis habita, Cucurbitulas, Ligaturas, Veſicantia, & Cauteria, quæ ſummo miſerorum ægrotantium cruciatu, & medentium crudelitate, abſque ullo profectu, immò magna ſalutis jactura, inter medicamenta recepta ſunt, ut in dies experiuntur quicumque hæc cernere non abhòrrent: Cucurbitulæ enim, & ligaturæ tantummodò tumoris, & livoris cauſæ ſunt, & ſi ſcarificationes adhibeantur, eadem, quæ à ſanguinis detractione, nocumenta afferunt. Ichores, quos educere videntur Veſicantia, alimenti, quod partibus acceſſerat, portiones ſunt, ſæpè etiam impoſiti linimenti liquamen. Idem de Cauteriis obſervare eſt, quæ præterea extenuant, fluxiones magis movent, & partem uſtam ſummè infirmant.

DE DIORTHOTICIS.

Egimus hucuſque de his, quæ morbificas cauſas evacuando tollere poſſunt, ſupereſt, ut de Diorthoticis aliquid in medium afferamus. Diorthotica autem appellamus, quæ vitiatos humores corrigere, & integritati ſuæ reſtituere valent. Hi verò vitiari dicuntur, cùm fiunt nimis craſſi, tenues, fluxiles, volatiles, nec non acres, ſalſi, acidi, auſteri, aut alii.

Qui craſſi ſunt, tenaciterque adhærent, attenuantibus, diſſolventibuſque corriguntur, iis præſertim, quæ ſpiritu volatili, aut ſale lixivio conſtant; nec non diluentibus, & emollientibus. Contra verò tenues, & valdè fluxiles, glutinantibus, & coagulantibus temperantur, ut pariter opiatis, & alkalicis, & iis, quæ partium tenuium mobilitatem ſiſtere poſſunt. Acres acidis, & Acidi acribus remediis retunduntur. Sic etiam, quæ ſale volatili oleoſo abundant, auſteritatem corrigunt; Salſilaginem verò, aquea diluendo, acida retundendo, oleoſa, & opiata vinciendo. Hæc Acidum quoque, & Acre hebetant, potiſſimùm ſi volatili conditione ſint prædita. Pinguibus autem occurritur acidis, & ſalitis.

Corrigere etiam ſolent peccantes ſuccos leniter evacuantia, ut Tamarindi, Rhabarbarum, Aloe.

Alkalia inſuper in febribus, inflammationibus, aliiſque ægritudinibus, in quibus, vel Acre, vel Acidum exuperat, proſunt. In tumoribus reſolventia; In ulceribus verò, & vulneribus detergentia, & conſolidantia.

Poſtremò quæcunque robur tuentur, inquinamenta ſecernunt, ac præcipitant, ſanguinemque depurant, præ cæteris ſunt in ægritudinibus eligenda.

Inter corrigentia etiam numerantur Aer, Cibus, & Potus, Motus, & Quies, Vigilia, & Somnus. Sic ab Aere nimium craſſo, & occluſo, Cachexia, Hydrops, Aſthma, Obſtructio, aliæque ægritudines illatæ, mutatione in tenuiorem, & apricum tollentur; quæ à nimia il-

lius tenuitate sunt, Marcores, Hæmoptoe, crassitie corrigentur.

Vitia à cibis humidis, & oleribus contracta, acribus, solidioribus, & aromatis emendantur; & quæ ab his sunt, illis tolluntur. Sic quæ à nimio victu, diæta; & contra.

Longa exercitia, & vigiliæ, otio & somno rependuntur. Inertiæ verò, & langupres ab otiis exorti, motibus, & exercitiis solvuntur. Idem in Animi pathematibus observandum. Atque ex his quisque poterit cætera corrigentia nullo negotio elicere, & in hoc sensu intelligenda putare, quæ Hippocrates, & Galenus de mutua contrariorum curatione scripserunt.

FINIS.

L U-

LUCÆ TOZZI MEDICINÆ

PARS ALTERA ΠΡΑΚΤΙΚΗ,

Quæ hactenus adversùs Morbos adinventa sunt, luculenter, & brevissimè explicans.

B. B. VIRO EXIMIO. ΕΥΠΡΑΤΤΕΙΝ.



On longè abfuit (ORNATISSIME VIR) *quin hanc alteram Medicinæ partem, quam morborum descriptiones, adinventaque adversùs illos remedia, continere voluisti, cæcis tenebris committerem potiùs, quam publicæ luci, ut decet, perpolitam exponerem: quod quidem libentissimè fecissem, nisi jamdudum utramque partem sub tuo arbitrio esse voluissem, & solo nutu regi. Postquam enim defecerunt veræ sapientiæ, veritatisque cultores, ea est in nostra hac urbe Literatorum fortuna, ut si bonæ artes tantùm neglectui haberentur, benè consultum illis esset, qui eas norunt. Verùm plerique præposterè eruditi, & solos se sapere putantes, adeò iniquis odiis insectantur eos, qui exquisitis literis incumbunt, veritatisque quærendæ studio tenentur, ut parum putent neglectæ Religionis notam illis inurere. Te jam accepisse reor quanta ab hujus generis hominibus probra, maledictaque in nostrum Cornelium extinctum fuerint cumulata, neque inculpatam, honestamque vitam in cognitione, atque exercitatione optimarum rerum, duxisse illum juvit, adeòut non defuerit, qui ejus aureum opus publico incendio arsurum temerè effutiret: Attamen generosi Viri Francisci ab Andrea magnanimitate discussa est rerum caligo: regali is enim pompa in D. Mariæ Angelorum ad Echiam instituta, immortali amici, majora semper merentis, memoriæ parentavit, insana perversorum hominum commenta repressit, & Patriæ suum decus reddidit, summo bonorum omnium plausu, atque admiratione. Prætereà in mentem revocare poteris quàm propè fuit, ut in vincula coniicerer hoc solo, quòd in prima parte, ex Galeni, Aristotelisque sententia omnia non scripserim. Verum quidem est, quòd impensiùs dolerem, & me hoc deniquè tempore natum pigeret, tæderetque, nisi veteres essent hi nostratum mores:*

Nam cùm omnes quotquot in hac urbe haberi potuerunt, qui in aliquo doctorum Virorum numero essent, certis quibusdam diebus in recessum aliquem se reciperent, ubi de variis disciplinarum generibus sine fuco, & non ad popularem auram captandam, sed ad solam rerum veritatem è tenebris eruendam disceptaretur, ecce tibi quædam pestes hominum, tantum bonum huic urbi turpiter invidentes, ita fortasse otiosorum hominum maculam effugere se posse existimantes, tantùm sunt conati, ut illum virtutum omnium recessum, atque honestissimas illas, jucundissimasque concertationes, non sine ingenti animi dolore, ac omnium mœstitia, relinquere coacti simus. *Hæc de suis temporibus Venusinus quæstionum Lucullianarum Author. At puta hæc omnia contemnenda: natura rei, de qua me scribere voluisti, tergiversationem, tarditatemque meam satis excusare posset: adeò enim incerta sunt, quæ de Morborum causis, & Medicamentorum auxilio circumferuntur, ut hominis non sit sincera fide agentis illa in medium afferre, probareque. Quis enim illorum virtutes unquàm benè explorare, aut quibus viis illas exerant, invenire posse confidat? Finge tamen exploratas, inventasque: quis unquàm asserat à mistura, & compositione aliarum rerum non immutari? Neque licet experimenta commemorare, atque in conspectum proferre: quàm enim fallax sit illorum successus, jam pridem Magni Viri demonstrarunt. Incertum etiam est, quas vires in stomacho acquirant, aut deperdant assumpta pharmaca; neque in omnibus ejusdem roboris ille est, præsertim morbo omnia immutante, ut mirum non sit eadem iisdem ægrotis, aliis tamen temporibus exhibita, diversissimos effectus peperisse. Neque aliter credendum est accidere, dum resolvuntur, & cum aliis intestinorum succis commiscentur: ibi enim inverti, depravari, corrumpi, & varias, innumerasque subire mutationes, tam facile est, quàm quod facillimum pro varia stagnantium, confluentiumque succorum commistione, ut proindè quod pro remedio datum est, veneni malitiam aliquando sortiatur. Demum quoniam variæ sunt corporum constitutiones, variant etiam succi, atque eorum actiones; unde fit, quòd idem medicamentum alteri opitulatur, alteri verò nocuum est, immò quæ juvenes utilia experti sumus, procedente jam ætate, velut inimica reiicimus. Anni quoque tempus varium multùm in hac re posse cognoscimus; itemque Aeris inclementias, ciborum, & potuum diversitates, apparatus humorum varios, & mille propemodum tum animi, tum corporis vicissitudines, aut casu inopino, aut occulto fato contingentes. Hinc levis quidem illorum conjectura est, qui putant, eosdèm effectus à liquoribus assumptis sperari debere, quos in illis, cùm extrà corpus miscentur, contingit observari. Hæc, aliaque plura in causa erant, quare fidem meam liberare lentiùs cogitabam. Verùm quoniam expectationem tuam frustrari mihi religio est, quæ de Morborum natura, & curatione his difficultatibus circumventus colligere potui, hoc altero libello accipies. D. Monfortius noster ab Oriente redux in boreum Urbis collem loci amœnitate allectus se recepit, unde aliorum labores, anxietatesque, ipse curis vacuus, velut ab alta specula intuetur. Tibi plurimam salutem dicit, & Te quamprimùm nostras oras revisurum optat. Vale. Neapoli VII. Kal. Octobris M. DC. LXXXVI.*

LUCAS TOZZI.

DE

DE NATURA, ET CURATIONE Singulorum Morborum.



A Theoria ad Praxim transimus, quarum alteram alterius ope inventam credunt. De hoc convenit, quòd utraque ad humanam salutem dirigitur, qua nil pretiosius, aut æstimabilius. Hic propterea, quicquid hactenus adversùs morbos ab aliis excogitatum est, breviter colligemus, primùm Capitis, deinde Pectoris, denique imi Ventris affectiones particulatim percurrentes.

DE MORBIS CAPITIS:

Et primò

DE CEPHALALGIA.

CUm Cerebri meninges, & pericranium affliguntur, Nos caput dolere dicimus, ipsumque morbum Cephalalgiam, mutuato à Græcis nomine, appellamus. Non semper tamen patientes eodem modo hic dolor afficit: quandoque enim internas partes capitis molestat, interdum externas tantùm, quæ etiam modo pungi, modò gravari, & cum distensione pulsari sentiuntur: nec raro dimidia solùm capitis pars dolet, quæ affectio Græcis dicitur Hemicrania.

Huic morbo causas attribuunt Galenici quæcumque vehementer alterare caput valent, ut frigus, & æstus aeris, venti aquilonares, & austrini, cibi acres, & flatus moventes, nimius vini potus, quæ acutè nimis olent, ictus, casus, affluxus humorum, atque intemperies, sive calidæ, sive frigidæ, cæteraque hujusmodi: putantque pungentem dolorem esse ab acribus, & biliosis humoribus, gravantem à phlegmaticis, à flatibus verò inflantem cum distensione.

His addidere Recentiores alias plures: veluti sanguinem detentum in plexibus, vel in vasis meningum, qui gravando, aut distendendo dolorem infert: liquorem in nervis contentum, qui illorum fibras non repurgatus traiiciat; unde fortasse periodicæ Cephalalgiæ, ut advertit VVillisius: Serum, seu Lympham in ventriculis, vel inter utramque meningem occlusam, ut pluribus cadaverum dissectionibus innotuit, & testatur Riverius *obs.37. cent.*1. Pus ex abscessu, aut vomica easdem partes obsidens. Tumores, & tubercula dolorem capitis, præsertim diuturnum afferre adnotat idem VVillisius *de anima Brutorum*. A vermibus ibidem genitis, ex Foresto, & Schenckio: Itemque à calculis, inflammatione, aliisque, ut ex pluribus deducit Bonetus.

P. 2. c. 1. lib. 9. de Var. cap. aff. Schol obs. Lib. 1. obs. Lib. 1. Anat. pract. sect. 1.

netus. Similiter à mala capitis conformatione, meningum craſſitie, & ſuturarum conſtrictione, ac relaxatione, non rarò etiam diutinos dolores induci, docemur ab Hippocrate, & Celſo; quod pariter in his, qui caput acutum habent, notavit Gal. 6. *epid. comm.* 1. *t.* 3.

Lib. de loc. in homine lib. 8. c. 1.

Per ſympathiam, ſeu conſenſum aliorum viſcerum Cephalalgia non rarò etiam exoritur. Præſertim verò compatitur caput, & dolet, ex malè affectis, ventriculo, utero, liene, meſenterio, varicibus, cæciſque hæmorrhoidibus. Ab his enim infectus ſanguis, nedum Capiti, ſed etiam cæteris partibus ſenſu præditis, dum circumit, moleſtiam afferre poteſt, contracta nimirum inde acritudine, atque apta ad pungendum, diſtendendum, fermentandumque conditione. Obſervat autem Joubertus dolores capitis ab affecto ventriculo dependentes magis anteriorem partem vexare; poſteriorem verò, & verticem, qui ab utero: quod etiam confirmat Langius *lib. primo epiſtolarum*.

Tr. Duũ vir.

At Helmontius pluribus contendit hos dolores procedere ſolùm à *Duumviratu* per nudam actionem regiminis conſtituti in ſplene, & ſtomacho, citra vapores caput, & meninges pertingentes; ſi nimirùm prædictæ partes malè affectæ ſuis muneribus non fungantur.

Verùm quæcumque ſentientes partes corporis malè afficiunt, ut aliàs de ſenſu tactus oſtenſum eſt, hujus doloris cauſæ eſſe poſſunt. Eò autem dolor erit vehementior, quò pars affecta magis nervis referta fuerit, & afficientia violentiora. Quæ verò ſenſim poros partium ſubeunt licèt diſſentanea ſint, tractu temporis conſentanea evadunt, & vel nihil, vel leviſſimè moleſtant; ſecus autem, quæ ſenſim applicita voluptatem afferunt, ſi repentè adhibeantur, plurimùm excruciant: ut experimur cùm gelidas manus ad ignem ſubitò calefaciendas admovemus.

Scribit Galenus 3. *de loc. aff. cap.* 9. ſolùm interiores capitis dolores ad radices uſque oculorum pertingere. At verum non eſt: ſuccingit enim pericranium oculorum orbitas, efformatque primam eorundem tunicam adnatam, ſeu conjunctivam dictam. Cæterùm Hemicrania, & aliæ doloris ſpecies ex conqueſtu patientis notæ fient.

Cauſæ pariter Cephalalgiæ coniici poterunt ab his, quæ ab adſtantibus, & ægro referuntur, ex aſſumptis cibis, ac potibus, vigiliis, & exercitiis immoderatis, egeſtionibus, aut retentionibus excrementorum, animi pathematis, aliiſque. Conjectamus autem dolorem à ſanguine procedere, ſi præceſſere ejuſdem ſuppreſſiones, qui aut ex hæmorrhoidibus, aut ex utero, aut ex naribus periodicè fluere conſueverat. Erit à liquoris nervorum vitio, ſi cephalalgia ſtatutis quibuſdam horis invadat, & repetat, præſertim manè, & à ſomno, vel tempore diſtributionis alimenti; vel quando chylus cum remeante ſanguine permiſcetur, & in arterias carotidas traducitur. A ſero, ſeu lympha; ſi cum catarrho, urinis copioſis, & turbatis, humore narium, & ſudoris conſueti ſuppreſſione fiat, 4. aph. 70.
præſertim ſi vigeat in conſtitutione pluvioſa, aut immoderatos potus, & aquoſos cibos ſequatur.

A tuberculis, tumoribus, abſceſſibus, aliiſque Cephalalgiam ſuſpicabimur, cùm præter graves, & diuturnos dolores, cerebrum ſopore gravatur; neque tam facilè, etiam efficaciſſimis remediis morbus cedit. Pari modo conjectandum de calculis ibidem genitis, aut de vermibus, niſi

quòd

quòd in his dolores erunt erodentes cum frequenti vertigine, præsertim in motu capitis, fœtor per os, & nares exhalabit, quæ pruritum etiam patientur cum sternutatione, ut observat Sennertus. Quòd si puris egestio compareat, vel per aures, vel per nares, aut palatum, certum indicium erit maturati, & jam dirupti apostematis.

A mala suturarum, aut meningum conformatione dolor erit diuturnus, nullis remediis cedens, & à crapula gravior evadet: fortè etiam apparebunt notæ malè conformati capitis.

At verò idiopathicus à sympathico distinguetur; quandoquidem ille continuus est, & in capite vitium arguit, cum aliqua animalium operationum læsione; hic verò erit interruptus, atque aderunt reliquorum viscerum, præcipuè naturalium, affectiones. Porrò solet potissimùm consentiens iste dolor à ventriculo, liene, mesenterio, pancreate, & utero pendere, unde nauseæ, infirmæ, vel tardæ digestiones, inflationes, ructus, alvi durities, & alia in hypochondriis symptomata percipientur.

Quamvis autem ex his prudens Medicus plerumque probabiliter coniiciat de variis, diversisque causis Cephalalgiæ, non rarò tamen eumdem falli contingit; siquidem dolor creditus ab una causa esse, detectus est habuisse ortum ab alia omninò diversa, facta nimirùm sectione cadaverum ejuscemodi morbi genere interemptorum. Quamquam & in hoc etiam non levis error accidere possit, cum plurima fieri possint in ipsa extrema vitæ periodo, perturbato nimirum in suis operibus universo Naturæ ordine, ut quæ prius neutiquam extiterant, repentè accidant.

A causis externis illatus, solutu facilior esse solet, difficilior verò ab internis. A phlegmone, absceſſu, pure, tuberculis, calculis, & vermibus, inferre solet deliria, coma vigil, vel somnolentum, motus epilepticos, apoplexiam, paralysim, surditatem. Novi quendam diuturno capitis dolore vexatum, tandem surdum evasisse, facta scilicet post longum tempus purulenti humoris depositione ad aures, unde diù, & abundanter ille effluxerat. Qui à mala capitis, & meningum conformatione ortum ducit, insanabilis censendus est. Si præterea cum acuto capitis dolore exteriora frigescant, urinæ pellucidæ excernantur, atque accedat vomitus varius, & multorum colorum; sonitus aurium, vertigo, aut manuum torpor, malum ex Hippocrate. Quandoque etiam dolor capitis, qui citra causam, vel evacuationem, repentè desiit, lethum prænunciavit, resoluto nimirum sensu, & mente abalienata; At si gravem cephalalgiam consequatur narium hæmorrhagia, salutare: sicut pariter eruptio puris, aquæ, vel sanguinis per os, nares, aut aures 6. *Aph.* 10. Verumtamen semper timendum à gravi, & vehementi capitis dolore.

7. Aphor. 1. Coac. præn. 2. r. Prorrhet.

Curarunt quoque illum diversis modis, prout diversas ejus causas suspicati sunt. Galenici post institutam refrigeratorii victus rationem, phlebotomiam præcipiunt, ex pede primùm, si dolor sympathicus putetur; deinde ex brachio; mox etiam ex mariscis usu hirudinum, ducti documento Galeni 1. *Aph. comm.* 23. dicentis. *In maximis doloribus nullum majus inveni remedium, quàm usque ad animi defectionem evacuare.* Postmodùm dolore adhuc perseverante cathartica exhibent, ac interjectis quibusdam diebus, decocta, capitalia dicta, cum radice chinæ, & jura

jura alterata; adiiciunt suturæ coronali emplastra, etiam quæ vesicas excitant, ac tibias, & brachia cauteriis inurunt. Quæ sanè nedum in hoc, verum etiam in aliis diuturnis capitis affectionibus in frequenti usu habent.

Alii distinctiùs procedere se putantes, atque singulis causis, congruentibus medicamentis occurrere; si à restagnante sanguine in meningibus, vel plexibus, dolor oriatur, quia aliquando evenit, ut sponte sua dilatatis narium venis, hæmorrhagia morbum judicet, cùm naturam deficientem vident, arte conantur ejusmodi evacuationem promovere, fortiter emunctis, vel perfricatis naribus, ut indè sanguinem eliciant. Si verò hac industria uti minimè liceat, venam secant, præsertim in adolescentibus, atque assuetis, fulti etiam authoritate Hippocratis, qui dolente parte posteriore capitis, rectam venam in fronte sectam prodesse scribit 5. *Aph.* 68. At prudentiores victum tenuem commendant, & olera; carnes, & vina meraca prohibent. Si his non desinat, utuntur alkalicis; & si sanguis acritudinem sapiat, etiam acidis temperatioribus, & narcoticis.

Si phlegmones, aut abscessus timeantur, prodesse ajunt dissolventia, & sudorifica; ut sanguis hircinus, sperma ceti, mumia, cornu cervi philosophicè præparatum, decoctum ejusdem, oculi cancrorum, pulvis castorei, extractum hyperici, bezoardicum quodcumque, antimonium diaphoreticum, mercur. diaphoreticus, cinnabaris antimon. suffitus ex mercur. & alia hujus generis plura: quæ etiam locum habere dicunt, si vitium sit in principio nervorum, & in liquore eorundem; Interim verò spinam universam convenientibus oleis, aut cerotis fovent, puta essentia anthos, lavendulæ, nucis myristicæ, unguento nervino, spiritu vini, aliisque.

Cum lympha, vel serum doloris causa sunt, unde oculi etiam, palatum, & guttur infestantur, ut in catarrhis; optimum remedium arbitrantur urinam, & sudorem promovere, cùm & Natura sponte sua soleat per ejusmodi vias superabundantem lympham salubriter deponere, febre præsertim comite. In iis verò, qui frequenter huic incommodo subjiciuntur, & distillationibus veluti per periodos affecti, sæpiùs de cephalæa conqueruntur, hydroticis medicamentis occurrere satagunt, & antequam serosi humores in prædictas partes irruant, aliò avertere, & foras exturbare: Quare provocantur expuitiones, nares ad sternutamenta irritantur, fortiterque emunguntur, vomitus, si præcipuè ventriculus consentiat, concitatur, & alia peraguntur, quæ si humorem non omninò tollunt, magna saltem ex parte minuant. Ad hanc rem exhiberi solent cum fructu sequentes pilulæ pluries iteratæ, quæ ex his constant: *Re-sinæ, vel extracti jalapæ gr. v. meruss. Antimon. & cryst all. tart. singulorum gr. xii. pilul. de succino dr. i. cum oleo macis, vel simili redig. in formam pilul. & mane assum. superdorm.*

Pro corporibus insuper humidiori constitutione præditis magnoperè commendant pilulas Rufi, & aloeticas, aromaticum rosatum, diarhodon, elixir proprietatis simplici infusione paratum. Invaluit nunc etiam usus decocti *Coffe*, & herbæ Thee, & quidem cum juvamento eorum, qui languore stomachi, & cerebri tenentur. Cæterùm ratio victus attenuans semper confert, vitatis iis, quæ tum intrinsecùs, tum

tum extrinsecùs humefacere valent.

Quòd si dolor capitis symptoma sit scorbuticæ, vel hypochondriacæ affectionis, tunc conducibilia erunt antiscorbutica medicamenta, & ex chalybe parata, de quibus alibi. Ab infarctu verò vitiosorum succorum in Pancreate, Mesenterio, ventriculo, aliisque adjacentibus partibus, conferent leviter purgantia, & simul corrigentia, ex Aloe, & Rhabarbaro composita, pilulæ tartareæ, tartarum vitriolatum; quinimmò Hartmannus commendat infusum croci metallorum sæpiùs exhibendum in aqua betonicæ, aut menthæ. Insuper sal absinthii, & centaurii: electuarium, extractum, & spiritus baccarum Juniperi: pulvis stomachicus, & cachecticus Quercetani, elixir proprietatis Helmontii, spiritus cochleariæ; quæ pariter proderunt in Cephalæa ab utero dependente, ac præterea tinctura succini, essentia croci, extractum castorei, & granorum actes, fæcula bryoniæ, & alia plura suo loco latiùs dicenda. Si denique à venerea contagione ducat originem, antivenereis curanda erit, de quibus alibi.

Cæterùm à vermibus, calculis, aliisque in cerebro genitis, sicut raro accidit, ita rarenter medicabilis. Testatur tamen Forestus, plerosque Cephalalgia à vermibus sanatos decocto raphani in frusta concisi in vino Cretico. Et Sennertus in hanc rem laudat suffitum ex centaurio minore, marrubio, absinthio, betonica, antimonio, succino: atque cerotum loco dolenti applicatum ex aloe, pulvere lumbricorum, felle taurino, & oleo absinthii cum cera, ut apud eundem legere est. At verò à mala futurarum, & meningum conformatione, nullam curationem admittet. Lib. 1. practic. p. 1. c. 18.

Quæ hactenùs proposita sunt causas Cephalalgiæ potissimùm respiciunt. Jam nonnulla specialiora recenseamus, quæ experimentis probata sunt dolorem quemcumque sedare, vel saltem capite dolentibus succurrere. Et quidem dolorem leniunt omnia narcotica, præsertim verò laudanum opiatum, seu nepenthes Quercetani dictum, pilulæ de cynoglossa, & de styrace, requies magna Nicolai, philonium utrumque, theriaca recens, & similia intrinsecùs assumpta. Extrinsecùs verò adhibita unguenta, & decocta ex mandragora, hyoscyamo, solano, papavere, lactuca, nymphæa, quibus caput, & tempora, vel etiam plantæ pedum abluuntur, liniunturque, ut præsertim fieri solet unguento populeo, & somnifero Schroderi in sua *Pharmacopœa*.

Speciatim quoque referuntur Cephalalgiam tollere verbena viridis collo suspensa, quousque exaruerit, ex Foresto; vel etiam contusa, & capiti imposita ex Hartmanno, qui eamdem opem præstare ait radicem plantaginis similiter collo suspensam, & aquam verbenæ distillatam, ac sæpiùs epotam ad uncias IV. cum gutt. IV. spiritus vitrioli. Fatetur Bartholinus, liquorem ex radicibus nucis juglandis primo vere per incisionem elicitum, & epotum, esse singulare experimentum nuper in Anglia detectum; sicut etiam in doloribus articulariis mirabiliter prodesse alii testantur. Describit Forestus unguentum Alabastrinum, (quod solùm in dosi differt ab illo Hartmanni in *Practica chym. hoc eod cap.*) illudque mirabile prædicat in omnibus doloribus capitis, præcipuè à contusione. Nonnullis sunt in usu folia hederæ teneriora fronti, & temporibus apposita. Nicolaus Chesnau extollit ranunculi folia virentia, quæ ad miraculum

V. Gal. 2. de compos. med. s. loc. c. 1.

Cent. 3. hist. 97.

culum capitis dolorem fugare ait, si in modum emplastri dolenti parti applicentur. Fernelius componit pilulas quasdam ex aloe, speciebus electuarii de gemmis, tribus santalis, & rosis punicis, cum syr. absinthii, & violarum. Paracelsus succum cancrorum fluvialium expressum temporibus applicat, præsertim in febribus malignis. Et Rulandus cancros vivos cum aceto rosaceo in mortario pinsit, & pro epithemate adhibet. Hartmannus verò aceto ros. primùm irrigat, deindè contundit, atque malagmatis loco, dolenti parti admovet. Referuntur ab eodem Hartmanno plura alia medicamenta, tam interna, quàm externa, & sive dolor à causis calefacientibus, sive refrigerantibus credatur inductus, quæ apud ipsum legi poterunt.

DE LETHARGO, cæterisque Soporiferis affectibus.

SOmnus gravis, & profundus sopor, cum levi febre conjunctus, Lethargus dicitur Galeno: Idipsum etiam significat λήθη, nimirùm soporem cum oblivione; quare à plerisque is describitur, Inexpugnabilis dormiendi necessitas cum omnium rerum oblivione, & animalium operationum læsione, febri lenta, sed continua, comite. At Latini Veternum appellant, licèt Plinius hunc potiùs cum Caro confundere videatur. Lib. 28. cap. 17.

Affines huic morbi sunt Coma, & Carus, quamvis in Comate potiùs adsit propensio in somnum, gravis tamen, & invincibilis; Carum verò comitatur sopor longus, & profundus.

Coma, vel vigil, vel somnolentum dicitur. Vigil quidem, cùm ægri clausis oculis dormire videntur, reverà tamen vigilant, & delirant. Somnolentum verò, cùm reipsa dormiunt; quin si excitentur, & oculos aperiant, denuò in soporem delabuntur.

Deest insuper in Caro, & Comate somnolento, seu Cataphora, febris, quæ si aliquando cum his jungatur, potiùs præcedit, quàm consequitur; licèt hoc non tanti sit, ut Therapeiam plurimùm immutet.

Causam profundi soporis faciunt vetustiores Medici cum Galeno humorem pituitosum, cerebrum ad frigidum, & humidum disponentem; quin & Avicenna frigidum Apostema ibidem procreari, ait; quamobrem Lethargum dicit frigidum cerebri Apostema, undè gravamen, & torpor universalis insequitur. Idem etiam Galenus *somnum fieri*, ait; *refrigerato cerebro*; *quæ refrigeratio cùm fortis fuerit*, *mixta quidem humiditati*, *facit lethargicas passiones*. 2. Aphor. Comm. 3. In hanc eandem sententiam visus est concedere Aristoteles *lib. de somno*, *& vigilia*.

Sed attenta aliquorum natura, quæ somnum inducunt, etiam aliquandò excedentem naturæ usum, citrà refrigerationis sensum, jure optimo suspicabimur causam soporis, & veterni non posse esse frigidam intemperiem, qualis ponitur à pituitoso humore. Vinum enim merum, & immoderatiùs sumptum, aquam ardentem, seu vini spiritum, cerevisiam, succum fragorum, opiata omnia, præsertim theriacam recentem, philonium utrumque, mithridatium, & plurima ex venenis, quæ communi voto inter calefacientia referuntur, soporifera esse apud omnes constat. In sulphure etiam vitrioli vis inest Narcotica, licet id fixum sit, & dulce, adeoque calidum dicatur. Cibus ipse, quo assiduè vescimur, etiam si aromatibus condiatur, mox somnum

con-

conciliat: & quæcumque ebrietatem afferre poſſunt, pari ratione gravem ſomnum inferunt, undè dicitur 5. *aph.5. Si ebrius quiſpiam repentè obmutuerit, &c.* cùm tamen eà calida recenſeantur.

Quia prætereà Galenici volunt cauſam lethargi pituitam, in cerebro putreſcere, itaut vapores calidos ad cor demittat, qui febrim lentam pariant; rem magis implicant, quàm explanant; quamobrem eos redarguit Platerus *hoc loco*, conſentitque Sennertus cum aliis plurimis, qui febrem cum lethargo conjunctam, potiùs primariam, quàm ſymptomaticam contendunt; quinimmò Sylvius Deleboe arbitratur, neque cerebrum in lethargo primitùs affici, ſed ipſum ſanguinem; & quamvis caput grave ſit lethargicis, poſſe tamen, ſubdit, hoc à vaporibus, aut humoribus cum ſanguine ad cerebrum delatis exoriri. Attribuunt autem iſti humoribus, ſeu vaporibus cum ſanguine miſtis, narcoticam quandam vim, cujus cauſa cerebrum tam malè ſopiatur.

Prax.Medic.lib.2. c.29.

Verùm tametſi facilè concesſerim, febres plerumque lethargum comitante à ſanguine eſſe; vix tamen crediderim illas aliter oriri non poſſe, & præſertim ab iis, quæ in cerebro continentur. Sectionibus namque cadaverum, quæ hoc mortis genere ſupremum diem obierunt, compertum eſt, cerebrum multò ſero ſuffuſum, aut purulento humore gravatum, vel etiam tumoribus meningum, corruptione, & ſphacelo, aut aliter affectum fuiſſe; ut ex pluribus colligit Bonetus. Et licèt quæ per ejuſmodi diſſectiones in cerebro lethargicorum reperta ſunt, effectus, non cauſæ lethargi probabiliter dici poſſint, ut prudenter monet Sylvius *c. loco*; quis tamen inficiabitur vitium aliquod in cerebro præextitiſſe, quod effuſionis puris, alteriuſve humoris cauſa fuerit?

Lib.1.Anat.pract. ſ.3.

Alibi diximus ſomnum conciliari cum nervorum fibræ, qua parte cerebro cohærent, aliquantulum craſſeſcunt, laxantur, aut flacceſcunt, ut non tam expeditæ ſint ſuis functionibus obeundis; nunc verò ſuperaddimus ex morbo eſſe, cùm diutius, vehementiùſque, quàm par ſit, offenduntur, ac tumefiunt, unà cum cerebri gravamine, vel meatuum, ejuſque vaſorum infartu, obſtructioneque. Contingit autem, cerebrum in lethargicis diverſimodè lædi: aliquandò à ſuperincumbentibus meningibus tumidioribus, aut juſto humentioribus: aliquandò à ſeroſa, aut aquea colluvie gravante, vel ipſius corticis poros opplente: nonnunquam à vaporibus ſolitò abundantioribus, craſſioribuſque, ex crapula, aut à prava ciborum, vel medicamentorum, præſertim narcoticorum conditione ſuggeſtis, vel etiam à maligna ſanguinis habitudine, aut liquore nervorum vapido, acido, aliterve vitiato, potiſſimùm è viſceribus hypochondriorum; undè Helmontius ſoporem quemcumque è ſuo *Duumviratu* proficiſci docet: interdum à pure, vel ſanguine extra proprios ductus vagante: quandoque demum ab halitibus minerarum, præſertim antimonii, & mercurii, aut fumo carbonum, & fermenteſcentis muſti vapore. His accedit mala capitis conſtitutio, ejuſque textura, vel denſior, vel laxior, ob quam facilè alterantibus quibuſcumque ſuccumbat, & hebetetur. Verùm hæc ad habilitatem corporum potiùs pertinent.

Atque hinc fit, cur ſoporati non ſemper iiſdem, ſed ſæpenumerò diverſis ſymptomatis corripiantur, & modò Vigiles, modò Comatoſi, vel Caro-

Carotici, immò & Apoplectici, Cataleptici, aut Convulsi observentur; atque affectus isti à plerisque confundantur, vel parùm inter se differre putentur.

Tumefiunt Meninges, atque ab his cerebrum gravatur in abscessibus, vel à superabundanti lympha, in catarrhis initiantibus. Humescit verò, & oppletis poris opprimitur, à sero, vel lympha è diruptis vasis effusa. Vaporibus plurimis obtunditur, & inficitur à crapula, & ebrietate, fumo carbonum, venenis, narcoticis medicamentis, febribus malignis. Pure, vel sanguine restagnante suffunditur in casibus, & ictibus, ut dicitur 7. *Aph.*14. *&* 58. Mala demum capitis constitutione cerebrum; vel arctè nimis constipatur, vel plusquàm natura exigit, delaxatur, & viribus fatiscit; undè torporem, ac stuporem perpetuò patitur, ut in nonnullis natura ad soporem maximè proclivibus expertus sum.

Crediderim autem lethargum specialiter febrim comitari, cùm vaporum, qui per cerebrum, ejusque corticem præcipuè sunt diffusi, conveniens perspiratio impeditur; undè levis, sed indebita excitatur fermentatio, ex qua subindè febris lenta, ad eum fermè modum, quo experimur consimiles febres exoriri ab obstructis, & tumefactis glandulis, à cohibito sudore, vel præpedita per cutim transpiratione: In Comate vigili potiùs Meninges inflammari, aut acriori sanguine restagnante irritari, qua parte præsertim cerebro substernuntur; undè Erysipelatis speciem subeant: Coma verò somnolentum, & carum consequi gravantes, & humefacientes humores; atque figentes, & congelantes Catalepsim, ac Convulsionem. Verùm de his fusiùs infrà.

Soporatos dignoscere facillimum: sunt enim adeò profundo somno gravati, ut vix excitari queant; etiamsi clamores, & tormenta adhibeantur; & si quandoque expergiscuntur, denuò relabuntur in somnum, & non rarò incommissis palpebris. Lethargici autem dicuntur cùm præter soporem, inertiam, & oblivionem, lenta febre detinentur; siquidem in Caro, & Comate febris deest, vel saltem præcessit, & quidem mali moris. Differt prætereà Lethargus à Catalepsi, quia in hac æger quasi obriguisse videtur, cùm jaceat in eodem situ, in quo correptus fuit, pedibus, aut manibus contractus, & apertis, ac inconniventibus oculis, videt quidem, auditque, licèt loqui non possit. Differt pariter ab Apoplexia, siquidem hæc repentè invadens, privat omni sensu, & motu patientes, non leviter etiam læsa respiratione, at citrà febrim. Internoscitur denique coma Somnolentum à Vigili, seu (ut aliis dicitur) Typhomania; quòd in somnolento reverà æger dormiat, in vigili verò insomnis sit, immò vocatus respondet, ac perpetim clausis oculis obloquitur.

Num verò ab hac, vel illa causa sopriferi hi affectus sint progeniti, difficilioris est inquisitionis. Nam plerumque ita signa unius conveniunt, confunduntur que cum signis alterius; ut etiam accuratiores Medicos fallant; undè cùm crederetur serosus humor causa soporis, in dissectione cadaverum, se se obtulit Apostema, & viceversa: quandoque etiam neque quid sensibile in cerebro patientis inventum est. Solent tamen non rarò turbidæ, & copiosæ urinæ, seri, aut lymphæ copiam designare, sicut pariter constitutio ægrotantis humida, consimilis victus ratio, color cutis pallidus, pulsus mollis, facilis sudor, tempus hyemale, aut austrinum, &

plu-

pluvioſum. Suſpicabimur abſceſſum, cùm multo anteà præceſſerit capitis gravitas, torpor corporis, ſenſuum hebetudo, præteritarum rerum oblivio, vel alius cerebri affectus, aut acuta febris. Ad cibum, & vapores caput infeſtantes, referemus, cùm crapula, & ebrietas anteceſſit, vel cibi ingeſti fuerint pravæ conditionis, ut fungi, tubera, cicuta, lactuca, ſolanum, papaver; vel æger hauſerit malignos halitus minerarum, mercurii, carbonum, muſti fermenteſcentis, & ſimilium. Sanguinis, aut nervorum liquoris vitio tribuemus, ſi maligna, aut peſtilens febris ægrum divexat, vel perdiù viguit affectio ſcorbutica, aliuſve generis, unde acor, & exſolutio illorum cum languore univerſali deducatur. Sanguinis, aut puris in cerebro congeſtio deſignabitur, ex præcedenti contuſione, aut vulnere, cum ejuſdem ſanguinis per nares, & aures exitu. Et denique tanti mali cauſam conjectabimus malè conformati capitis vitium, ſi cætera deſint, & ejuſmodi deformitatis indicia à nativitate perſiſtant; unde ſomniculoſus æger torpidus, & ſtupidus apparuerit.

Ad Prognoſim quod ſpectat, Lethargus periculoſus eſt, & plerumque lethalis, eoque correpti in ſeptem
V.6.aph. 51. diebus pereunt, ex Hipp. 2. *de Mor-*
Cap. 13. *bis*: quod etiam confirmat Celſus *lib. 3. cap.* 21. & Galenus 4. *de Cauſ. pulſ.* Peripneumonia periculoſiorem eſſe ſcribit. Si præterea tremor superveniat, urinæ tenues, & claræ reddantur, alvus multa, & liquida egerat, ſudor frigidus circa caput appareat,
V. 3. de Morb. majus malum. Contrà verò ſperanda ſalus, ſi ultra ſeptimum protrahatur, ſi purulenta materia per aures, & nares egeratur, aut Parotis die critico erumpat, vel alia conveniens evacuatio ſuperveniat, ex eodem Hipp. *cit.* 2. *&* 3. *de Morbis*, & *in Coacis prænotionibus*. Cæterùm ſomnus, & vigilia, utraque ſi modum exceſſerint, malum dicitur 2. *Aph.* 3. & ubi ſomnus laborem facit, lethale. *ibid. Aphor.* 1. Carus autem Comate pejor eſt; & Lethargo, ac Caro, Catalepſis; quamobrem raro ab his evadunt ægrotantes.

Pro curatione Galenici plura adhibent. Primùm balanis, & clyſteriis alvum pluries exonerare conantur: mox in Lethargo venam ſecant ob adjunctam febrim: frictiones, & cucurbitulas, etiam cum cutis inciſione, cruribus, & ſcapulis applicant: protinùs quoque catharticum propinant, præſertim ex pilulis aliquo liquore ſolutis: veſicantia admovent: Catellos, Gallos, aut Pipiones per dorſum diſſectos, atque adhuc calentes ſuturæ Coronali imponunt, & fronti oxyrhodina, naribuſque acerrima indunt; & cùm hæc non ſatis eſſe viderint, capillos ægrotantium cremant, & verticem capitis candenti ferro inurunt, ut illos alto ſopore detentos excitent, & in vitam, ut credunt, reducant.

Verùm curandi methodus rationabiliùs à cauſis petenda. Cùm tumoris, aut abſceſſus in meningibus ſuſpicio eſt, ea probantur, quæ ejuſdem reſolutionem, aut diruptionem, atque per ſua emunctoria repurgationem promovere poſſunt, ut ſunt omnia diaphoretica ſuperiùs memorata; quamvis nec his plerumque morbus cedat, nec aliis violentioribus, præſertim cùm nequeant medicamenta cerebrum pertingere, & apoſtema ibidem genitum diſſolvere.

Cùm ſuperabundantis ſeri, aut lymphæ, ſeu mavis dicere pituitoſi humoris, indicia adſunt, purgantia locum habebunt, & quidem validiora; tum quia ob ſopitos ſenſus, nec

ventriculus, nec reliqua viſcera tam facilè ad exoneranda corporis excrementa concitantur; tum etiam quia adhuc à remotioribus ductibus humores ſubducere expedit, ut qui in Cerebro reſtagnant, commodiùs indè deponi poſſint, & aliò divertere. Quamobrem licebit uti medicamentis ex colocynthide, ſcammonio, agarico, jalapa, gummi guttæ, carthamo, & ſenna compoſitis. Salutaris præ cæteris eſt uſus extracti catholici, & pilularum ex tribus Galeni, cochiarum, aggregativarum dilutarum in aliquo convenienti liquore, ut faciliùs à ſoporato deglutiantur; quibus addi poteſt Caſtoreum verum, & ſal volatile ſuccini. Conferent præterea, quæ ſalivam, & ſputum movent, quibus Hippocrates *cit.lib.3.de Morbis*, univerſam curationem concredidit. Ad hæc, ſudorifica, præſertim ſal volatile cornu cervi, & viperinum bezoarticum joviale, vel minerale, ſtibium diaphoreticum, ſimul cum roborantibus cephalicis, diambra, diamoſcho, diaplire, confectione alkermes, vel tincturis eorumdem, optima erunt. Caſtoreum etiam, ejuſque magiſterium, vel eſſentia maximè commendatur, ſicut pariter ſpiritus ſalis ammoniaci ad aliquot guttas exhibitus in convenienti liquore. Externè verò proderit balſamum rutæ, oleum nicotianæ diſtillatum, eſſentia lavendulæ, & roris marini, ſpiritus ſalis ammoniaci.

Cùm à crapula, & ebrietate ſopor ortus eſt, vel provocetur vomitus, & quidem quàm citiſſimè; vel pannis contectus æger, ut temulentiam ſomno deponat, eouſque dimittatur. Proderit etiam vomitus, cùm ex ventriculo pravis humoribus repleto caput gravatur, & in ſoporem delabitur. Concitetur autem ille emeticis ex vitriolo, antimonio, aut mercurio. Vel oxymel ſcilliticum, aut oxyſaccharum Angeli Salæ ſorbendum detur. Poſteà verò cùm ſtomachus, tum caput roboretur, & peculiaribus, propriiſque remediis foveatur.

Pari modo procedendum in ſopore à Narcoticis induto, promoto nimirùm, ſi commodè fieri poſſit, protinùs vomitu, ac præterea ſpecialibus antidotis vim veneni retundentibus congruenter adminiſtratis. Cùmque ut plurimùm ab opiatis immodicè, vel intempeſtivè ſumptis cerebrum ſopiri poſſit, proindè quàm citò ad ſua antidota confugiendum. Galenus 8. *de Compoſ. med. ſ. l.* Caſtoreum ſcribit opio obſiſtere, illudque vocat Avicenna hujus theriacam, & Guainer. *de venenis* bezoar. Dicitur aliis antidotum opii, vinum Creticum, ut teſtatur Gaſpar Hofmann. *animadverſ. in Mont.* ex Galeno *lib.3.de ſimpl. med. facul. cap.* 20. qui vinum calidum, vetus, generoſum, polyphorum, præſentiſſimum opio ſumpto remedium eſſe docet: confirmantque Rondeletius, Grevinus, aliique. Dioſcorides *lib.5.cap. de ſale*, contra hauſtum opium, & fungos, ſalvia cum oxymelite bibi, ait: idemque repetit *lib.6.cap. de Meconio, & Opio*: ubi plura alia ad aſſumptum opium commemorat: præ cæteris autem merum cum abſynthio, aut cinnamomo; Origanum cum lixivio; Piper cum Caſtoreo, & aceto mulſo, Acetum ipſum calidum; Decoctum saturejæ, & origani cum vino; Decoctum etiam herbæ Thee, Salviæ, & Roriſmarini ad epotum opium contuliſſe vidi. His addi poſſunt acida, quæ ſulphur Narcoticorum obtundunt, præcipitant, aut invertunt. Bacc. *lib.7. de Therm. cap.23.* commendat Balneum aquæ tepidæ, præſertim cùm ſoporati ingenti pruritu crucientur ab aſſumpto opio. At verò ſtupidi ex pravis

cap. 3. lib. 3. f. 13. tr. 5. c. 13. & lib. 4. f. 6. tr. 1 cap. 1. cap. 6. cap. 7.

vis halitibus in liberiorem aerem ducantur, nares aceto ſæpiùs abluantur, vel ſpongia aqua gelida, & odora imbuta facies madefiat: Cordi verò apponatur mica panis calida vino generoſiori irrorata; vel ejus loco theriaca vino diluta.

Cùm ſopor febri adnectitur, quæ procul dubio maligna erit; vel peſtilens, oppugnandum iis, quæ ejuſmodi febribus occurrere præſtò ſunt, aut vitium in ſanguine, ſuccove nervorum inductum auferre poſſunt, & utriuſque naturalem habitudinem reſtaurare. De qua re alibi. In hanc rem tamen valdè proderit Sal volatile ſuccini, & cornu cervi, elixir Magnanimitatis, ſpiritus cochleariæ, ſpiritus ſanguinis, & ſalis ammoniaci dilutus, elixir proprietatis deſcriptione Helmontii, oleum cinnamomi, ſal eſſentiale tartari, & id genus alia. Quòd ſi ſanguis, & liquor nervorum vitium contraxerint à Pancreate, Meſenterio, Liene, aliiſque viſceribus imi ventris, ut in Scorbuto, & Hypochondriaco affectu; tunc antiſcorbutica, & antihypochondriaca, præcipuè acidum infringentia, locum habebunt.

A ſanguine extra proprios ductus ſtagnante, vel à pure effuſo per Meninges, & cerebri corticem, illatus ſopor curabitur (præter ea, quæ Chirurgi periti operam expoſtulant) grumos ſanguinis diſſolventibus, &, quoad fieri poterit, ſimul cum pure evacuantibus. Quare non levem opem afferet in principio pulvis contra caſum Meſuæ, ſanguis hircinus in decocto rubiæ tinctorum, ſperma ceti cum extracto hyperici, aut balſamo ligni guajaci: Itemque potiones vulnerariæ dictæ, cum balſamo ſulphuris ex oleo aniſi, vel juniperi; oleum ſuccini diſtillatum, ceruſſa Antimonii, tinctura ejuſdem: præter fotus externos ſuturæ Coronali, & Sagittali, temporibus, auribus, naribus, & palato adhibendos, ex aqua ardente, & oleis ſtillatitiis ceræ, caſtorei, lavendulæ, roriſmarini.

Poſtremò quià mala capitis conſtitutione ad ſoporem, & lethargum proclives obſervantur, præcaventibus potiùs, quàm curantibus muniri poterunt, tum evitando alias cauſas, tum etiam artificioſa induſtria caput in meliorem ſtatum reducendo; tum denique cerebrum roborando, ut obſiſtere valeat cauſis internis, & externis, ne in ſoporem altum, gravemque delabens, vita tandem defungatur.

Quæ ſpecialiter poſtremò lethargicis, ac ſoporatis auxiliantur, proindeque antilethargica appellata, referuntur, externè quidem, oleum nicotianæ, ſuccini, & balſamum rutæ naribus admotum, & ſyncipiti, ac temporibus illitum. Spiritus ſalis ammoniaci, ſi ex phiala oblongo collo olfactandus detur, mirificè excitat, & cerebri recrementa per nares allicit. Hartmannus commendat litum ex oleo caſtorei cum ſucco rutæ, & fœniculi; itemque emplaſtrum ex ſucco apii, aceto acerrimo, & pulvere caſtorei abraſo capiti ſuperponendum. Proponit Paracelſus in ſopore, qui febribus malignis, & peſtilentibus ſupervenit, fotum quemdam, quem mirabilem prædicat, eſtque, ut ſequitur: *Fol. beton. amarac. & ſalviæ, flor. ſambuci, & roſ. ſylveſtr. ſingulorum m. j. bull. in ſuff. quant. acet. roſ. & vini albi; tùm prædictæ herbæ exprimuntur; & calentes capiti circumponuntur, & cùm refriguerint, denuò calefiant in prædicto decocto, & iterùm admoveantur, aliquoties repetendo; nam ſubindè ſopor ille lethalis expugnatur.*

Alium describit Riverius efficacissimum, qui habet: *Angel. Zedoar. & Imperat. singul. unc. j. fol. beton. salv. rorism. singul. m. j. saturejæ, rutæ, amar. & flor. lavendulæ singul. m. ß. bacc. lauri, & juniper. singul. unc. j. ß. coq. in suff. quant. acet. & cum spongiis capiti abrasos. fotus.*

Sternutamentum moventia, etiam optima sunt. Ex pluribus autem summè contulisse refert Fridericus Deckers *in notis, & observ. ad Praxim Barbett. de Lethargo* hunc pulverem naribus inditum, qui continet: *turbith. mineral. scr. ß. glycyrrh. pulv. dr. ß.*

Utilis quoque est pulvis compositus *ex beton. roremar. puleg. castor. & cyclam. naribus exceptus.*

Internè verò præstantissimum est Castoreum, ejusque extractum, magisterium, vel essentia. Borellus *cent.* 1. *obs.* 52. ductus authoritate Tralliani, Rufi Ephesii, & Oribasii, narrat se curasse lethargicum usu Castorei cum subdupla portione scammonii, addito oxymelle. Myrrham etiam, & Thus deglutitum somnum discutere nonnulli testantur. Cardilucius in *Officin. sanit. cap. de aff. sopor.* salutaris usus esse scribit spiritum sulphuris acidum, vel vitrioli in dosi dr. j. & ultrà, in aceto vini instillatum. Addit insuper in defectu horum spirituum, exhiberi posse decoctum calidum chelidonii majoris in libra 1. aceti ad dosim iij. vel iv. unciarum per vices patientis ori infundendum. Dominicus Leonus relatus à Sennerto, quemdam Empiricum memorat retulisse, succum consolidæ minoris ad unc. 11. haustum, lethargo, & caro laborantes excitare. Ipse verò Sennertus sulphur lunæ cum extracto castorei aliis præfert. Apud Jo: Bapt. Du-Hamel mentio fit quarundam pilularum lunarium valdè efficacium in omnibus affectibus cerebri soporiferis, earumque compositionem deberi ait Roberto Boylæo. D. Michael. magni facit spiritum Veneris: & Hofmannus junior spiritum volatilem vitrioli verum, & philosophicum, vel simplicem, vel cum spiritu salis, & aquis cephalicis commistum. Inter hæc suum habet locum Camphora tum interiùs, tum exteriùs adhibita. Georgius VVolffgangus *in sua Opiologia* laudat essentiam Castorei, elixir Cephalicum cum spiritu salis ammoniaci, spiritum formicarum volatilem tùm externè, tum internè. Ab Helmontio, sopores tam morbosi, quàm artificiales, sive opiatorum, efficaciter debellantur per lixivia, quæ multò anteà commendata fuere à Dioscoride *lib. 6. cap. 17. de Meconio*, ubi origanum cum lixivio, aut passo, inter plura alia opii antidota commemorat. Idemque Helmontius radicem carlinæ, ejusque succum, & extractum, somnum arcere scribit, multòque magis sopores modum non servantes.

(Margin: Lib. 1. pract. p. 2. c. 32. — cap. 20. — de corp. aff. p. 2. — tit. jus duūvir. n. 31.)

DE EPILEPSIA.

Terribilem affectum illum, quo ægrotantes illico præhensi, veluti fulmine icti, in terram concidunt, spumam emittunt, capite, collo, oculis, manibus, pedibus, totoque corpore convelluntur, ac dentibus strident, cum mentis, & sensuum læsione, Epilepsiam Græci vocarunt. Hippocrati dicitur Ἱερὸν νόσημα, ideſt Sacer Morbus, quòd omninò detestabilis, & abominandus sit. Dicitur etiam Herculeus, sive quòd Hercules eo affectus referatur, ut meminit Aristoteles *in problem.*; sive quia magnitudine, & sævitia Herculeum robur effert, ex Galeno *6. epidem. in fine*; unde Celsus *lib. 3. cap. 27.* Majorem

rem morbum illum appellavit. Dicitur quoque Puerilis, eo quòd pueris familiarissimus sit. Similiter Comitialis, Caducus, Lunaticus, Cælio Sonticus, & Morbus, qui insputur, Plauto *in Captiv.* & Plinio *lib.* 28. *c.* 4.

Aliam Medici faciunt Idiopathicam, aliam Sympathicam; aliam recentem, aliam inveteratam, eamque potissimùm hæreditariam, parentum scilicet vitio contractam.

De causis verò, & modo generationis illius non inter omnes convenit. Putavit Galenus 3. *de loc. aff. cap.* 7. esse crassum humorem spiritus meatum in cerebri ventriculis obstruentem, eo præsertim ductus argumento, quòd affectio hæc subitò fiat, & confestim quoque solvatur. Pro humore verò crasso non solùm intellexit phlegmaticum, seu pituitosum, verùm etiam melancholicum, cùm ex Hippocrate 6. *epid. in fine* scriptum sit, *Melancholicos magna ex parte comitiali morbo affici, & morbo comitiali laborantes fieri melancholicos; atque horum alterutrum magis accidere, prout vel in hanc, vel in illam partem infirmitas repit: si enim in corpus* (sive, ut communiter explicant, *in ventres*) *epileptici: si verò in mentem* (hoc est in cerebri substantiam) *melancholici redduntur*. Unde conclúdere videtur, ex Galeno, *nedum pituitosum, verùm etiam melancholicum succum morbum comitialem inferre*. Idem etiam Galenus 4. *de loc. aff.* agens de Sopore, Apoplexia, & Epilepsia, docet: *Horum trium morborum frigidus, ac crassus, aut omninò viscidus humor, causa est*. Idipsum repetit de Epilepsia, & Apoplexia 2. *Aph. comm.* 45. & alibi. In eandem sententiam visus est inclinare Hippocrates *lib. de morbo sacro*, si tamen hic liber reverà Hippocratis sit.

3. de loc. aff. 7.

Plerique ex Dogmaticis, ex eo, quòd morbus hic subitò fiat, & subitò solvatur, arbitrati sunt, potiùs à vaporibus originem sumere, quàm ab humoribus. Non enim tam subitò posset epilepticus paroxysmus terminari, si à crassis humoribus penderet, qui lentissimè digeruntur, & expurgantur. Si insuper à subita crassi humoris obstructione, solutioneque, Epilepsiæ generatio, & resolutio procederet, cur eodem modo confestim Apoplexia quoque non solveretur, quæ repentè etiam invadit, & ab obstructione pariter ventriculorum oriri dicitur? Cur & aliquandò epilepsiæ contingant à vaporibus, halitibus, odoribus, vino? Quinimmò Galenus ipse fatetur 3. *de loc. aff.* 7. quendam Epilepsia correptum percepisse elevari ex tibia vaporem, seu auram frigidam, quæ cerebrum pertingens torporem inferebat, & motus epilepticos. Et 5. *ejusdem operis cap.* 5. de quodam Grammatico refert, qui quoties vel nimiùm vehementer docendo exerceretur, aut intentus cogitaret, vel inediam sustineret, aut irasceretur, comitiali morbo corripiebatur. His plura alia addit Sennertus adversùs sententiam Galeni, atque tandem concludit causam Epilepsiæ proximam, esse vaporem mordacem, acrem, & malignum peculiari vi cerebrum stimulantem, quod etiam multò anteà docuerant, Fernelius, Platerus, aliique.

Lib. 1. pract. p. 2. c. 31. q. 3.

Franciscus Deleboe Sylvius causam Epilepsiæ veram, & adæquatam suspicatur esse spiritum acidum volatilem, quacumque in parte genitum, coacervatumve, indeque ad cerebrum delatum spiritibus animalibus junctum, ipsosque divellentem, & impetuosè commoventem.

Prax. Med. lib. 1. c. 20. n. 92.

At Gerardus Blasius illam refert *ad interpolatam musculorum dilatatio-*

Therapeut. special. lib. 3. sect. 10. cap. 11. *tationem*, quam provenire, ait, *à spiritu animali in nervos ex cerebro, crebrò, & per intervalla influente*: idque *vel vitio spiritus, seù mobilis, moventis, aut viarum: spiritus, si tenuior sit: viarum, si nervi sint plus debito aperti, aut angustati: moventis demum, cùm cerebrum inordinatè movetur*.

Cap. 2. Paulus Barbette verò *in sua praxi*, incusat *lympham in cerebro vitiatam, & acredine sua nervos vellicantem*. Ejusque Adnotator Fredericus Deckers addit, *etiam acido austeram*: neque tantùm nervos vellicantem, sed sua quoque austeritate eosdem quasi constringentem, liberumque spirituum animalium in nervos influxum impedientem.

Cap. 2. Thomas Vvillisius *de morbis convulsivis* postquam determinavit, neque cerebrum, ejusque meditullium, neque meninges revera in Epilepsia affici primariò, sed solùm spiritus animales intra cerebri meditullium consitos, illosque esse istius morbi subjectum; subdit, affectus causam non esse aquam in cerebri ventriculis congestam, nec humorem crassum, aut viscosum, ejus poris, & meatibus hærentem; sed *spiritus animales inordinatos, perturbatos, ac veluti à fomite igniario explosos; ideòque corporum continentium motus* Cap. 3. de morb. convulf. *convulsivos ciere*; unde etiam fieri, ait, *quòd epileptici tam repentè prosternantur, & cum impetu cadant, non aliter, ac domus à pulvere pyrio exploso subvertitur, & extra locum, in quo steterat, dimovetur*. Hinc quoque contendit in quavis Epilepsia causam non modò procatarcticam, sed & conjunctam omninò in cerebro consistere: nempè spiritus prædictos ad explodendum dispositos, ibidemque etiam explosos.

Nicolaus Chesnau, quia putat similem Palpitationi Cordis esse Epilepsiam, idcircò utrumque viscus ab iisdem causis æquè affici docet. Inquit enim: *Quæ Palpitatio cordi dicitur, cerebro Epilepsia appellatur; At à levioribus causis Cor, quia tamquam vitæ principium multum incommodum ferre non potest, gravioribus verò Cerebrum, quod sine vitæ discrimine, graviores affectus tolerare potest: quamobrem qualitatis malignæ interventu Epilepsia corripitur, quæ est ejus palpitatio. Debet autem maligna qualitas esse cerebro, proprietate quadam infensa, cujus præsentia statim concutiatur, nervosis in consensum tractis: quo pacto corde palpitante, arteriæ quoque palpitant*. Subdit insuper, *quòd sicuti, quæ parum molesta sunt, placidè, & pedetentim cor excernit; quæ verò jam modum excedere incipiunt, celeriori, & majori, quàm anteà diastole, & systole arcere nititur, & cùm nimium gravant, aut multùm adversantur, qualitate precipuè maligna, palpitationis sæpè motu expellere contendit, quæ dicitur cordis immoderata concussio: Eodem prorsùs modo cerebrum quotidiana excrementa, quæ præter modum non urgent, per meatus ad id comparatos sensim, & sine molestia excernit; quæ verò non facilè cedunt, sternutationis motu sæpissimè excutit: at ipsum aggrediente qualitate maligna, & proprietate quadam illi infensa, subsalit, concutitur, & more cordis palpitat, ut illam à se propellat: quæ quidem palpitatio Epilepsia est*. Libr. 1. suarum obs. c. 4.

Hermetici, & Paracelsistę Epilepsiam nuncupant morbum *mercurialem vitriolatum*, eo quòd originem suam nancisci dicant ex vapore Mercurii, & Vitrioli conditionem referente, qui ex tartaro, aut ex materia

ria mucosa, & æruginosa expirat: Is autem cerebrum petens cum spiritibus animalibus commiscetur, ac deinde sua aciditate meatus illius obstruit, arterias carotidas constringit, ac comprimit, unde facultatis vitalis in cerebrum transitus impeditur, simul atque virtutis animalis in inferiora descensus; quinimmò meninges exquisitissimi sensus punguntur, & vellicantur, indèque oriuntur convulsiones, casus, & animalium functionum depravationes, hebetudines, & abolitiones. Addit etiam Petręus *in sua Nosologia*, vapores, nedum vitrioli, sed etiam aluminis, ammoniaci, & arsenici naturam imitari, adeòque instar aquę stygiæ summam acrimoniam, & erodendi, ac penetrandi vim acquirere. Et Quercetanus *in Tetrade gravissimorum capitis affectuum* malignitatis participes illos efficit, qui nimirum possint Cerebrum, & Nervos tam vehementer, & impensè extorquere, ac perturbare. Existimat tamen hic Auctor, alienus à communi reliquorum Medicorum sententia, non semper cerebrum in Epilepsia esse primitùs affectum, neque perpetuò illius sedem in eo collocandam; sed aliquandò saltem cor primùm affici, cerebrum verò solùm per consensum: idque deducere studet ex palpitationibus, pulsuum perturbationibus, & animi deliquiis, quæ epilepsias quandoque comitantur, citra ullam læsionem Imaginatricis, & Memoriæ; Immò etiam illæsis manentibus visu, & auditu. Quamquàm in hoc redarguitur à Sennerto; an verò rationabiliter, cordatiores judicent.

Cap. de epilepsia.

Maluit Helmontius hunc morbum ad *Archeales* referre, atque ab Archeo furioso proficisci, esseque virus inebrians, & soporiferum, ac quodammodò furiosum, quod primitùs circa stomachum, deinde maximè in capite percipiatur. At alibi lienis quoque vitio illum attribuit.

De morbis Archeal. nu. 17.

tit. jus dumvir.

Quæ denique ex Anatome colligi potuere, varia pariter, & dubia sunt. Aliquando abscessus in cerebro inventus est, aut corruptę meningis portio calvariæ adhęrescens: aliquando etiam cranii caries, & cerebri sphacelus: nonnunquam meninges pustulis oblitæ, aut polypo affectæ: interdum humor fœtidus, ac putris; vel etiam acris, serosus, & tenuis, tum in cerebri substantia, tum in ejusdem ventribus: atque alia ejusmodi; ut videre est apud Bonetum. Ab his autem neque certi quidpiam in hac re deducere licet; cùm probabile etiam sit hujusmodi inventa non causas, sed effectus fuisse Epilepsiam consequtos, immò vitæ terminum: prę sertim quia non raro cerebrum, cum suis meningibus, sero, pure, aliove humore repletum inventum est, cùm tamen æger nullis epilepticis motibus vivens laborasset, ut præ cęteris deprehendit Vuillisius; quamvis in his casibus humores minùs acres fortasè extiterint, vel sensus admodùm obtusi, ut irritamenta non persenserint, quibus convulsivi motus videntur omninò consociari; unde qui ex Vuillisio refertur à pure fœtido in meninge tenuiori, & cerebri cortice detento, peremptus, stupore primùm, mox Apoplexia correptus periit. In his denique, qui memorantur epileptici ab obstructione ventriculorum cerebri, licèt humor illorum cavum occupans repertus sit, potuit tamen vigente paroxysmo, è diruptis vasis illuc effluere; unde potiùs morbi accidens, quàm causa fuit. Legatur Petręus *Nosol. lib.* 1. *dissert.* 6. atque ex ipso, Bonetus *in schol. obs.* 14. *cit. loc.*

Anat. practic. libr. 1. sect. 12.

De morbis convuls. & Pathol. cerebri.

Valdè autem verisimile videtur Epilepticorum motus oriri, cùm fi-

brillæ nerveæ irritantur, & contorquentur, quæ aliquando tam tenellæ, & molles sunt, ut etiam levi de causa convellantur, ut aliquibus accidit ex timore, verecundia, odoribus, titillatione. Atque hinc fit cur puelli facillimè in ejusmodi Epilepsię motus incidant, sicut pariter quicumque à nativitate cerebrum sortiti sunt mollioribus constructum fibris. Undè etiam existimaverim qua ratione Epilepsiæ obnoxii, ingenio & artibus præpolleant, ac perspicaciores sint, ut notavit Aristoteles *in problem.sect.30.*

Quamvis nervi, aut principium nervorum in Epilepsia afficiantur, & irritentur, eorumque fibræ extorqueantur; ex vulneratis tamen, vel recisis nervis non necesse est sequi convulsionem. Nervi siquidem punctim cæsi, vel proritati convelluntur; secus verò resecti, nisi aliud accedat, quod fibras illorum vellicet, & compungat, ut passim testantur experimenta.

Sympathicam pręterea Epilepsiam oriri ajunt à ventriculo, intestinis, mesenterio, pancreate, septo transverso, utero, pudendis, cruribus, tibiis, aliisque partibus, consensum quaqua ratione cum cerebro ineuntibus; ex quibus putant vapores ad cerebrum efferri, indeque ipsum affici, & contorqueri; sicut de Puero, qui sentiebat elevari ex tibia auram frigidam, refert Galenus *cap.3. de loc. aff.* At licèt pravi vapores aliquando ex recrementis istorum viscerum per nervos potissimùm in cerebrum efferri possint, haud tamen credam perpetuò ab halitibus illuc elatis sympathicas Epilepsias exoriri: satis enim est, si fibræ nerveæ per viscera diffusæ ab his, aliisque rebus præter naturam concitentur, & malè afficiantur; siquidem ipsis affectis, ac contortis, mox pari modo afficiuntur, & contorquentur alii nervorum ramuli ad cerebrum usque; ubi postmodum operationum animalium confusio, & abolitio. Vidi Ego juvenem epilepticum ipso paroxysmi tempore ventriculo laborantem, & quo momento convellebatur, simul etiam singultiebat; atque indicto vomitu desiere simul singultus, & convulsio, ac liber evasit.

Atque hoc pacto faciliùs intelligemus, undè citra humorum vitium, à quibus vapores elevari possint, non raró epileptici plerique facti sint ex inedia, olfactu rerum malè olentium, animi affectibus, tonitru, strepitu, clangore rei terribilis, aut inexpectatæ aspectu, exercitatione, titillatione, capitis inversione, venere, vermibus, calculis, & similibus. Lactentes sæpissimè motus epilepticos subeunt à lacte suсto, & in caseum coagulato; imò etiam ex vagitu graviori. Neque solùm ab his, sed etiam à levioribus causis eos convelli contingit, præsertim cùm hæreditariam à Parentibus contagionem contraxerint.

Præcedunt Epilepsiam capitis dolor gravans, faciei pallor, vertigo, nervorum, & musculorum trepidatio, lingue hæsitantia, oculorum suffusio, aurium sonitus, totius corporis lassitudo, hebetudo sensuum, & animi tristitia. Concomitantur verò vehemens, & repentinus casus, universalis concussio, manuum, pedum, oculorum, colli, labiorum inæqualis commotio, dentium stridor, spumę per os eruptio, sensuum omnium abolitio, alvi excrementorum, urinæ, & seminis interdum involuntaria egestio, atque etiam post paroxysmum, eorum, quæ circa se gesta sunt, oblivio: quamvis, & stantes, & sedentes, & cursitantes, & audientes, & memores, epilepticorum nonnulli referantur.

Ab abſceſſu in cerebro, & meningibus progenitæ epilepſiæ, eorumque ſphacelo, & calvariæ carie, ſigna petentur à prægreſſa capitis læſione, vulnere, contuſione, eryſi pelate, gravedine, gallica contagione. Ita quoque ſi per conſenſum à ventriculo, liene, utero, ibique ſecundinis, placenta, vel lochiis retentis, vaſis ſpermaticis, inteſtinis, ac vermibus ibidem ſitis, crure, tibia, pede, vel manu, aliiſque partibus, epilepticæ inſultationes dependeant, harum partium affectarum ſigna aderunt: fortaſsè venena fuere aſſumpta; morſus beſtiarum inflicti; cutis apparebit alicubi fœdata, varicibus, puſtulis, vel variolis affecta; & æger ipſe, vel ante, vel poſt paroxyſmum, de alicujus partis lęſione conqueretur.

Licèt inſanabilis putetur Epilepſia, plerique tamen ab illa evaſerunt. Verùm recens in pueris, breves habens, & leves paroxyſmos, atque à cauſis evidentibus excitata, facilioris ſolet eſſe curationis; Diuturna verò, hæreditaria, in ſenibus, crebriùs repetens, & diutiùs perdurans, cujus etiam occulta cauſa eſt, vel nunquam, vel difficillimè curatur. De ea autem ſcribit Hippocrates 2. *Aph.*45. *Quicumque Juvenes morbo comitiali laborant mutatione maximè ætatis, & temporum, & locorum, & victuum quoque liberantur*. Et 5. *Aph.*7. *Quibuſcumque morbi comitiales fiunt ante pubertatem, mutationem accipiunt; Quibuſcumque autem vigeſimoquinto anno ferè commoriuntur*. Et *eodem libre t.*70. *A Quartanis capti non admodùm convulſionibus capiuntur, ſi verò priùs capiantur, & quartana ſupervenerit, liberantur*. Idem etiam repetit *6. epid. ſect. 6. quartana correpti à magno morbo liberantur*.

Remedia Medici diſtinguunt, nedum pro cauſarum, ſed etiam pro temporum diverſitate. In ipſo paroxyſmo omnem induſtriam adhibent, ut quàm citiùs fieri poteſt æger in ſenſus redeat. In poſterum verò præcavere conantur, ne denuò illo corripiatur, perveſtigatis ſcilicet cauſis, undè fomitem is habeat, & repetitionem, iiſque, pro re nata, domitis, vel expulſis.

Ad primùm, plura ſolent in hanc rem adhibere: extremas partes arctè obligant: nares, tempora, & palatum oleo ſuccini, rutę, caſtorei, aliove inungunt: podici ſupponunt balanos acres ex felle, aut ſapone Genuenſi: ſcapulis, & cruribus cucurbitulas cum frictionibus, & cutis inciſione, admovent: Capillos evellunt, aut cum ſpiritu vini cremant: ungulam Alcis, quę à proprietate dicitur epilepticis ſuccurrere, collo ſuſpendunt: fortiora enemata iniiciunt: acerrima violenter in os immittunt, maxillas diducunt, & lignum aliquod interiiciunt, ne à dentibus vehementiori motu compreſſis lingua ſcindatur: neque deſunt, qui in aures cantilenas quaſdàm inſuſurrent, aut inclament.

Alii ſolis antiepilepticis patientes blandius curant, ductus cum cerebro conſentientes roborando, fovendoque ſpinam eſſentiis capitalibus, ut lavendulæ, caſtorei, rutæ ſylveſtris, ſalviæ, roriſmarini, ſuccini, opobalſami. Quare ad excitandos epilepticos immittit in nares ſuccum rutæ ad unciam ſemis cum caſtorei drachma una Rodericus à Fonſeca. Intrudunt etiam in os antiepilepticum aliquod medicamentum, ex his quæ infrà referemus. Quòd autem nonnulli affectos erigunt, illorumque brachia, & crura à motibus cohibent, vel in hoc, vel in illo ſitu conſtringunt, ſternutamenta moventia

ventia

ventia naribus indunt, cucurbitulas, & incisiones adhibent, diversisque modis patientes asperiùs tractant; paroxysmi morem interturbant, & Naturæ conatus impediunt: hujusmodi enim Praxis sæpissimè perperam instituitur; quoniam hoc pacto duplex Naturæ molestia: altera nimirum à morbo, & altera non levior à Medentibus intentatur; cùm longè præstitisset sinere paroxysmum juxta morem suum transire, & laborantes unica tantùm plaga affligi; sapienter quidem concludit Vvillisius *de morb. Convulſ. cap. 3.* Solùm vomitoria conferrent plurimùm, si à ventriculi gravamine æger convelleretur, & Natura per eam partem seipsam exonerare tentaret.

Ad secundum, Prophylaxim variè instituunt, pro varietate causarum, & partium quas putant affectas. Qui in Idiopathica Epilepsia obstrui arbitrantur cerebri ventriculos crassis, viscosisque succis, toti sunt in evacuando; neque solùm per ea, quæ alvum laxant, aut vomitum movent, sed etiam per errhina, caput purgia, cauteria, tum syncipiti, tum collo, tum brachiis, & tibiis adhibita. Quinimmò Petrus Salius Diversus, & Zacutus Lusitanus etiam sanguinem mittendum aliquando suadent, arbitrati dari posse Epilepsiam à sanguine. Exhibent similiter decocta capitalia dicta, ad extenuandos humores, eosque per cutim educendos; ac præterea nonnulla alia medicamenta, quæ ipsis dicuntur à proprietate occulta epilepticis opitulari, & imminentes paroxysmos præcavere. In sympathica verò, præter antedicta, quæ cerebro succurrunt, offerunt quoque quæcumque malè affecta viscera; unde labes tanti mali provenire creditur, repurgent, & moderentur.

De morb. parr. c. 3. Prax. M. adm. libro 1. obſ. 21. & 29.

At Hippocrates præter usum Hellebori utriusque, sed præsertim albi, quo vomitus provocaretur, commendavit Pyrethrum. Et Galenus usus est oxymelle, tum simplici, tum scillitico.

Qui vaporibus acribus, maligna conditione cerebrum stimulantibus, causam hujus affectus attribuerunt, ipsis retundendis, & castigandis incumbunt, atque insuper humores, ex quibus illi elevantur, appositis medicamentis educere conantur; non neglectis intereà, quæ visceribus consentientibus occurrant.

Sylvio Deleboe commendantur, quæ salem possident per lixivium parandum, tum fixum, tum volatilem; ut Ruta, Polium montanum, Pęonię semina, & radices, etiam Valerianę, & Dentariæ, Liliorum convallium, & Tiliæ flores, viscum quernum, & corylinum. Similiter spiritus, & sal volatile C.C. castoreum, corallium, succinum, Hirundines, Picæ.

At verò Gerardo Blasio visum est curationem absolvi per emendationem causarum irregularem motum in musculis efficientium. Quamobrem spiritus tenuiores, & mobiliores alterandos præcipit refrigerantibus, & opiatis: Nervos obstructos, aut compressos, reserandos, & amplificandos: vitiosos humores purgandos, & corrigendos; roboratis tamen partibus ad illorum generationem dispositis, & cephalicis antiepilepticis remediis congruenter adhibitis.

Paulus Barbette purgantibus insistit, & lympham temperantibus; neque verò omittit caput roborantia, simul cum visceribus compatientibus sed præcipuè antiepileptica tum simplicia, tum composita.

Vvillisio Therapeja instituitur, Primò per emeticum, si æger vomitionem tole-

toleret, & quidem usu salis vitrioli, in tenerioribus, croco metallorum, vel mercurio vitæ, in adultioribus. Secundò per phlebotomiam, vel affixas hirudines. Tertiò per medicamentum catharticum. Quartò per specifica antiepileptica. Quintò per cauteria, & vesicantia, itemque emplastra capitalia, sternutamenta, enemata, decocta: atque his non proficientibus, per diaphoretica, & salivam educentia.

Non dissimiliter procedit Chesneau. Nam instituto in primis victu tenui, & exiccante, parùmque calefaciente, prohibitoque vini, & Veneris usu, ab enemate incipit, cujus peculiarem descriptionem habet: mox venam cephalicam utramque aperiendam præcipit; postmodùm purgat bis saltem in mense. Ad hæc utitur specificis, sed præsertim potione, quam se expertum dicit, compositā ex *aquæ pæoniæ unc. iij. theriacæ veteris dr. j. spiritus vitrioli gutt. iv.* sumenda tribus horis ante prandium. Neque negligit externa, ut emplastra, pulveres capiti deraso inspergendos, cauteria, & reliqua respicientia partes, undè malignus vapor, ad cerebrum exhalat, ut fusiùs apud ipsum est legere.

Hermetici, quia morbum hunc cum Paracelso *vitriolatum* appellant, in spiritu vitrioli viridi illius curationem collocant, illumque præ omnibus aliis remediis proprium, & præsentaneum fatentur: Cujus descriptionem, præparationem, & usum refert Quercetanus *in Tetrade gravissim. cap. affect. cap.* 30. Transcribit etiam Idem Author *ibidem* ex Paracelso antiepilepticum aliud medicamentum ex vitriolo pariter, aliisque simplicibus compositum. Commendant prætereà Paracelsistæ plura alia ad hunc affectum penitùs extirpandum, tùm purgantia, tùm specifica medicamenta ex Mercurio, Antimonio, & Vitriolo, Cinnabari fossili, helleboro, cranio humano, & coralliis elicita, quæ præ cæteris referunt, & describunt idem Quercetanus, Crollius, Hartmannus, Grulingius, & Rolfinchius.

Helmontius multa adversùs epilepsiam sparsim retulit, præsertim verò ungulam Alcis affrictam, appensamque instar amuleti: Sympathicè enim ait epilepticos impetus paulatim arcere, sed assiduo usu effœtam, & inefficacem reddi. Hirudinibus etiam magnam vim attribuit. Alibi commendat salem volatilem sanguinis humani, & salia volatilia vegetabilium cephalicorum. Itemque tàm Adultorum, quàm Infantium epilepsiam curari dicit spiritu salis cruoris.

De magnet. vuln. Cur.

Tract. spii. vitæ, & Volup. Vivent.

Quoniam verò ab experimentis innotuit epilepsiam à constitutis quibusdam causis, superiùs memoratis, oriri posse, quæ nisi auferantur, impossibile sit illam curari; propterea peculiaribus remediis, eisdem occurrendum. Quare abscessus, vel præcaveatur, si immineat, vel ad resolutionem, modis suprà relatis, perducatur, si jam factus sit, vel alio artificio digeratur, & expurgetur. Idemque opus in ossis calvariæ carie omninò adhibendum.

Si per consensum ventriculi fiat, præter vomitoria, vel subducentia medicamenta congruenter adhibita, specialiter de eo roborando, deque corrigendis succis in eum confluentibus, ratio habenda erit: in quem usum summè conferent electuarium baccarum Juniperi, spiritus earumdem, elixir proprietatis, spiritus mastiches, pulvis stomachicus Quercetani, pilulæ Rufi, oleum cinnamomi, essentia menthæ, aut salviæ, electuarium absinthii, decoctum Coffè:

eòque

eòque magis, si cum his commisceantur antiepileptica.

Si ab Hypochondriorum vitio, atque scorbutica affectione, dependeat, ad Antiscorbutica deveniendum, spiritum cochleariæ, beccabungæ, nasturtii aquatici, raphani; non omissis acidum retundentibus alkalicis, & ex chalybe compositis medicaminibus.

A retentis secundinis, & placenta, nedum sternutamenta evocantia proderunt, commendata ab Hippocrate 5. *Aph.* 49. verùm etiam hysterica dissolventia, ut radix dictamni, valerianæ, aristolochiæ; extractum granorum actes, fæcula bryoniæ, trochisci de myrrha, extractum castorei, & hyperici, tinctura succini, essentia croci.

Si à vermibus, illi necandi, & deturbandi medicamentis ad id comparatis; quæ suo loco referemus. Pari modo in reliquis causis agendum.

Inter purgantia (cùm corpora sunt succi plena) præstant extractum catholicum, hiera picra, pilulæ cochiæ, trochisci alhandal, extractum agarici, resina jalapæ, oxymel scilliticum, anthosatum dictum, pulvis Comitis de VVarvich, extractum hellebori nigri, pilulæ ex tribus Galeni, Barbettianæ, & similes. V. Lib. 1. Prax. c. 1.

Præ cæteris prodesse speciatim experti sunt Medici hæc, ab effectu antiepileptica vocata; suntque radix, & semen pæoniæ ex Galeno, & Zacuto; ejusque elixir ex Mynsicht: Radix valerianæ sylvestris ex Riverio: Radix dentariæ, ejusque aqua, & semen saponariæ ex Borello: Ruta crucigera, ejusque succus ex Langio: viscum quercicum ex Boyle, aut etiam corylinum, illiusque oleum Rulando celeberrimum: carduus, & millefolium ex Cratone: essentia lavendulæ, spiritus cerasorum nigrorum, sassafras, liliorum convallium, & florum tiliæ; ac verbenæ pulvis ex Mizaldo: Frutex sambuci in salice inventi ex Hartmanno; unde Amuletum ipse componit, quo curari posse, ait, etiam qui longissimo tempore hoc morbo laborarunt; comprobatque Thomas Bartholinus *in Cent. hist.* 4. 69. Pulvis radicis phu, seu valerianæ sylvestris ex Fabio Columna, & Panarolo: acori radix contusa, & in potum exhibita ex Heurnio: succus aquilegiæ, ex A. Gassero: radices artemisiæ annosæ emortuæ ex F. Deckers: fumus nicotianæ, seu tabaci ex Riverio.

Baccæ insuper Juniperi recentes, crassæ, & maturæ, si irrorentur pluries vino veteri generoso, & furno, postquàm panis exemptus fuerit, blandè siccentur, si non semel, iteratò; ultima vice baccis utcumque madentibus inspergatur unc. j. sacch. crystallini pulver. ambræ griseæ dr. ß. omniaque versentur diù, ut pulvis per omnia diffundatur. Ita serventur baccæ in vase vitreo, & singulo mane sub aurora per mensem sumantur à x. ad xx. usque ad xl. ex Theod. Mayerne *c. de Epilepsia*. Item ex eodem ibidem, semen hyoscyami à granis viij. ad xx. cum cochleari uno succi sempervivii recenter expressi per xl. dies.

Similiter hepata Ranarum, quorum præparationem, & usum memorat Hartmannus: Cerebrum humanum, ejusque spiritus ab eodem descriptus: Castoreum ex Galeno, illiusque extractum: Jecur lupinum ex Borello: Spina dorsi mustelæ fluvialis, ipsiusque sanguis, quo se vidisse sanatum epilepticum vigintiquinque annorum refert Hor. Augenius: Caro lupi in pulverem redacta, & fel catelli nigri ex Riverio, quod usitatissimum in Anglia testatur Schlegius: Pulvis corvinus, quem ex Gesnero summum secretum esse scribit Reusnerus: Aqua

Picarum, & Hirundinum ex Rondeletio: Ipsæque Hirundines in pulverem redactæ ex Foresto: Pulvis secundinæ primiparæ ex Finckio, & Deckers: Ex secundinis etiam benè lotis, concisis, & cum farina secalitia mistis, atque in clibano tostis conficitur medicamentum, quod à novilunio ad primum Lunæ quadrantem manè, & serò comestum, & Epilepsię medetur, intereà admota bis in die fronti Nicotiana leviter contusa. Cranium humanum, ejusque extractum, spiritus, sal volatile, magisterium, oleum, ex Paracelso, Quercetano, Hartmanno, Schrodero, Sennerto: Sanguis humanus ex Thoma Bartholino, qui pro Amuleto haberi quoque ait lapidem nephriticum collo suspensum: spiritus ejusdem sanguinis humani ex Helmontio. Celsus etiam *l.3.c.23.* scribit quosdam jugulati gladiatoris calido sanguine epoto, tali morbo liberatos. Stercus Pavonis in pulverem contritum ex Cratone, Borello, & Riverio: Cornu cervi crudum, vel ustum, ejusque spiritus, & sal volatile ex Hartmanno, Sennerto, & Grulingio: Lotium vaccinum ex Libavio: Vesica Apri cum lotio in clibano exiccata; vel testes ejusdem, & Galli ex H. Augenio: pulvis lumbricorum terrestrium ex Heurnio.

cent. 2. hist. Anat. 78.

V. Helm. tr. de Sp. Vitæ nu. 16.

Præterea Cinnabaris nativa Craton. & River., vel ejus loco cinabrium Antimonii, F. Hofmann. Succinum, atque illius magisterium, oleum, sal volatile, tinctura, Quercet. River. Chesneau: Pulvis chrysoliti Cardan. Smaragdus digitis gestatus A. Boet.: vel cum Coralio, ut carnem contingat, Zecch.: Coralium rubrum, cujus grana x. cum materno lacte exhibita ante omnem alium cibum, vel potum, puellos ab epilepsia tueri tradit Villanovanus, & Camillus Leonardus, atque ab his testantur idem Boetius, & Hoeferus: Crystallum præparatum, & simul cum smaragdo, & coralio rubro exhibitum, Sennert: Bezoarticum lunare, & Dialuna Mynsicht.

Unde Magnes Epilepf. apud River. in prax.

Inter composita demum, & usu magis comprobata recensentur Aquæ, Pulveres, Electaria, Potiones, Emplastra, & Olea.

Ex Aquis, ut est quæ P. Barbette mirabilis dicitur: Hic *sapon. Hisp. albiss. dr. ss. Coq. in lacte vaccino, & col. unc. iii. exhib.*

Item quæ fit ex *Hirundin.* xc. *Rutæ m. ii. Castor. unc. i. vini albi lib. iii. destill. in B. M. & servatur usui.* Dosis cochlearia duo in paroxysmo, vel manè, extra paroxysmum, etiam in inveterata Epilepsia, apud Guil. Rondelet.

Vel faciliùs: *hirundines juvenes q. v. contund. & cum castor. m. add. mod. acet. acerr. destill. more solito.*

Aliam aquam stillatitiam describit, & extollit H. Augen. *tom.* 2. *Epist. & Consil. lib.* 8. *epist.* 2. Describitur, & alia à B. Sylvatic. *cent.* 1. *obs.* 47. ex Hirundinibus, & Picis, additis variis simplicibus antiepilepticis, quæ ab eodem mirabiliter commendatur.

Ex Potionibus, & Julapiis: *aq. beton. & flor. tiliæ singul. unc. ii. aq. fœnic. vitæ Matth. & antiepilept. Langii, singul. unc. i. spirit. sal. amm. dr. ss. tincturæ Castor. gutt.* x. *flor. hyperic. dr. j. laud. opiat. gr. iv. ol. succ. gutt. v. syr. stœchad. unc. j. m.* & singulis diebus ad minimum cochlear unum, aut alterum quater exhibet Deckers *ad Prax. Barbett.*

Aliud: *ther. vet. dr. i. ap. pœon. unc. vi. spirit. vitriol. gutt. iv.* expertum dicit Chesneau.

Pro infantibus verò: *aq. flor. tilię, & fœnic. singul. unc. j. syr. stœchad. & diacod. singul. unc. ss. spirit. sal. amm. scr. ss.* Ex eodem.

Ex Opiatis, & Electuariis: *pyrethr.*

thr.stœchad.& cost.singul.dr.x.agar. dr.v.sem.carvi,anethi,assæ fetidæ,& aristolochiæ rotundæ singul.dr.ij.ß. succ.squill. & mell.elect.singul.lib.i. & unc.ij.Coq simul scill. & mel lento igne usque ad consistentiam, deinde super add.speciebs. elect. Dosis omni manè dr. iij. quatuor horas ante cibum. Ex Montagnana.

Aliud: *Cons.flor.beton. & anth. singul.unc.ij.rad.eryng.condit.&mithrid.singul.unc.i. pulv.lign. sassafras dr.vj.castor.dr.iii.cran.hum.non humati,& ungulæ Alcis singul.dr.ii. rad.& semin. nigell.rutæ sylvestr.& radic.pyrethr. singul.dr.i.oxymell.q.s.f.opiata.* Dosis *dr.ii. vel iii.* singulo manè. Ex Riverio. Utraque morbum radicitus tollere dicuntur.

Ex Pulveribus: *Castor.Cran.hum. ungulæ Alcis, C.C.calcinati, stibii præpar.opopon.sanguin.drac. & lapid.ætit.singul.dr.ß. salv. sylvestr.& tormentill.singul.dr.i.semin. & rad. pæon.sem.rutæ, & beton.singul. dr ß. margat. & smaragd.præp.singul.scr. i.succin.albiss.dr.i.stercor.anser.sylvestr.visci querc.& coral. rubr.præpar.singul.dr.ß.spinæ dors.serp.dr.ii. & chalcit.prepar.dr.ß.f.pulvis.* Apud Gruling. mirabilis dicitur in *suo Florilegio*; cujus dosis dr.ß.

Obs. 24. Alium pulverem admirabilem prędicat H.ab Heers, quem componit ex cranio hominis, stercore pavonis, vesica Apri cum lotio in furno siccata, visco colurno, oleo succini inodoro.

Sed longè efficacior observatus est, qui conficitur ex *Cinnabar. Antimon magist.coral.margar. & cranii human.singul.dr.i.lign.visc.querc.& castor.veri singul.dr.i.ß.sem.rutæ,& pæon.singul. dr.ß.sal.vol.succin. & ammon.singul.scr.i.cinnam.q.s.* Dosis *à scr.ß.ad scr.i.in aqua hirundinum, lavendulæ,flor.tiliæ, vel alterius similis manè jeiuno stomacho.*

Celebratur etiam pulvis corvinus à Reusnero ex Corvis juvenculis combustis, & in pulverem redactis cum aliquo liquore convenienti. Obs. 13. Alius efficacissimus conficitur ab Hartmanno ex Jecinoribus Ranarum, quo restitutum fuisse scribit Fridericum IV. Palatinum, qui ab anno xv. ad xxvi. fuerat epilepticus. Cap. de epilepsia. Simplicior verò est, qui ex vero visco querno fit, & ad dr.i. exhibetur in aqua cerasorum nigrorum singulo manè per dies aliquot (circa Plenilunium nonnulli volunt), eoque nobilissimam quamdam fœminam epilepsia penè hæreditaria diù afflictam, cùm cætera irrita fuissent, sanitatem obtinuisse testatur Boyle: De util. Natur. Philos. Et nos aliquando Nobilem quendam puerulum novem annorum deformi capite progenitum, & pluribus epilepticis invasionibus conflictatum, una cum tertiana febre, perfectè curatum vidimus, cum quo tamen miscebatur cortex Peruvianus, ante imminentem accessionem exhibitus, quem antiepilepticum quoque esse aliàs deprehendimus.

Ex Emplastris præstat, quod habet: *succ.albiss.thur.& mastich.singul.dr. i.ß.galban.& opopon.singul.scr.i.visc.querc.dr.ii.ambr.gris.gr. vi.mosch. gr.iii.sem.pæon.mar.dr.ß.ladani dr.i. ß.ol.nuc.myrist.parum.Extend.super corium, & asperg.pulv.cubeb.* & suturæ coronali imponatur. Ex Cratone, & Horstio, qui efficacissimum tum pueris, tum adultioribus fatentur.

Aliud: *gumm.amm.gumm.iunip. thur. & mastich.singul. unc.ii.sem. pæon.mar. & nuc. myrist.singul.dr. iii.coral.rubr.præpar.ras.ebor.& C. C.sing.dr.i.malass. cum styr.liquid & f.emplastrum, atque extendatur super alutam.* Arcanum habitum est

Salie-

Salieno Medico Monspeliensi, quo etiam provectæ ætatis epilepticos integræ sanitati se restituisse testatur, præmissis tamen universalibus, atque intereà epota hac aqua: *Hirundines adhuc in nido existentes viij. rad. pæon. visc. querc. singul. dr. iij. fol. rutę m. j. flor. lil. convall. p. ii. castor. caryophyll. & macis singul. dr. ii. in suff. quant. vini alb. acet. scillit. & aq. meliss. super cineres calidos infund. per hor. xxiv. deindè distill. atque in vase vitreo opt. claus. collig. & servet. Aqua.* Dosis pro natu majorib. *ab unc. j. ad unc. ii.* pro junioribus *ab unc. ss. ad unc. i.*

Ex balsamis, & oleis valet hoc: *gumm. galb. bdell. in aq. ard. dissol. singul. unc. ss. bezoin. un. j. styrac. liquid. dr. j. fol. rutæ, chamædr. flor. stœchad. & lavend. singul. dr. ii. rad. cost. unc. ss. castor. scr. j. infund. incisa, & pulver. in aq. vitæ, & detin. ad macerand. in loco calido per dies aliquot.* Eo postmodùm frequenter fricetur spina. Plater. *lib.* 1. *obs.*

obs. 18. Henricus ab Heers describit oleum quoddam à seipso expertum, quòd fit: *vitrioli veneris, aut viridis æris calcin. lib. i. ss. cran. hum. & ungul. Alcis singul. dr. ii. visci querni, vel potiùs colurni, & sem: pæon. mar. singul. dr. i. Hæc cum spir. vini puriss. lib. ii. diger. in retorta, & distill. secundùm artem.* Ingratissimum est & odore, & sapore, sed miræ efficacię si cum aqua convenienti sumatur.

Mirificum etiam est oleum Buxi, cujus guttæ tres in cond. pæoniæ exhibentur jejuno stomacho, & in ipsa accessione cum aqua flor. tiliæ, vel pæoniæ ad *unc. iii. gutt. x.* Roderic. à Fonseca *in Consil.*

Plurimùm quoque valet essentia lavendulæ, rorismarini, salviæ, & castorei cum opobalsamo, si his universa spina cum occipitio usque ad suturam coronalem inungatur. At verò Sal commune ad os Epileptici jam spumantis admotum, & labiis affrictum, statim illum excitare scribit Forest. *ad schol. obs. 64. l.* 10.

Intrinsecùs apud Nostrates in usu frequentiori est spiritus cerasorum nigrorum sylvestrium, sal volatile C. C. spiritus sanguinis, ex sale ammoniaco, & tartaro elicitus, salis ammoniaci flores, sal volatile succini. Valdè efficax expertus sum, præsertim in fœminis, magisterium succini, hoc modo paratum. Dissolvitur succinum albissimum in spiritu vini, itaut hic tingatur: per filtrum posteà traiicitur, & leni calore ad dimidium evaporet: reliquum servetur. Dosis g. x. usque ad xx. & ultra, in aqua lavendulæ, aliòve simili liquore.

Pro coronide non præteribimus, quod Paracelsus in diæta commendat cum oleribus coquenda folia hellebori nigri, & pro sale viscum querceum in pulverem redactum substituendum: quo si contentus patiens salem communem minimè expetierit, certò constare, ait, eum caduco morbo laborare. Num insuper reverà curatus sit, eodem signo dignosci posse: si nimirùm condimentum visci quernei nauseam moveat. Conjecturam alii faciunt ex hoc suffitu. Rasuram cornu caprini ad dr. i. cum semidrachma assæ fœtidæ iniiciunt in prunas; si morbosus concidat, jam curatum dicunt. Commendat denique idem Paracelsus pro cibis, radicem pyrethri, carnem agninam, fœniculum, cuminum, & lac ovinum; damnat verò carnes caprinas, poma, pyra, rapa, raphanum, aromata, & libidinem provocantia.

DE APOPLEXIA.

4. de rat. vict. 6. & 7. aph. 58. AB Epilepsia non raro transitur in Apoplexiam, ob quam Ægri subito concidunt privati omni sensu, & motu, sola respiratione superstite. Hippocrates ἀφωνίαν illam appellat, vel quia ea affectis vox præcipuè deficit, vel quia sub vocis privatione cæteras operationes animales læsas intelligit. A Latinis verò Sideratus, & Attonitus morbus appellatur, cùm putarint antiqui hac ægritudine correptos, sidere, seù fulmine percussos repentè concidere: vix enim à mortuis aliquando distingui possunt.

A respiratione magis, vel minùs 2. aphor. 42. & 3. de loc. aff. 7, læsa quatuor distinguit Galenus Apoplexiæ differentias. Cùm præter sensus, & motus privationem, respiratio quoque deficit, ut nec rhonchus, nec spuma in ore percipiatur, nullaque ratione musculi pectoris attollantur, aut deprimantur, maximam, & acutissimam Apoplexiam nuncupat; Cùm verò ægri respirare observantur, sed difficulter nimis, & magna cum violentia stertunt; fortem, vehementemque vocat. Minùs vehementem, cùm respiratio solùm inæqualis, & interrupta fit: Ac postremò debilem, in quibus aliquem illa servat ordinem, parumque læsa videtur.

Etiam morbum hunc nonnulli arbitrantur, vel idiopathicè cerebri vitio inductum; vel sympathicè ab immò ventre procedentem, & præsertim ex ebrietate, de qua Hippocrates 5. *Aph.* 5. *Si ebrius quispiam repentè obmutuerit*: græcè ἄφωνος. Notat autem Sennertus *hoc loco* ἀφωνίαν reverà differre ab Apoplexia; nam etsi Aphoni, veluti Apoplectici concidunt, tamen motu planè non privantur, neque convelluntur. In cujus rei comprobationem aliquot exempla refert Aphonia correptorum, qui voce privati reliquos motus, vel mediocriter exercebant. Verùm Galenus tum *comm.* 5. 5. *lib. Aph.* & 51. 6. & 58. 7. tum potissimum 4. *de rat. vict. in ac.* 23. Hippocratem interpretatur sub hoc nomine, ἀφωνία, Apoplexiam, Epilepsiam, & Cardiacam passionem, seù Syncopen voluisse comprehendere. V. Adr. Spig. l. 2. de sem. c. 16. & Rolfinc. conf. med. 15.

Convenire Apoplexiam cum Epilepsia in causa proxima docuit Galenus 3. *de loc. aff. c.* 7. & 6. *Aph.* 56. eamque esse crassum, frigidumque humorem, præsertim pituitosum, cerebri ventriculos obstruentem, adeòut spiritus animales ad organa inferiora descendere non permittat. At alii, inter quos Sennertus, causam hujus morbi esse credunt, intermissionem spirituum animalium, vel propter meatuum angustiam, vel propter eorundem spirituum torporem, & narcosim, vel propter ipsorum effusionem, perturbationemque.

Hermetici illam attribuunt nebulosis exhalationibus in cerebrum evectis, atque ibidem conclusis, instar nubium (ut loquitur Quercetanus) in aere expansarum, quæ deindè conglacientur ab humore, vel vapore salinæ, mercurialis, vel sulphureæ conditionis, ut præsertim esse solet spiritus acidus vitrioli naturam adeptus; Licèt Paracelsus jecori, & pulmoni vitium hoc interdum adscribat, & modò sulphur, modò mercurium, illius causam accuset.

P. Barbette causam existimat lympham esse crassiorem nervos obstruentem. Et Fredericus Deckers *in notis*, *ad eundem* addit etiam ex Platero Pituitam tenacem, sanguinem extra proprios ductus stagnantem, omnemque materiam viscosam in cerebro collectam.

G. Bla-

G. Blasius illam refert ad defectum spirituum animalium in musculis, à quibus sensum, & motum unicè pendere arbitratur.

Sylvius verò Deleboe in eorundem spirituum defectum, torporem, immobilitatem, vel conturbationem vehementem ascribit: in defectum, vitio sanguinis, vel cerebri: in torporem ab usu opiatorum, aut meri immoderato: in conturbationem ob ictum, vulnus, casum. His quoque addit defectum ipsorum in organis ob viarum obstructionem, angustiam, vel compressionem, solutamque unitatem cùm nervorum, tùm arteriarum, præsertim carotidum.

J. VVepferus postquàm observasset in cadaveribus quorundam hoc affectu defunctorum sanguinem à venis egressum in grumos concrevisse, vel etiam serosam colluviem totum cerebrum inundasse; statuit tandem loca principaliter affecta in apoplexia, non esse ventriculos, sed cerebri, & cerebelli substantiam: Causam verò proximam esse, vel impeditum sanguinis per arterias in cerebrum influxum, vel prohibitum spirituum animalium è cerebro, & cerebello per nervos ad subjectas partes descensum.

Pathol. c. 1. VVillisius, constituta primùm duplici apoplexia, quam alteram cerebro, alteram cerebello assignat, atque hanc, vel *accidentalem*, vel *habitualem* nuncupat: Causam prioris adstruit ingentem continuitatis solutionem in ipso cerebri meditullio, aut subitam spirituum dissipationem: illam quidem à sanguine in cerebrum effuso propter casum, ictum, concussionem, ejusdemque sanguinis acritudinem, itemque ab apostemate, sive abscessu dirupto, vel etiam à serosa colluvie; hanc verò à narcoticis potentioribus, & ab aquarum ardentium potu immoderato. Posterioris autem apoplexiæ causam conjunctam consistere docet in cerebri, & corporis callosi poris protinus oppletis, occlusisque, atque in spiritibus à materiæ irruentis maligno contactu dissipatis, ac veluti acido vitrioli affectis, redditisque motui ineptissimis. Denique tùm cerebrum, tùm cerebellum huic morbo obnoxium arbitratur: Cerebrum, si crebræ vertigines præcedant: Cerebellum, si incubus, pulsus intermittentes, syncopæ, ac iteratæ lipothymiæ.

Helmontius sicut cæteras ægritudines cerebri, ità hunc affectum vitio *Duumviratus* attribuit, sed præsertim stomachi. Non tamen negat Apoplexiam ex utero, & ex vitiato fellis fermento. Hinc remediis illam curari, ait, stomacho aptissimis, præcipuè aromatibus; recentem verò multoties promoto solùm vomitu. Jus duũvir. Asthma, & Tuss. Ign. Act. Regim. à sede Anim. & de lith. c. 9. Recenta Morb. sed. in an. sens.

Verùm si anatomicis observationibus standum est, à pluribus, variisque causis Apoplexias ortas deprehendes: scilicet ab occlusis vasis; à concreto sanguine, aut extra proprios ductus per cerebrum effuso; ab obstructis, ulceratis, vel compressis arteriis, præsertim caroticis; à sero, & limpha stagnante in ventribus; ab impedita ejusdem transcolatione in cortice cerebri; ab hydatidibus, & variolis in meningibus, & plexibus; ab abscessu; à pure; à calculis, aliisque gravantibus, opplentibus, vel dissolventibus cerebri substantiam.

Si præterea externas causas spectemus, frequentiores, & manifestiores illæ observatæ sunt, capitis ictus, contusiones, terrores inopini, fulmen, immodicus vini, aut ardentis aquæ potus, narcoticorum immoderatus usus, vehemens animi motio, potissimùm Ira, Pudor, Mœstitia, Timor. Novi lanionem, qui cùm vel-

let quendam adoriri, à quo fuerat injuria affectus, ab illo eodem frusto carnis ictus, ira simul, & timore commotus, repentè concidit, & mortuus est. A' peculiari etiam Temporum, & Aeris constitutione accidunt non rarò in quibusdam Regionibus Apoplexiæ, ut ex pluviosa tempestate evenire scribit Hippocrates *3. Aph.16.*

text. 23. & 27. ubi Galen. Speciatim autem notatu dignum est, quod idem Hippocrates *4. de rat. vict. in acut.* sub nomine Aphoniæ Apoplexiam fieri docet propter interceptionem vasorum: inquit enim. *Cùm quis repentè obmutescit, id venarum interceptiones, occlusionesque faciunt*; quod etiam innuere videtur *lib. 2. de Morbis*. Interceptiones autem nonnisi ad impeditum sanguinis (ut etiam lymphæ) circuitum referri possunt. De qua re Rolfinch. *dissert. Anatom. lib. 6. cap.* 50. Legi quoque meretur Fernelius 2. *de abd. rer. caus. c.* 15.

Neque despicienda est observatio Avicennæ *fen.* 1.*3.tr.*5.*c.*12. dicentis: *Qui plurimùm utuntur venæ sectione propter melancholicum sanguinem, ex multitudine quidem phlebotomia juvari videntur, sed in fine deficiunt, quoniam incidunt in apoplexiam, & similes morbos.*

Itaque ab his cunctas causas apoplexiam inferre valentes, deducere nullo negotio licebit. Ad signa verò quod attinet. Cùm quis repentè concidit omni sensu, & motu privatus, superstite solùm respiratione, sed difficili, aut interrupta, procul dubio apoplecticus existimandus est. Quandoque etiam adeò fit debilis respiratio, ut ne vix quidem percipiatur, etsi ori admoveatur candela accensa, vel speculum mundum, & perpolitum; unde nonnulli tamquam mortui sepulturæ traditi fuere. In his igitur certius vitæ indicium est pulsus, qui licèt exiguus, aderit tamen; eoque differt apoplexia à Syncope: hanc enim sensus non destituit, quamvis pulsus deficiat: illam verò comitantur sensuum omnium abolitiones, sed pulsus perseverant. Internoscetur insuper ab epilepsia, lethargo, caro, uteri præfocatione: quia in epilepsia corpus convellitur: in lethargo febricitat, & aliquo sensu gaudet; nam lethargici aliquandò vocati respondent, & inducto dolore commoventur: in caro respiratio non tam graviter offenditur, & aliquis sensus manet: demum in uteri præfocatione, neque respiratio læditur, sed & patiens conqueritur, & sentit, interrupta suspiria ducit, & plerùmque etiam facies ingenti rubore suffunditur. Cæterùm causæ, partim ex superiùs traditis, partim etiam ex adstantium relatione eliciuntur: quamquàm in hoc non rarò Medici decipiantur.

Præcedere autem solent apoplexiam gravans capitis dolor, vertigo tenebricosa, corporis tremor, desidia, aut languor, internorum sensuum turbatio, evidens in memoria defectus, in somno gravitas, & incubus, dentium stridor, & labiorum palpitatio: de quibus latè Ægineta *lib.3. c.*18. & Avicenna 1.*3.tr.*5.

Hinc Prognosis ad malum est, nam ut plurimùm apoplectici intra quatriduum moriuntur. Solet tamen in paralysim desinere, vel in Hemiplegiam, deposita nimirum materia in partes inferiores. Hippocrates 2. *Aph.*42. *solvere fortem Apoplexiam*, inquit, *impossibile*; *debilem verò non facilè*. Et 6. *Aph.*51. *Quicumque sani dolore capitis repentè capiuntur, & statim muti* (græcè Aphoni) *fiunt, & stertunt; in septem diebus pereunt, nisi febris apprehenderit*: quem Aphorismum de Apoplexia Gale-

Galenus exponit. Præterea non referri in vitam eos, quibus ſpuma circa os apparet, dicitur 2. *Aph.* 43. (quamvis Galenus *in comm.* nonnullos in vitam relatos, referat, quibus ſpuma circa os apparuerit) Et 7. *Aph.* 58. *Quibus cerebrum aliqua ex cauſa concuſſum fuerit, neceſſe eſt ſtatim mutos fieri*; diruptis fortaſſe venulis, aut arteriolis, effuſoque ſanguine cerebrum comprimente, ut extant hiſtoriæ apud VVepferum, Fernelium, & Henricum ab Heers. A graviori etiam, vel leviori reſpirationis læſione de vario eventu licebit præſagire, documento Galeni 3. *de loc. aff. c.* 7. Quòd apoplectici abſque reſpiratione ad dies integros deducantur, & tandem expergiſcantur, & reviviſcant, ſcribit VVilliſius evenire *non propter calorem vitalem denuò in corde exſuſcitatum (namque hic non penitùs diſperiit) ſed quatenùs materia morbifica è cerebello diſcuſſa, vel evaporata, cordis motus, tamquam horologii ponderibus appenſis, redintegratur*. At cur tamdiù ſine reſpiratione in vita conſervari poſſint, non explicat. Veriſimile quidem eſt, eo tempore feriari à motu muſculos intercoſtales, & diaphragma; Pulmonem verò, lentè tamen, & non admodum expandi, ſed quantùm ſatis ſit motui cordis, & ſanguinis conſervando, qui noſtris ſenſibus vix conſpicuus eſt: tametſi intercipi quoque poſſe vitam obſervemus in his, qui in aquis pereunt; pedibus enim ſuſpenſi, & calido adjuti plerùmque reviviſcunt, etſi ad horam penè mortui jacuerint. Ad hoc etiam facit, quod hyeme ex Iſtri fundo hirundines conglobatim retibus ad piſcandum paratis extrahuntur, atque ad Solem expoſitæ expergiſcuntur, quamvis deindè ad longum tempus vitam non trahant: quod non ita evenit, cùm ſua ptenatura, Vere adveniente, Hyems ſolvitur; illæ enim reſurgunt, & uſque ad nos nidificandi, gignendæque prolis gratia advolant. Daniel Bartolus Jeſuita in libello Italico, cui nomen fecit *Del Ghiaccio*, ait, ad mare Balticum quotannis multa hirundinum millia convenire, quæ tandem arctè in globos coeunt, atque ita in maris fundum ſeſe deiiciunt, ut ibi hyemem tranſigant; additque aliquandò volumina illa hirundinum ſagenis extrahi. Quod verò Galenici de Tranſpiratione, ſeu Perſpiratione dicunt, imperceptibile eſt, cùm apoplectici in his caſibus adeò refrigerentur, ut penè marmorei evadant, & fuliginum perſpirationem per cutim admittere non poſſint: præterquam quòd decipiuntur quoque in uſu reſpirationis, ut alibi dictum.

Exercit. de apopl. De abd. rer. cauſ. lib. 2. cap 15. obſ. 12

V. Helm. Demens Idea.

Num. 17. exp. 9.

A gravi hac in reſpiratione noxa contingit, ut apoplectici, vel nunquam, vel rarenter evadant: læſa namque tam graviter reſpiratione, ſanguinis, & cordis motus interturbatur, ac impeditur, unde vita deſinit, quam à cordis, & ſanguinis motu eſſe alibi explicuimus.

Ut igitur aliqua ex his, quæ de illius curatione Medici ſcripſerunt, attingamus. Vetuſtiores Dogmatici, & Galenici iiſdem ferè medicamentis uſi ſunt in apoplexia, ac in epilepſia, cæteriſque ſoporiferis affectibus, ſolùm in apoplexia purgantibus validioribus urgent, aliiſque vim habentibus quoque modo evocandi; quoniam hanc exiſtimant comitari ventriculorum cerebri maximam obſtructionem; quamobrem nedum catharticis acrioribus obſtruentes craſſos ſuccos ſolvere, & educere conantur, ſed etiam balanis, clyſteribus acerrimis, veſicantibus, cucurbitulis, cauterio cervici, & ſuturæ coro-

nali admoto, necnon candente sartagine moliuntur.

Nec insuper à venæ sectione abstinent, præsertim si vultus rubicundus appareat, fulti etiam authoritate Celsi, qui *lib.3.cap.27.* inquit: *Si omnia membra resoluta sunt, sanguinis missio vel occidit, vel liberat. Aliud curationis genus vix unquam sanitatem restituit, sæpè mortem tantùm differt, vitam interim infestat. Post sanguinis missionem si non redit & motus, & mens, nihil spei superest; si redit, sanitas quoque prospicitur.* Hinc Paulus Ægineta omnibus aliis postpositis medicamentis illicò ad phlebotomiam confugit, neque semel tantùm, sed bis, & eodem, aut sequenti die, secta vena cubiti, vel cephalica, ut vult Avicenna, Rhasis, & Mesues. At Aetius primùm vomitoriis, vel clysteribus, ventrem exonerat, mox sanguinem mittit, cui consentit Oribasius.

Lib. 3. cap. 18. f.1.3. c.1. div. c.12. c. de Apopl. Tetrab.2 f. 2. c.27. Syn.l.7.

Inhærent his recentiores Galenici, sed cautiùs procedendum arbitrantur in sanguinis detractione, cùm à pituita illa pendere videatur: quare clysteribus potiùs, cucurbitulis, & evacuantibus, tùm universalibus, tùm particularibus insistunt. Si verò à sanguine illam ortam credant, ducti à rubore vultus, à suppressa ejusdem evacuatione, venarum, arteriarumque tumore, sanguinis missionem primùm instituunt, postmodùm purgantia exhibent. Sic pariter ab opiatis inductam, vel ab ictu, aut vulnere, tractant excitantibus ęgrum, & vulnus Chirurgorum ope ad cicatricem perducentibus.

Hermetici sua his adiiciunt antiapoplectica. Et quidem inter purgantia præstare ajunt, helleborum, ejusque extractum, & syrupum helleboratum dictum descriptione Quercetani: ac inter roborantia, balsamum antiapoplecticum, & aquam antiapoplecticam Hartmanni, itemque oleum camphoræ, spiritum apoplecticum cum vitriolo præparatum, & elixir cephalicum Michaelis, aquam apoplecticam Mynsichti, ejusdemque balsamum.

Tetrad. graviss. c. aff.

P. Barbette sicuti existimat lympham crassiorem nervos obstruentem causam hujus affectus esse; ita illi evacuandæ, attenuandæque incumbit. Quare exhibet resinam agarici, & extractum catholicum, cum tartaro vitriolato; pariterque decoctum sennæ, radicis ireos, agarici, & seminum pæoniæ, cum diacarthamo. Commendat insuper tamquam efficax medicamentum spiritum salis dulcem ritè præparatum, & continuò in vino, aliove potu assueto ad guttas x. vel xv. assumptum. Additque ejus Adnotator Deckers omnibus præcellere salis ammoniaci flores, vel ejusdem spiritum, eumque non tantùm pituitam solvere, verùm etiam acido-austerum corrigere, atque mœstos hilares reddere. Fatetur præterea seipsum felici cum successu usum linimento ex oleo succini, spicæ, castorei, additis floribus hyperici, & succo rutæ expresso. Purgantibus verò miscendum jubet castoreum, addendamque resinam colocynthidis, extractum hellebori nigri, tartarum vitriolatum, & spiritum salis ammoniaci.

G. Blasius aliam, atque aliam curationem pro variis causis suscipit. Quare cum spirituum defectu ortam apoplexiam arbitratur, remediis spiritus reficientibus insistit. A narcoticorum immoderato usu, fumo carbonis, vapore calcis, similisve; alexipharmacis, sudoriferis, errhinis, & apophlegmatismis utitur. Si à cerebri imbecillitate; cephalicis roborantibus, & antiapoplecticis. Si ab

angu-

angustia viarum, scilicet nervorum; pro causæ conditione varia, varia exhibet. Semper autem ac ab humore obstruente, aut comprimente illam fieri putat, enematibus, & balanis acribus ejus evacuationem molitur, præter sternutamentum moventia, cucurbitulas, fomenta, olea, cerebrum speciatim repurgantia.

Pari modo Sylvius procedit, atque à causis diversis, unde apoplexiam progigni existimat, diversa quoque medicamentorum genera commendat. Spiritus animales deficientes reficit: quæ eorundem generationi, vel transmissioni impedimento sunt, removet; ideòque fluentem extra vasa sanguinem, ne spinalem medullam comprimat, aliò divertere, ac venæ sectione in pede instituta detrahere se putat; effluxum verò, ad palatum, & nares allicit per concretum sanguinem dissolventia. Si verò pituitosum humorem in spinalem medullam confluere coniiciat, etiam purgantibus acrioribus per alvum subducere illum adnititur: nec abhorret à cauteriis, cucurbitulis, sinapismis, & quod majus, à larga sanguinis evacuatione. Cæterùm capillorum avulsionem, cutis vellicationem, digitorum distorsionem, narium frictionem, corporis in situ prono concussionem, ligaturas, frica-tiones cum aceto, & sale, ac vomitoria, quæ plurimis proficientia creduntur, ipse vel improbat, & vituperat, vel tamquam inutilia despicit. Apoplecticis autem ex opio, vino, ejusque spiritu, præter venæ sectionem, frictiones, & ligaturas, opitulatur aceto, castoreo, oleo succini; & si ventriculus cibo gravatus percipiatur, etiam vomitoriis, & purgantibus medicamentis occurrit. Postremò à capitis concussione turbatos spiritus anodynis medicamentis sedandos, demulcendos, ac refocillandos esse monet. Reliquas apoplexiæ species insanabiles existimat.

Quamvis VVepferus nondum, quod sciam, in lucem emiserit Centuriam Observationum, & Curationum apoplecticorum, jam diù pollicitam, curandi tamen methodum ex historiis in auctuario descriptis hanc colligere licet. Præmissa venæ sectione, cùm terebram adhibere nequit, capiti sacculos quosdam cephalicos in vino decoctos applicat, tincturam Traumaticam, tùm externè, tùm internè adhibet, itemque julapium ex aqua hederæ terrestris, veronicæ, chærefolii, betonicæ, cum syr. viol. papav. errat. & acido citr. compositum, vel etiam decoctum C. C. præter alvum subducentia. Tincturam autem Traumaticam sic describit. *Butyr. Majal. lib. iij. liquef. lento calore in vase terr. vitr. & despum. add. fol. & flor. herb. recent. quarumlibet perfectam maturitatem adeptarum, ac minutim incis. scilicet herbæ chæref. petrosel. singul. m. ij. plantag. utriusque, nasturt. aquat. anagall. beccabung. solan. meliss. virg. aur. pentaphyll. veron. bistort. nicot. salv. n. flor. hyper. cent. min. singul. m. j. ss. diger. in loco tepid. & quotidie bis, terve bacillo agit. donec herbæ omnes mutuò accesserint; posteà coq. lento calore, & fortiter exprim. Mox huic expressioni ind. lumb. terrestr. aq. plantag. & aceto rubi Idæi lotor. & minutim. concisor. unc. j. ss. Iterùm coq. lento calore ad consumptionem succorum, & percolet. tandem admisceatur mell. despum. lib. j. & servetur in vase terr. vitr.* Dosis *dr. j. vel etiam ij. seorsim, vel in jusculo solut.* quoties suspicio concreti, & congelati sanguinis obvenit. Nonnulli cum lumbricis commiscent stercoris ovilli *m. j.* quod tamen tutò omitti potest.

Parum à superioribus differt VVillisii Therapeia. Is enim, vel ad præsentem, vel ad ingruentem paroxysmum respicit. In præsenti, detinendum monet ægrotantem extra cubile, vel saltem erecto capite, si cubili illum committere necessum sit: mox phlebotomiam indiscriminatim necessariam, minimèque differendam opinatur, acriori enemate priùs injecto, ex speciebus hieræ, diacolócynthide, & infuso croci metallorum, deindè vesicantia cervici, cruribus, & pedibus applicanda, & tòti corpori frictiones dolorificas suadet adhibendas. Interim spiritus animales roborat, & acuit, spiritu C.C. & fùliginis cum julapio cephalico. Post hæc emeticum commendat ex sale vitrioli cum oxymelle scillitico, aut infuso croci metallorum; deinde propinat elixir vitæ Quercetani, spiritum lavendulæ, spiritum theriacalem camphoratum, tincturam pæoniæ, succini, aut coralliorum cum aquis apoplecticis. Naribus verò admovet spiritum salis ammoniaci, âut suffitus ex galbano decocto in aceto acerrimo; Frontem, & syncipnt fovet aceto bezoardico, cathartica repetit, hirudines temporibus, & post aures applicat, vertici abraso ferrum candens imponit, & spiritum C.C. aut fuliginis in majori dosi exhibet.

In Prophylaxin verò eorum præsertim, qui à parentibus apoplecticis orti, vertigini, incubo, aut leipothymiæ obnoxii observantur, consulit catharsim tùm per os ex infuso croci metallorum, cum sale vitrioli; tùm per alvum cum pilulis Rudii, vel è succino, pluries repetitis: postmodùm cauteria in homoplatis, vel in cruribus; ac vicissim cephalica diversi generis, spiritum salis ammoniaci ex succino, elixir pæoniæ, tincturam succini, elixir vitæ Quercetani, spiritum cerasorum nigrorum, juglandium, vel rorismarini, decoctum Thee, vel Coffe, aut confectionem chocolatæ in hunc finem ab ipso descriptam, propinat, ut fusiùs apud eundem est legere.

Quoniam Helmontius affectum hunc stomachi vitio attribuit, illi propterea succurrere studet: præ ceteris verò commendat salem volatilem aromatum; inquit enim: *Si oleum cinnamomi, caryophyllorum, lavendulæ &c. noveris transmutare in salem volatilem, nactus es medicamentum temperatum, efficiens quantum de istis simplicibus sperari potest in veteri vertigine, palpitatione, apoplexia, similibusque*. Alibi etiam fatetur recentem apoplexiam per vomitum curatam, præcipuè ex vitriolo albo; alias verò, & in paralysim deductas, exhibito diaphoretico paracelsi. Ejus insuper sectator P. Jo. Faber curandæ apoplexiæ arcanum in vomitu consistere, scribit; quamobrem vinum emeticum, pulverem emeticum, & flores Antimoni summè prodesse testatur; posteà sudorifica exhibet, præsertim quod ipse ex stamno componit. De Feb. c. 15. n. 7. De Illiachiasi. c. 9. n. 51.

At longum satis foret omnia medicamentorum genera à Medicis præscripta hic recensere, cùm quisque pro re concepta, diversa, ac varia consulat, solùm celebriora, ac magis comprobata in medium adducere supererit.

Memorat Solenander in Consiliis quandam aquam adversùs apoplexiam, paralysim, & Epilepsiam, cum confectione, quibus Palatinos Comites Electores feliciter fatetur usos. Aquam ex his conficit: *flor. lilior. convall. m. viij. in vini generosi alb. lib. iv. infund. & agit. atque post quatuor, vel quinque dies distill. in B. M.* deindè cum hac commiscet, Consil. 14. sect. 3.

flor.

flor. stœchad. Arab. & flor. rorismar. singul. m. j. flor. lavend. m. j. ß. caryophyll. & nuc. odor. singul. dr. j. ß. cubeb. dr. ij. visc. quer. dr. iij. ß. rad. pæon. unc. iij. quæ rursus indita in vitreum vas per dies vij. ad solem, & sæpiùs agitata, denuò distill. in B.M.

Confectio verò est, quæ habet: *sem. pæon. decortic. unc. ß. margar. scr. j. macis dr. ß. fol. aur. vij. sacch. optim. in aq. suprascripta solut. unc. v.*

Consult. 16. Rolfinchius in consiliis Medicis singularem prædicat aliam aquam, atque miræ virtutis esse scribit in roborando cerebro, & nervis, sive intrinsecùs assumatur, sive exterius adhibeatur. Fit autem ex *fol. salv. cum summit. & fl. amarac. lil. convall. meliss. hyssop. & lavend. singul. m. ij. rorismar. verben. singul. m. ß. rad. doronic. unc. j. nuc. myrist. galang. & cinnam. singul. unc. ß. bacc. laur. & junip. unc. iij. herbæ paris. unc. j. sem. carvi, cubeb. & cardam. singul. unc. ß.* Contusa optimè omnia infundantur in vin. alb. optim. q. s. & detineantur in fimo equino per dies xiv. posteà distill. in B.M. & aqua servetur. Dosis ad libitum pro conditione patientis.

De Salvia peculiariter notandum ejus decoctum, vel extractum efficacissimum esse, ut notat etiam Hartmannus, qui scribit subscriptæ aquæ vitæ usu loquelam apoplecticos recuperare. In *aq. vitæ q. s. gran. junip. m. ij. contund. & macer. per triduum, & colentur; deinde imponatur salvia, pulegium, & nasturtium æquis partibus cum dr. j. croci.*

Describit insuper aliam aquam suę inventionis quam unicè prodesse ait ad cochleare unum, cum gutta una, vel altera olei succini, jejuno stomacho. Mirabile quoque inquit esse balsamum vitæ compositum ex balsamis Orientali, & Turcico; itemque balsamum Apoplecticum Crollii, & aquam vitæ apoplecticam ejusdem; necnon laudanum antiepilepticum, & oleum camphoræ verum à seipso descriptum. Addit præterea Cardilucius ad excitandos apoplecticos, morbumque hunc gravem expugnandum, valere mirum in modum spiritum elicitum ex sale tartari, & ammoniaco, si nimirum naribus admoveatur, & in os patientis instilletur.

Aliam aquam antiapoplecticam conficit Mynsicht aliudque balsamum, atque utrumque mirè extollit; sicut & spiritum salis coagulatum, præter alia innumera. Sect. 19. Sect. 34. Sect. 1.

Henricus ab Heers ad apoplexiam ex capitis ictu, casu, aut contusione magnifacit emplastrum, quod etiam à Francisco Valleriola commendatum, & à seipso fidum inventum, ait, atque tale est. *gumm. hederæ, ceræ, & terebinthinæ, singul. unc. iij. resinæ purgatæ unc. ß. succ. corymbor. hederæ unc. iv. ammon. unc. ij. ol. ros. unc. ii. & ß. cum farin. fabar. q. s. f. cer. capiti abraso imponendum.* Lib. 1. obs. med. obs. 12. & 21. Lib. 5. obs. 9.

Antiapoplectica denique simplicia internè assumenda recensentur, salvia, rosmarinus, lavendula, ruta, lilium convallium, stœchas Arabica, radices Angelicæ, Imperatoriæ, Pentaphylli, & Tormentillæ, Gummi juniperi, semina Cari, & Sinapis, Succinum; atque ex his eliciti spiritus, aquæ, & olea. Externè verò radix verbasci virgin. quam Hartmannus *in praxi chymiatr.* fatetur præsentissimum remedium esse ex collo gestatam: Et Dodonæus tueri ab apoplexia scribit. Excitare apoplecticos refert etiam Hartmannus fumum pennarum Perdicum, & succini, vel hujus oleum intra nares cum penna Perdicis sæpissimè inditum. Idem etiam præstare Rutę balsamum per odorem attractum alii memorant. Boyleus Cap. de Catarrh.

potentissimum ait esse oleum lentisci distillatum, & naribus insufflatum. De Pelle humana adversùs apoplexiam notabilem historiam narrat Otho Heurnius, cujus verba hic transcribere non gravabor. *D. Screvelius anno 1639. commemoravit mihi quòd Hagæ Comitis tractasset Chirurgum quendam Apoplecticum, qui statim ac corripiebatur morbo, clamabat: PELLIS HUMANA. Screvelius quærebat quid ea vellet? collo appensam dicebat; eo modo enim ante tempus aliquod apoplecticum Germanum sanatum vidisse, qui subindè cutem humanam expetebat, quam cum ipse à Petro Pauvv Anatomiæ Professore Leydensi petiisset, illicò collo appendebat, & apoplexia planè liberabatur.*

Ad cap. 3 l. 5. Path. Fernel.

Ad arcendam denique apoplexiam pro singulari experimento habet Abraham Seyler relatus *in Epistolis Cratonis, & aliorum Medicorum à Scholzio editis* subscriptas pilulas. Ex *cubeb. calamenth. mastich. nuc. myrist. & caryophyll. singul. dr. j. ambræ dr. ß. mosch. gr. vi. cum succo amaraci massam conficit*. Ad scr. j. exhibet, etiam æstivo tempore post frugaliorem cœnam, tempore Novilunii, & Plenilunii.

Epist. n. 8.

DE PARALYSI.

DEfinit aliquandò apoplexia in paralysim, seu in resolutionem, & abolitionem motus, quandoque etiam & sensus, in una, vel pluribus partibus. Interdùm totum quoque corpus (excepto capite) sensu, motuque destituitur; unde paraplegia, & paraplexia; quandoque verò solùm pars dextra, vel sinistra afficitur, adhuc cum capitis medietate, & hemiplegia, ac hemiplexia nuncupatur.

Paulò mitior paralysi est stupor, & torpor, in quo partes sensu solùm hebetantur: quare is prodromus paralysis, & paralysis imperfecta dici solet, cùm præsertim citrà præcedentem apoplexiam evenit. Hinc nonnulli, motus privationem in partibus propriè paralysim appellant; sensus verò amissionem, seu diminutionem, potiùs stuporem, & torporem, Græcè ἀναισθησίαν dicunt. Confunditur autem cum paralysi πάρεσις, quæ ab Avicenna *mollificatio* dicitur, cùm in ea membra mollia, laxa, atque in motu remissa observentur. quamquàm Æginetæ paralysi minor esse videatur.

Lib. 3. cap. de paralysi.

Putatur ferè communiter paralysis contingere ob densationem, compressionem, aut obstructionem nervorum à crassis, glutinosisque humoribus, qui ex cerebro affecto naturæ conamine deponuntur in nervos, & musculos subjectos, unde hi animales spiritus suscipere nequeuntes, nec motum, nec sensum exequi possunt. Addit Avicenna *complexionis membri recipientis corruptionem*, quam Galenus ad *refrigerationem* retulit. Unde ex eodem quidam sub multa pluvia, ac vento impetuoso, cùm madidum pallium collo diutiùs obvolvisset in paralysim incidit; sicut & piscator ibidem ab eodem Gal. memoratus Hippocrates verò *lib. de flatibus* paralysis, seu siderationis, apoplexiæ, & epilepsiæ causam statuit flatus esse frigidos, & multos per corpus discurrentes, & carnes inflantes.

V. Gal. 1. de symp. Caus. 5. & 2. de symp. caus. c. 2.

Lib. 3. cap. de paralysi. 1. de loc. aff. c. 6. 4. de l. aff. cap. 4. & 1. de caus morb. c. 9

At pluribus convellit hanc de nervorum obstructione sententiam Helmontius, quam etiam multo anteà exagitaverat Platerus. Ipse verò Helmontius Pylori indignationem accusans, quandoque ex mœrore illam oriri existimat, & aliquandò ex Colica, itemque ex utero, à spiritu devio, & erroneo.

Delithiaf. c. 9. Pysor. rector. de cóceptis. Jus duúvirat. ign act. regim.

Vi-

Viſum eſt Sylvio Deleboe fieri paralyſim, vel muſculorum, vel animalium ſpirituum vitio. Et quidem muſculorum: cùm ipſorum fibræ ineptæ ſunt, & malè diſpoſitæ ad ſui extenſionem, flaccidæ ſcilicet, & molles. Vitio verò animalium ſpirituum, ſi impotentes ſint ad fibras muſculorum diſtendendas: aut quia deficientes: aut quia immobiles. Unde quæcumque poſſunt flaccidas, & molles reddere muſculorum fibras, humiditas in primis aquea, ſive in corpore manens, ſive forinſecùs adveniens; atque omnia nervos anguſtantia, comprimentia, diſſecantia, & narcoſim inferentia, recenſentur ab eodem cauſæ remotiores paralyſis.

Dicuntur verò VVilliſio reſolvi nervoſæ partes, cùm ſpiritus animales eas non ſatis irradiant, inflant, & vigore confirmant, ſive ob viarum obſtructionem, ſive ob eorundem ſpirituum imbecillitatem: ob viarum obſtructionem quidem, vel quia implentur, vel quia comprimuntur, vel quia in continuitate diſſolvuntur: ob ſpirituum verò debilitatem, præſertim à rebus narcoticis, aut acido vitrioli præditis.

Hermetici demum, & Paracelſiſtæ hujus morbi cauſam putant Mercurium in cerebro ex vi apoplexiæ ſublimatum, ac deinde in nervorum principium depulſum, poſtquàm à ſulphure, & ſale conglaciatus eſt; vel etiam in nervos delapſum, cùm artis, vel naturæ beneficio eſt reſolutus, ſuperſtite ſolùm ſtyptica vitrioli, acidaque conditione.

Quantùm verò ab Anatome deduci potuit: Inventum eſt cerebrum in defunctis ex paralyſi multo ſero irriguum, molle nimis, & flaccidum; ejuſque corpora ſtriata minùs firma, & inſtar amurcæ diſcolorata, ut loquitur VVilliſius. Neque verò ejuſmodi materiam ſeroſam in cerebro ſtagnantem, aut nervos irrorantem paralyſim attuliſſe notat VVepferus: Nam niſi nervi premantur, aut à circumfluo humore corrodantur, vel in ſphacelum abeant, paralyſim non incurrunt. Quandoque etiam ſanguis è diruptis vaſis effuſus in ſubſtantiam cerebri repertus eſt, cùm præſertim ab ictu, vel vulnere reſolutio accidit. Aliquandò demum apoſtema, vel pus ex apoſtemate, quod maturuit.

Referuntur quoque paralyſes accidiſſe ex colico dolore, (licèt ex hoc affectu potiùs immobilitas ſequatur, quàm paralyſis ex Sylvio) ab affectione ſcorbutica; à læſione ſpinalis medullæ, ejuſque tumore, contuſione, caſu, & luxatione vertebrarum; itemque à crapula, nimioque vini uſu; ſicut pariter à medicamentis opiatis, fumo, aut diuturna contrectatione Mercurii, halitibus Antimonii, Calcis, & Auripigmenti; à ſomno etiam in locis humidis, aut ſub umbris arborum malignarum, à metu, & mœrore vehementi; ab ambiente nimis frigido, vel mora ſub dio, & in locis nivoſis, ſeſſioneque ſuper lapidem marmoreum, ut refert aliquibus accidiſſe Galenus 1. *de loc. aff. cap.* 6. & 4. *ejuſdem operis cap.* 4. Similiter à metaſtaſi humorum in muſculoſas, & nervoſas partes, ut teſtatur idem Galenus *c.* 4. *de loc. aff.* de quodam ex peripneumonia convaleſcente: & Ægineta ex colica: & Fernelius ex febre biliosa. Sic pariter ex mœrore, animique ſollicitudine, ut memorat Trallianus: & à graviditate, ut narrat Riverius: a Cranii carie: à detentis in acervo tritici cruribus: & à viperæ morſu, ut Jo. Rhodius teſtatur.

[Margin: Eugal. de ſcorbut. Sennert. in Inſt. VVilliſ. c. 9. hiſt. 2. — Lib. 3. c. 18. & 43. Lib. 5. de par. mor. & ſympt. c. 3. Lib. 1. c. 16. cent. 2. obſ. 98. Cent. 1. obſ. 34. & cent. 3. obſ. 10. Cent. 3. obſ. 89.]

Notiſſima per ſe eſt paralyſis, & cuilibet perſpecta. Satis enim manifeſtè

festè dignoscitur ex privatione motus, & sensus, vel in toto corpore, excepto capite, ut in paraplegia, vel in illius medietate solùm, sive dextra sive sinistra, ut in Hemiplegia; vel in aliqua solùm parte, putà brachio, crure, manu, pede, digitis, ut de Pausania refert Galenus 1. *de loc. aff.* 6. qui in tribus digitis sensum amiserat ex lapsu in vertebras dorsi; quamvis ex superiùs dicti læsio in sensu potiùs stupor appellari mereatur.

Et 3. ejusd. oper. 10.

At cur aliquandò motus illæso sensu, aliquandò inoffenso motu sensus adimatur, etiam apud veteres dubitatum fuit. Nonnulli diversitati nervorum affectorum causam attribuerunt, si nimirùm nervi motui potiùs, quàm sensui destinati, vel contrà læderentur. Alii quamvis id in quibusdam nervis verum arbitrentur, non tamen in cæteris omnibus à spina orientibus admittunt, cùm compertum habeant ab iisdem nervis sensum, & motum partibus suppeditari: Quare ad variam nervorum obstructionem causam retulere: Si namque obstructio tanta sit, ut omninò influxum spirituum in subjecta membra impediat, tùm motum, tùm sensum aboleri dicunt; at motum solummodò, non sensum, si semiobstructio tantùm in illis fiat; cùm indè possint aliqui saltem spiritus in inferiores partes excurrere, à quibus queat sensus haberi, minimè verò motus, qui longè pluribus, & confertioribus spiritibus indiget, ex eo quòd sentire sit quoddam pati, movere verò agere; plusque exigi ad agendum, quàm ad patiendum. At quamvis hoc pacto sensus absque motu videatur sustineri posse; non tamen vice versa motus absque sensu, ut in stupore, & in casu Pausaniæ. Hinc alii confugiunt ad naturam partis affectæ, in quam nervi diffunduntur: quamobrem si nervus tendat in musculum, motus deperdetur, sed non sensus; si verò in membranas, sensus abolebitur, non motus. Existimaverim autem defectum sensus, & motus in paralyticis omninò pendere à vitio fibrarum nervearum, & musculorum, quæ fortassè laxiores, flaccidiores, aut crassiores redditæ, aliove simili modo affectæ ineptæ evadunt sensui, & motui in partibus promovendo, quemadmodùm aliàs innuimus. Cùmque hæ aliquando, prope nervorum initium, quandoque verò in spina, & in aliquibus illius vertebris, interdùm etiam in ipsismet partibus lædantur, contorqueantur, comprimantur, tumefiant, aut obrigescant; propterea fit, ut paraplegia, hemiplegia, aut paralysis particularis accidat, vel ἀναισθησία. Hùc etiam facit, quod notat VVillisius de discrimine nervorum prodeuntium à cerebro, & cerebello, pro motibus voluntariis, & involuntariis subjectorum membrorum.

Atque hinc suspicandum evenire, cur aliquandò membra paralysi affecta temporis progressu macrescant, & sensim extenuentur: scilicet quia causa paralysis haud quaquàm in nervis hæret, & spina, sed in ipsis carnibus, ubi fibræ nerveæ vitium contraxerunt; quamobrem non mirum, si alibilem succum è sanguine suggestum sibi ipsis apponere non possint, undè tandem contabescunt, ut in arborum foliis, ac fructibus per hyemem experimur; quamquàm hoc velint Glissonius, VVarthonus, aliique ab impedito potiùs per nervos succo nutritio provenire. Expertus sum autem membra motu magis, quàm sensu privata contabescere; quin etiam non rarò quæ torpida solùm erant succi plena remansisse; quia nimirùm per motum musculi extenduntur, dilatantur, admittuntque in

suis

suis poris nutrimentum, quod ipsis accedit. Quare ejusmodi Tabes partibus potissimùm extremis accidit, cùm illarum vitio fibræ nerveæ offenduntur; secùs cùm vitium solius spinæ, vel cerebri est. Postremò sensus deficiet si membranæ; motus verò si musculorum carnes afficiantur.

Quibus signis inductæ paralysis causæ internosci possint, ex superiùs dictis facilè colligitur, præterquam quòd relatione ægrotantis, & adstantium, habitu corporis patientis, anni tempestate, & ex prægressis causis sagaci Medico palam fient.

Faciliùs planè de ejusdem eventu conjectare licebit. Quò namque plures, & principaliores partes affectæ fuerint, eò gravior, & periculosior existimanda; sicut pariter si à vulnere, vel casu ab alto cum luxatione vertebrarum, aut si citrà causam manifestam accidat cum motus, & sensus abolitione. Qui præterea per omnia membra resoluti sunt, solent celeriter rapi, ac si correpti non sunt, diutiùs quidem vivunt, sed raro tamen ad sanitatem perveniunt, & plerumque miserum spiritum trahunt, memoria quoque amissa, ex Celso *lib. 3. cap.* 27. Periculosa quoque est paralysis apoplexiam consequuta: facilè enim illam revocat, & necem affert. Sperandum verò de salute recuperanda cùm febris supervenit, vel diarrhœa, & æger obesioris est constitutionis, modò paralysis recens sit, & levis, ut advertit Marcellus Donatus. Resolutiones partium, urinis repentè multis, sanescere quoque scribit Hippocrates *in Coacis prænotionibus*; At verò sudoribus confestim manantibus, malum.

6. Aph. 18. V. Avic. l. 3. f. 2. c. 2.

V. Galen comm. 2. in 1. pro rh. t. 50. Rhas. 1. cont. Lib. 2. hist. mirab. c. 5.

Ad paralysim ergo, quam medicabilem existimant, hæc remedia adhibent. Primùm autem, qui omnem paralysim ab obstruentibus crassis, & pituitosis succis oriri putant, evacuantibus potissimùm utuntur, & quidem fortioribus, tùm emeticis, tùm catharticis subducentibus, præcipuè ex colocynthide, agarico, hermodactylis, turbith, gummigutta, hiera, pilulis cochiis, fœtidis, aggregativis, & ex tribus Galeni; deinde ad particulares capitis, & spinæ evacuationes procedunt per errhina, apophlegmatismos, & cauteria. His adiiciunt unctiones, & fotus per universam spinam, cùm oleo laur. chamæmel. rut. cost. & de spica; itemque decocta capitalia ex sarza parilla, ligno guajaco, sassafras, china; atque ineunte æstate ad sudatoria Puteolana nostrates Medici ægrotantes amandant, indicta interim diæta ad calidum, & siccum vergente.

Helmontius eadem hìc adhibet, quæ in apoplexia; speciatim verò commendat lac unionum. Tit. potestas Medicam.

Cùm Sylvius Deleboe plerumque ortam putet paralysim ab humore pituitoso, vel aqueo spinalem medullam ita irrigante, ut liber per ipsam spiritibus animalibus transitus denegetur; curationem propterea dirigit ad hunc humorem ab affecta parte tollendum; præcavendo etiam alterius affluxum, & malam dispositionem in spina inductam emendando. In quam rem catharticis, & caput purgiis utitur ex colocynthide, hermodactylis, turbith gummoso, unà cum mercurio dulci, quem optimum in hoc affectu esse dicit, & in cæteris morbis à crassa pituita oriundis. Mox verò adhibet ea, quæ è cerebro per nares, & palatum humores educunt; atque etiam cervici caustica medicamenta admovet: Phlebotomiæ tamen parcit, nisi minùs commodè sanguis circuire videatur, sumpta conjectura ex pulsu minùs pleno, & oppresso, sed molli, atque ex anhelitu frequentiori.

tiori. Ad emendandos insuper, simulque educendos pituitosos humores, conferre ait sudorifera, ex ligno guajaco, juniperino, sassafras, & similibus, additis quoque radicibus chinæ, iridis, enulæ campanæ, acori, sarsæparillæ, galangæ, curcumæ, ut & foliis chamæpityos, salviæ, sampsucchi, rorismarini, betonicæ, thymi, polii, floribus primulæ veris, stœchados, anthos; seminibus cari, fœniculi, sileris montani, erucæ, rutæ: baccis lauri, & juniperi. Ex his conficit quoque fotus, & balnea calidè applicanda parti affectæ: approbatque balnea naturalia, præsertim sulphurea, vel artificialia ex plantis prędictis cum sulphure, & sale lixivio composita; aut hypocausta cum vini spiritu accenso. Partibus affectis roborandis prodęsse subdit olea baccarum juniperi, lumbricorum, castorei, succini, rorismarini, ceræ, galbani: unguentum nervinum, Martiatum, Agrippæ; vel emplastrum betonicæ, meliloti, oxycroceum, cum quibus permiscendum suadet alumen sciffile, tùm crudum, tùm præparatum.

Ab aliis causis inductam paralysim curandam adstruit remediis in apoplexia memoratis.

Latiorem paralyseos curationem instituit Thomas VVillisius pro causarum sibi propositarum varietate. Tres verò potissimùm generales medendi rationes exhibet à triplici causarum genere desumptas. Primò si ab externo accidenti, puta plaga, casu ab alto, vulnere, frigoris excessu, & similibus. Secundò si alteri affectui, scilicet apoplexiæ, caro, colicæ, aut febri diuturnæ succedat. Demum, si per se, & nullo præcedente morbo, invadat, prævio solùm malo corporis apparatu.

Ad primum: curandum, inquit, ut pars læsa conformationem pristinam recuperet: Ne verò ad ipsam utpote affectam, & debilem, sanguis affluat, phlebotomiam commendat, victum tenuem instituit, hydroticis moderatis insistit, & pulverem ad casum in Pharmacopœa Augustana descriptum, atque insuper decoctum traumaticum radicum rubiæ tinctorum, petasitidos, aut florum hyperici, sæpiùs assumendum consulit. Interim loco affecto topica adhibet ex balsamis, lituris, fotibus, cataplasmatis, emplastris, prout tumor, vulnus, contusio, aliudve simile in partem inflictum expostulaverit.

Ad secundum: ut causa conjuncta removeatur, phlebotomiis, catharticis, enematibus, sinapismis, cucurbitulis, sternutamentum moventibus, aliisque in similibus morbis capitis applicari solitis, incumbit.

Ad ultimum; ne paralysis accedat, vel repetat, spiritus animales promovere, & cerebrum roborare adnititur; cumulata verò recrementa per catharsim, & vomitum moventia circa utrumque æquinoctium repurganda monet; cæteris autem temporibus cephalica remedia utilissima censet. Ad jam inductam verò præter cathartica leviora, cephalica, & antiscorbutica conducibilia existimat. Verùm pro duplici ægrotantium statu geminam curationis methodum proponit: alteram pro paralyticis frigidis, alteram pro calidis, pro frigidis quidem, post vomitum, & purgationem, præscribit electuaria, decocta, aquas stillatitias, tincturas, pulveres, tabellas, pilulas ex cephalicis, & antiscorbuticis simplicibus amaris, & acutis aromatibus. Pro calidis verò, ab acribus abstinet, & mitiora solùm consulit sub iisdem tamen formulis exhibita. Per idem tempus denique, partes affectas fovendas,

vendas, & liniendas esse præcipit, congruentibus oleis, ceratis, & balsamis, pro ratione temperiei ægrotantium; atque insuper diaphoreticis, ptyalismum provocantibus, & vomitum, utendum; ut ductus obstructi referentur, & causa conjuncta penitùs adimatur.

Hermeticis, & paracelsistis eadem sunt hic in usu, quæ in apoplexia, præcipuè verò emetica: commendantur postmodùm sal margaritarum, & coralliorum, oleum, magisterium, & sal succini, cinnabaris antimonii, essentia castorei, & ad partes fovendas, aqua formicarum, salviæ, & nicotianæ, vel vinum austerum, in quo prædictæ herbæ ebullierint, adhibito deinceps Galbaneto Paracelsi, vel cataplasmate ex radice symphyti majoris in aqua communi ad pulticulam decocta. Petrus Jo. Faber laudat etiam sudorificum stamni à seipso descriptum, ad plures dies assumptum; pariterque balsamum ex essentia rorismarini, & salviæ, quo affectas partes illitas mirificè recreari scribit.

V. Hart. in sua prax. De morb. Cap. c. 11

Oportebit autem tùm in his, tùm in cæteris medicamentis ritè adhibendis diligenter advertere, à quanam ex prænarratis causis potuerit paralysis oriri, atque illi potissimùm occurrere: in hoc enim maximè elucet medici sagacitas, & peritia. Unde est, ut remedia, quæ uni, ferè momento temporis, profuerunt, alteri noceant; licèt eadem videatur esse morbi species; quia fortasse diversa causa viguit. Causarum namque inquisitio speciatim in morborum curationibus necessaria est; & qui illas scrutari sciverit, procul dubio curationem assequetur, nisi cætera aliundè obstiterint.

Denique antiparalytica specialiora recensentur, intrinsecùs quidem sal succini volatile, essentia castorei cum spiritu vini extracta, spiritus, aut oleum lavendulæ, salviæ, anthos, primulæ veris, stœchados. Ad loquelam impeditam unicè prodesse solet oleum anisorum, & cinnamomi, guttatim linguæ inditum; itemque spiritus cerasorum nigrorum, aqua liliorum convallium ex vino stillatitia, & aqua apoplectica apud Hartmannum, cum sanguine turturis calente commista. Forestus egregium sudorificum in paralysi scribit esse decoctum radicis Bardanæ. Et Crato decoctum milii cum aliqua portione vini græci, quod syrupus S. Ambrosii dicitur. Rulandus infuso florum lavendulæ in vino pluries exhibito, fœminam sexagenariam à paralysi linguæ liberatam fatetur. Summè etiam conferre fertur Theriaca vetus cum pulvere sinapis, si sub lingua detineatur, ex Horstio. Ad præcavendam denique paralysim commendatur Hypericum in aqua decoctum ad cyathum unum in prima mensa per integrum annum.

Lib. 10. obs. 82. Conf. 50. lib. 6. Cent. 4. c. 55. V. Prævot. sel. Rem. p. 76.

Extrinsecùs verò, essentia foliorum nicotianæ viridium cum vino cretensi elicita, sola infusione, si membra paralytica ea diutiùs fricentur, ex Hartmanno. Efficacissimum quoque creditur Galbanetum Paracelsi penes eundem. Ab aliis prædicatur spiritus lumbricorum terrestrium, & formicarum. Magnifit etiam unguentum nervinum Augustanum, balsamum Peruvianum, balsamum paralyticum Mynsichti, & Tacamahaca emollita, & subacta cum oleo nervino Augustano. Epiphanius Ferdinandus singulare remedium inquit esse, post optimam corporis purgationem, viridibus urticis resolutum corpus cædere; Deumque testatur, se hoc remedii genere plurimos sanasse, & nunquam votis non potitum: Cujus inventi authorem refert Celsum

Hist. 47.

sum *lib.3.cap.27.* Hunc eundem usum approbant Riverius, & Rolfinchius.

Balnea parata ex decoctis herbis paralysi, chamæpity, betonica, lavendula, roremarino, sampsucho, chamædryo, primula veris, salvia, baccis juniperi, & lauri, addito sulphure, & nitro, mirè etiam aliquando contulerunt.

Ad Paralysim verò, seù corporis immobilitatem, ut mavult Sylvius, quæ Colicam affectionem sequitur, atque ex Tartaro in intestinis collecto, & pontica vi prædito oriri putatur Paracelso, cùm acutus dolor illam comitetur, speciatim commendantur spiritus tartari, & oleum, seù liquor ex optimo calchantho philosophicè destillatus, ad guttas aliquot; extrinsecùs verò suffitus, & inunctiones ex balsamis descriptis ab eodem *Tr.2. de membris contractis*. Affertur etiam oleum quoddam mirabile adversùs contractiones à Cardilucio, apud quem legi poterit. Hartmannus verò multùm juvare scribit decoctum sassafras, præter unctiones ex balsamo Galbani terebinthinato, cum cataplasmate radicis symphyti majoris in aqua decoctæ. Riverius etiam Galbanetum Paracelsi magnoperè conferre, ait, si partibus affectis, & umbilico admoveatur. Denique ad stuporem ab usu hydrargyri inductum mirè confert ligni guajaci decoctum, itemque ejusdem balsamum, cui addantur auri folia in pulverem comminuta, & in formam pilularum redactum ad semidrachmam, vel etiam integram, pluries exhibitum. Cæterùm de modo, quo Paralysis ex Colica oriri possit, consulendus precipuè Vvillisius *in sua Pathologia c. de Colica passione*. Et qua ratione curanda sit Paralysis Scorbutum sequuta alibi dicetur.

Cap. 10. in Prax. Chym. Hartm.

Lib. 10. Prax. c. 1

DE SPASMO, seu Convulsione.

SPasmus, seù Contractio, & Convulsio, Celso Nervorum distensio dicitur; intelligiturque morbus ille, quo membra, præsertim musculosa, & nervis referta, contracta simul, rigida, & immobilia observantur. Differt autem Convulsio à depravatis illis motibus, qui plerumque Epilepsiã comitantur, ut propterea *Epileptici* dici soleant, aliis *Spasmodici*, & *Convulsivi*; quoniam in his dum membra retrahuntur, variè contorquentur, & concutiuntur; quamobrem differunt à Tremore, in quo motus membri spontis suæ est, fitque semper uniformis sursùm, deorsùm; secùs, qui motus convulsivi dicuntur, sunt dispares, inæquales, inordinati, & varii.

Spasmus, alter Universalis, toti corpori contingens; alter Particularis, alicui tantùm membro. Sub universali, comprehenduntur Tetanos, Emprosthotonos, & Opisthotonos, in quibus scilicet corpus adeò arctè occupatur, ut flecti haud possit. In Tetano autem æquali robore in utramque partem anteriorem, & posteriorem intenditur. In Emprosthotono solùm in anteriora curvatur. In Opisthotono demùm ad posteriora tantùm. Has omnes Convulsiones Celsus Rigores appellavit. Particularis adhuc multiplex est, pro partium contractarum diversitate. Unde Spasmus Cynicus, faciei: Strabismus, oculorum: Trismus, musculorum mandibularium: Risus Sardonius, labiorum: Satyriasis, penis, Convulsiones appellantur. Huc reducitur Spasmus ille, quem Græci σπασμὸν φυσῶδην & Itali *Cramfum* dicunt, vulgò Neapoli *Granco*, contingens plerumque tibiis,

Libr. 4. cap. 3.

V. Gal. 2. de symp. caus. c. 2.

tibiis, earumque suris cum maximo dolore; cùmque à flatibus oriri putetur, idcircò Medicorum plurimi *Flatulentum* illum nuncupant. Hunc autem facilè tolli, & affectas partes præmuniri circumducto Anguillæ corio pro more siccato refert Prævotius *in select. Remed.* quamquàm sponte quoque sua plerumque desinat adactis in motum subitò tibiis dolentibus, vel fortiter perfricatis.

Creditum est Antiquis cujuscumque Spasmi causam, vel ad Repletionem, vel ad Inanitionem pertinere, authoritate Hippocratis *6.Aph. 39.* dicentis *Convulsio fit, vel ex repletione, vel ex inanitione*. Cujus sententiam sequutus Galenus *in Comm.* tradit exemplum à chordis, lorisque petitum, quæ tum in humidiori, tum in sicciori aeris constitutione adducuntur, & contrahuntur. Quod etiam confirmat 5.*Aph.*1.*Sicut enim*, inquit, *foris videmus lora, & chordas tendi, ubi vehementiùs exsiccantur, aut multa madent humiditate; sic & in corporibus animalium, par est fieri non rarò Convulsionem*. Quamquam hoc loco meminit Galenus alterius causæ, quam ad vellicationem, & morsum oris ventriculi, nervis plurimis referti, retulit. Et 12. *meth. cap. ult.* aliam causam addidit, videlicet intensum frigus, quale glaciei.

V. 3. de loc. aff. c.6. & 2. de symp. caus. 2.

At pluribus hasce causas convellere nititur Thomas Erastus *disput. de Convulsione*; & fusa etiam oratione prosequitur Sennertus *in Institutionibus Medicis*, ubi omnes Veterum de hac re opiniones, refert, & exagitat. Ipse verò Erastus neque musculos, neque nervos convulsionis causam subire existimans, tandem concludit in hoc affectu cerebrum principaliter affici à re aliqua mordaci, & vellicante, modo nondùm satis perspecto. Et Sennertus depravatos musculorum motus Convulsivos dictos fieri quidem à vapore, vel humore tenui, seroso, pravo, & maligno, nunc hujus, nunc illius nervi principia vellicante; Convulsionem verò ipsam, nonnisi ab humore in cerebri meditullio nervorum origine pertinacius hærente, hancque continenter stimulante opinatur.

lib.2.p.3 s.2. c.5.

Quandoquidem inter plurima, quæ obstare videntur Hippocratis doctrinæ, speciale illud afferri solet non commodè distingui posse à Paralysi Convulsionem, si ab humore replente, ac obstruente, hæc pariter oriretur; propterea Riverius huic se putans difficultati satisfacturum, inquit Paralysim fieri ab humore pituitoso puro, & impermisto, qui partes potiùs relaxet, quam contrahat; Convulsionem verò, ab eodem humore, sed pluribus flatibus consociato, à quibus nervi, & musculi tendantur, ac versùs suam originem contrahantur.

At verò Paracelsus, & Helmontius peculiarem vitam musculis attribuunt, eo quòd post mortem, aliquis adhuc in ipsis motus remaneat, sicuti in caudis, & partibus insectorum resectis experimur. Hinc Convulsionem quamcumque putat Helmontius ex naturali sensu, motuque eorundem musculorum, etiam aliquandiù post interitum superstite, procedere, concitato tamen illorum spiritu. Quamobrem *de lithiasi cap.9. n.128.* concludit: *omnem spasmum esse Blas vitale musculorum ex Archeo innato suscitatum, cuius occasio est malignum aliquod irruens in Archeum, musculorum vitæ insidians*. At verò Hermeticorum alii Mercurium sale acido imbutum, hujus morbi causam assignant.

Morb. sed in An sens. De Febr. c.9 De lithiasi c.9

Mu-

Musculorum cum Tendinibus inflationem, amplificationemque inductam à flatu, à spiritibus, vel ab humoribus, Convulsionis causam existimat Gerardus Blasius *in sua Therap. speciali*.

De Morbis Convul. Vvillisius licèt partium nervosarum irritationes, leviores Spasmos afferre posse concedat, graviorum tamen originem constituit, crebas, vehementesque explosiones spirituum animalium à particulis diversi generis maximè activis, atque nitro-sulphureis, potissimum è succo nerveo suggestis, in nervos, adjunctosque musculos; undè pari ratione id accidere arbitratur, ac ex accenso pyrio pulvere in bellicis machinis, eosque ideò vehementer, violenterque expandi, contrahi, & exagitari.

Prax. l. 2. c. 23. nu. 33. Denique Sylvius Deleboe in ea persistit sententia, ut putet unicam Convulsionis causam esse humorum acrimoniam, quæ membranaceas cerebri, cerebelli, & spinalis medullæ, nervorumque omnium partes ita vellicet, & malè afficiat, ut subindè consequatur impetus spirituum animalium in musculorum fibras, adeòque Spasmus, seu Convulsio. In cujus opinionis argumentum multa affert, quæ idipsum suadere videntur, sed potissimùm historiam memorat Caroli IX. Galliarum Regis à Paræo relatam, atque alteram, cujusdam Chirurgi Amstelodamensis, qui ex punctis nervis Convulsiones gravissimas passi sunt.

Illud autem animadvertendum occurrit, haudquaquam perpetuò cerebrum, cerebellum, spinam, & nervos affici oportere, ut membra convellantur; cùm aliquando absque proxima cerebri, & nervorum læsione convulsiones accidant, ut accuratissimè notat Helmontius, sed satis est si musculi, illorumque fibræ carneæ afficiantur. Neque insuper cùm nervi punguntur, aut aliter læduntur, spiritus animales (quos nec fingere necesse est) in vehementem, ac tumultuarium motum credendum concitari; cùm hæc, & alia, quæ his affectibus accidunt symptomata, à sola fibrarum contractione, & liquoris nervorum depravatione oriri possint; undè est, ut nervi puncti convellantur, cæsi verò minimè; quia ex punctione aliæ ab aliis fibræ inæqualiter flectuntur, retrahunturque; in cæsura verò æquè complicantur, laxantur, aut retorquentur.

(V. Riol. Enchir. Anat. li. 2. c. 37. Horst. l. 2. obs. 4. Vvillis. Pathol. c. 4.)

Quæ ex Anatome hactenùs licuit observare, cerebrum, ejusque meninges, plexus, spinalem medullam, nervos, diaphragma, ventriculum, intestina, renes, ureteres, aliave viscera affecta in hac ægritudine designarunt, à sero acri, sanie, pure, abscessu, ulcere, inflammatione, veneno, vermibus, calculis, lotio diutiùs retento, lochiis suppressis cum placenta uterina, aliisque similibus; ut meritò existimet Helmontius omnem, & quamcumque corporis partem sensu præditam; posse convulsiones subire, si nimirùm à re vellicante, & acri stimuletur. Sic pariter ab usu Hellebori, aliusve cathartici, à frigore nimio, à caustico medicamento, à vulnere capiti inflicto, à punctura nervi, ab acuto odore, luxatione, subito terrore, vehementi animi passione, ictu venenato, aliisque innumeris, convulsiones, motusque depravatos exortos esse passim testantur historiæ. 5. Aph. 20. & 27.

Quamvis autem abstrusa nimis sit causæ hujus investigatio, ut illam omninò desperaverit Averroes, nullo tamen planè negotio Morbus ipse cognoscitur, atque à cæteris distinguitur: etenim eo partes primùm irregulariter moventur, & contrahuntur; mox verò obrigescunt, & nec flecti, nec

(3. Colle. Hipp. lib. de diebus jud. propè finē, & lib. de intern. aff. & 3. de morb. symptomata memorat Tetanū, & Opisthotonum comitantia)

nec extendi possunt; dolor tamen plerumque illas excruciat: quare facilè à Paralysi, seù Resolutione internoscetur. Cæterùm Tetanus, Emprosthotonus, & Opisthotonus ex supradictis facilè dignoscuntur; sicut etiam Spasmus Cynicus, Strabismus, & reliqui, de quibus infrà.

Periculosa est, & lethalis hæc affectio, eòque magis, quò plures, vel omnes simul partes convelluntur à cerebri vitio. Hippocrates 5. *Aph.*1. Convulsionem ex helleboro lethalem esse scribit; sicut pariter ex vulnere *tex.*2. atque à sanguinis profluvio *tex.*3. & 7. *Aph.*9. itemque ex nimia purgatione, atque ex ebrietate *eodem* 5. *Aph.tex.*4. & 5. & 7. *Aph.*25. Similiter *ab Ileo vomitus, singultus, convulsio, aut delirium, malum* dicitur 7. *Aph.*10. Malum quoque in fluxu muliebri, *si convulsio, & animi defectus adveniat* 5. *Aph.*56. Atque etiam *si in acutis febribus convulsiones, & circa viscera dolores vehementes* fiant, 4. *Aph.*6.6. necnon *ex somnis timores, & convulsiones* *tex.*67. Si præterea diuturnam vigiliam consequatur 7. *Aph.*18. Et æstum immodicum *tex.*13. In febre verò non intermittente, *Si labrum, palpebra, vel supercilium, vel oculus, vel nasus pervertatur, vel non videat, vel non audiat, iam debili existente corpore, mors proxima est tex.*69. At de Tetano speciatim adnotat, intra quatriduum interimere, post hoc tempus verò incolumes ægrotantes evadere 5. *Aph.*6. & *lib. de iudicat. Mulieri* autem *utero gerenti, si Tetanus superveniat, facit abortum* 7. *Aph.*27. Convulsio demum, quæ phrenitidem sequitur, lethalis dicitur Aetio *Tetrab.*2. *serm.* 1. *cap.*131.

At contra, melius sperandum si convulsioni febris superveniat 2. *Aph.*26. Nam, *qui à convulsione, aut distentione nervorum tenetur, febre superveniente, liberatur* 4. *Aph.*57. *A Quartana capti non admodùm convulsionibus corripiuntur* 5. *Aph.*70. *Si verò prius capiantur, & quartana superveniat, liberantur.* Et *lib. de iudicationibus in fine*: *A convulsione, aut distentione nervorum vexato, febris accedens, solvit morbum: & si à febre detentum convulsio corripiat, sedatur febris eadem die, aut postridè, aut tertia die.* In ulceribus autem, *si tumores appareant, non admodùm ægroti convelluntur, neque insaniunt. Verùm his repentè evanescentibus, illis quidem, quibus à tergo, convulsiones, & tetani fiunt: quibus autem à fronte, insania, vel dolor lateris acutus, vel suppuratio, vel difficultas intestinorum, si tumores sunt rubicundi* 5. *Aph.*65.

Quę adversùs hunc morbum à Medicis commendantur, plurima sunt. Hippocrates *lib.*3. *de Morbis* in Tetani medelam hæc commemorat: *Catapotia ex pipere, & veratro nigro devoranda dato, & iusculum volucrium pingue calidum: inducendæ sunt etiam multæ sternutationes, & fomenta adhibenda, & partes dolentes calido oleo, & multo, & sæpè illinantur.* In Opisthotono verò specialiter aquam frigidam plurimam superinfundi docet, contectis posteà partibus vestimentis tenuibus, puris, & calidis: quod remedium etiam in Tetano convenire subdit; undè *Aph.*21. *lib.*5. scribit: *In Tetano sine ulceratione, iuvene bene carnoso, æstate media, frigidæ aquæ multa perfusio calorem revocat: calor autem Morbum solvit.* Insuper *lib. de Internis affectionibus in fine*. Linimenta calida instituit, & ad sudorem patientis corpus disponendum

monet; intereà verò mulsam tepidam,& vinum album,quàm jucundissimum, & multum bibendum esse.

Quoniam verò à plerisque putatur Spasmus quilibet,vel à Repletione,vel ab Inanitione progigni; propterea quem ex Repletione, & præsertim à crassis succis ortum credunt, evacuantibus, & attenuantibus medicamentis curandum aggrediuntur; at ex inanitione, per febrim ardentem, aut hecticam, immodicas evacuationes, & similes; humectantibus, impinguantibus, & nutrientibus.

Ab his, qui Convulsionem opinantur à pravo,& irritante humore excitari, Medicamenta ad illius remotionem, correctionemque diriguntur. Et Sennertus quidem Idiopathicam Convulsionem tollere conatur missione sanguinis, si is fortasse abundare videatur; Sin minus, cucurbitulis cum scarificatu, authoritate Æginetæ: mox purgante medicamento utitur, & clysteribus acrioribus; tandem ad Topica devenit per lituras ex pinguedine animalium, oleo philosophorum, juniper. laur. rut. terebinth. lumbric. terrestr. Adhibet quoque balnea etiam vaporifera, & sulphurea. Intereà tamen intrinsecùs assumenda commendat castoreum cum mulsa, vel ejusdem castorei essentiam in aqua salviæ, & aquam hirundinum compositam, præter alia, quæ apud eundem legi possunt. In sympathica verò, si ex consensu ventriculi, neglecto vomitu à Galeno commendato, nisi ab æruginosa bile fiat, potiùs utitur pilulis per alvum subducentibus, aut clystere acri. Si ab utero, remediis eundem repurgantibus, memoratis à Galeno 6. *de loc. aff. cap.* 5. Si ab ictu venenato, alexipharmacis. Si à vulnere, vel punctione nervorum; quibus phlegmone præcavetur, & vulnus consolidatur, abstersa sanie, sedatoque dolore; & si opus sit, secto adhuc nervo, terebratoque cranio, si meninges malum invaserit. Si postremò fiat à flatibus, illos discutientia affectæ parti adhibet. Huic methodo inhæret quoque Gerardus Blasius.

Lib. 3. c. 29. & 20.

12. Meth cap. ult.

Apud Paracelsum, & Helmontium nihil peculiare est, quod ad Spasmi curationem pertineat; nisi quod oleum Terebinthinę calidum commendant, cùm ille vulnera consequitur. Verùm Petrus Jo. Faber sententiam eandem sequutus, huic morbo occurrit cathartico Antimoniali; deindè partem convulsam illinit essentia salviæ, oleo ceræ permista; iterato etiam, si opus sit, eodem cathartico.

De Morb Cap. cap. 13.

Sicut à Vvillisio varius fomes proponitur, undè Convulsiones, & Convulsivi motus oriantur; ita in illius subtractionem plurima admittuntur, sed pręcipuè, phlebotomiæ, cathartica, emetica, cæteraque alia in Epilepsia memorata. Quoniam verò ad hos affectus revocat Hystericam, & Scorbuticam affectionem, extremam saltationem à morsu (ut creditur) Araneæ Tarentinæ, Choream S. Viti, aliasque ægritudines; his quoque speciatim occurrere adnititur medicamentis antihystericis, & antiscorbuticis dictis, quæ fusè idem Auctor commemorat.

Postremò Sylvius Deleboe pro varietate causarum, quas Spasmum inferre posse suspicatur, variam quoque exhibet medendi rationem. Primùm autem fusa oratione prosequitur historiam, & curationem institutam à Paręo in Carolo IX. Galliarum Rege, ex nervi punctione; mox huic medendum subdit oleo terebinthinæ calenti cum spiritu vini; Et si his nec dolor, nec convulsio desinat, omninò rescindendum esse nervum suadet. Ex contusione, & fractura Cra-

Cranii, Terebræ usum adhortatur, superimposito deindè oleo Terebinthinæ cum spiritu vini. A combustione, commendat oleum expressum è nucibus juglandibus,& seminibus rapæ; itemque cerusam, aut minium in aceto stillatitio solutum, atque instar linimenti cum oleo redactum. Ab acrimonia demùm humorum conferre existimat Thermas sulphureas, vel balnea arte parata ex sale tartari in calcem redacti, cum sulphure ritè permisto, & in congruenti quantitate aquæ diluto. Prodesse etiam putat olea, & axungias præsertim humanas, & anguillarum, quibus affectę partes liniantur; necnon fomenta, emplastra, & cataplasmata ex herbis calefacientibus, sale volatili, & oleo abundantibus. Intrinsecùs verò sudorifica sale etiam volatili prædita, maximèque spiritum Tartari cum aqua theriacali, aut vini spiritu purissimo permistum, omissis acidis, quæ convulsis nocua omninò dicuntur.

Propria demùm in his affectibus medicamenta recensentur, præter antiepileptica superiùs memorata, Plantæ omnes in aquis crescentes ex Petræo; præsertim autem Nymphea, itemque Mandragora, Napellum, Faba inversa. Ægineta Acanthi radicem, & spinæ albæ semen magnifacit. At præstat uti castoreo, ejusque essentia cum aqua salviæ. Thomas Vvillisius præter alia plurima, hæc facilius parabilia usu approbat; nempè *pulv. millep. præpar. dr. iii. & sem. ameos dr. i. divid. in x. partes*; & binas exhibet in singulos dies.

(In Nosol. harm.) (Lib. 3. c. 19.) (Cap. 5. & in obser.)

Itemque *Asell. xii. contund. ac ex vino albo effuso exprim. succ. & f. haust. his in die*.

(Card. de admir. cur. c. 15.) Externè verò contulisse visa sunt olea, & linimenta ex adipe Vulpis; Catellorum, Mustelæ; sicut etiam ex lumbricis, terebinthina, castoreo, galbano, ammoniaco, anetho, liliis. Horstius affirmat nervosas, & musculosas partes emplastro oxycroceo roborari. Et Davissonius laudat oleum terebinthinæ, succini, & ex lateribus elicitum: ex quibus sequens linimentum componit Rolfinchius spinæ admovendum. *Unguent. Martiat. unc. i. Aregon. dr. ii. ol. vulp. & terebinth. singul. dr ß. stillat. succin scr. i. rorismar. scr ß.*

(Obs. 15.) (Comm. ad Med. Sever.) (Libr. 2. consult. 14.)

(Obs. 8.) Apud Riverium in Observationibus communicatis testatur Pachequus hoc alio juvenem toto corpore convulsum statim expeditè ambulasse, esseque remedium divinum; idque habet *butyr. rancid. & larid. veter. singul. quart. i. bdell. & ammoniac. singul. unc. i. myrrhæ, & castor. singul. dr. iii. flor. stœchad. & anth. singul. p. i. nuc. myristicæ, & caryophyll. singul. dr. i. catum parvum exenteratum, excoriatum, & in frusta concisum. His infarciatur anser, & consuatur, ac torreatur in veru. Primus qui defluet succus, abiicitur, secundus colligitur in vase aceto semipleno, quo liniatur spina cum partibus convulsis.*

(Lib. 103. Obs. 104.) Simile huic est aliud, quod describitur à Foresto. Anser pinguis evisceratur, atque in eo minutim incisus imponatur felis cum larido, myrrha, & thure consutus, inque veru torreatur, vase aceto pleno supposito; prima pinguedo destillans abiiciatur, sed quæ paulò post extillat usui reservetur. Posteà Anser bulliat in eodem aceto, & pinguedo supernatans separetur, & cum prima commisceatur, qua convulsa membra inunguntur. Ea Gatinariam quendam curasse refert, cui pedes convellebantur, neque dissimili successu in aliis usum. Addit insuper se vidisse quosdam à dolore liberatos solo bal-

neo olei communis cum decocto vermium terrestrium.

Laudat & aliud Penotus, quod habet *ol.terebinth. vel olei bals. alb. unc. ß.ol.caryoph.gutt. vi.mucilagin bryoniæ q.satis, ut fiat consistens linimētum, quo calido partes inunguntur.*

P. Bayrus in filio Ducis Sabaudiæ usus aliquandò fuit ol.viol.. decenter calido supra cervicem instillato. Lib. 2.c. 20.Ench.

Quod si Convulsio sit ex vulnere, efficacissimum est oleum lavendulæ stillatitium, tam internè ad guttas aliquot, quàm externè parti vulneratæ, vel nervo puncto adhibitum. Extollit etiam Mynsicht suum balsamum, polychrestum, itemque balsamum, & unguentum spasmaticum, si his membra affecta, & spina foveantur. At ex veneno, vel ictu venenato, refert Petræus mirificè illius vim infringere scabiosam ustam cum vitello ovi, & pauxillo theriacæ mistam, & superpositam. In Armam. l. c.

Convulsiones epilepticas à malignitate humorum creditas curavit Riverius in puero decennali, promoto primùm vomitu, & alvi dejectione, mox verò exhibito oleo succini, & spiritu vitrioli singul. ad gutt. v. in aqua betonicæ; ac postremò potione alexipharmaca roborante cum bezoadico joviali. A cæteris causis inductas, remotione, correctioneque earundem, prudens Medicus pro re nata moderabitur. Cent.4. obs. 59.

Pro Coronide addendum Tincturam florum hyperici Tremori manuum, aliarumque corporis partium specaliter conferre ex Fr. Deckers. Capitis Tremores in senibus curari scribit Borellus fimo Pavonis ad dr.i. in suff.quantitate aquæ vitæ soluto, & ter matutinis horis assumpto. Platerus singulare remediū habet electuarium *Orvietanum* dictum. Testaturque Forestus sibi à fide digno Pharmacopœo communicatum esu cerebri Leporis assati Aurificem quendam Bruxellensem à tremore incolumem evasisse. Et Bayrus mirabiles prædicat has pilulas, in quibus sunt: *Castor, pyrethri, & cinnam. singul. dr.iii. pulp.colocynth. & serap. singul. dr.iv. hieræpicræ dr.v. hæc liquore convenienti excepta rediguntur in massam.* Dosis *dr.i. vel scr.iv.* In Not. ad cap. de Epilepsi.practic. Barbett. Cent.3. obs.98. lib. 10. obs.99. Lib.2. c. 22.

Intereà tamen vult assumi bolum ad magnitudinem nucis ex his pulveribus concinnatum, singulo manè: certò enim convaliturum ægrum, inquit. *Myrobal.nigr.dr.xxx. sab.dr.x. olib.dr.ix. cyper. cost. & calam. arom. singul dr.v.* omnia in pulverem redacta cum passulis commiscet.

Extrinsecùs verò plurimùm conferre monet idem Forestus lotionem sæpiùs iteratam ex urina pueri, vel propria. Si ex Mercurio tremor accidat, salutare dicitur decoctum radicis enulæ epotum, & sulphur solare antimonii, vel cinnabaris ejusdem; externè verò unguentum pretiosum ex Auro Zacuti, atque aurum ipsum ex observatione Riverii, & Thom. Bartholini. Cæterùm ad Tremorem ob languorem nervorum, & succi nervei resolutionem commendatur essentia florum anthos, & ambræ grisea, Aqua vitæ Matthioli, tinctura alkermes, oleum cinnamomi, spiritus formicarum, seù elixir magnanimitatis: atque externè, oleum stillatitium ex baccis juniperi, essentia lavendulæ, oleum balsami, & balsamum rubicundum Mynsichti. Sed & Carrictherus addit Nymphæam albis, & rubris floribus in umbra septemtrionali arefactam, lecto, vel parieti appensam modico tempore omnes convulsos sanare: Itemque Imperatoriæ essentiam exhibitam, & spinæ dorsi, necnon umbilico, & partibus convulsis applicitam idem præstare. Lib. 8. schol. obs. 5.

Quod

Quod autem dicitur, Tremoris causam esse improportionem potentiæ moventis ad membrum motum, quòd scilicet nequeat sustineri à debili virtute: non levem difficultatem patitur, cùm compererim, juvenes cæteroqui robustissimos in quibusdam motibus tremulas manus habere; & iratos toto corpore contremiscere. Quidam solius capitis tremore laborant, aut etiam solius manus dextræ, vel sinistræ; alii quiescentes solùm, ad motum verò, vel ad aliquod opus intenti, minimè. Novi militem, qui cùm toto corpore contremisceret quiescendo, si tamen brachia in altum tolleret, & suspensa teneret, illa bene consisterent, & absque tremore, quinimmò, cùm sclopo in venatione uteretur, firmiter collimabat. Unde crediderim, affici potiùs in his nervorum fibras, & motrices musculorum inæqualiter concitatas à vapore acido, vel acri ex sanguine, vel succo nerveo procedente, valdè simili ei, qui provenit ex perturbato sanguine in subito timore, vel furore. Possunt etiam motrices fibræ musculorum inæqualiter concitari, & adeò velociter, ut inter sese non congruant nec motus unius alterius motui conveniat: Qua ratione putarim, tremorem exurgere in iratis, & violentioribus, ad eum fermè modum, quo lingua in his, qui memoria aliquid recitant, & cum timore, titubare solet.

DE CATALEPSI.

SUnt, qui Catalepsim distinguunt à Catocho; alii verò confundunt. Nos de nominibus parùm solliciti, juxta communiorem morem Medicorum, alterum pro altero promiscuè sumemus, atque utrumque intelligemus affectum illum, quo correpti Ecstatici videntur, manentque in eodem situ, eademque figura, in qua reperiebantur; Quamobrem à plerisque Congelatio, ab aliis Stupor, & à Platero Stupor cum rigidiate, itemque ab aliis Excessus, & Ecstasis græcè nuncupatur. Refert Galenus 2. *prorrhet.* quendam ex suis condiscipulis t.56. morbo hoc correptum jacuisse veluti lignum prorsùs inflexibile, rigidum, atque extensum, oculis apertis, vidisse, & audisse, immò & memoria tenuisse adstantium gestus, & actiones; cùm tamen nec loqui, neque membrum ullum movere potuisset. Undè constat in Catalepsi deficere motum, at non semper sensùs. Aliquando ipse observavi catalepticum Adolescentem, cui brachium, & crus dextrum inflexum erat; sinistrum verò extensum cum collo, & capite, in quo situ correptus fuerat: vocatus audiebat, sed loqui non poterat. Vivit adhuc juvenis quidam, qui Epilepsia identidem vexatur, & non raro catalepticus, post epilepticum paroxysmum, remanet; plerumque etiam citra Epilepsiam, Catalepsi corripitur, & si genibus flexis, Sacrum audiens, aut aliter compositus inveniatur, eodem modo aliquandiù consistit: deambulans verò productis cruribus, ac veluti ecstasi raptus stantem marmoris statuam refert; mox soluto corpore inchoatum motum prosequitur; immò & aliquando per saltus.

Ferè omnes Medici affectum hunc inferri existimant à vaporibus congelantibus, seù coagulantibus spiritus animales per nervos discurrentes, undè illi torpidi, & ad motum inepti evadant, quo pacto spiritus vini à spiritu urinæ coagulatur, ut exempli causa Sylvius animadvertit. Quare consueverunt Antiquiores Catalepsim congelationem nominare. Retulerunt autem isti ejusmodi spirituum immobilitatem, & conge-

lationem ad intemperiem frigidam siccam ab humore melancholico inductam; quæ tamen in viventibus impossibilis putatur, eoque magis, quia subitò induci deberet in catalepticis.

Idipsum opponit his Cardilucius, qui spiritibus figentibus Catalepsis causam attribuunt: etenim figentes isti spiritus in nervis absque interitu fingi non possunt, & sicuti fulmine icti (quo exemplo utitur Sennertus) minimè supervivunt, ita cataleptici omninò perirent, si à congelante halitu obrigerent; cùm cæteroqui ex his plurimi pristinam sanitatem recuperasse perhibeantur. Adscribit propterea causam hujus ægritudinis defectui spirituum, qui sanè in corporibus melancholicis,& phlegmaticis, ejuscemodi morborum generibus valdè obnoxiis, sæpènumero deficiunt, vel inertes admodùm sunt. Hinc non veretur revocare Catalepsim ad affectus soporiferos, cum quibus in causis convenire arbitratur.

Alienus quoque est à communi Medicorum sententia Gerardus Blasius, qui vel ad impeditum spirituum animalium influxum in partes motui deditas, ob compressionem, obstructionemque nervorum in principio spinalis medullæ, vel ad repletionem, retentionemq; eorundem spirituum in musculis ob angustiam, nimiamve nervorum laxitatem, Catalepsim revocat. In hanc sententiam multò anteà concesserat Platerus, existimans Catalepsis causam esse immoderatam spirituum animalium è cerebro in nervos effusionem.

T. Duūvir.& de febrib. cap. 9. Helmontius, ut alios cerebri affectus, soporem, vertiginem, ita Catochum, & Catalepsim à stomacho promanare, opinatur; cui etiam attribuit Oscitationem somni prænunciam, & alia hujus generis accidentia, ut superiùs quoque memoratum est.

At mihi non displicet sententia eorum, qui morbum hunc ab halitibus oriundum faciunt naturam præseferentibus acidam, & figentem, qualem in nitro experimur. Verùm ab his nitrosis halitibus, potiùs fibræ nerveæ, quàm spiritus afficiuntur; unde illæ rigidæ, & inflexibiles evadunt: quòd si id mali genus etiam musculis accidat, motus erit impossibilis. Non tamen hinc interitus ut sequatur, necesse est, cùm halitus isti evanidi sint, neque sanguinem, aut viscera vitæ specialius destinata infestent; at verò in hæc postremò transfusi, vitam quoque adimunt. Quamobrem medicamenta catalepticos juvare solita, sunt, quæ dissolvendi, & modicè laxandi vim habere referuntur: & observationes tùm ex praxi, tum ex Anatome deductæ concretum ex acido vapore sanguinem designantes, satis, superque attestari videntur Catalepsim ex non dissimili causa procreari, quæ pari modo nerveas fibras, nervorumque succum inficiat, & coarctet: quamquàm affectio hæc cum convulsione, stupore, & paralysi conveniens, non rarò Medicis imponat, ut habeant convulsos, aut stupidos pro catalepticis.

Ex dictis morbus hic facilè innotescit: subitò enim invadit, & in quo situ, ac figura ægrotantem adoritur, in eadem detinet, undè is veluti congelatus, & ecstaticus remanet. Aliquando correpti omni sensu destituuntur, & licèt oculos apertos habeant, ac immobiles, non tamen vident, nec audiunt, nec memores deinceps sunt eorum, quæ illis evenere, si fortasse convalescant. Contra alii & audiunt, & vident, & postquam convaluerint referunt, quæ gesta sunt, ut fuit condiscipulus ille Galeni.

leni. Nonnulli, si ad motum disponantur, ducanturque, ambulant, sed in ecstasim rapti, instar statuæ. Sunt etiam, qui ad interrogata respondent, sed cum hebetudine, & stupiditate: & quidam se vidisse in somnis mira, & diversarum rerum objectas species memorant. Plerumque hianti ore respirant, quamvis per vices latiori thoracis amplificatione spiritum hauriant: styptica fit alvus, & urina supprimitur; quin etiam totum corpus stipatur, & cogitur, pulsu tamen æquali persistente, ut notavit Galenus 4. *de caus. puls.* 16. Hinc pro majori, vel minori sensuum læsione, & symptomatum comitatu, variat prognosis. Potior verò ratio habenda est de viribus, & respiratione: nam ex Hippocrate 1. *prorrhet.* 3. *to.* 4. *quæ cum exolutione fiunt, & catochæ, & aphoniæ, perniciosæ sunt.* Quamobrem, vel viribus exoluti, vel suffocati, catalepticì pereunt.

Quoniam verò morbus hic rarissimus esse solet, alto silentio Scriptores curationem præteriere, contenti solummodò generaliora præscribere, communia his, quæ ad epilepsiam referuntur. Sed & Sylvius conferentia solùm autumat, sale volatili acriori prædita. Quendam mihi aliquando contigit observare, qui levamen maximum persensit (cùm nil per os assumere posset) à balneis ex chamæmelo, fœnugræco, anetho, malva, althæa, meliloto, seminibus lini, additis salvia, betonica, nicotiana, itemque linimentis ex Galbaneto Paracelsi, essentia lavendulæ, oleo nucis myristicæ, & ceræ. Capucinus catalepticus relatus ab Henrico Heers his remediis curatus fertur. obs. 3. Primùm glande acri alvus soluta est, undè membra movit, surrexit, ambulavit, omnium præteritorum tamen immemor. Tum fricatis naribus ex ptarmico potentissimo sæpè sternuit, mucumque excrevit simile glaciei. Deindè ingressus laconicum flatus discutientia assumpsit. Postmodùm ab usu clysteris validissimi, & cathartici, purgatus est; atque insuper decocto herbarum capitalium, cerebelli regio, & universa spina fota est, ac convenientibus oleis inuncta: Pro potu hydromel dilutissimum, in quo sassafras, fœniculum, & anisum ebullierat, ebibit, admisto vino fulvo: Ac tandem in dies exhibitum fuit conditum ex electariis, acori, stœchados, nucis myristicæ, zinziberis cum theriaca, & confectione pliris archoticon; seque in posterum, cùm malum persentiret, oleo calido, totique spinæ affricto, à congelatione præcavit. Alium narrat Forestus, qui non dissimiliter à clystere, & balano acribus, inunctionibus, decocto, cathartico, & roborantibus cephalicis convaluit. Lib. 10. obs. 42.

A fulmine percussi, & adinstar catalepticorum attoniti relicti, quomodo tractandi sint, consule *obs.* 37. *Ephem. German. Ann.* 2. *ejusque scholium.*

DE VERTIGINE.

Vertiginis naturam, & originem explicare difficilius est, quàm ut putatur à plerisque. Qui enim sibi fingunt spiritus vectores specierum, à flatibus in cerebro genitis, vel ex infernis partibus elevatis, in gyrum volvi, atque ad eorundem circuitionem videri objecta externa circumrotari, licèt subitò se expediant, non tamen difficultatem explanant: Nam (ut sileam hìc, quæ à Philosophis adversùs ejuscemodi species, spiritusque opponuntur) oporteret cerebrum omninò vacuum esse, ut hunc V. Gal. 3. Aph. cō. 31. & 3. de loc. aff. 8.

spirituum, & flatuum circuitum pati posset. Neque verò in Cerebri ventriculis spiritus animales spatiantur, cùm ex Anatome jam satis, superque perspectum sit, cavum illorum, excipiendis, repurgandisque excrementis usui esse, ut aliter suspicari ampliùs non liceat. Sunt præterea, qui ex alta turri profundam vallem spectantes, aut rapidissimos fluvios, currentesque equos aspicientes, quique seipsos circumducunt, vertigine corripiuntur, citra quamcumque evaporationem ad caput. Ex longa pariter inedia, à timore imminentis alicujus periculi, vertigo accidit, quinimmò meticulosi si repentè timore percellantur, facillimè Vertiginem sentiunt. Hinc novi quosdam à spectris nocturnis perterritos, vertigine, & motibus epilepticis affectos; Funambuli verò ab omni metu alieni, haudquaquam ejusmodi morbo tentantur. Sic quoque variis, & ferè oppositis animi pathematis commoti, nonnunquam in Vertiginem delabuntur, ut si unà simul pudor, & vindictæ desiderium pusillanimem arripiat. Idemque accidere solet iis, qui attento animo, fixa acie, & oculis immobilibus, rem aliquam meditantur, ac intuentur, si præsertim exindè tædium subsequatur. Per easdem pariter ambages versantur, qui spiritibus inordinatè mòtis proximam Vertiginis causam asciscunt.

De lithial. c. 5. Sententia Helmontii, qui contendit quamcumque vertiginem è debili stomacho oriri, neque omninò vera est: nam, quamvis aliquando stomachus vertiginis origo esse possit; ex allatis exemplis, aliundè etiam illam pendere deducitur. Cæterùm Hermetici cum Dogmaticis conveniunt; quippe ad vapores, & halitus quoque confugiunt; illos tamen volunt è resinosis, tartareis, aut sulphureis in imo ventre contentis humoribus, aut ex pinguiori, magisque sulphurea sanguinis substantia proficisci, qui secum tincturam atræ fuliginis convehant, ut loquitur Quercetanus, sine ulla acrimonia. In Tetrad. c. 11.

Verisimilius autem videtur assiduo per cerebrum diffundi tenuem quamdam, fluxilem, & roridam substantiam è puriori parte sanguinis albicante, percolatam ex arteriis carotidibus, atque ex his, quæ plexus efformant. Ea verò cùm quaquaversùm cerebrum pervadat, ac præsertim meditullium, sensim traiicitur in nervos, ut & cerebrum ipsum, nervorumque fibras sensui, & motui peragendo necessarias convenienter irroret, & foveat, aptasque reddat impressioni simulacrorum signandorum in Cerebri meditullio, pro Apprehensione, Æstimatione, & Memoria. At si ob vitium ejusdem, vel sanguinis, incursio talis fiat in meditullium, ut violenter admodùm diffundatur, & impetuosiùs quàm deceat, substantia ista rorida per poros cerebri cieatur, interturbantur fibræ nerveæ, quæ inæqualiter concitatæ, & contortæ, motum epilepticum, & Vertiginem pariunt tenebricosam cum casu, & corporis labefactione. Simplicem verò, si tantummodò per cerebrum divagetur, principio nervorum illæso; vel à partibus infernis isti lædantur. Sed & non raro roridus ille liquor, qui per cerebri substantiam diffundi debet, tenuis, purus, limpidusque omninò non est, ut liberè possit poros illius subire, & convenienter cerebrum, & nervos irrorare, unde nec promptè pervadens aliquantulum remoratur, quin potiùs in gyrum adigitur; quapropter fibrillas ejusdem inæqualiter commovet, ac percellendo conturbat, & extorquet, quemadmodum

dum chordis, & filamentis quarundam plantarum contingit, idque fit in quocumque liquore, cùm in suo cursu præpeditur. Simplex quoque vertigo accidit ab aspectu profundarum vallium, similiumque rerum metum vehementem, ac subitum inferentium, quoniam ob animi motionem acriter concutitur phantasia, & sanguinis motus perturbatur, qui subindè tumultuariè agitat roridamillam cerebri substantiam è plexibus exudantem. A cursu equorum, & fluvii rapiditate visionis radii, seu potiùs lumen, quod reflectitur, fibrillas nervi optici in tunica Retina percellit, atque tanta velocitate, inæqualitateque, ut maximam, & confusam motionem in cerebro inducat, undè objecta externa circumrotare apprehendantur. Ob longam inediam, liquor ille tenuis deficit, visus hebetatur; quamobrem fibræ cerebri, & nervorum extorquentur, ut in fibris plantarum exarescentium experimur. Atque hinc reliqua facilè est colligere. Non tamen hinc negaverim, simplicem plerumque vertiginem à malè affecto ventriculo proficisci, ut propterea concitato vomitu illicò desinat. Pluries in meipso expertus sum à tenaci, hærenteque succo, vel etiam oleoso, & amaricanti humore ventriculum fastiditum, ejusque pylorum exagitatum, speciem quamdam Vertiginis excitasse, qua objecta non quidem omnino circumagi, sed trepidare viderentur; præsertim si lecto decubuissem. Ea autem, promoto vomitu, etiam exiguo, sensim remittebatur. Siquidem per ipsum infensos illos humores, qui apices nervorum, eorumque fibras lacessere videbantur, sensim dimotos, tandem pedetentim contingebat evomi, & foras educi. Quamobrem illum magnoperè utilem, ac salutarem in ejusmodi casibus futurum commendare non desino, etsi plerique penitùs contradicant.

Quamvis autem qui vertiginem patiuntur putent omnia externa circumduci, non tamen ex hoc dicendum illos delirare, quoniam Æstimatio illæsa manet, corrigitque falsam ex objecto apprehensionem: In delirio etenim læsam imaginationem consequitur vitiata quoque æstimatio, undè judicium offendi, ac depravari necessum est.

Insuper licèt in vertigine sensus visus potissimùm afficiatur, cùm oculi tenebris suffundantur, & caligent; non raro tamen cæteri quoque sensus depravantur; siquidem sibilus, aut levis fluctuatio in auribus exauditur, atque olfactus, & gustus læditur, ut notat Ægineta *lib. 3. cap.* 12. quin & aliquandò hi solùm offenduntur citra vertiginem, fibris scilicet nervorum in organis sensuum tantummodò contortis, & graviùs affectis, leviùs verò, vel nullo modo in cerebro.

V. Aet. tetrab. 2. c. 7. Rhas. cap. 3.

Præter enarratas vertiginis differentias, alia dicitur idiopathicè in cerebro causam habere, alia sympathicè à vitio aliorum viscerum, præsertim ventriculi, uteri, hypochondriorum, ut in scorbuticis. Aliquandò serosus humor cerebri anfractus alluens, vertiginis causa inventus est. Abscessus item, & hydatides; necnon concretus in vena cava, & in arteria magna sanguis: putrefactum epiploon: obduratæ glandulæ. Unde etiam conjectandum potiùs à fibris, & nervorum liquore, modo nuper explicato, quàm à spiritibus irregulariter motis vertiginem oriri.

V. Hipp. 2. de morb. tit. morbi à capite, unde Carol. Piso. Plater. l. 1. obs. & prax. c. 7. Scult. Arm. Chir. obs. 19. Vvepfer. de apopl. Holler. Vvillis. &c.

Eam verò ex hac, vel alia causa ortam, vitio hujus, vel alterius visceris, ab adjunctis symptomatis sagax Medicus pervestigabit, judicabitque, num gravior, vel levior illa sit.

sit. Porrò mitior semper erit, si à causa externa; secùs gravior, præsertim quæ cum oculorum caligatione, & casu contingit; nam in epilepsiam, vel apoplexiam transiens, mortifera evadit. Senibus longè periculosior, eòque magis si cum febre copuletur, vel cum austrina tempestate jungatur.

3. Aph. 31. 8. Aph. 15. 3. Aph. 17.

Vertiginem præsentem curare conantur Medici iisdem ferè remediis, quæ adversùs epilepsiam, & apoplexiam memorata sunt, non neglecta interim causa, quæ potuerit paroxysmum excitare. Verùm si à causa externa fiat, sicuti nullius periculi esse solet, ita neque medicamentis egebit, cùm satis sit ejusmodi causam devitare. Fertur autem à quibusdam vertiginem citissimè desinere illitis temporibus succo bethæ nigræ, assumptoque pulvere abrotani in vino tepido, vel cum oxymelle. Admovent alii ad frontem serpillum; tempora verò, & cervicem perfricant aqua rorismarini.

v. Marcel. de Medic c. 3.

At imminentem vertiginem à suis causis antevertere aggrediuntur, vitato aere crasso, & nebuloso, itemque vino, nisi stomachus obsistat, iisque omnibus, undè vertiginem æger ipse pati expertus sit. Si prætereà à flatibus illa progigni putetur, evacuantia medicamenta tùm totum, tùm caput ipsum, adhibent; mox verò quæ flatus discutiunt, & cerebrum roborare creduntur. Consentientia viscera, & præcipuè ventriculum pari modo repurgare satagunt, atque tùm internis, tùm externis remediis confovere.

Verùm VVillisius pro more, accidentalem, quam vocat vertiginem, curandam censet per phlebotomiam, lenem catharsin, & cephalica medicamenta. Habitualem, & inveteratam, abscisso primùm fomite, usu cujusvis evacuantis remedii; deinde repurgato sanguine ope antiscorbuticorum, & chalybe constantium medicaminum, roboratoque cerebro cephalicis specialioribus. Postremò amota causa conjuncta, per medicamenta sale volatili prædita, cujusmodi sunt spiritus C. C. fuliginis, salis ammoniaci, tinctura coralliorum, succini, antimonii, elixir pæoniæ &c.

In ipso autem paroxysmo peculiariter commendat graveolentia, ut castoreum, spiritum, aut sal volatile C. C. urinæ, & salis ammoniaci, naribus subindè admovenda, atque etiam intrinsecùs usurpanda, cum julapiis cephalicis; & hora somni bolum ex mithridatio cum pulvere castorei. Extra paroxysmum verò, emeticum semel in mense gratia præcautionis consulit, sicut pariter catharticum, & phlebotomiam, fonticulos, phœnigmos, emplastra, aliaque hujus generis multa.

Hartmanno præcipuus dicitur pulvis ex cinnabari nativa, cujus beneficio plures, unica hebdomade, vertigine liberasse testatur Quercetanus ad grana x. vel xx. in aqua liliorum convallium. Substituitur ab aliis cinnabaris antimonii. Efficaciorem prędicat Cardilucius suum præcipitatum aureum à gr. iv. ad vj. Stercus pavonis in pulverem redactum, & cum sacchara mistum ad dr. 1. alii exhibent ex Cratone, etiam ad inveteratam vertiginem. Vult tamen Borellus solvendum illud esse cum sufficienti quantitate spiritus vini, deindeque ter assumendum in potu tempore matutino. Et Schroderus per noctem in vino macerandum consulit, mox trajectum per linteum exhibendum, à novilunio ad plenilunium, & ultrà. Ex his conficitur sequens pulvis efficacissimus: *cinnabaris nativæ unc. ß. magister. corall. & margarit.*

In Tetrad. graviss. Cap. aff. c. 23.

Cent. 3. obs. 98.

In Pharmacop.

garit. singul. scr. ij. stercoris Pavonis præpar. unc. 1. croci or. scr. 1. fol. auri n. 6. reduc. in alchool. supra marmor. dos. gr. 10. Præsentaneum remedium aliis dicitur electuarium ex cerebro passerum; itemque essentia ciconiarum cum spiritu vini elicita ad guttas aliquot. Pulverem Sciuri pro Arcano antiscotodinico funambulum quendam habuisse refert Jo: Michaelis. Semina aquilegiæ, & cari, chærefolium, flores anthos, carpobalsamum, si ex eis pulveres, essentiæ, extracta, aut aquæ eliciantur, valde prodesse

Obs. 1. p. 10. creduntur. Conficit Platerus vinum, quo usus senex quidam vertigini obnoxius, non ampliùs de illa conquestus fuit. Infundit autem hic Author in mensura una vini, sennæ unc. ij. turbith. unc. ß. agarici dr. iij. piperis dr. ß. gingiberis, seminum coriandrorum, summitatum centaurii minoris, & amaraci singul. dr. j. absinthii dr. ij. ac deindè bibendum illud offert. Hunc, aliosque graviores morbos cu-

Conf. 2. sect. 1. rasse fatetur Solenander sequenti electuario, quod constat: *succ. absinth. succ. marrub. succ. stœchad. mastich. rhei, chamædr. chamæpit. singul. dr. iij. hyssop. dr. j. agar. opt. ad pondus omnium: Hæc in pulverem subtilissimum redigantur, & excipiantur melle cocto* Dosis à *dr.* 1. *ad dr. iv. in decocto stœchad. mane.*

Prax. lib. 1. cap. 9. Approbat Riverius condituram florum calendulæ; & Rodericus à

Tom. 1. conf. 16. Fonseca, quæ ex floribus rorismarini, cum oleis buxi, nucis odoratæ, &

Lib. 2. menthæ stillatitiis. Sylvius Deleboe

prax. c. 7. anodyna, & narcotica, parcè tamen, & per intervalla, cum aquis antiepilepticis exhibet. Mirabiliter contulisse testatur VVillisius hujus pulveris usum, bis in die ad cochlear sumpti cum haustu decocti salviæ, aut rorismarini in tinctura Coffee. Is autem fit ex radic. pæoniæ maris, & sacch. albiss. singul. unc. ij. flor. ejusd. pæoniæ unc. j. stercor. pavon. alb. lib. ß.

Oleum buxi efficacissimum dicitur, si eo pulsus, tempora, palatum, cervix, & plantæ pedum inungantur; sicut pariter pinguedo ciconiarum, & serpentum: necnon semen urticæ contusum, & cum aceto permistum fronti sæpius applicatum. Commendatur etiam lotio capitis pluries iterata ex lixivio calido, in quo summitates amaraci sint infusæ, insperso postmodum supra verticem pulvere bombycum. Cæterùm Amuleta Antiscotodinica perhibentur Corallia rubra, grana Succini albi, Crystalli. V. E. Hofm. M. M.

DE DELIRIO.

Cum imaginatio, & æstimatio depravatur, delirium accidit, quod dicitur. Declinatio à recta rationis semita, unde ægri absurda, & incongrua loquuntur, aut imaginantur.

Deliriorum Medici constituunt idiopathicum unum, sympathicum alterum, & quidem ab hypochondriis, diaphragmate, utero, aliisque partibus. Aliud sine febre; aliud cum febre: Atque ex his phrenitidem, maniam, melancholiam, à diversis etiam humoribus deducunt: de quibus sigillatim.

DE PHRENITIDE.

Phrenitidem intelligunt Galenici delirium perpetuum, & continens cum febre acuta, & continua; quod ab inflammatione cerebri, & membranarum ejus à sanguine bilioso ibidem putrescente oriri arbitrantur.

Quoniam autem in quocumque delirio, potissimùm in phrenitide, animales operationes, nempè ima-

gina-

ginatio, & ratiocinatio depravantur, ab illarum læsione tres deducunt phrenitidis species ex Galeno tùm *lib. de diff. sympt. c.3.* tùm 4. *de loc. aff. cap.2.* Aliquando depravari dicitur imaginatio sana ratiocinatione, ut in Theophilo Medico, qui putabat Tubicines esse in angulo domus, eosque tamquàm sibi molestos esse eiiciendos. Simile quid fatetur Galenus sibi accidisse 4. *de loc. aff. c.2.* evellendo floccos, & colligendo festucas. Interdum verò dicitur offendi ratiocinio illæsa imaginatione, ut in eo, qui singula vasa rectissimè nominans, illa tamen projecit, ut & puerum, quem adstantes confractum sustulerunt. Nonnunquam etiam utraque lædi solet; quin & memoratrix quoque, ut ex Thucydide refert idem Galenus *cit. lib. de sympt. diff.* quòd à peste Athenis grassata evasi, omnium immemores remanserunt, etiam suorum nominum. Contingit quoque frequenter phreneticos memoria deficere, cùm non raro obliviscantur egisse, quæ gesta sunt, & quam anxiè, cupidissimèque petierunt, aquam bibere.

At impossibile existimat Eustachius Rudius, illæsa ratiocinatione imaginationem lædi posse: quod & nos aliàs innuimus; cùm hanc illa per suscepta phantasmata, quo modo apprehensa sunt, necessariò prosequatur. Unde Theophilus ille Medicus asserebat esse abiiciendos Tubicines, quia imaginabatur illos adesse in angulo domus. Tunc enim ratiocinatrix facultas sana dici deberet, cùm corrigeret, non sequeretur errorem imaginatricis.

Ab inflammatione præterea cerebri, & membranarum ejus phrenitidem minimè oriri anatomicis observationibus ostendit Thomas VVillisius, qui se pluries vidisse fatetur Meninges, immò & cerebri exteriorem ambitum, tumore phlegmonode obsessas, laborantes verò minimè phrenesi, sed potiùs torpore, & caro periisse. Adnotarunt etiam Sennertus, Heurnius, Vallesius, Volcherus Coiter, aliique, cerebrum inflammatum cum membranis absque delirio: & Phrenitidem absque illius inflammatione.

(De An. Brut. p.1. c.10.)

Neque insuper perpetuò Septi transversi phlegmonen comitatur delirium illud sympathicum, quod paraphrenitis appellatur: Nam aliquandò compertum est, Diaphragma citrà delirium fuisse affectum, ut ex dissectis cadaveribus idem VVillisius deducit. Quod autem Diaphragmatis viscus nervis plurimis refertum sit, adeoque maximum consensum ineat cum cerebro, haud congruenter evincit phrenitidem subsequi, cùm ipsum inflammatur: etenim stomacho, pleura, mesenterio, phlegmone obsitis, phrenitis plerumque non succedit, quæ tamen sæpissimè corripit peripneumonia, & hepatide laborantes: quare cujuscumque visceris inflammationem illa sequi potest.

Causam Phrenitidis quæsivit Helmontius in duumviratu, præsertim verò in stomacho, ex Hippocrate dicente: *Cui vena in hypochondrio fortiter pulsat, is mox mente alienatur.* Et Neoterici in spiritibus animalibus collocarunt, vel nimium irritatis, vel in confusionem actis. Unde verisimilius est, inquit VVillisius, Phrenitidem à spirituum phlogosi potiùs, quàm à Meningum, aut cerebri inflammatione, quæ cephalæam, aut lethargum certiùs, quàm furorem inferret, excitari. (V. Prosp. Mart. super 3. de morb. Hipp. v. 99.)

Verùm in Phreneticorum cerebro credere licet tantam vaporum, qui in liquorem nerveum commutantur, copiam acritate præditam adunari, ut ne-

ut nedum motione plurima, & irregulari, per ejuſdem cerebri poros, & nervorum ſubſtantiam concitetur, unde phantaſmata varia, & confuſa cum impetu, & vigilia; verùm etiam à confluxu vehementi, ſenſus externi, licèt depravatè, acuantur, & motus animales muſculorum roborentur, ut vix detineri queant. Univerſus namque ſanguis, qui ad cerebrum fortè laxius defertur, plus juſto in auras abit, totuſque in liquorem nervorum, & quidem tenujorem, maximèque volatilem, permeabilemque, commigrat; undè Phrenetici, quamvis deficiant viribus vitalibus, animalibus tamen plurimùm valent. Porrò fibræ nervorum, & muſculorum motui dicatæ, ejuſcemodi liquore tumidæ, nimiùm vigent, & firmiter tenduntur; multoque magis in Maniacis, quibus febris deeſt. Quoniam verò vapor iſte nerveus acritudine præditus eſt, & immoderanter, violenterque in nervos, muſculoſque adigitur, trepidi, & temulentorum ad inſtar phrenetici in tanto robore eſſe ſolent.

Proximam itaque cauſam hujus affectus in rorido iſto cerebri, & nervorum liquore conſtituendam opinor, qui tenujor, & acrior evadat à ſanguine in cerebrum confluente, pari conditione, vel vitio ſui, vel vitio viſcerum, affecto: quemadmodum in febribus acutiſſimis, & ardentibus, atque in internis inflammationibus, & affectionibus hyſtericis. Atque hinc contingit, aliquandò delirium fieri interruptum, cùm ſcilicet ad tempus ſolùmmodò liquor nervorum inficitur.

Congruunt his, quas practici ex obſervationibus Anatomicis plurimas memorant paraphroſynes, & phrenitides ortas à retrocedente eryſipelate, à ſero, à felle cyſtis acriori, ab inflammatione ventriculi, & pulmonum, à varicibus meningum, à diruptis abſceſſibus, à venenis, præſertim ſolano furioſo, mandragora, & radice paſtinacæ ſylveſtris, ex cujus eſu lepidam hiſtoriam narrat VVilliſius *hoc loco*.

Notiſſima ſunt ſigna phrenitidis, & cujuſvis delirii præſentis, cùm geſtibus, tùm verbis parùm conſonis. Imminentis verò recenſentur nimia garrulitas, immodica vigilia, ſomnia perturbata, oculorum rubor, & fulgor, motuſque inordinatus, præteritarum rerum oblivio, reſponſio ferox, lotiorum, quæ priùs craſſa erant, tenuitas, & perſpicuitas, decubitus incompoſitus, oblocutio inter dormiendum, aurium ſibilus, linguæ ariditas abſque ſiti, torvus, & immobilis obtutus. De reliquo ſympathicum, & interruptum delirium facilè ex ſuperiùs dictis internoſcetur.

[1. prorrhet. comm. 1. V. Hipp. in Coac. & 4. Aph Gal. 5. de loc. aff. 4. & 1. prorrhet. comm. 1.]

Undecumque autem illa oriatur, ſemper periculoſiſſima eſt; longè verò gravior cenſenda, ſi dejectiones decolores, & urinæ aqueæ appareant: nares modicum ſanguinem ſtillent: pus erumpat: dentium ſtridor accidat cum maxillarum, & temporum convulſione; itemque ſingultus, tremor, aphonia, vomitus: ſi in veternum commutetur, vel in deſipientiam Hippocrati obſcuram dictam. *A Peripneumonia quoque inflammatio cerebri, malum*, 7. *Aph*. 12. Copioſo autem ſudore, urinæ profluvio, è naribus, hæmorrhagia, & quandoque etiam alvi fluxu, dummodò vires conſtent, ſalubriter terminari conſuevit.

[1. progn. com. 23. 1. prorrh. comm. 1. 4. aph. 72. 1. epid. com. 3. ægr. 1. 2. progn. 1. 1. epid. 2. 12. meth. 8.]

Cùm ferè communiter hæc ægritudo putetur ſequi viſcerum inflammationem, proindè ad hanc tollendam illius curatio dirigitur: Et quidem venæ ſectione iterata, mox à

prin-

principio repellentibus oxyrhodinis, cum decocto foliorum lactucæ, rosarum punicarum, violarum, capitum papaverum alborum, florum nymphææ; pariterque cucurbitulis, frictionibus, clysteriis, & lenientibus pharmacis: pòstmodùm somnum conciliantibus, tùm internis ex opio, tùm externis ex lotionibus, & linimentis capiti, & pedibus adhibendis ex medicamentis hypnoticis; itemque applicitis ranis, gallo, aut catello per medium sectis supra suturam; instituta interim diæta refrigerante, humectanteque; detentoque patiente, aut in tenebris, aut in luce, pro varia ejusdem conditione, & virium robore, ut admonet Celsus *lib. 3. cap.* 18. strepitus verò, & animi, ac corporis motus, omninò prohibendo.

3. de Morb. At Phrenitidem à Septo transverso curandam proponit Hippocrates per ea, quæ tussim, & sputum promovent ut in Peripneumonia. Alterius etiam delirii meminit in virginibus, de quo tamen alibi. Lib. de Virg. Morb.

Hermeticis præter venę sectionem, & cucurbitulas scarificatas, sunt quoque in usu irrigationes supra suturam coronalem, & pedum lotiones cum herbis soporiferis, necnon linimenta hypnotica, & purgantia leviora, ac opiata, moderatè tamen exhibita. His non suffragantibus, consulit Paracelsus cranium esse terebrandum, ac foramen per mensem patulum esse detinendum. Hac enim ratione, inquit, quamcumque amentiam certissimè curari. Vult etiam Cardilucius præter suum præcipitatum aureum, cunctis impensè commendatum succum nasturtii hortensis, vel aquatici, mistum cum tertia, quarta, vel quinta parte aceti acerrimi, ac pugillo salis communis decrepitati, additoque oleo olivarum in affectibus pectoris: cujus misturæ cochlearia duo in singulas horas assumenda præcipit, atque ita etiam interna apostemata dirumpi, febresque omnis generis, præsertim verò intermittentes, cùm ingruunt paroxysmi, omninò fugari fatetur, ut raro quartùm repetere opus sit. Aliam hujus morbi curandi rationem memorat ex Carrichtero, quam apud eundem legere est.

Helmontio sicuti cæteræ ægritudines cerebri, ita & deliria, remediis eustomachis, non cephalicis, curantur, præmissis tamen vomitum promoventibus, præsertim ex helleboro. At verò P. Jo. Faber potiùs diureticis, & humores deducentibus insistit, inter quæ potissimùm magnifacit suum tartarum vitriolatum, & liquorem Mercurii acidum, quem summum arcanum adversùs Phrenitidem fatetur. In Duū-vir. & de febribus.

Antiphrenitica demùm recensentur saccharum, & spiritus Saturni, Bezoardicum lunare, liquor Margaritarum, qui mirificus celebratur ad compescendum sanguinis fervorem, feturque aliquot illius guttis vini spiritum figi, & coagulari. Magnæ etiam existimatur virtutis essentia florum hyperici, eorumque extractum in decocto glomorum cynosbati. Ac postremò opium, & quodcumque ex opio conficitur, ad somnum conciliandum, quoniam in deliriis nil somno conducibilius. Quare Zacutus *in prax. hist.* pilulas componit ex opii gr. v. croci gr. iv. & castor. gr. ij. atque in jure, aliove liquore per intervalla exhibet. Et J. Prævotius aquam personatæ ad unc. iij. propinat, cui vis inest diaphoretico-narcotica. Verùm enim verò opiatorum usum vituperat Helmontius in amentiis, cùm omne opiatum ipsi dicatur esse in se amens, & amentia nil aliud, quàm somnium vigilans: inesse præterea opio monet, præter soporiferum, aliud V. Petr. Nosolog. lib. 1. diff. 2. Hipp. 2. Aph. 2.

aliud virus, quo amentes acriùs læduntur; quinimmò vix decuplam opii dosim somnum insano conciliare, & cum labore. Ejus autem loco commendat sulphur vitrioli Veneris, quod somniferum dulce, & suave illi est.

De lithiaf. c. 9. jus duū-vir. &c.

Externè verò sedum majus contusum, & cum lacte muliebri mistum syncipiti admotum, phrenitidem sedare, & somnum allicere plerique testantur: at cùm primùm dormire ceperit æger, removendum, ne Coma subsequatur. Tutiora existimant alii ramenta cucurbitæ cum albumine ovi. Riverius *in praxi* ex Penoto hoc epithemate ægrotum sopiri, & cōvalescere testatur; quod conficitur ex *aqua ros. punic. cum tinctura santal. rubr. imbuta ad unc. xx. camphor. gr. xx. mosch. gr. xij.* Vult autem per diem integrum calidè futuris apponendum. Est aliis in usu decoctum musci terrestris pari modo applicitum; aliis Rana viva, aut Tinca dissecta, & plantis pedum imposita.

V. Borel. cent. 4. obs. 64.

At quamvis hæc prodesse possint, non tamen omittenda diaphoretica superiùs memorata, & quæcumque acrimoniam, fervoremque sanguinis temperare possunt: hæc quidem potiùs in principio, illa verò circa statum Phrenitidis, præsertim cum de interna inflammatione dubitatur. Quamobrem pro varietate causarum modò his, modò illis utendum.

Iisdem ferè pervigilio occurrere expediet, ac præterea unguento alabastrino, populeo, somnifero Augustano, oleo papaverum, & hyoscyami, extracto croci, pinguedine lucii piscis, temporibus, & plantis pedum illitis. Langius parat aquam mirabilem ex capitibus duobus allii, & uncia una opii simul contusis, atque in B.M. distillatis; & ad gutt. I I. in vino exhibet ad somnum conciliandum. Conficit etiam aliam aquam hypnoticam: & Mynsicht vinum hypnoticum & pulverem anodynum Michael. Alii, alia. Sed omnibus præstat laudanum opiatum aliquo liquore dissolutum, & parùm, ac sæpè propinatum. Invaluit nunc tandem apud nostrates usus cujusdam potionis ex expressis seminibus melopeponum, & papaverum alborum; cum amygdalis dulcibus, & conditura florum nymphææ in aqua lactucæ dissolutis: Illam autem post cœnam potissimùm potandam offerunt, ut opportuniùs somnum alliciat.

Lib. 3. Epistol. Epist. 1. c. 1.

DE MANIA, *seu Furore.*

QUamvis Cicero hanc affectionem Latinos Furorem appellasse, & Græcos Melancholiam, scripserit; propriè tamen Medici ipsam dicunt insaniam, seu delirium illud, quo ægri præter imaginationis, & ratiocinationis depravationem, impetunt, furunt, ac nihil omninò formidantes, omnia temerè audent, & indiscriminatim aggrediuntur: febre tamen carent, & memoria valent. 3 Tuscul.

Multifariam, & innumeris modis hi furere observantur. Pleriquè post impetum, & ferociam, in cachinnos solvuntur: alii ad minas, jurgia, inconditosque sermones sunt procli-ves: alii blandis verbis circumstantes alliciunt, mox inopinatò illos adoriuntur: quidam in negotiis gestis, gerendisque: nonnulli in armis, & militia: alii in rebus domesticis, amicis, inimicis, amore, zelotypia, cæterisque variis insaniunt. Cùm autem delirium hoc fœminis accidit ab utero, intermissiones habet, & per intervalla redit, diciturque furor uterinus. V. Act. hoc l.

Ad atram-bilem delirii hujus causam Medici referunt, undè cerebrum, ac spi-

ac spiritus animales vehementer exagitentur, inducta nimirùm in his fervida, & veluti ignea diathesi: cui adjicit Platerus malignam, occultam, & venenatam conditionem, præsertim quia à venenis, & philtris nonnulli insaniisse memorantur. Nec tamen solùm cerebrum, sed & cor pari affectione corripi addit Sennertus, cùm Maniaci intensissimum frigus, cæterasque similes ærumnas, nudi, sine ulla læsione tolerent, quin & calere perpetuò deprehendantur. Helmontius verò è stomacho, & liene amentias quascumque manare docet.

Tit. Demens Idea.

At vitium hoc solis spiritibus animalibus attribuit VVillisius, qui ab indole propria, & genuina, nempe, (ut ipse loquitur) *spirituo-salina*, in *sulphureo-salinam* aquę stygiæ æmulam descíscunt; proindeque actus inordinatos edunt. Sicut enim aquæ stygiæ particulæ summè agiles, & irrequietæ, in motu continenter sunt; ita spiritus animales è sanguine uberiori, & quasi nitro-sulphureo extillatos, insigni mobilitate, sive inquietudine præditos in maniacis existimat. Posse autem in humano corpore generari humores acerrimos ex quibus ejusmodi spiritus exurgant, ut aquæ stygię comparentur, idem Author ostendit ex ulceribus malignis, & pestilentibus, quæ non rarò humanis corporibus contingunt; præter alia plura, quæ ingeniosè quidem explicare studet de Maniacorum audacia, ac temeritate, de immenso robore, de nulla, vel tardissima defatigatione, deque absentia febris, ut latè apud eundem legi potest.

Cap.12. de Mania.

Illud autem ex Anatome aliquandò deprehensùm est, à vermibus in cerebro maniam accidisse, teste Platero, Fernelio, & Riolano. Bartholinus etiam in equis, bobus, & ovibus illos capiti inesse scribit, cùm rabie corripiuntur. Vulgò itidem fertur rabidos canes sub lingua vermiculum habere, quem Plinius Lytram vocari ait, aliis verò Lyttam, & Lyssam.

Cent.3. obs.48.

Lib.19.c. 5. Dalecamp.

Spectatis verò causis externis, referunt maximam vim habere maniam inferendi Solanum, quod proptereà maniacum appellatur: Pastinacam sylvestrem: Hyoscyamum; de cujus radice comesa notabilem historiam narrat Borellus: cerebrum Felis, aut Mustelæ: vinum fulmine contactum: morsus animalium rabidorum: Aconitum, & Napellum: Toxicum: sanguinem menstruum, & alia hujus generis. Ad hanc delirii classem reducitur morbus Tarentinus à morsu Araneæ Tarentinæ induci putatus, de quo alibi meminimus: atque illi affinis chorea Sancti Viti: itemque Lycanthropia, & Cynanthropia; necnon Hydrophobia; atque insania ex philtris, & amore. Unde Ovidius.

c. 4. obs. 45.

Philtra nocent animis, vimque furoris habent.

Et Virgilius

Uritur infelix Dido, totaque vagatur
Urbe furens.

4. Æneid.

Et Ariostus.

Che non è in somma Amor se non insania
A giuditio de savj universale.

C.24. 1.

V. Ovid. 8. metamorph. de Scylla.

Maniaci internoscuntur facillimè ex incongruis, absurdis, ineptisque dictis, aut gestis, sine metu, & mœrore, sed potiùs cum temeritate, garrulitate, impetu, iracundia. Tarentino morbo affecti, aut Chorea S. Viti, musica, tripudiis, & saltationibus gestiunt, & delectantur. Lycanthropici, & Cynantrhopici se in lupos, aut canes conversos putant, adeòque illorum more ululant, latrant, in triviis

viis versantur, sepulchra petunt, & carnes animalium lacerant, ac vorant, cæteraque similia agunt, quæ luporum, & canum naturam referunt. Hydrophobia ex morsu canis rabidi accidit, & patientes aquam, & liquidum quodcumque aversantur, spumam ex ore emittunt, & si alios mordeant, simili ægritudine rabiei inficiunt. Qui amore insaniunt, macie corporis, vigiliis, inquitudine, assidua animi perturbatione, vultus, & pulsus mutatione, præsertim ad præsentiam, aut nomen amasiæ judicantur: qua ratione Erasistratus, & Galenus, amantes deprehendisse perhibentur. Ad Philtra verò quod attinet, quæ Germanis potissimùm usui esse passim referunt Authores, figmentum à vetulis excogitatum crediderim, quæ credulæ turbæ nullo negotio imponere solent: quamquàm ex insano Amore plurimos periisse concesserim, animi debilitate, & furoris impotentia, ad perditè amandum pertractos. Hinc jure exclamasse fertur Olympia, Philippi Macedonum Regis uxor, in puellam, quam vehementer is deperibat, & ut credebatur, ex philtro: *Valeant calumniæ. Tu in te philtra habes*. Quæ denique referuntur de Lucullo Imperatore, & de Lucretio Poeta, nugæ sunt: pharmacis quidem, sed venenatis, in furorem acti illi perierunt.

V. Aet. Æginet. & Altim. hoc loc.

Peculiariter autem de Hydrophobia notandum illam induci à morsu, & spuma canis rabidi. Saliva quippè, quæ in cunctis animantibus acidosalsa est, specialiùs in canibus, utpotè natura non sudantibus, etsi motu valido, cursuque fatigatis, ex nimio, ac vehementi anhelitu, acris, & virulenta evadit, unde facilè exedit, & inficit, ac deinde per morsum cum sanguine, & lympha commista fermentum in demorsis excitat, quod ad tempus, rabiem, & delirium promovet, quo aquam, & res quascumque potulentas patientes expavescunt, & aversantur. Quamobrem Celsus *lib. 6. cap.* 27. Hydrophobiam genus morbi esse dicit, in quo simul æger & siti, & aquæ metu cruciatur. Rectè propterea scripsit Avicenna *l.*4. *f.*6.*tr.*4.*c.*2. deteriorem morsum illum esse, qui est à jejuno, sive homo sit, sive aliud animal; tunc enim saliva tenujor, & acrior fit, nec à cibo, potuque assumpto temperatur. Addunt aliqui in aquis videri rabidos catulos, qui quodammodò affectis latratu insidientur, immò etiam mordere minitentur: referuntque exemplum illius Philosophi, qui balneum ingressus, cùm jam mente moveri inciperet, videreturque ibi adlatrans catulus eum terrefacere, & remorari, sibi ipsi vim inferens exclamavit: Quid Cani, & Balneo commune est? atque ita in balneum se conjecit, & aquam ebibens, liber evasit. Quamquam id falsum arbitratur P. Salius, quodque ab Avicenna asseritur, videri in urina rabidorum res carneas catulos referentes.

ex Aetio tetrab. 2. f.2. c. 24.

De aff. part. c. 19 lib. 4. fen. 6. tr. 4. c 7.

Neque solùm rabidos fieri à morsu canum, sed etiam aliorum animalium, lupi, felis, vulpis, etiam hominis irati, si saliva sanguinem pertingat, pluries compertum est. Ab equo demorsum vidimus rabie correptum periisse. Verùm enim verò etsi pleraque alia animalia id ipsum aliquando pati, & infligere possint, frequentius tamen canibus accidit, ut in rabiem agantur speciali ori quadam ægritudine, qui propterea solent spumam continenter in ore gestare, quam è naribus quoque emittunt, cibum oblatum fastidiunt, oculos scintillantes habent, horridum sonum, & vocem raucam edunt, aliquando festinant, aliquando subsistunt, & quandoque lentè

V. Dioscorid. lib. 6. c. 36.

lentè admodùm, & ſtupidè progrediuntur, cauda ſub ventrem inflexa, capite demiſſo, & lingua extra os propendente, nigra, rubra, vel crocea: in obvios quoſcumque, etiam herum, impetunt, & abſque latratu mordent, ab aliis verò canibus evitantur. Rabiem autem potiſſimùm incurrunt temporibus, vel nimiùm fervidis, vel plus juſto algidis.

Unumquodque inſaniæ genus difficulter Medicinæ cedit. Verùm
6. Aph. 53. Hippocrates deſipientias cum riſu conjunctas ſecuriores ſcribit, quàm quæ fiunt cum ſtudio, & feritate: ſicut pariter à ſanguinis profluvio, & ab ileo. Si prætereà inſanis varices,
7. Aph. 9. & 10. aut hæmorrhoides ſuperveniant, in-
6. Aph. 21. ſaniæ ſolutio fit. At in rabidis, & demorſis à cane ſi pavor aquæ ſubſequatur, mors in propinquo eſt. Lycanthropici, & Cynanthropici longiora tempora ducunt, quin etiam nonniſi per intervalla ſolùm cruciantur; Parique modo Tarentino morbo affecti, qui potiſſimùm per æſtatem vexari ſolent. Ab Amore demùm inſanientes, niſi ſibi ipſis mortem adſciſcant, rarò ad necem perducuntur, quamvis incommoda Amantium devitare non poſſint, quæ deſcribuntur
Ciſtell. à Plauto ſub perſona Alceſimarchi Adoleſcentis.

Jactor, crucior, agitor, ſtimulor, verſor in Amoris rota miſer,
Exanimor, feror, differor, diſtràhor, deripior, ita nullam mentē
Animi habeo: ubi ſum, ibi non ſum, ubi non ſum, ibi eſt animus.
Ita mihi omnia ingenia ſunt: Quod lubet, non lubet jam id cōtinuò.
Ita me Amor lapſum animi ludificat, fugat, agit, appetit,
Raptat, retinet, jactat, largitur: quod dat, non dat, eludit.
Modo quod ſuaſit, diſſuaſit: quod diſſuaſit, id oſtentat. &c.

Etſi igitur dementes in rectam rationis ſemitam revocare ferè ſit impoſſibile, conantur tamen Medici plurimis id aſſequi. Primum verò infectum ſanguinem, & variis pathematis agitatum, educendum conſulunt iterata phlebotomia: at in Gallicis Ephemeridibus memoratur, furioſum quendam ſanguinis transfuſione priſtinæ ſaluti fuiſſe reſtitutum. Deinde vitioſos humores expurgant, præſertim helleboro nigro. Mox cerebrum, & cor roborant, temperantque. Somnum conciliantia, & topica capiti adhibent ex humectantibus, & infrigidantibus compoſita.

Verùm experientia teſtatur, Maniacos potiùs minis, verberibus, monitis, objurgationibus temperari, & coerceri, quàm remediis, quæ plerumque etiam admittere nolunt: quamobrem experimur tortores ſuos ſolummodò revereri, cæteros ſine metu illos invadere.

Narcotica non conveniunt: turbant potiùs mentem amentium, & furorem acuunt, ut etiam adnotavit Helmontius, qui maniacis opium, cui ſulphur amarum ineſt, interdixit. Vinum etiam nocet: ſolùm cum Mandragora exhibitum, ſi ſcilicet in eo hujus radices ebullierint, profuiſſe viſum eſt: Mandragora enim præ cæteris ſoporiferis commendatur à Dioſcoride, quòd leniter vomitum moveat, ferventem ſanguinem compeſcat, ac purificet. Aqua, in qua nitrum purum diſſolutum ſit, efficax eſſe conſuevit, in potum exhibita, ſicut quælibet alia aqua acidula. Ejuſdem efficaciæ dicitur ſaccharum Saturni, liquor Margaritarum, cryſtallus montis præparata, Magiſterium coralliorum, tinctura violarum, & roſarum, idque genus alia. Tit. jus duūv. & demens
Helmontius helleboro primùm exhibito ter ſubmergendum eſſe ægro- idea.

tum

tum aquis præcipit, prima vice ad spatium, ut ipse loquitur, unius *Miserere*; deinde duabus aliis ad breve tempus salutationis Angelicæ, tum extracto corpore, prono situ, & capite declivi, omnis aqua hausta reiiciatur, indeque æger reviviscet sanus: idque in omnibus generibus Amentiæ, & Rabiei servandum ait. Tandem sulphur vitrioli soporiferum, & melle dulcius propinat, quo mirificè omnes mentis alienationes sedari, ait.

P. Jo: Faber potentissimum medicamentum esse dicit misturam ex unc. ss. ol. camphoræ, guttis x. ol. saturni, & gutt. iv. essentiæ Martis in aqua communi exhibitam per x. dies; itemque essentiam argenti, auri, & mercurii; suumque anodynum.

Liquorem lunæ, seu lunam potabilem ad idem etiam prescripsit Hartmannus, quàm certissimum, & probatissimum remedium affirmat in omnibus affectionibus cerebri, præsertim in Amentia. In ejus defectum substituit Cardilucius tincturam florum hyperici per spiritum vini extractam, atque ad guttas aliquot in potu convenienti exhibitam. Sanguini Asini è venis post aures elicito vis etiam magna in curanda mania ab eodem Hartmanno tribuitur, necnon decocto anagallidis flore purpureo; atque in externum usum lixivio cephalico ab eodem descripto, præter cranii terebrationem. Commendatur aliis cerebrum Arietis, qui nondùm Venerem norit. Et Michael, ac Sennertus memorant sanatos intra triduum maniacos usu cerebri Canis cocti. Folia Buxi, sive ut alii malunt, Fagi minutim incisa in aqua lavendulæ exhibita, movendo sudorem, maniam curare perhibentur. Aqua, extractum, & essentia florum hyperici, vel tinctura eorundem descriptione Mynsichti eandem opem præstare dicitur. Magnifit etiam spiritus vitrioli antiepilepticus Hartmanni. V. Schrod.

In demorsis ab animalibus rabie affectis, præcipua ratio habenda est de parte demorsa, ac subitò inita ligatura paulò supra illam, adhibenda sunt, quæ inflictum venenum extrahant, ac retundant; cujusmodi sunt cataplasmata, & emplastra ex nucibus juglandibus, fermento, stercore columbino, melle, sale, ruta, dictamno, sinapi, angelica, theriaca, pice, opopanace. Commendant plurimi, ac imprimis P. Salius, Helleborum album, à veteribus valdè celebratum; sed statim inter initia Hydrophobis exhibendum, quoniam confirmata rabie nocuum evadit. Conantur alii venenum extrahere cucurbitulis: Alii incisionibus, inustionibus, cauteriis. Tunc verò venenum omninò extractum arbitratur Ægineta ex Oribasio, cùm nuces juglandes tritas vulneri appositas sine noxa deglutierint gallinæ: vel medullam panis, præsertim calentis, vulneris sanie, aut sanguine intinctam canes comederint ex Rhasi, & Avicenna: ferunt enim canes sanos abhorrere ea, quæ rabidi venenum contraxerunt; & si fortassè devorent, omninò perire. Tuetur autem, inquit Plinius, à pavore aquæ capitis canini cinis illitus vulneri. (Cels. lib 5. cap. 27.) (Lib. 29. cap. 5.)

Internè verò commendatur Alyssum, veluti Rabiosis summoperè fructuosum vetustioribus omnibus creditum; itemque cinis, & decoctum cancrorum fluviatilium: scordium, chamædrys, gentianæ radix, centaurium minus, semen rutæ agrestis, aristolochiæ, & vincetoxici radices: at reliquis præfert Plinius radicem cynorrhodi. Idem etiam scribit sub lingua rabiosi canis esse limum salivæ, (Discorid l.6.c.37. Gal. 6. simp. med. facult. & 2. de antid. c.11. Plin. l.24 c.11. Lib.25.c.2. & lib. 29.c.5.)

qui datus in potu, fieri hydrophobos non patitur. Multò tamen utilissimè jecur ejus, qui in rabie momorderit, datur, si possit fieri, crudum mandendum; sin minus, quoquo modo coctum, aut jus coctis carnibus, ex eodem: quod remedii genus celeberrimum Galeno fuit. Idem etiam Galenus è cancris fluvialibus antidotum conficit: atque theriacam æquè salutarem existimat. Aetius verò Hepar Mergi assatum cum pauco oleo, & sale comestum commendat. In *Actis Hafniensibus ann.* 1673. traditur ex Hannemanno remedium euporiston, quod infallibile dicitur ad morsum canis rabidi: idque est: *rutæ, abrotani, beton. & salv. angust. fol. singul. m.j. affund. acet. vini opt. lib.j. ut per aliquot horas maneant in infusione, deindè exprim. & expreff. add. ther. Androm. dr.ii. herb. card. fullon. m.j. vel hujus sem. unc.j. Pueris datur cochleare unum per vices, Adultioribus haustus sit largior. Vulnus verò per ix. dies apertum detineatur, prædictis herbis expressis fovendum.*

11. De simp. med. facul. & 2. de antid. c. 11. de Ther. ad Pis. c. 14.

Obs. 110.

A Thoma Bartholino ibidem proponitur hoc aliud, quod habet *pulv. gentianæ dr.j. myrrhæ tantundem, pulv. cancr. fluvial. ustorum duplum, m. pro duabus dosibus.*

Vel *cancr. fluvial. combust. unc.v. rad. gentianæ unc.ij.ß. thur. dr.iv. f. pulvis, & vitro servetur. Dosis dr.j. mane, dr.ß. vespere in aqua fontis per xl. dies.* Arcanum inquit Galilæi Galilæi. Vult autem cancros capiendos esse mense Julio paulò ante ingressum Solis in Leonem.

Palmarius *de morsu canis rab.* pulverem componit, & tutissimum antidotum esse dicit, ex foliis rutæ, verbenæ, salviæ, plantaginis, polypodii, absinthii vulgaris, menthæ, artemisiæ, melissophylli, betonicæ, hyperici, & centaurii minoris, singul. partes æquales; atque dr.ij. exhibet horis tribus ante cibum. Cataplasmate, & haustu ex quibusdam herbis concinnato testatur Cardilucius etiam certò curari demorsos à cane rabioso, ut legere est apud eundem: ubi quoque singularem medicinam esse monet spiritum salis marini. Aliis est in usu bitumen Judaicum ad dr.j. in aqua: & sal. viperarum cum aqua theriac. vel succo citrii. Narrat Helmontius Batavos cruda halece salsa triduo renovata, & ad morsum applicata omnem auferre metum Rabiei. Avic. *l.4. f.6. tr.4.* trochiscos è cantharidibus commendat, & cum æger sanguinem minxerit servabitur, inquit, à timore aquæ.

Cap. 3.

Cap. de Hydrophobia.

Tit. de mens idea.

Quod si jam Hydrophobia accesserit, unicum remedium putatur Celso, non opinantem ægrum in piscinam projicere, ut vel invitus aqua satietur. At verò C. Aurelianus rectè animadvertit, passionis hujus curationem consistere, non ut bibant ægrotantes, sed ut bibere velint. Quin & si aliquid boni à tali demersione sperare est, id à vomitu potiùs aquæ deglutitæ oriri potest, per quam salia venenosa diluantur, & extrahantur, & saliva ipsa acris temperetur, ac detergatur. Idipsum confirmat Helmontius suprà relatus. At felicem eventum non semper inde successisse testantur alii: aliud enim periculum excipit, subdit Celsus, ne infirmum corpus in aqua frigida vexatum nervorum distentio absumat; quamobrem à piscina protinùs in oleum calidum demittendum esse consulit. At Mare adeundum monet Borellus, quod mira proprietate ad id valere suadet; ut etiam ex Helmontio deducitur. Neque de ejus aquæ salsedine verendum, quod sitim augeat, siquidem adversùs omnigenum

Lib. 5. c. 27.

cit. loc.

num ferarum morsum sal prodesse dicitur Dioscoridi *l.5. c. de sale*. Succus Chrysanthemi expressus, ex vino exhibitus cum pulvere medii corticis cynorrhodi, salutaris sæpesæpiùs observatus ex Aslælinæo.

In cibum tandem, salutares creduntur carnes arietis cum brassica, & cerebellum gallinaceum, itemque castaneæ, nuces juglandes, amygdalæ, allium, cæpa, porrum, raphanus; Nocui verò pulli columbini, ex Sennerto. Saliuntur, inquit, Plinius, & carnes eorum, qui rabidi fuerunt, ad eadem remedia in cibo dandæ; quin & necantur catuli statim in aqua, ad sexum ejus, qui momorderit, ut jecur crudum devoretur ex iis. Sed quis unquam hæc admiserit?

lib. 29. c. 5.

De hepate ipsiusmet rabiosi canis vide Gal. l. 11. de simpl. med. cap. de Hepate.

Apulo morbo affecti, & Chorea S. Viti, quia sudore affluenter excitato ex saltu, à paroxysmo liberantur, possent etiam diaphoreticis tractari ad illum promovendum, cùm musica non suppetit, ut ad tripudia invitentur. Speciatim verò conferre dicitur essentia rorismarini, elixir juniperinum, tinctura ligni aloes, spiritus vini simplex, & electuarium antiphalangium Ferdinandi.

Vesani Amoris remedia multa referuntur, quæ maniæ communia sunt. At crediderim, nulla efficaciora esse, quàm quæ petuntur ex Philosophia. Quisque enim suæ libertatis arbiter quàm facillimè potest Cupidinis arma repellere, perfringere, aut hebetare, atque adeò hujus labis contagionem arcere. Quod verò de Philtris fertur, quòdque morbus per Margaritas præparatas, pulverem secundinæ primiparæ, & calculi humani fugari dicitur, vanum est, nisi mens sana, & constans sit.

Borell. cent. 1. obs. 65. Hartm. in praxi. Henricus ab Heers obs. 13.

Postremò mania ex venenis, alexipharmacis convenientibus curatur, incitato tamen primùm vomitu, si venenum adhuc in stomacho subsistat.

DE DELIRIO Melancholico.

SIcut Maniaci cum furore, & audacia insaniunt, ita melancholici in profundam mœstitiam, ingentemque timorem delabuntur. In his insuper imaginatio, & ratiocinatio depravatur; non tamen plerumque in omnibus, sed in certis solùm rerum generibus. Memoria autem firma manet, & febris deest. Per id verò à cæteris insanis melancholici internoscuntur, quòd timeant, & mœreant sine causa manifesta, undè Hippocrates *6. Aph. 23. Si timor, & mœstitia longo tempore perseverent, judica talem esse melancholicum.* Id etiam hi commune habent, quòd taciti, cogitabundi, solitarii, suspiciosi sint, & licèt absurda, quæ meditantur, sermone aliquandò non manifestent, gestibus saltem, aut operibus palam faciunt. Non rarò quoque lingua incontinens, & titubans fit, ut proindè confusim conceptus exprimat mentis, & voces tumultuarias edat. Sunt præterea, qui se mortuos existimant, adeòque nec comedere, nec loqui, neque oculos aperire volunt: Alii scrupulis cujusvis generis implicantur, & quamcumque rem arbitrantur nocuam, & scelestam: Quidam se in vitrea vasa conversos credidere, timueruntque aliorum viciniam, & contactum: Nonnulli in desperationem lapsi, pro re etiam frivola se morti tradiderunt: atque alii aliter, variis, innumerisque propemodum phantasmatibus dementarunt. Lætabundos verò, jocosos, ridentesque cum his confundere, rationabile non est; sed probabilius videtur ad eas desipientias revocare, quas

V. Gal. Marcell. Donat. Schench. Plater. Forestũ h. l.

quas Hippocrates cum risu junctas dixit *6. Aph.53.* Nam varia sunt deliramentorum genera, & stultorum infinitus est numerus.

3. de loc. aff. 7. & 2. de symp. caus. 6. Causam melancholici delirii referunt Medici cum Galeno ad humorem melancholicum cerebri substantiam occupantem, qui sua nigredine, & obscuritate (non secus ac externæ tenebræ) pavorem simul, & mœstitiam incutiat; quoniam indè phantasma tenebricosum, ut loquitur Capivacceus, Phantasiæ repræsentatur. 3. Collect. c. 40. At in Galenum acriter invehitur Averroes pluribus contendens ab ejusmodi melancholicis, & tenebricosis vaporibus, haud quaquam phantasiam metuere, & tristari posse. Cui tamen adnititur respondere præ cæteris Sennertus *Institut. Medic. lib. 2. p. 3. s. 2. cap. 4. & lib. 1. pract. p. 2. cap. 8.*

Verùm Thomas VVillisius causam hujus delirii è spiritibus animalibus deducens, existimat hos acidam conditionem acquirere, atque ita se habere, sicut effluvia è liquoribus stillatitiis acidis, nempe aceti, vitrioli, salis marini, & similium, decedentia, quorum est perpetuò moveri, haud longè pergere, & novos poros in corporibus producere, seque in illos insinuare, pari modo ac in melancholicis experimur, qui semper cogitabundi, res tamen paucissimas comprehendunt, atque de ipsis notiones perperam depromunt ob acidam indolem valde analogam spiritibus ex aceto, vitriolo, aut sale marino elicitis. Non solùm autem spiritus animales, sed etiam cerebrum ipsum in sua conformatione posteà vitiari contingit, non repurgatis scilicet recrementis atri sanguinis, quæ per cerebri substantiam diffusa, illam hebetem, crassam magis, & opacam reddunt; immò & præcordia, atque sanguinem ipsum inficiunt; undè timor, & Mœstitia exoriuntur; cùmque sanguinis motus quadantenus retardetur, membra cuncta corporis in melancholicis torpent etiam, & languent.

Differentias insuper melancholiæ desumptas à cerebro per essentiam, & per consensum à toto, ab utero, vel hypochondriis, non quidem ex humore ibidem genito, sed ex sanguine circumeunte, atque in his visceribus inquinato, vel non benè secreto oriri opinatur; adeòque nonnunquam à sanguinis vitio, quandoque etiam à regimine animali delirium ordiri: à sanguinis vitio quidem ob victum inordinatum, suppressas evacuationes, aliasque similes causas; à regimine verò animali, ob vehementem tristitiam, terrores panicos, curas, studia immodica, omnesque violentas, & diuturnas animi passiones.

Tametsi plerùmque melancholici in longum vitam protrahant, non rarò tamen epileptici redditi repentè perire solent: quandòque etiam in stuporem, convulsionem, furorem, vel cæcitatem incidunt, ut dicitur *6. Aph. 56.* quamobrem periculosiores dicuntur, quæ cùm studio contingunt desipientiæ *eod. 6. Aph. 53.* Si verò melancholicis hæmorrhoides, vel varices superveniant, salutares sunt, *ibidem t. 11. & 12.* Sicut contra cùm supprimuntur, malæ, ut de Alcippo refert Hippocrates *4. epidem.* quin & tabis, vel hydropis periculum imminere scribit *6. Aph. 12.* 6. Epid. in fine. propè finem.

Plurimis, ac vehementibus remediis melancholicos tractandos non esse peritiores Medici communiter suadent, dicente Galeno, se frequentibus balneis, victuque humido, bonique succi, nullo alio adhibito præsidio, ejusmodi morbum curasse, nondùm tamen diutiùs protractum. Neque prætereà multùm illis in præconcepta 3. de loc. aff. c. 7.

cepta

cepta imaginatione contradicendum, cùm sæpiùs expertum sit, hac ratione illos magis furere; undè expediet blandè in oppositam imaginationem adducere, atque sagaci industria eos in iisdem rebus, in quibus desipiunt, data opportunitate, fallere. Communi voto commendatur usus hellebori nigri, præsertim cùm morbus increverit, & viscera recrementis tartareis gravata observantur isque, sive infusione, sive decoctura, sive in oxymelle, vino, sero caprillo, aliove liquore exhibitus: extractum etiam, & tinctura usui esse potest. At subrogat helleboro mitiora purgantia, ex senna, epithymo, rhabarbaro, VVillisius, sed præterea vomitum indicit. His alii non contenti sanguinem quoque detrahunt, & hæmorrhoidibus hirudines affigunt, atque eam, quæ inter annularem, & auricularem digitum sita vena est, etiam secant.

Sed præstat sanguinem repurgare per medicamenta ex chalybe composita, præsertim pulverem cachecticum Quercetani: hæc enim tùm in his, tùm in aliis similibus ægritudinibus ab acidiori sanguine progigni putatis, miram semper opem contulere; prosunt etiam aquæ acidulæ, & ferratæ; & si fortasse corpus à congestis excrementis purgare expediat, usu pilularum tartarearum Quercetani, Bontii, vel Schroderi, aut diasenna, vel pulvere Haly à Valesco de Taranta plurimùm commendato, vel syr. de fumar. majori helleborato, commodè peragetur.

Antimelancholica denique recensentur succus mandragoræ ad cochleare unum singulo mane, ex Petræo. Essentia croci cum spiritu vini elicita, tinctura hyperici, & buglossi cum spiritu vitrioli dulci reddito. Syrupus exhilarans Horstii, & Laurentii. Elixir proprietatis cum succis Sennerti. De croco scribit Borellus, quòd supra cordis regionem gestatus omnes melancholicos affectus arceat. Plura alia referemus, cùm de hypochondriaco, & scorbutico affectu sermo redibit. Cent. 2. obser. 99. V. Hertod. in Crocolog.

Cæterùm stupiditatem, & morosin ad deliria referre non ausim, cùm in ea operationes animales vel imminuantur, & hebetentur, vel etiam aboleantur, cæteroqui in deliriis depravari solitæ. Convenire potiùs videtur cum memoria, & ratiocinatione diminuta, seu ingenii hebetudine; quare medicamenta roborantia, & sanguinem acuentia, & purificantia expostulantur. Speciatim autem conferre dicuntur pulvis Trithemii descriptus ab Hartmanno, & à Schrodero ad dr. j. cum aqua magnanimitatis: confectio anacardina ad dr. ß. ejusque extractum ad gr. v. in vino, vel aqua lavendulæ. Similiter spiritus salis ammoniaci cum succino, essentia rorismarini, ejusque elixir, itemque elixir vitæ Quercetani, & proprietatis, aqua vitæ Matthioli, essentia ambari, ipsamet ambra grisea dicta, aqua sophorum Mynsichti, & de xyloaloe, ac elixir pæoniæ ejusdem. Usu Thuris juvari obliviosos memorat Crato. Et Platerus in vino illud exhibet, vel in aqua convenienti ad scr. ß.; & si piper addatur, inquit, laudatissimum esse remedium ad memoriam, in quam rem conficit pulverem ex olibani dr. xv. piper. dr. v. cujus dosis dr. j. per dies xl. Marsilius Ficinus *de tuenda studiosorum sanitate* ex thur. unc. ij. myrrh. unc. j. auri fol. dr. ß. cum vino format pilulas sub aurora sumendas. Decoctum pyrethri approbat Paracelsus; atque à VVolfgango Hoefero commendatur oleum myrrhæ temporibus, & syncipiti illitum. Lib. 2. c. 9 Hercul. Medic.

DE CATARRHO.

V. Hipp libr. de Aer. aquis, & loc. & in coac. prænot. De Rep. sympt. caus. c.4.& 3. Aphor. com. 12.

CAtarrhus, Latinè Destillatio, licèt cujuscumque humoris in omnem partem corporis fluxionem significare videatur, quo pacto Romani defluxum humorum in pedes, manus, aliosque artus, Catarrhum appellant: eademque loquendi formula Veteres quoque usos esse scribit Plato; propriè tamen à Medicis accipitur pro illapsu humoris in os, & pectus. At verò cùm humor defluit in nares Coryza, seù Gravedo dicitur: ad Fauces, & asperam Arteriam, Branchos, seù Raucedo. Unde Schola Salerni.

Si fluat ad pectus, dicatur Rheuma Catarrhus,
Si ad fauces, Branchos, si ad nares, esto Coryza.

Fluens humor plerumque lympha est, acredine, acore, vel salsilagine prædita: hac enim ratione partes vellicat, & compungit, atque dolorem, pruritum, ardorem, & quandoque etiam febrim inducit. Antiqui, quibus hic humor ex Anatome nondum innotuerat, pituitam credidere, præsertim cùm abundet in senibus, & in corporibus obesioribus, atque in Anni tempestatibus Austrinis, ac pluviosis, plus justo cumuletur; dicente Hippocrate 3. *Aph.* 5. Austri auditum hebetant, caliginem visui offundunt, caput gravant.

Ubi humor hic colligatur, aut undè moveatur, persuasum semper Medicis tum Vetustioribus, tum Recentioribus esse Cerebrum. Quamobrem Galenus 3. 3. *de sympt. caus.* (Cap. 4.) dixit: *quale πάθος in ventriculo diarrhœa est orta ex δυσπεψία, sive mala, & imperfecta ejus coctione, tale in cerebro est Catarrhus, & Coryza.* Hinc illi magis Catarrho obnoxii observantur, quibus cerebrum debile est, facilèque à caussis externis refrigerantibus, & humectantibus alteratur, puta Aere boreo, vel austrino; vel etiam à calefacientibus immodicè, ut mora sub sole longiori, aut etiam in hypocaustis. (V. Hipp. 3. Aph. 12. & 13.)

At nuperrimè Schneiderus existimat non ab excrementis cerebri, sed à sanguine originem sumere Catarrhum, illiusque materiam eam ipso sanguine circumferri, ac postmodùm per vasa, ductusque cujusvis partis defluere, etiam narium, aurium, oris, & oculorum, excepto cerebro, quod immune ab ejusmodi communi partium labe constituit. (Lib. 3. de Catarrh.)

Helmontius insuper deridens Veterum opinamenta Catarrhos putantium à frigida stomachi, & calida jecoris intemperie procedere; unde vaporibus ad caput elatis, ibique præ illius visceris frigore concretis, mox delabentibus in partes inferas corporis, fluxiones, distillationesque suboriantur; tandem statuit non ex uno fonte, videlicet capite, sed ex cujusque partis idiopathia, sive propria, ut ipse loquitur, indispositione, fermentis topicis superinducta, Catarrhos oriri: quod pluribus demonstrare conatur. (Tit. Catarrh. deliram.)

Verùm Anatome inspecta, partes certè specialiùs affectæ in Catarrhis videntur esse glandulæ, quæ per totum corpus dispersæ sunt, in quarum numerum referendum quoque Cerebrum, quod magna glandula Hippocrati, & Vvarthono dicitur: Cùmque per illas, innumeri diffundantur aquæ ductus, seù vasa lymphatica, dicta, proindè fieri, ut è capite, ubi vasa ista plurima inveniuntur, potissimùm aquosa excrementa depluere videantur, atque per nares, palatum, os, oculos, exiliant. Non ta-

tamen hinc caput solùm, cerebrumq; Catarrhi causa, & origo censenda, cùm & cuncta viscera, illorumque fermenta, & sanguis ipse author Catarrhorum esse possint, aut ob degeneratum alimentum, aut ob non bene secretum nutritium succum, aut ob suppressos sudores, aliasve retardatas egestiones: quamobrem pro varietate causarum, & viscerum, varium planè quid licebit experiri.

Qui demùm ex Paracelso, & Hermeticis, mercurio, sali, tartaro, causam Catarrhi adsciscunt, nil nisi nova vocabula ponunt, cùm reipsa in lympha vitiata hæc, & alia prçter naturam considerentur, nimirùm fluxilitas, crassities, salsedo, mordacitas, acritudo, austeritas, indeque quid non mali?

Solet sæpissimè Catarrhos febris comitari, quæ licèt ut plurimùm levis, & pusilla sit; nonnunquam tamen consuevit esse vehemens, & acuta, qualis dicitur Ardens: scilicet cùm lympha præter copiam, acritudinem, vel salsedinem contraxerit; unde fermentationem in sanguine violentissimam promoveat cum ardore, siti, inquietudine, nausea, dolore capitis, sopore, lassitudine, cæterisque gravioribus symptomatis. Aliquando etiam in suo cursu præpedita alicubi restagnat, excitatque abscessus, qui difficulter suppurantur, ut in Pancreatis, Mesenterii, & colli glandulis pluries expertum est. Effluit pariter sæpesæpiùs in fauces, & in tonsillas; itemque ad Uvam, hancque relaxat, illasque tumefacit; unde deglutiendi, & respirandi difficultas: quin & aliquando tam affluenter illa in eas partes irruit, ut suffocationis periculum minetur, & si in pulmonem decumbat, non sine noxa phthiseos, præsertim si acredine, vel salsedine sit prædita. Ita quoque in oculis, auribus, dentium radicibus, cervice, pectore, abdomine, lumbis, aliisque partibus, restagnans latex iste, tumores affert, & morbos varios, quos praxis ipsa edocebit. Hippocrates autem *lib. de glandulis* hæc loca principaliora recensuit; ad quç Catarrhi materia plerumque delabitur, nempè aures, oculos, nares, palatum, venas, arterias, vertebras, spinam dorsi, & nervos.

Catarrhus adeò cuique notus est, ut longa indagine non egeat. Ex partibus verò sensibiliùs affectis, atque ab adjunctis symptomatis, variè denominabitur, ut supra dictum. Non tamen semper negligendus: nam leves fluxiones neglectæ, graviores, & longiores evadunt ex Celso. Unde interdum necem inopinatam attulerunt, vel saltem in deteriorem morbum commutari visæ sunt. Hinc Tabes Dorsalis Hippocrati dicta, Raucedo insanabilis, Tussis, Empyema, Phthisis, Surditas, Cæcitas, Oedema, Arthritis, Abscessus, aliæque innumeræ ægritudines exoriuntur; ut non immeritò ex Hippocrate Morborum omnium scaturigo esse dicatur. Quandoque Epidemius observatus est, præsertim sub fervente Sirio, aut in rigida hyeme, cæterisque aeris inclementiis. In senibus autem speciatim, & præcipuè provectioris ætatis coctionem non admittere scripsit idem Hippocrates 2. *Aph.* 40. quinimmò citò interimere 3. *Aph.* 12. quod etiam puerulis contingere solet ob ætatis imbecillitatem, ex Galeno *eod. lib. comm.* 26. potissimùm si pectus humor occupet. Si prætereà in nares, inquit, Celsus, destillet humor, leve est; pejus, si in fauces; pessimum, si in pulmones: nam in ventrem superiorem, id est Thoracem, destillationes intra viginti dies suppurantur 7. *Aph.* 38. Ex corporum Lib. 4. cap. 2.

verò habitudinibus: Quibus nares sunt natura humidiores, minùs integra sanitate fruuntur *6.Aph.2.* Cęterùm febris Catarrho accedens non semper mala: pluries enim illius solutionem promovere consuevit; nisi tamen alia symptomata copulentur, quæ morbi malitiam denuncient.

In curatione Catarrhi tria sibi Medici agenda proponunt: fluentem humorem evacuare: partem, quam mandantem nuncupant, corrigere, & roborare, ne novum humorem progignat: ac postremò partem recipientem ab irruente humore defendere, illumque aliò divertere, ac derivare. Hinc in Catarrho, ut ipsi putant, à jecoris calore, sanguinem mittunt, purgantia exhibent, frictiones, cucurbitulas, aliaque revellentia adhibent; caput pariter exonerare tentant per ea, quæ è naribus, palato, faucibus, humores eliciunt: mox verò electuariis, tabellis, syrupis, pilulis, ex moscho, ambra, roremarino, betonica, stœchade, rosis punicis, myrobalanis; atque extrinsecùs pulverum supra verticem inspersionibus, unctionibus, suffimentis ex rebus cephalicis, roborare; atque intereà fluxuros humores avertere conantur per emplastra caustica, potissimùm ex thasia, & fimo columbino, aliove simili suturæ coronali applicita, quibus etiam serosas sanguinis partes cumulatas, vel fortalsè in cerebro genitas educere simul, & illabentes inhibere credunt.

V.Gal.5. meth. cap. 13. & 14.

At his Catarrhi plerumque non curantur, sed ingravescunt, vel in alios morbos commutati tandem in lethum desinunt, ut pluries Experientia docuit. Tot namque evacuationum generibus vires maximè dejiciuntur, affectæ partes magis elanguent, & præsertim cerebrum sua natura debile, humoresque redditi tenuiores plus justo fluitant, & destillatio urgentius promovetur, ut tandem, extenuato corpore, sæpiùs viderim miseros ægrotantes in phthisim delapsos irreparabiliter occidere nisi priùs ex superveniente sopore lethargici periissent.

Satis esse existimant alii convenienti instituta diæta sensim abundantem lympham absumere, & vel per vias urinæ, vel per sudores extrudere: quo pacto consuevit sæpissimè Natura in his præsertim affectibus seipsam vindicare. Aerem proindè moderatè calidum præparant, ægrumque jubent pannis commodè contegendum. Cibum, & potum frugalem, attenuantemque præscribunt, vitando olera dulcia, pinguia, acida, & nimis humentia. Consuetas egestiones, alternis saltem diebus, sollicitant, & quæcumque ad sudorem blandum disponere possunt, absque ulla Naturæ perturbatione, suadent. Solùm in abundantiori lympha, & ubi periculum suffocationis instat ab ejusdem affluxu, hydroticum aliquod medicamentum exhibent, ad depellendam ejusmodi quantitatem. De reliquo cerebrum, spinam, & nervos roborantia fructuosa putant, non tamen posthabitis, quæ guttur, fauces, & pulmonem, aliasque partes, in quas humor Catarrhum excitans irruere solet, lenire, detergere, aut confirmare valent.

Cùm ergo in fauces, & guttur decumbit humor, Gurgulio laxatur, tumentque Tonsillæ, præter gargarismos ex diamoro cum aqua hordei, & sale prunellæ; vel ex rhodomelle cum decocto liquiritiæ, betonicæ, aut nicotianæ, vel meliùs cum aqua ardente; prosunt suffitus ex succino, mastiche, & gummi animæ: atque pro linctu utatur æger syrupo papaveris rubri, vel de erysimo Lobellii.

Si

Si delabatur in pectus, & pulmonem, conferent syr. ex prassio, hyssopo, tussilagine, hedera terrestri, nicotiana; oxymel, & looch scilliticum, fæcula ari, extractum, & pulvis radicis iridis Florent. & Illyr., flores sulphuris, butyrum, & rubinus ejusdem, oleum sacchari cum aqua ardente paratum, julep vitale, & efficaciùs elixir proprietatis descriptione Helmontii. Item fumus sulphuris, succini, foliorum salviæ, & betonicæ optimus; pariterque succus pulegii saccharo cretico dulcoratus, atque per intervalla cochleatim exhibitus Tussim, præsertim in pueris, pertinacem sanat, ex Boyle. Idem præstabitur inunctis plantis pedum essentia pulegii; vel ejusdem succo misto cum aqua ardente. Quòd si humor defluens salsedinem, aut acritudinem sapiat, timeaturque de pulmonis læsione, ad corrigendam illius acritatem, salsilaginemve, summè conferet iteratus usus pilularum de cynoglosso, vel de styrace. Ejusdem est efficaciæ pulvis anodynus D. Michaelis, theriaca recens, & laudanum opiatum. Prosunt etiam pilulæ ex styrace calamita, cum olibano, myrrha, & opio Thebaico mistis, & exceptis succo glycyrrhixæ, ut apud Schroderum. Ad diminuendam verò peccantis lymphæ copiam, exhiberi poterit extractum agarici, & resina jalapæ cum modico gummi tragacanthi: & quidem salutares observatę sunt pilulæ compositæ ex scr. j. resinæ jalapæ, & gr. vij. tragacanthi cum modico cinnamomi acuti ad tempus repetitæ: itemque pilulæ è mastiche solutivæ.

lib. 2. conf. 1. & 2. Ad sedandum deinceps Catarrhũ consulit Crato hoc electuarium sumendum ad castaneæ quantitatem, quod habet: *thur. masc. scr. ij. nuc. cond. tost. scr. j. spec. aromat. ros. scr. ʃʃ.* hæc autem excipiuntur rosarum punicarum conditura.

Ejusdem Authoris pilulæ ex succino efficacissimæ referuntur: sicut etiam, quæ constant: *thur. masculi & succ. glycyrrhizæ singul. dr. j. opii, croci, & myrrhæ, singul. scr. j. cum syr. papav. alb. confic. mass. Dos. gr. vij. vel x.*

Thus ipsum hora somni deglutitum optimum est cum balsamo Peruviano; & Lotichius admiscet ol. anis. gutt. iij. opii præpar. gr. j. cum syr. de papavere. Alias ex B. Faventino pilulas describit Riverius ex succo glycyrrhizæ, aloe lota, & pilul. de cynogloss. cum syr. viol. Rheumaticis etiam medetur aqua stillatitia papaveris rheados cum diacodio mista, & per filtrum traducta, ac deindè per intervalla assumpta.

Ossa bubula, vel efficaciùs Donzellino, humana, præsertim cranium, ad albedinem combusta, & in pulverem redacta, cum portione cinnamomi, & sacchari, efficacissima alii experti sunt.

Hartmanno probatur aqua serpilli cum vino albo generoso destillata, quotidiè sumpta ad unum, vel alterum cochleare. Vult tamen F. Hofmannus in ea infundendum esse lignum sassafras. Aliam Serpilli aquam, benedictam nuncupatam, conficit Adrianus Mynsicht ad Catarrhum præstantissimam.

Idem Hartmannus suturæ coronali admovet sacculum succino repletum, & spiritu vini madefactum: & Rulandus vertici deraso cataplasma, quod componitur ex *fermenti acrioris unc. ij. & pulv. carabes. dr. ij.* Pachecq apud Riv. obs. 60. lib. 2. c. 52.

A Schrodero proponitur emplastrum cephalicum, quod Catarrhum in fauces sistit, & epilepticos motus, atque vertiginem arcet. Efficax quoque est gummi Tacamahaca cum oleo

leo mastiches dissolutum, & malaxatum.

Cap. 3. Antid. B. Montagnana extollit & hoc aliud, quod habet *Aloes, puleg. calament. mont. cort. citr. singul. partes æquales. F. pulv. & commisc. cum ladano, & modico acaciæ in formam cerati.*

Pro amuleto verò commendat Hartmannus radicem verbasci virginis, quæ scilicet per eam æstatem non floruit.

Refertur in Ephemeridibus Germanicis Ann. 1670. fuisse quendam, qui usu cujusdam pulveris, Catarrhorum materiam è naribus eliceret. Putatum autem Vvedelio, esse Vitriolum album solutum in aqua cephalica, & penna naribus moderatè applicatum: Creditum aliis, esse Euphorbium pulveratum, & cum semisse amyli commistum. Aliis verò, esse Corticem, & Radicem Rheumaticam Clusii, ex Monard. Expertus sum ego idem tutò, & salubriter præstari pulvere ex cyclamino in clibano arefacta, cui, si lubet, addi potest tantundem betonicæ, rosarum punicearum, & sampsuchi. Ex helleboro nigro, & saccharo conficit Helmontius pulverem, qui efficaciter sternutamentum concitet, & coryzæ medeatur. A spiritu vini puro, & à tinctura succini plurimùm sanè juvatur cerebrum in Catarrhis, saltem si naribus excipiatur, & temporibus, ac cervici sæpiùs adhibeatur. Sed & spiritus, ac sal volatilis ammoniaci olfactus mirè admodùm plerisque confert. Cæteros affectus Catarrhum consequentes, aut comitantes, suis locis memorabimus.

Obs. 34. — Obs. 14. Anno 111. — V. Bonetus in Med. Sept. p. 1. libr. 1. sect. 21. cap. 4.

DE AFFECTIBUS Oculorum.

Oculis innumeri propemodùm affectus accidere possunt, ut jure apud Veteres peculiares Medici iis solummodò curandis fuerint destinati; graviores tamen, frequentioresque sunt Ophthalmia, Suffusio, Strabismus, Hebetudo, & Epiphora, seù Illacrymatio.

Ophthalmia Celso dicitur Lippitudo (licèt inter utramque aliquid intersit) eaque est inflammatio adnatæ tunicæ, quæ propterea tumet, dolet, rubet, non sine acrium lacrymarum profusione.

Eodem modo fit, quo cæteræ inflammationes à restagnante sanguine non raro cum sero acriori, vel cum lympha permisto: quamobrem Cœli intemperies, tum calidas, tum frigidas sequi solet; itemque à pulvere, fumo, vento, Solis ardore, rerum acrium halitu, meracioris vini immodico usu, & id genus aliis non raro inducitur: Unde Hippocrates 3. *Aph.* 11. ex constitutione Hyemis aquiloniæ, & Veris austrini, in æstate Ophthalmias fieri scripsit; sicut contra ex Hyeme pluviosa, & Verè sicco. *tex.* 12. ubi quoque duplicis Ophthalmiæ meminit, nimirùm humidæ ex priori aeris constitutione, & siccæ ex constitutione posteriori. In arida autem Lippitudine, inquit Celsus *lib.* 6. quam Greci Xerophthalmiam appellant, neque tument, neq; fluunt oculi, sed rubent tantum, & cum dolore quodam gravescunt, & noctu prægravi pituita inhærescunt.

Tam patens est Ophthalmia, ut signis non egeat, ut internoscatur. At leviorem, ac tolerabiliorem Τάραξιν, seù perturbationem appellare consueverunt; gravissimam, & in

qua

qua palpebræ etiam intumescunt, adeòut invertantur, & claudi nequeant, χήμωσιν; Undè prima facilioris erit curationis, longè difficilior altera: Ophthalmia verò, quæ media est inter utrasque, medio quoque modò se habebit. Semper autem magnifacienda ea est, quæ cum capitis dolore sociatur, quippè pericranii, unde originem ducit tunica Adnata, læsionem significat, & quandoque etiam utramque meningem, quæ duas alias oculorum tunicas efformant, in consensum trahit. Si alvi profluvium superveniat, Ophthalmiam desinere dicitur *6. Aph.* 17.

6. Aph. 31. Dolores oculorum, inquit Hippocrates, meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venæ sectio, aut medicamentum epotum solvit, pro varietate scilicet humoris dolorem, aut phlegmonodem tumorem inferentis: At plerique nulla adhibita distinctione causarum, semper, & omninò sanguinem detrahunt, ac refrigerantibus liquoribus affectos oculos abluunt: mox etiam purgans medicamentum propinant, cucurbitulas scapulis, capiti, & temporibus emplastra, oculis verò cataplasmata, aliaque topica admovent.

Verùm refrigerantia nunquam affectis oculis profuere: his enim stagnantes humores adeò impinguntur, ut tandem insolubiles fiant. Obs. 25. cent. 3. Notabile est, quod refert Riverius: Rusticus quidam diuturna Ophthalmia laborans, cùm ex præscripto Medici refrigerante victu, & aquæ potu ad longum tempus nihil profecisset, tandem ab alio Rustico persuasus refrigerantem illum victum deseruit, & mero indulsit, ac subindè se meliùs habere sensit, & intra paucos dies, continuato eodem potu, ab Ophthalmia prorsùs liber evasit. Idemque aliis duobus contigisse subdit idem Author. Neque solùm vitiosos oculos refrigerantia lædunt, sed & sanos. Meminit de quodam Nobili viro Fabr. Hildanus, quòd ab assidua lotione faciei, & oculorum cum aqua frigidissima, visus paulatim elanguerit. Obs. 27. cent. 1.

Conferunt itaque intrinsecùs, quæ sanguinem stagnantem dissolvere, atque à suis recrementis purgare valent: Externè verò efficax mihi semper, & salutaris observata est hæc aqua, quæ ita fit: *In aq. rosf. alb. lib. ß. euphragiæ fœniculi, chelidoniæ, & rutæ, singul. unc. iij. vini alb. opt. & veter. lib. iv. infund. Antimonii crudi in pulverem redacti unc. iv. fell. avium, aut gallinarum iij. tutiæ præp. unc. j. viridis æris pulv. dr. ii, aloes opt. dr. ii. ß. caryophyll. pulver. dr. j. camphor. & croci singul. dr. ß. Omnia in phiala obturata exponantur ad Solem per dies xxx. tempore æstivo, quotidie vas agitando, donec aqua ad flavum tingatur.*

Ea postmodùm utor manè, & serò, jejuno stomachò, instillando in oculorum angulos unam, aut alteram guttam: brevi enim impactos humores attenuat, & abstergit, visum acuit, maculas delet, suffusionem arcet, & oculos mirabiliter confortat. Addi etiam illi potest, si lubet, aliquantulum sacchari candidi, quod unà simul cum cæteris dissolvatur.

Plures aliæ aquæ Ophthalmicæ, & collyria commendantur à Medicis, ut ab Hartmanno aqua florum cichorii, sicut etiam ejusdem collyrium. A Crollio, & à Quercetano alia, & alia pariter à Riverio, qui prætereà *lib.* 2. *cap.* 8. ad maculas oculorum conficit aquam mellis: & in aqua rosarum diluit sal ammoniacum. A Riolano describitur aliud collyrium. Et à Mynsicht aqua Ophthalmica aurea, viridis, subnigra, & de cancris, quas Cent. 3. obs. 45. Tract. 2. de Morb. ocul.

omnes

omnes præstantissimas esse dicit. Commendantur quoque sanguis recens columbarum cum aqua rosarum: albumen ovi cum alumine agitatum: vinum album, in quo tutia præparata soluta sit: decoctum radicis symphyti, & sigilli Salomonis in aqua, vel vino: ipsiusque vini spiritus; si videlicet his oculi lippientes pluries abluantur. Singulare remedium dicitur Foresto lapis Calaminaris in pollinem redactus, & cum albumine ovi cocto permistus, ut exindè liquor extillans oculis affectis indatur ad guttas aliquot. In Actis Hafniensibus *Ann.* 1673. describitur unguentum Ophthalmicum valdè efficax compositum ex unguento Nihili, & de tutia, margar. coral. rubr. ocul. cancrorum, camphora, foliis *Solis*, & *Lunæ*, & saccharo *Saturni*, idque Author expertum fatetur. Optimum quoque est, quod conficitur ex una parte sacchari *Saturni*, dupla verò camphoræ. Quibus verò oculi fluxione laborant, & lentore à somno palpebræ inhærescunt, aqua rosar. tepida, in qua parum aloes lotæ dissolutum sit, facilè curatur.

lib. 11. Scho. ad obs. 10.

Obs. 120.

Suffusio græcè ὑπόχυμα, & ὑπόχυσις vulgò ex Barbaris Cataracta, affectus ille est, in quo pupilla à concreto ibidem humore obstruitur, & visio impeditur. Arabum plerique inter Crystalloidem, & Uveam tunicam, humorem concrescere arbitrati sunt. Galenus inter Crystallum, & tunicam Corneam. Celsus inter hanc, & aqueum humorem; cui Avicenna cohærere videtur. At verò pluries innotuit ejusmodi humorem densari subter Adnatam, & Corneam tunicam, quoniam à peritis Chirurgis acu argentea congelatus in pelliculam humor sæpenumero deponi solet; quamobrem credibile admodùm est in spatiis subter Corneam fuisse collectum; Unde non abs re putatum à plerisque, quamcumque sub his tunicis intercapedinem locum ejuscemodi concretioni aptum esse. Nihilominùs testatur Rolfinchius Suffusionem non raró fieri à sola crassitie humoris crystallini: & Platerus ab Aqueo humore exsiccato, ac tenaci reddito: Sylvius verò à pituita viscida in humore aqueo hærente juxta mentem Gal. 1. *de Sympt. Caus. c.* 2. Sed & ab ipsa Cornea tunica, quæ pellucida esse debet, in suis porulis obturata, aut crassescente, idipsum oriri posse pluries sumus experti. Hinc haud immeritò crediderim, non uniusmodi Suffusionem semper esse, nec pari ratione perpetuò curari posse, cùm non in omnibus eodem modo, eodemque loco fiat.

10. de usu part. cap. 1. Lib. 7. c. 7.

Diss. Anat. l. 1. c. 11.

l. 1. Prax. c. 7.

Incipientem Suffusionem designant apparentes ante oculos muscæ volitantes, culices, pulices, pili, ac veluti aranearum telæ; quin & aliquando res videntur cancellatæ, præsertim matutino tempore. Mox pupillæ color mutatus, & visio omninò deficiens confirmatam Suffusionem arguunt.

Observat Galenus 1. *de sympt. caus. cap.* 2. faciliùs curari suffusos, quibus altero oculo conniventibus, alterius pupilla dilatatur; secùs verò quibus potiùs pupilla constringitur, sicut pariter cum omni lumine orbata cernitur, atque ad fuscum, nigrumque colorem versa est.

Quoniam Suffusio oriri putatur à crasso, tenacique humore, illam tollere conantur Medici per medicamenta, quæ eundem humorem evacuare valent, qualia dicuntur phlegmagoga; deindè cephalicis calefacientibus incumbunt; itemque decoctis ex salsa, sassafras, china, cum stœchade, betonica, euphragia, chelidonium. His non proficientibus de-

deveniunt ad collyria detergentia, nempè ad aquam *socialem* dictam, aut mel rosatum, aquam mellis, rutæ, fœniculi, verbenæ, euphragiæ, chelidoni, cum felle perdicis, accipitris, hirci, lucii piscis, aut lupi: pariterque ad cauteria occipitio, & brachiis adhibita. Tandem cùm confirmata videtur Suffusio, concretum humorem instar membranæ acu removendum expertis Chirurgis committunt. Cujus extractionis, aut semotionis, & demissionis modum tradit Celsus *lib.7.cap.7.* Ægineta *lib. 6.cap.21.* Fabr. ab Aquapendente *de Operat. Chirurg.* Schultetus, Barbette, & Gerardus Blasius, præ cæteris aliis. Addit Hartmannus, si erosio, vel vulnus subsequatur, stupendum ophthalmicum, quo oculos inquit ad desperationem usque læsos restitui, eorumque vulnera spatio xxiv. horarum glutinari. Colligendum vult succum florum, & foliorum chelidonii ad eam quantitatem, quæ abundantior haberi potest: in B. M. digerendum subdit, ut sponte sua depuretur, impuritatibus nempè in fundo subsidentibus; deinde (mense Junio lustrantibus Sole, & Luna Signum Cancri) cancros fluviatiles xx. resectis durioribus extremis, & caudarum crustis, contundendos præcipit in mortario, ut succus indè exprimi possit, quem simul cum chelidonii succo depurato distillandum ex B. M. & usui servandum inquit. Per idem tempus alium Cancrum vivum integrum, & nulla sui parte mancum in ollam inditum, exiccat in clibano, usque dum teri possit; exiccatum reducit in pulverem tenuissimum, atque per secerniculum traiicit. Hujus autem pulveris exiguam quantitatem ex canaliculo pennæ in vulnus oculi immittit, ibiq; relinquendum suadet per horas xxiv.

Armam. Chirurg. & append. Chirurg. hoc eod. cap. Therap. Spec. cap 10. sect. 1.

succedente verò tempore aquam sæpiùs infundendam, lavando, & abstergendo omnem purulentiam, & optatum certè finem subsequuturum asseverat.

At quamvis fidem omnem adhibeamus ophthalmico huic medicamento, tot, tantisque aliis medicamentorum, sive tormentorum generibus, pro curanda Suffusione, propositis, minimè possumus assentiri: pluries enim experti sumus his non levari, sed magis labefactari Suffusione correptos. Satius propterea erit congruentioribus catharticis per vices uti, potissimùm resina jalapæ, extracto agarici, diagridio ex fumo sulphuris parato, pilulis de succino Cratonis, pilulis Lucis, dosi tamen moderatiori; postmodùm oculos affectos fovere spiritu vini, iteratis ablutionibus, vel aqua nostra ophthalmica superiùs descripta, aliave simili. Ex Th. Bartholino in *Actis Hafniensibus*, Suffusioni valdè utilis dicitur axungia viperina, si ea oculi liniantur. Pinguedo quoque Viperarum ophthalmicum egregium dicitur Wedellio, si ea palpebræ inungantur, vel si gutta j. aut altera in oculum indatur: opitulatur enim vulneratis oculis, aut tumefactis, necnon deles maculas, ruborem discutit, lenit, abstergit, consolidat. Idipsum præstare dicitur ab eodem fel viperarum cum essentia Veneris descripta ab Angelo Sala, quem vide. Fatetur hoc idem de axungia leporina Rof. Lentilius apud Bonetum *Med Sept. lib.1. sect.22. c.59.* Commendatur etiam aliis collyrium Riolani. Gentianam incisam, & cum aceto stillatitio coctam oculis instillatam Suffusioni remedio esse testatur Lipsius. Refert Boyle succo millepedum curatas Suffusiones ex consilio cujusdam Empirici, qui gradatim à tribus

Eph. German tom. 2. obs. 125.

Obs. 126.

Sept. Plan. terrestr. Spag. rec 2. de Morb. ocul.

De Variol. & Morbill.

De util. nat. philos. c.5. sect. 5. part. 2.

bus, pro vice ad novem in singulos dies procedebat, atque iterùm ad tres, & rursùm ad novem, & sic vicissim. De alia item muliere meminit ab imminente Suffusione præservata, quæ primùm quinque, posteà x, tum xv. dein xx. ac gradatim augendo numerum quotidie per quinque usque ad quinquaginta millepedes contundebat in vino albo, vel tenui cerevisia, ac liquorem expressum jejuno ventriculo bibebat. Cæterùm concretum in modum membranæ humorem, in confirmata Suffusione, deponere, cùm ad Chirurgos pertineat, ipsi consulantur. Attamen à spiritu salis ammoniaci rectificato, atque per halitus apertis oculis excepto, & per intervalla sæpiùs iterato, sensim extenuari nubeculas, atque hærentes inter tunicas humores, experti sumus.

In Pterygio, seù ungue oculi, eadem remedia abstergentia conveniunt, præter Chirurgorum operationes. Sed omittendum non est, incipientem interdùm deletam fuisse iterato halitu mansi allii jejuno stomacho: quod remedii genus Rusticis est familiare.

Accidit nonnumquam musculis oculorum resolutio, vel convulsio; indèque oritur Strabismus, quo oculi à sua sede remoti nequeunt directè prospicere, sed coguntur obliquo situ objecta intueri. Aliquando etiam à nativitate Strabones fieri contingit vitio musculorum, aut crystallini humoris, cùm ejus situs non recta pupillam spectat: Qua visus deformitate integram familiam ex parentibus Strabonibus oriundam affectam novi. Interdùm quoque puellos in cunis jacentes hoc vitium arripit, si nimirùm lucernæ lumen oblique intueantur; quin, & metu repentino perculsos infantes Strabismo affectos vidi, cum scilicet oculos inæquali, & violento motu ex incusso timore commoverent. Quòd si non æquabiliter oculi contorqueantur, aut si unus rectum situm, tortuosum alter nanciscatur, unus sursum, alter deorsum, res geminæ apparebunt; unde Lucretius.

At si fortè oculo manus uni subdita subter Libr.4. de rer. nat.
Pressit, cum quodam sensu fit uti videantur
Omnia, quæ tuimur, fieri tum bina tuendo.

Ut etiam cùm mente distracti, ac veluti ecstasi abrepti, aliò intendentes, lucernæ lumen, immotis oculis, spectamus, geminum illud intuemur, alterum in proprio situ, alterum aliquanto intervallo dissitum.

Cùm itaque ad Paralysim, aut Convulsionem referri possit hic morbus, iisdem utemur remediis, quibus prædictos affectus curari superiùs tradidimus. Hæreditario Strabismo correptos inemendabiles esse experientia docuit; sicut etiam ex diuturno tempore laborantes, pariterq; ex vitio humorum, præsertim crystalloidis à suo situ immutati. In puellis faciliùs sanatur, si ex obliquo rerum intuitu inductus sit, ea tamen industria, ut continuato motu oculus affectus in suum naturalem situm sensim disponatur. Solent in hanc rem Nutrices apponere auri alterutri, è regione affecti oculi, florem, vel aliud quidpiam, ut infans Strabismo correptus in eam partem oculos dimoveat, atque ita inductum vitium tempore procedente corrigat: quod sanè facilè est in tenera illa ætate. Memoria Patrum nostrorum proditum est quendam Strabonem factum ob subitum timorem à ruina cujusdam ædificii, cujus causa oculos repentè, vehementerque sursùm extulerat;

lerat, ab ejusmodi vitio euasisse, pupilla in suum situm demissa, à pari violento motu oculorum deorsùm, cùm se ruiturum crederet; unde nil mirum, quod scribit Sennertus, accidisse Medico Leuschenero, cui ob oculorum sursùm citam, vehementemque eversionem, omnia deinceps inversa apparuerint, & homines obversis pedibus ambulantes visi sint.

Pract. li. 1. p. 3. s. 2. 45.

Hebescit visus, & quandoque etiam extinguitur; unde Hebetudo, Caligo, & Cæcitas exoriuntur. Hebetudo quidem in juvenibus, Caligo in senibus; cùm scilicet utrique in visu deficiunt; Cæcitas verò, cùm omninò Visio aboletur. Hebetudo insuper citra manifestam Oculi affectionem græcè ἀμβλυωπία, & ἀμαύρωσις dicitur, etsi aliquando ἀμαύρωσις accipiatur pro abolita visione, sine apparente oculorum vitio, quæ Gutta Serena solet appellari.

Ægin. l. 3. c. 22.

Ad visus hebetudinem, seù imbecillitatem reducitur μυωπία, & νυκταλωπία. In prima, nisi exilia corpora oculis admoveantur, iisque conniventibus, videri non possunt. In secunda verò, patientes occidente Sole, aut tenebroso aere, obscurè admodùm, & noctu nihil prorsùs vident; at interdiù, & aere sereno, ac lucido, perfectè omnia discernunt: quamquàm Hippocrati Νυκτάλωπες dicuntur potiùs qui noctu clariùs, quàm per diem cernunt.

Prorrh.

Myopia referebatur antiquitus ad paucitatem, tenuitatemque spirituum animalium per opticos nervos ad oculos confluentium. Nyctalopia verò ad eorumdem crassitiem. At ex Opticis causas rationabiliùs deducit Platerus, & ad crystallini humoris situm varium has videndi varietates refert. Si namque, ait, crystallinus humor ad anteriora, & versùs pupillam magis vergat, objecta remotiora meliùs cernuntur; at si profundiùs immergatur, objecta nonnisi proximiora discerni poterunt: Unde Myopiam fieri docet ex situ crystallini humoris profundiori. Cùm autem remotiora corpora meliùs videntur, crystallinum ad pupillam accedere ait. Verùm ejusmodi accessum ad anteriora non approbat Sennertus, qui potiùs in senibus humores à siccitate coarctari putat, indèque fieri, ut remota rectiùs, quàm propinqua ab illis aspiciantur: Præter ea, quæ ex Opticis quoque opponi possunt.

Cap. 7. de sens. læsione.

At præter situm, etiam figura, & moles indecens, videndi vitium afferre potest, si nimirùm plana, si globosior, & extuberantior justo fiat; itemque si diminutior, vel auctior, necnon si solito densior, vel laxior sit. Hinc experimur quosdam in visu juvari conspiciliis concavis, ut Myopes, alios convexis, ut Senes, & Nyctalopes, neque omnes pari perspicillorum convexitate. Contingunt etiam aliquandò defectus in visione ab humore aqueo, qui interdum extenuatur, & absumitur, quandoque crassescit, aut distrahitur, atque aliter multifariam vitiatur. Videndi quoque vitia provenire possunt ab humore vitreo; sed certè rarius. Quare verisimile admodùm est, quòd quemadmodùm natura humores isti exigunt convenientem magnitudinem, debitum situm, decentem figuram, & proportionatam diaphaneitatem, ut acutè videamus; ita cum in uno, vel altero deficiunt, visio læditur, & quidem modis ferè innumerabilibus, pro varia eorumdem depravatione.

Rol. finc. dist. Anat. li. 1. c. 13.

Innatam lucem oculis inesse, jam alibi ex Platone meminimus. Provenit autem lux ista in oculis ex humoribus, pari certè modo, ac observamus ex spondylis, ostreis, conchyliis, cæ-

cæterisque testaceis noctu, & in tenebris lucem non exiguam emitti: Quamobrem, si magna, vehemens, & fulgida illa sit, ut ex pupillæ amplitudine ad extimam superficiem effundatur, atque cum externo lumine, quod etiam noctu per aera aliquatenus diffusum invenitur, radiorum pluralitate conjungatur; objecta adhuc in tenebris, non tamen omninò opacis, videri possunt, ut plerisque accidisse perhibetur. Atque hinc noctuæ, feles, bubones, aliaque animalia ampliorem pupillam nacta, per noctem vident: quoniam in ampliori pupilla plures, & confertiores externi luminis radii recipiuntur, atque cum interno lumine uniuntur, colliguntur que, ad formandam visionem. Est tamen necesse, ut simul cum amplificatione, pupilla parumper etiam extuberet, ut ex convexa figura radii lucis meliùs, & arctiùs uniantur, & in crystallo lenticulari excipiantur. Quamobrem è profundo somno experrecti, ac subito timore perculsi, quia pupillam repentè dilatamus, simulque oculum impensè expandimus, & extuberamus, propterea fulgorem quendam ante oculos conspicere solemus.

Imbecillitatem visus, immò & Cæcitatem aliquando procedere ab obstructione nervorum opticorum, probabile quoque est: at non ex eo, quòd impediti spiritus animales influere nequeant in Retinam, & Crystallum, ut communiter ferè putatur; sed potiùs quia fibræ nervorum opticorum, quæ à lumine percelli deberent ad promovendam in cerebro sensionem, ineptæ sunt redditæ ad ejusmodi traductionem efficiendam; quare delapsus humor in nervos opticos impedit, ne à cerebro sensionum omnium judice, & exploratore, objectæ rei visio percipiatur. Qua ratione, oculo lucido apparente, visio nulla fit, ut in eo affectu, quem Medici Guttam Serenam nuncupare consueverunt. Sæpiùs etiam deprehensum est Anatome, visum defecisse à cerebri læsione varia, ut ex pluribus deducit Bonetus.

Quocumque autem modo visus imbecillitas contingat, difficillimæ semper erit curationis, præsertim verò si à nativitate sit, vel ob ætatem senilem inducta. Qui enim humorum vitia emendari unquam poterunt, aut quænam remediorum vis, & efficacia in tot, tantosque oculorum anfractus inviolabiliter pervenire? Perperam proindè plerique medentium pluribus, iteratisque medicamentorum generibus ejuscemodi visus defectibus, & lusciosis, ac hebetibus oculis insultant, quibus ægros potius torquent, & in pejorem statum adducunt, quàm vel minimùm allevent. Satiùs, & rationabiliùs alii solis specillis adnituntur languenti visui opitulari, atque extrinsecis dumtaxat remediis oculorum aciem roborare, & exacuere: inter quæ præstat potissimùm aqua nostra ophthalmica, si manè, & vesperè in oculos ad guttam, unam, vel alteram instilletur. Prohibeantur interim ea, quæ caput, & cerebrum infirmare possunt, ne congesta ibidem excrementa in nervos opticos, vel in membranas oculorum deponantur, quæ si fortasè ibidem cumulata credantur, blandè per convenientia medicamenta repurgentur, uti sunt pilulæ aloeticæ, extractum agarici, resina jalapæ, extractum catholicum: Confert deindè ad plures dies cerussa antimonii descriptione Angeli Salæ ad gr.xij.in singulas vices manè per quatuor horas ante prandium in aqua lavendulæ, euphragiæ, florum tiliæ, fœniculi, betonicæ, aliusve; vel

vel etiam cum modico vini albi. Vinum, in quo euphragia infusa manserit, efficax quoque dicitur: & efficacius adhuc, si ex quo tempore mustum fervet, infusio illius fiat; quo deinceps in potum assumpto per annum integrum, plerique fatentur etiam decrepitos visus aciem recuperasse. Ad hebetudinem quoque visus commendat Montagnana pulverem quendam, quo decrepitis ad Caecitatem ferè perductis videndi perspicuitatem restitutam vidit. Conficit autem illum ex unc. j. macis, & euphragiae unc.iv. de quo cochlearis dimidiam partem ante cibum exhibet. Refertur *in Eph. Germ. Ann. iii. obs.* 133. Gothofredum Moebium testatum curari Nyctalopiam, si Hepar bovinum coquatur, postea in tres partes dividatur, & quaelibet tertia detur manè jejuno ventriculo Nyctalopi comedenda. Eandem vim tribuit Hepati anguillae super carbones assato, & comeso Panarolus *Cent.* 3. *obs.* 49. Heurnius verò solutum liquorem ex hepate Mustelae recenter exempto, & vino abluto, atque in vitro suspenso, Solisque radiis exposito, palpebris, & ciliis adhibendum suadet: eo enim visum mirificè restitui scribit; licèt Hartmannus solùm eo utatur in albugine, & nebula oculorum. Idem de alio pisce, *Alpuit*, vocato testatur Borellus; idemque etiam de Lampetra: & Forestus de alio pisciculo *Aelpulych* patrio idiomate dicto. Praestantissimam aquam describit Cardilucius in Hartmannum, qua multos talem, ac tantam visus aciem comparasse fatetur, ut non ampliùs perspicillis ocularriis eguerint. Aliam quoque coeruleam notat Hieremias Martius, quam Bonifacio arcanam fuisse ait. Verùm haec, & alia, licèt aliquando profuisse credam, plerumque tamen

[Margin notes: Cons. 58. — Videtur multùm excedēs 3. pars. — Ad c. 5. lib. 5. pathol. Fernel. — Cent. 3. obs. 91. — Lib. 11. obs. 35. — Cap. de Vis. imbecill. — obs. 25.]

irrita fieri Experientia testatur, cùm scilicet vitium intimiores oculi partes occupat, & mutatione aetatum visus imbecillitas accidit.

Ad crystallini humoris vitium pertinet Glaucoma, & Glaucosis; siquidem is in glaucum colorem mutatur ex eo, quòd crassescat, & plurimùm densetur; unde fit, ut visio infringatur ob perturbatam luminis refractionem.

Postremò Epiphora, seù Illacrymatio involuntaria fieri dicitur à nimio confluxu serosi humoris in oculos, & praesertim in illorum glandulas, unde lacrymae prosiliunt.

Illacrymationem sistere feruntur quaecumque adstringendi, & roborandi vim creduntur habere, ut acacia, hypocistis, balaustia, myrtorum baccae, rosae puniceae, plantago, nuces cupressi, cortices punicorum, gallae immaturae, mastiche, thus, aloe, sanguis draconis, bolus Armenia, lapis haematites, gummi Tacamahaca, & Animae, balsamum Peruvianum, myrobalani: ex quibus aquae, & decoctiones parari solent pro fomentis, & ablutionibus oculorum.

Ad Epiphoras, & pruritus eorumdem, singulare experimentum inquit esse Platerus hoc unguentum, si eo liniantur palpebrae, atque ad pisi magnitudinem in majorem oculi canthum indatur. Componitur autem ex *aerug. aeris gr. xii. camphorae dr. i. tutiae praeparatae unc. ß. butyri recentis cum aqua ros. liquefacti, & parum elixi dr. vi.* Prax. t. 2.

Quòd si cerebrum compatiatur, & lympha superabundet, optima censentur, quae sudorem movent; sicut pariter opiata, si mordacitatem lacrymae praeseferant, & erosionem, ardoremque afferant, potissimùm commista cum liquoribus cephalicis, & ocularriis.

At si Ægilops timeatur, vel fistula lacrymalis dicta immineat, convenient detergentia; ac tandem consolidantia. Amatus Lusitanus ad Ægilopes ceratum hoc describit, multisque laudibus effert. Habet autem *pulv. test. cochl. dr. ij. myrrh, aloes lotæ, & thur. singul. unc. ß. sarcocoll. sang. drac. & ceruss. singul. dr. iij. opopanac. aceto sol. & lapid. hæmat. singul. dr. j. ß. croci scr. ij. ceræ, & resinæ singul. unc. iij. m. simul ad ignem s. a. & f. Cerat. angulo oculi applicand.*

Cent. 5. cur. 68.

At Petrus Bayrus sumit *mell. puri, & aloes hepat. singul. unc. ij. myrrh. unc. j. croci dr. ß. aq. lib. ij. mox coq. lento igne ad consumpt. mediet. & in decoct. calenti infundit parvam spongiam novam, eamque expressam, & subtili tela inclusam, ac superligatam sæpius adhibet.* Commendat pariter herbam ægilopem, quam eandem esse ait cum avena: ejus namque farinam cum floribus labruscæ, idest vitis agrestis, sanare docet. At Plempius cum plantagine, parietaria, aut portulaca permiscet, & specificum ad Ægilopem dicit. Præscribit etiam hic Auctor linimentum ex aqua ardente, vel vino optimo, & melle ros. col. singul. ad unc. j. & myrrham ad dr. ij. addit.

Lib. 3. practic. cap. 26.

Ophthal l. 5. c. 17.

Ad Fistulam denique sanandam, adhibet ulceri Fabr. Hildanus pulverem euphorbii, quo nil præstantius inveniri ait: posteà utitur emplastro ex gummi Elemi, aut balsamo Tolutano ad consolidandum.

cent. 5. obs. 22. & cent. 6. obs. 3.

DE AFFECTIBUS Aurium.

INflammantur Aures non aliter, ac reliquæ partes, adeòque dolent acutissimè cum rubore, ardore, febri; aliquando etiam cum delirio, & circa tempora vehementi pulsatione; unde vitæ periculum quoque imminet, tractis in consensum partibus capitis intimioribus. Quare ex consilio Celsi statim succurrendum est, ne majori periculo locus sit: quamquam non raro accidit spontè sua ex inflammatione pus fieri, atque per ductus aurium foras egredi cum ægrorum levamine.

3. progn. 13.

Lib. 6. cap. 7.

Minimè verò eas hìc inflammationes Aurium intelligimus, quæ ponè ipsas per abscessum fieri consueverunt in febribus, & Parotides dicuntur; sed quæ Aurium tympanum, remotioresque auditionis semitas occupant, & obsident, atque interdum etiam ad nervum auditui necessarium pertingunt. Quamobrem tractandæ sunt iisdem omninò remediis, quæ convenienter adhibentur cæteris partibus internis, cùm inflammationem subeunt. Si verò in maturitatem perducta inflammatione, spontè sua pus effluat, detergendum ulcus, & mundandum, infusis in aure affecta liquoribus balsamum redolentibus, quos inter præstat balsamum sulphuris tantopere celebratum à Rulando. Confert etiam decoctum Nicotianæ in vino cum melle ros., suffitus ejusdem, oleum ceræ, aut vitellorum ovorum, essentia lavendulæ, rorismarini, aut amaraci. Commendatur à plerisque phlegma spiritus vini, quòd abstergendi vi maxima polleat.

Cent. 1. curat. 85.

Dolori aurium, præter opiata, & anodyna interiùs assumenda; extrinsecùs medentur oleum hyoscyami per expressionem; itemque succus, & folia ejusdem: ac oleum corylinum. In doloribus aurium, inquit Hartmannus, folia Nicotianæ viridia, vel etiam arida, sed iterùm humectata, mirificè prosunt. Ex cæpis con-

Lib. 12. obs. 1. conficit Forestus cataplasma, quod auri dolenti appositum mirabile dicit. Sumit autem cæpam sub cineribus decoctam: huic contusæ addit ol. chamæmel. unc. j. ss. butyri recentis, & ol. aneth. singul. unc. ss. croci scr. ss. simulque omnia permiscet. Idipsum approbant Zecchius, & Riverius, quamvis nonnihil ab ipso discrepent in dosi componentium. Consult. 62. In praxi.

Ad Surditatem, gravemque auditum pro Arcano habet Prævotius crocum, & caryophyllos cum succo cyclaminis; Admiscet autem Th. Bartholinus cum his contusis aquam rosarum, atque gossipio in aures guttas aliquot calidas infundit. Apud Deodatum refertur mirabile secretum ad surditatem, & tinnitum Aurium ex Vermiculis sub cortice quercino repertis, decoctisque in oleo omphacino, & posteà in radice cyclaminis assatis. Et apud Hertodium memoratur aliud, compositum ex oleo vermiculorum sub eodem cortice ligni quercus repertorũ ad dr. j. ss. balsam. Peruan. dr. ss. & olei stillat. croci gutt. vj. cujus deinde guttæ duæ, vel tres calidæ in aures cum gossipio instillantur. Hujus usu refert Frider. Hofmannus D. Timæum surdos à nativitate curasse: adiicit tamen oleum rutæ, & costi. Maximi quoque fit essentia castorei, & croci; balsamum ligni guajaci, essentia fellis Tauri cum spiritu vini extracta, & balsamum sulphuris. Itemque essentia Lavendulæ, & Castorei; necnon succus Sampsuchi, ejusque oleum destillatum. Similiter oleum Murinum, murium scilicet recenter natorum, in oleo decoctura paratum ad Aurium surditatem summè valet. Nostrates utuntur oleo, potiùs ex Mure pisce elicito: Sunt, qui maximè etiam commendent pinguedinem Anguillæ cum ejusdem felle commistum, & in aurem inditam ad guttam unam, vel alteram, esseque medicamentum mirabile ad surditatem, & Aurium dolorem. Solo gossipio, in quo moschus conservatur, surditatem tolli refert Forestus, atque longè efficaciorem esse moschum ipsum gossipio involutum, & auribus perpetuò gestatum. In usu apud nostrates est fumus sulphuris auribus ad plures dies exceptus. Internè verò commendatur decoctum radicis Asari, sal volatile succini, ejusque essentia. Intereà tamen utile foret conveniens aliquod catharticum, præsertim extractum catholicum, aut Hellebori, si corpus succiplenum videatur: siquidem ex Hippocrate, *Qui surditate laborant, supervenientibus biliosis deiectionibus liberantur*. Quamvis de surditate febrientibus contingente id intelligendum esse commentetur Galenus.

Cent. 6. hist. 77. — libr. 3. Panth. Hyglast cap. 21. — In crocolog. — In meth. — Lib. 12. obs. 15. — 4. Aph. 28.

Sonitum denique, tinnitum, sibilumque aurium tollere dicuntur, præter ea, quæ nuper relata sunt, spiritus terebinthinæ, essentia sassafras, sampsuchi, lavendulæ, absinthii, chamæmeli, rutæ. Panis recens coctus, & mox è furno extractus, atque spiritu vini imbutus, aurique patienti admotus, ut inde vapor excipi possit, prodesse dicitur ab Hartmanno; pariterque vapor absinthii, & verbenæ, quæ in lacte vaccino decoctæ sint. Commendatur ex Montagnana decoctum hellebori albi, croci, nitri, & castorei, æquis partibus, in sufficienti quantitate aceti, & mellis colati, quo deindè illitum ellychnium sæpiùs in aures indatur.

DE AFFECTIBUS *Narium.*

V. 6. Aph. 10. 5. Aph. 3. Lepid. 2. 3. prorr. 58. 1. prorr. 33. Aet. tetr. 2. sf. 1. c. 124. 8. Aph. 3. De rat. vict. comm. 4. & in Coac. praenot.

EX affectibus, qui Naribus contingere solent, Hęmorrhagię notio, & curatio magis ad Physiologos pertinet; reliquorum verò potiùs ad Chirurgos. Narium autem hæmorrhagia, quamvis sæpissimè critica esse possit, cujus scilicet ope graviores, cùm capitis, tum aliorum viscerum ægritudines terminantur; quandoque tamen nocua observatur, præsertim cum immodica fuerit virium languorem afferens, sicut & in quartanis febribus ex Hippocrate.

Trifariam sanguinem è suis vasis effluere posse Medici communiter arbitrati sunt, nimirum per Anastomosim, Dięresim, aut Diapedesim. Anastomosis à vasorum mollitie, & sanguinis plenitudine. Diæresis ab humore acri, vehementi medicamento, ictu, casu, vulnere. Diapedesis à venarum raritate, & sanguine tenuiori, serosiorique fieri dicitur. At plerumque prodit sanguis à suis conceptaculis, aut ab acido in se contracto, aliundeve suggesto, aut ab Alkali abundantiori, acido convenienti non coercito. Utrunque enim cùm moderationem non servant, fluxum sanguinis promovent: ut in scorbuticis, hecticis, ictericis sæpè sæpiùs experimur.

Quocumque modo sanguis è naribus effluat, nisi virium imbecillitatem, ex pulsu languido, visus, & auditus hebetudine, capitis languore, tactus tepore, aliisque symptomatis, indicatam minetur, non statim sistendus est, præsertim cùm criticè erumpit, & cum manifesto levamine patientis. Sic capitis dolores, febres ardentes, phrenitides, hystericas affectiones ex mensium suppressionibus, spirandi difficultates, aliasque ægritudines per narium hæmorrhagiam non raro curatas vidimus. Quin & plerosque novi, qui à redeunte per certa intervalla ejusmodi profusione nedum salubriter vixerint, verùm etiam à gravibus morbis immunes, in quos facilè laberentur, suppresso sanguinis exitu. Quare solùm cùm insuetus est, vel immoderatus, aut etiam grave damnum inferens, puta singultum, aut convulsionem, ut dicitur 5. *Aph. 3.* quò citiùs fieri poterit, sisti debebit. Consueverunt autem vulgares Medici in hanc rem, venas, & quidem è remotioribus partibus, incidere, putantes hac ratione sanguinem fluentem in oppositum cursum derivatum iri; deinceps frictiones, ligaturas, cucurbitulas, etiam sub hypochondriis adhibendo: immò si diæresi, & vitio acrium humorum sanguinem profluere decernant, purgantia quoque medicamenta propinant; indicta interim diæta ex cibis refrigerantibus, & adstringentibus potibus. Nonnulli præterea gelida aqua, quin & nive ipsa frontem, & collum perfundunt; naribus acetum sugendum præcipiunt, aliosque liquores refrigerantes, succum sempervivii, solani, plantaginis: iisdemque testes pariter madefaciunt, & hepatis regionem unguento rosarum, aut santalorum inungunt.

V. Hippoc. 6. Aphor. 10. lib. de judicat. 1. de Morb. popul. const. 3.

At tutius, citiùs, & faciliùs cohiberi ab aliis visus est sanguinis fluxus sola bursa pastoris contrita cum ovi albumine, & aceto commista, ac fronti applicata. Quibusdam nari stillanti ferrum ignitum admotum profuit, vapore sanguinis torrefacti naribus suscepto. Caro bubula recens acerrimo aceto conspersa, & occipitio imposita contulisse scribit Hoe-

Jul. Cæs. Baricell Hort. genial.

Vvillis. de feb. cap. 11.

Herc. Med. c. lib. 1.

Hoeferus. Pulverem bufonis exiccati in nares inditum, idem præstare notat Hartmannus. Urtica contusa sisti hæmorrhagias refert Borellus. Et Boyle, musco cranii humani in manu detento, itemque polygono, & polygonato, si manu detineantur, quousque incalescant. In Ephemeridibus German. *Ann.* 1670. *obs.* 24. refertur pulvis mirificus, qui componitur ex alumine crudo, & lacca Pictorum: admoveri autem is debet naribus, vel etiam immitti. Solo aluminis contactu fluentem sanguinem ex vena secta cohiberi testatur Borellus: putatque idipsum haberi à Vitriolo, ejusque colchotare; unde atramentum ad idem utile quoque esse subdit. Curatum similiter ab hęmorrhagia alium memorat oxycrato, pannis scilicet eo madidis toti spinæ admotis, sæpèque renovatis: testaturque Riverius hoc remedii genus alii feliciter cessisse, itemque oxycrato naribus attracto stillantem inde sanguinem stetisse. Acetum quoque rosс. auri è directo naris sanguinem fundentis inditum ad guttas aliquot sistere hæmorrhagiam meminit *in observationibus communicatis*. Cinere chartarum albarum combustarum naribus excepto, & frusto cretæ albæ digito annulari detento è regione naris, unde sanguis extillat, donec incalescat, illum supprimi pluries se observâsse confitetur Forestus. Fimus porcinus olfactus proclamatur ab eodem, itemque à Rulando, Mizaldo, Riverio, & Hoefero: sicut pariter stercus asininum à Roderico à Castro: atque ab aliis vitriolum ustum. Galenus 5. *meth.cap.* 5. cum ovi albumine miscet thuris partes duas, aloes partem unam, additis pilis leporinis ex ventre excerptis, & minutissimè concisis. At cæteris præstantiorem Experientia sæpiùs testata est pulverem Sympathicum dictum ex Vitriolo ad Solem æstivum in pulverem album ad formam calcis redacto; cujus vires, & usum declaravit Kinelmus Digbæus *peculiari libello de pulvere sympathetico*, & post ipsum alii plures, quos legere est *in Theatro sympathetico*.

Cent. 1. obs. 95. De util. Philos. part. 2. sect. 5. cap. 14. — Cent. 4. obs. 7. — Cent. 4. obs. 5. Cent. 1. obs. 23. — obs. 15. — Lib. 13. obs. 10. — Lib. 1. de Morb. mul. c. 5. — Confer etiam, quæ referuntur obs. 53. Ann. 2. Eph. Germ. in scholio de Usnea.

Intrinsecùs verò assumenda commendantur alia complura. Apud Robertum Boyle *de utilitate naturalis Philosophiæ* mentio fit de quodam electuario composito ex *seminibus hyoscyami*, *& papaveris albi*, *singul. ad dr. ij. & cons. ros. unc. j.* quo ad dosim nucis myristicæ Medicum quendam enormes hæmorrhagias narium, uteri, & aliarum partium brevi sanasse testatur. Succus urticę mirabilis quoque dicitur Riverio, tum per os exhibitus ad unc. iv. tum naribus exceptus, & fronti, ac temporibus applicitus. Et aliis succus parietariæ, bursæ pastoris, & centinodii. Aqua etiam spermatis Ranarum, plantaginis, & nymphææ optima creditur Hoefero. Cinis Ranarum, & sperniola Crollii, efficax ab eodem, & ab aliis fertur; atque à Petræo Nitrum fixum. Nihil præstantius esse inquit Frideric. Hofmannus, radice zizaniæ; & Thomas Bartholinus faba rubra in vino decocta. Aquam bursæ pastoris ad unc. j. cum guttis x. olei Martis, sanguinis per nares effluxum perfectissimè sistere tradit Jo: Petrus Faber. Præparatque Hartmannus crocum Martis, quem ad gr. iv. cum aqua plantaginis exhibet. Laudanum opiatum, vel assumptum, vel naribus intrusum, commendatur ab eodem, præter alia plurima apud relatos Authores videnda.

p. 2. f. 5. c. 6. — Prax. l. 4. c. 7. — In meth. Cent. 5. hist. 97. — Lib. 3. de Morb. c. 35.

Enarrata hæc medicamenta convenire quoque possunt hæmorrhagiis

ex vulnere contingentibus. At verò speciatim ad sistendum sanguinem ex vulneribus experimento comprobatum edocet Borellus alumen esse in venarum orificiis intrusum. (Cent. 4. obs. 50.) Heurnius *ad Fernelii Pathologiam* recipit caphuræ dr. j. radicis tormentillæ, & boli Armeniæ veræ singul. dr. ij. in pulverem redigit, huncque stupa aceto madefacta excipit, & vulneri immittit. Acetum etiam asperrimum cum æqua portione croci Martis, & semisse colchotaris, pari ratione permiscet, & cum stupa adhibet. Est nostratibus in frequenti usu Aqua ex Alumine confecta, *Arterialis* dicta. Admirabilis quoque est *Liquor stypticus* Jo: Cornelii Meber ex Alumine, & Vitriolo compositus, atque in *Anchora Sauciatorum* descriptus; ut & Aqua Styptica D. la Faveur, & D. Lemery. (Lib. 5. Secret.) Apud VVeckerum certo quoque experimento comprobatum refertur ex Rantzovio sanguinis profluvium ex vulneribus supprimi imposito cataplasmatis instar panno lineo, quo ranarum ova, ineunte Vere, excepta fuerint, ad Solem exiccato. Unguento Paracelsi, Herculeo dicto, magna vis tribuitur in cohibendo ex vulnere fluentem sanguinem, de quo Crollius, Goclenius, Helmontius, aliique. (Lib. 2. de lapid. & gemm. cap. 102.) Anselmus Boetius de Jaspide testatur eum collo gestatum sanguinis fluxum illicò sistere: in quam rem historiam narrat cujusdam fœminæ, quæ annos sex hæmorrhagia laboraverat, ab Jaspide sanatæ: inquit autem Jaspidem fuisse rubrum. De reliquo Polypus, Sarcoma, Ozæna, Narium fœtor, aliique similes morbi ad Chirurgos potius pertinent.

DE AFFECTIBUS Dentium.

Dolent sæpissimè dentes in radicibus, ubi membranulæ, & nervuli diffunduntur, à sanguine, vel lympha eas partes pertingente, acri, acida, salsa, aut aliter præter naturam affecta; unde interdum etiam tument mandibulæ, & gingivæ; quin & dentes carie, ipsæ verò erosione, ulceratione que inficiuntur, & cùm scalpuntur, vel cibus manditur, nonnihil sanguinis stillant. Tantus autem, ac talis dolor quibusdam accidit, ut impatientes mortem sibi adsciverint; quamobrem maximis tormentis annumerari potest ex Celso. (V. Gal. 2. de comp. med. secund. lo. ca. c. 2. Lib. 6. c. 9)

Inter dolorem sedantia, illiusque causam corrigentia omnium præstantissimum perhibetur à Roderico à Fonseca oleum buxi, si in foramen dentis una, vel altera gutta iniiciatur: (Tom. 1. consult. 46. obs. 40.) quod etiam à Samuele Formio confirmatur, & modus illud extrahendi describitur apud Riverium *in observationibus eidem ab illo communicatis*. Idem quoque præstari dicitur ab oleo caphuræ pari modo in dentis foveam instillato. At Julius Cæsar Claudinus extollit oleum Terebinthinæ chimicè paratum cum pulvere camphoræ. Camphoram ipsam in aceto modicùm elixam adhibet Montagnana; itemque opium: (Consil. 87. obs. 1. lib. 2. cēt. 2. cur. 3.) Thonerus solam camphoram: & Rulandus oleum camphoræ gossipio exceptum; vel etiam oleum ligni heraclei, quo præterea humores ibidem stagnantes educi, vermes dentibus innatos necari, & causam quamcumque doloris adimi, ait. Alibi quoque laudat aquam solani, cum oleo vitrioli Romani ad acidum saporem usque permistam. (Cent. 3. curat. 51. & seq. Cent. 1. curat. 9.) Radices sambuci in aceto, & vino decoctas singulare

expe-

experimentum inquit esse Raymundus Mindererus apud Grulingium. Decoctum Nicotianæ, & florum chamæmeli tepidum ore detentum commendatur Jo: Heurnio, & Riverio; & Cardilucio illud sabinæ; atque Foresto radix lapathi acuti concisa, & supra dentem dolentem apposita: quam etiam magnifacit Hartmannus, qui præsentaneum quoque fatetur esse remedium oleum caryophyllorum cum quinta parte camphoræ. Essentiam similiter saturejæ mirificè dolores dentium sedare tradit P. Jo: Faber, si aliquot guttis dens dolens, & gingiva perfricetur, infusa etiam in auribus guttula. Sicut & spiritus Vini cum satureja distill. ore detentus, ex Riverio. Mirum est quod refert Helmontius se vidisse os brachii bufonis statim primo contactu Odontalgiam tollere: & contactu dentis hominis senio extincti, dolentem dentem excidere. At admirabilius, quod memoratur à Borello: allium contusum cum momento salis pollici admotum vesicas excitando, aquam educere, & dolorem dentium fugare. Bursa pastoris pinsita, & indita auribus, sicut & naso betonica, ejusmodi dolorem aliquando desiisse fertur ab eodem; itemque lapide Imperiali dicto, denti dolenti imposito: conficitur autem is ex sale petræ, & alumine fusis cum aliqua portione sulphuris; atque cerebro purgando, visui acuendo, & nervis opticis detergendis plurimùm conferre dicitur; quemadmodùm Boylæo succus Rutæ recenter expressus, & auri è regione respondenti instillatus. Sale fraxini arteriæ temporum applicito curatum dolorem dentium vidit D. Leseq. apud Riverium: & pice Burgundica cum pulvere nucis odoratæ, Borellus. Magnetem cœlo sereno in pulverem redigit Tachenius, deindeque in calcem, donec

Floril. g. Med. Lib. 1. meth. ad prax. Cent. 4. obs. 31. in Hartmann. lib. 14. obs. 6. Lib. 3. de morb. cap. 3. Butler. & Tumulus pestis. V. etiam Cardilucium in Hartm. cap. 63. Cent. 3. obs. 27. & obs. 8. C. 1. obs. 98. Exp. Med in obs. hinc inde decer pt. xi. Cent. 4. obs. 68.

viridescat, postmodùm miscet cum farina, vino, & tragacantho in formam rotularum, & denti laboranti utiliter imponit, ex Grulingio.

Ad extrahendos verò dentes dolentes absque ulla Chirurgi opera, scribit Riverius efficacissimum esse helleborastrum, si eo dens affectus confricetur. Et Franciscus Joel dissolvendum ait gummi ammoniacum, aut galbanum cum lacte esulæ, vel hyoscyami, ac decoquendum lento igne donec lac absumatur; residuum verò in globulos redactum dentium foraminibus indendum per noctem: mox sine dolore dentes eximi posse subdit. Idem & ego aliquando usu gummi hederæ arboreæ factum vidi; cujus decoctum cum roremarino in posca, tepidum ore detentum dolentibus dentibus mederi notat Heurnius. Dentes corruptos integros eximere docuit Asselinæus Cicada per æstatem capta, contusa, & imposita. Et adipe ranarum viridium terrestrium juxtà arbores degentium oblitos dentes statim decidere scribit Jo: Anglius in sua praxi, aliique meminere.

Lib. 6. prax. c. 1. Lib. 2. pract. s. 6. Ad Fernel. Pathol. l. 5. c. 8.

Si verò stupeant dentes, ut ab acidis, ponuntur prodesse portulaca mansa, fœniculum, cera, succus glycyrrhizæ, amygdalæ, avellanæ. At quicquid calet, certò hæmodiam tollere experimur; unde panis calens, vinum calidum, præcipuè si in eo ebullierit salvia, rorismarinus, piper, pyrethrum, aliudve simile; aqua etiam ardens optima observatur. M. Fehr Academicus curiosus fumum absinthii supra prunas injecti ore exceptum, dolorem, & stuporem dentium prohibere docet. Et Hartmannus eos sale fricari jubet.

Ad dentes insuper erosos valde prodesse suum odontalgicum scribit Crollius ad granum unum denti admotum

motum cum gossipio. Et Fridericus Hofmannus spiritum salis adhibet. Olea etiam, & essentiæ omnium aromatum aliis sunt in usu, sed præsertim caryophyllorum; itemque spiritus vini cum modico camphoræ. Quòd si prætereà gingivæ ulcerentur, & sanguinem stillent, commendantur antiscorbutica medicamenta, infusiones, pulveres, & spiritus, nasturtii, cochleariæ, beccabungæ, salviæ, menthæ, & aquilegiæ, quam cæteris præfert Hartmannus. In usu practico sunt pulveres, & condituræ baccarum myrti, rosarum rubrarum, coralliorum, myrobalanorum. Sed alkalia acutiora præstantiora existimantur; Et si fortasse tumeant gingivæ, ficus assus intrinsecùs admotus præsentaneum remedium dicitur ab Hartmanno, & Borello.

Hoc loc. Cent. 1. obs. 86.

Si dentium mobilitas accesserit sequens decoctum expertum ait Hartmannus, quod habet: *gland. dr.j. gallarum, alum. usti, & succ. acac. singul. dr.ʃʃ. fol. rof. punic. m.ß. decoq. in libr. ij. vini rubr. & servetur ad usum.* Eo autem sæpiùs dentes eluendos præcipit. Aliud commendat Zecchius, quod paratur ex *mell. unc. ʃʃ. sandarachæ, seu vernic. ammon. alum. scissilis, & thur. singul. dr. ʃʃ. bull. in aquæ vitæ unc. iij. acet. alb. unc. j. deinde col. & add. croc. gr. ij.* & cum possipio eo dentes, & gingivæ fricentur. Non solùm, inquit hic Auctor, mobiles dentes confirmat, & roborat, verùm etiam congelatos in pristinum statum restituit, dolorem sedat, & rheuma desiccat. Tincturam enuloticam Cunradi Frommanni describit Grulingius, cujus vires summas esse fatetur in dentium mobilitate, & gingivarum putredine. Hanc etiam opiatam efficacissimam testatur Borellus ad dentium radices carne obducendas, dentesque firmandos, & dealbandos. Conficit autem illam ex modico aluminis in uncia una olei sulphuris, adjectis conditurae florum buglossi, vel rosarum unciis sex. Mox deterso dentium tartaro ope scalpelli lignei opiatam prædictam admovet. Præstat itidem aqua descriptione Portæ ad dentes confirmandos, qua mobiles stabiliri, & exesos carne repleri ait. Verumtamen ad gingivas tumentes, & fundentes sanguinem, efficacissima est tinctura gummi laccæ, quæ ità fit: *Aq. distill. fol. salviæ, & quercus singul. unc. vj. phlegmatis vitrioli, & aluminis singul. unc. iv. gummi laccæ ex bacillis elicitæ, & pulv. dr. vj. aluminis crudi dr. ij.* Mista detineantur in digestione per hor. 24. posteà per chartam emporeticam filtr. & tinctura ad instar Rubini servetur pro collutione. At verò ad dealbandos dentes præstabit pulvis subtilissimus coralliorum, aluminis, nitri fixi, & lapidis pumicei præparati. Sed longè efficacior est spiritus nitri rectificatus, si eo dentes, (intactis tamen gingivis) gossipio ad fastigium styli alligato detergantur. Firmandis quoque, & dealbandis dentibus optimum dicitur oleum vitrioli à Montano, & Foresto, si nimirùm eo dentes refricentur; sed aliquoties in usum relato, exitus acta non probavit.

Consult. 72.

Florileg. Medic.

Cent. 2. obs. 65.

Vermes denique dentium radicibus hærentes perimuntur decoctura corticum fraxini, & radicum urticæ, auctore Jo: Cratone. Et Thomas Bartholinus sibi à Rustico quodam Empirico communicatum refert mirabile remedium ad vermes extrahendos, & dolores mitigandos: nempè sevum cervinum linteo exceptum, ad ignem liquatum, & gingivis impositum. At mirabilius, & præsentaneum magis remedium ad necandos dentium

Consil. 8. lib. 5. Cent. 3. hist. 96.

tium vermiculos erit, quod paratur ex seminibus hyoscyami simul commistis cum cera citrina liquefacta, mox etiam in globulos redacta: quibus deinde in prunas injectis, excepto intereà exinde hianti ore fumo, vermes enecti decident, & dolor dentium momento temporis sedabitur, ac desinet.

DE AFFECTIBUS ORIS, Gurgulionis, & Tonsillarum.

PRæcipuè ori accidunt ulcuscula quædam serpentia per palatum, & linguam, infantibus potissimùm periculosa, quæ Græcis Aphthæ, Arabibus Alcolæ dicuntur. Mandendis, deglutiendisque cibis impedimento sunt, & in adultis, si cum febre copulentur, lethum minantur, cùm præsertim nigra apparuerint, & partes ori interiores petunt, ac depascuntur.

V. Hipp. 3. prognost. Cels. lib. 6. c. 11. Æg. lib. 1. c. 10.

Fieri putantur in infantibus à lactis vitio, & à corruptis in ventriculo cibis; in adultioribus verò à degeneratis, pravisque succis, in palatum, & linguam corrivantibus; præsertim verò ab acidiori, aut salsiori lympha, aliove humore acriori reddito, & veneni erodentis instar corrumpente: quamobrem in pessimis febribus, & in graviori lue venerea, sæpesæpiùs erumpere consueverunt. Plerumque Anatome compertum est Aphthas in ore, & palato erupisse à vitio anteà contracto in glandulis ventriculi, Oesophagi; itemque in Thymo, pulmone, aliisque partibus adjacentibus, ab exedentibus succis, aut tumoribus malignis; unde & oris fœtor, posteà Sphacelus, ac tandem Coma, & mors irreparabiliter accidit. Cujus generis fortasse fuit morbus ille populariter grassatus per totum Regnum Neapolitanum circa annum Domini 1618. ac deinceps per plures annos: quo scilicet pueri ex Angina, & Aphthis malignis, innumeri, præsertim comatosi, supremum diem obierunt.

Curatio in infantibus, nutricum, & lactis mutationem, vel correctionem expostulat. Lac pariter per intervalla parcè exhibeatur, ut scilicet melius digeri possit ab infante. Intereà verò ulcuscula tangenda, & abluenda præcipiunt cum diamoro, decocto hordei, succo malorum punicorum, & melle; nec non syr. myrtino, rosar. rubrarum, rhodomelle, cum aqua plantaginis, & modico spiritus chalchanti, decocto saturejæ, veronicæ, nucum cupressi, & gallarum immaturarum, quarum decoctum commendat Aetius ex Asclepiade cum pari mellis portione. *In Ephem. Ger. Anni* 1 *v. obs.* 82. præsentaneum remedium dicitur oleum raparum saccharo dilutum.

Adultiorum verò ulcera, præter ea, quæ causam abscindunt, acutioribus remediis tractanda. Quare oleum vitrioli, spiritus ejusdem philosophicus, aut spiritus sulphuris per campanam elicitus, vel etiam fuliginis, salutares existimantur, si nimirum his ulcera repurgentur. Approbat in hunc usum Sennertus aquam ex ærugine æris, alumine, vitriolo, & minio, in vino, vel aqua ardente. Sal prunellæ in decoctura radicis tormentillæ, corticum malorum aureorum, & betonicæ, solutus, laudatur à nonnullis; atque ab aliis mel cum tartaro, & alumine mistum. Phlegma vitrioli, & tinctura florum aquilegiæ, & rosarum punicearum prodesse quoque dicuntur, nec non tinctura laccæ, & aqua corticum nucum viridium. At verò, si consequantur Scorbutum, vel veneream luem, peculiaribus, & propriis remediis adversùs hos affectus egebunt, de quibus

bus suo loco; sicuti & quæ cum malignis febribus conjunguntur. Speciatim autem in Aphthis ex lue venerea, & scorbuto, efficacissimam existimat Hartmannus suam aquam viridem *capite de Ozæna* descriptam; & alteram viridem Plateri ex ærugine æris, & auripigmento in vino paratam: quas apud utrumque vide.

Laxatur sæpissimè Gurgulio, & linguæ superincumbens vocis modulationi incommodat, ut in catarrhis; atque adstringentibus, siccantibusque remediis in pristinum situm restituitur, præsertim gargarismo ex decocto rorismarini, rosarum punicearum, plantaginis, uvulariæ, baccarum myrtearum cum dianuco, vel diamoro; itemque pulvere ex pipere longo, corticibus myrobalanorum, tormentilla, alumine usto, bolo Armenia, & similibus. Fermentum capiti adhibitum cum succino, & spiritus vini purus optimè confert, ex Friderico Hofmanno. Suffitus etiam ex mastiche, gummi Animæ, balsamo Peruviano, & Tolutano, pulvere nicotianæ, rorismarini, betonicæ. Piperis contactus quoque prodest ex Borello.

Cent.3. obs.84.

Quandoque etiam inflammatur Columella, & unà simul tument, rubent, & dolent Tonsillæ à confluxu lymphæ acrioris, tenaciorisque, unde deglutiendi, & respirandi difficultas accidit, non sine suffocationis periculo, non secùs ac contingit ex Angina: Ipsis namque tumefactis Isthmus, seu faucium semita impeditur; quamobrem Tonsillæ istæ Paristhmia solent appellari. Neque solùm inflammantur, sed aliquando etiam ulcerantur, præcipuè in venerea contagione infectis, atque hinc nedum loquela læditur, sed & phthisis periculum imminet, delabente per tracheam humore vitioso in pulmonem, ut nonnullis creditur; vel pari vitio pulmonibus affectis, quo Gurgulio corroditur, & Tonsillæ exulcerantur.

Harum inflammationi occurrere adnituntur gargarismis ex aqua plantaginis, sale prunellæ, diamoro, dianuco, syr. rosf. rubr. decocto gallarum immaturarum, corticum punicorum, nucum cupressi, tamarindorum, & similium. Optimum ad Tonsillas inflammatas remedium esse scribit Borellus, *si terra sigillata tangantur*; vel in jusculo sensim illa deglutiatur. Efficax ab aliis dicitur nitrum fixum, & saccharum Saturni in aqua plantaginis solutum pro gargarismo. Alium conficit Jo: Heurnius ad tumentes faucium glandulas, & bono quidem cum successu, ex decocto Argentinæ in cerevisia, vel in vino albo tenui. Et Riverius alium ex seminibus sinapis ad dr.j. aceto rosf. & saccharo albo singul. ad unc. j. cum unc. iij. aquæ.

Cent. 3. obs.84.

Ad cap.9 lib.5. Pathol. Fernel.

Cent. 4. obs.76.

Inflammatione autem ad suppurationem vergente, illam promoventibus utuntur, decocto violarum, glycyrrhizæ, passularum, hyssopi, zizyphorum, caricarum; similiter aqua mulsa, & syr. de althæa; admoto extrinsecùs cataplasmate emolliente, & laxante. Rupto apostemate adhibent aquam mulsam pro gargarismo; vel aquam hordei, scabiosæ, & betonicæ cum melle rosf. vel decoctum radicis iridis, dictamni, & hyssopi cum terra Armenia, vel vinum austerum, in quo myrrha elixa sit cum modico balsami Peruviani. Ex Hartmanno decoctum veronicæ, & mellis, in aqua simplici; itemque decoctum saturejæ cum vino ejusmodi ulcera perfectè sanant. In ulceribus verò fœtidis, & putridis commendantur aquæ virides suprà memoratæ, etiam si ex lue venerea illa processerint, contactis nimirum cum aquis prædi-

ctis

ctis ulceratis partibns, deindeque convenienter ablutis, & abstersis. Quod si neque his cesserint, & Uva præsertim marcida, & corrupta appareat, præstabit illam rescindere: cujus opus petendum ex Ægineta *lib.6.cap.31.* Aetio *tetrab.2.ser.4.c.41.* Hildano *cent.2. obs.21.* Fabritio ab Aquapendente *de Oper. Chirurg. hoc loco*, Sculteto *in Auct. ad Armam. Chirurg. pag.5.* aliisque.

DE ANGINA.

CUm inflammatio penitiores oris partes occupat, & fauces, ac guttur afficit, majoremque degluttiendi, & respirandi difficultatem parit, cum acuta febre conjunctam, ægrotantes veluti strangulari videntur, & Angina hic morbus dicitur, ab ἄγχω, quod idem est ac suffoco, & strangulo.

Quamvis autem è Græcis Authoribus nonnulli differentiam fecerint inter Κυνάγχην, & Συνάγχην, quòd illa (ut adnotat Sennertus) canum per æstum sitientium more, patientes cogat amplo hiatu, & exerta lingua spirare, adeòque gravior sit; hæc verò à suibus simili passione correptis deducta, levior; Galeno tamen ejusmodi differentia inutilis existimatur, cùm etiam Hippocrati, & vetustioribus commune fuerit utrumque confundere. Verum tamen est, anginam propriè intelligi inflammationem illam, quæ musculis gutturis, & gulæ accidit; unde angustia fit in ductibus aeris, & cibi: quare si aliæ adjacentes partes inflammationem subirent, notha angina diceretur, sicut quæ ab alio tumore, quàm ab inflammatione, contingeret, ut plerumque in catarrhis fieri solet. Hanc autem diversitatem, vel ab ipso Hippocrate colligere licet, qui *6. epid. sect. 7.* inquit: *Aliquibus fauces inflammatæ sunt; quibusdam anginæ obortæ*: 2. etiam *de morbis* plures anginæ differentias constituit, quas ab aliarum partium, quàm à musculorum gutturis, inflammatione deducit.

3. progn. 18. & 4. de rat. vict. t. 30.

Alii præterea ab affectis musculis tùm externis, tùm internis Gutturis, & Gulæ, alias anginæ differentias ex Galeno 4. *de loc. aff. c.3.* numerarunt. Si namque interni faucium, seu gulæ musculi inflammentur, συνάγχην; si verò externi παρασυνάγχην; sicut & κυνάγχην, si interni laryngis, seu gutturis musculi, ac παρακυνάγχην ubi externi fuerint inflammati. At has nominum distinctiones adeò contemnere visus est Galenus, ut dixerit tùm primùm homines res ipsas neglexisse, cùm nimio studio nomina quærere cæperunt. Quare concludit omnes affectus, qui huic loco, idest faucibus accidunt, si spirationem quoquo modo reddant deteriorem, ab ipso, scilicet Hippocrate, *Cynanchas*, idest anginas, nominari. Idemque confirmat 4. *de rat. vict. in acut. 30.* & 3. progn. 18. Meminit verò *c.4. de loc. aff. cap.3.* cujusdam anginæ ex luxatione vertebrarum cervicis ad anteriora, unde fauces comprimuntur, impediturque ciborum, & potuum ad stomachum transmissio: id quod potissimùm accidere potest ab ictu, aut casu, aliove simili. Hippocrates tamen *epid.2. sect.2.* refert, quibusdam hanc anginæ speciem accidisse; sed citrà cervicis à causa externa læsionem; quamobrem verisimile est à confluxu humorum vertebras fuisse luxatas, indeque læsas fauces cum gutture.

Animadversione autem dignum videtur contingere interdum cum ingenti difficultate respirationis, & sorbitionis alimentorum subitas suffocationes, nullo tempore fauces occupante, ut loquitur Hippocrates 4. *Aph.34.*

Aph. 34. adeòque latentes anginas dictas Aretæo, à tumore, & abſceſſu, in gangrænam deſinente, præſertim in glandula Thymo, ut obſervavit Riolanus, & nos nuperrimè experti ſumus in quodam juvene, qui ex gallica lue in maximam deglutiendi, & ſpirandi difficultatem inciderat citra tumorem faucium, aut colli. A pulmonis etiam abſceſſu ſimile quid ſe obſervaſſe refert Dodonæus: quamvis inter anginas id non audeat referre Sennertus.

Lib. 1. acut. paſſ. c. 7.

Anthrop l. 3. c. 13.

Obſ. c. 18.

Inflammantur muſculi faucium, & tumefiunt à ſanguine ibidem ſtagnante, aut vitio ſui, aut vitio earumdem partium: itemque à lympha non benè à ſanguine ſecreta, & à confluxu aliorum ſuccorum ſanguinis motum per eas partes impedientium. Immodici quoque clamores, aeris inclementiæ, vel auſtrinæ, vel aquiloniæ, tuſſes vehementes, violentique vomitus; cibi etiam auſteri, & adſtringentes, gelidi potus; itemque fungi, lepus marinus, atque planta illa, è Solani genere, quæ vulgò Italis *Belladonna* dicitur, aliaque id genus, quæ partes gutturis, & faucium exaſperare, & tumefacere, vel ſanguini præterfluenti impedimentum præbere poſſunt.

V. Hipp. de rat. vict. in acut. comm. 4. t. 30. & lib. de loc. in hom.

Vera Angina, ſicut à difficultate reſpirandi, & deglutiendi, atque inſpectione facilè innoteſcit; ita difficulter curatur, & ob maximam acutiem citò ægros ad interitum perducit: dicitur enim ab Hippocrate morbus lethalis, ex quo pauciſſimi evadunt: & rursùs quòd quinta, ſeptima, aut nona perimat. Idipſum confirmatur à Celſo, & à Galeno. Gravior autem eſt, cùm difficilem anhelitum affert, nullo tumore in faucibus apparente. Eo autem erumpente in collo, vel in pectore, ſalutare; niſi tamen eryſipelas intrò recurrat. Si verò malum è faucibus in pulmonem repat, intra ſeptimum interficit; ultrà hunc diem verò commutabitur in Empyema. Cæterùm ſi cum difficultate reſpirandi conjungatur oris fœtor, vel circa guttur, & fauces livor, aut albor appareat, ſphacelum arguit, & gangrænam; quam partium extimarum refrigeratio, pulſuum languor, & ſenſuum hebetudo, ac ſopor conſequetur; ut fertur accidiſſe poſt annum 1618. per totam ferè Italiam. Cavendum autem ne humor ex Angina ſuppurata in Tracheam, & pulmonem delabatur: is namque ſuffocationem afferre poſſet, vel ſaltem Empyema, & Phthiſim.

2. & 3. de Morb.

Lib. 4. c. 4

1. Aphor. com. 12. 4. Aphor. 34. 3. progn. 16. & in coac. prænot. 6. Aphor. 37.

7. Aphor. 49. & 3. progn. 18 & 29. 6. Aphor. 25. 5. Aphor. 10. & 3. progn. 20

Hippocrates ſicut variam pluribus in locis deſcribit Anginam à varietate partium affectarum, & ſymptomatum illam concomitantium; ita diverſam inſtituit curationem. Etenim *lib. 2. de Morbis* à craſſo phlegmate, & viſcoſa ſaliva tres Anginæ ſpecies memorans, ablutionibus, fomentis, & gargariſmis ex origano, naſturtii ſemine, ſatureia, apio, mentha, & nitro utitur. Deinde *lib. 3.* de Paracynanche agens, ſuffitum commendat ex hyſſopo, ſulphure, & bitumine, præter ea, quæ pituitam educant. Præterea *lib. de locis in homine: Angina*, inquit, *quam Cynanchen Græci vocant, à ſanguine fit, cùm ſanguis in venis, quæ in collo ſunt, compactus fuerit. Sic affectis, à venis, quæ in brachiis ſunt, ſanguinem detrahes, & ſimul alvum infernè ſubduces.* In idem ferè recidit *lib. de rat. vict. in acut. comm. 4.*

At Hartmannus potiùs ad vomitum moventia, atque imprimis ad aquam benedictam, confugit, præſertim ſi febris urgeat: ſic enim ait inflammationem cedere, & apoſtema rumpi. Si his locus non ſit, devenit ad ſuccum è cancris vivis, & ſedo majori expreſſum; vel ad aquam *Cantz-*

meyra-

meyranam è fcedo majori, & sale ammoniaco per destillationem elicitam; vel ad gargarismum à seipso descriptum *cap. degustu abolito, & depravato*. Verùm advertit Cardilucius, haec potiùs ad nigredinem, & scabritiem linguae curandam pertinere: quamobrem ipse alia proponit, atque praeter aquam benedictam Rulandi ad vomitum provocandum, pro gargarismo utitur non repellentibus, sed potiùs foras evocantibus, ex spiritu vini, urinae, vel salis ammoniaci; adhibitis exterius relaxantibus, & emollientibus; ac deinceps ad rumpendum apostema, exhibet succum expressum nasturtii hortensis, vel aquatici, mistum cum quarta parte aceti, & tantillo olei olivarum, & salis communis ad cochleare unum, vel alterum, saepiùs per vices repetendo. Ipse verò Hartmannus externè applicat emplastrum ex nidis hirundinum; atque internè rasuram dentis Apri, cinerem Cancrorum ustorum, & Hirundinum, immò & Noctuae: pariterque consolidam mediam, prunellam, uvulariam, cervicariam, mentham crispam, rubum Idaeum. Commendat insuper spiritum nitri in haustu aquae fontis calido, simul cum spiritu vini. Ac tandem in usum gargarismi salem ammoniacum permiscet, vel sal prunellae.

V. River. obs. 10. & 24. cent. 2. obser. 60. cent. 4.

Rasuram dentis Apri ad dr. j. cum oleo amygdalarum dulcium, & saccharo candido, praesentaneum remedium inquit esse Franciscus Valleriola; atque extrinsecùs cataplasma ex nidis hirundinum, decoctis in oleo chamaemeli, & liliorum. Ubi etiam magnifacit cinerem crematarum hirundinum ad dr. j. assumptum cum hydromelle, vel etiam illitum, ex Dioscoride, & Galeno. Ex iisdem nidis aliud cataplasma conficit Deckers *ad praxim Barbettianam*: & aliud Forestus *in observationibus*: atque aliud Amatus Lusitanus, & Platerus. Sed suum prae caeteris extollit Adrianus à Mynsicht, qui plures etiam gargarismo in eundem usum describit, & celebrat.

Obs. 10. lib. 2. Obs. 10. lib. 6.

Sennerto prodesse dicitur fungus sambuceus elixus, ac sumptus, & foris etiam impositus, praeter alia, quae ex aliis approbat. Lib. 2. pract. p. 1. c. 24.

Solo decocto radicis Althaeae, caricarum, & zingiberis cum quadrante vini, ubi agaricum fuerit maceratum, se illustrem Mulierem angina correptam sanasse testatur Jacobus Dovynetus. Lib. 3. Apolog. c. 1

Apud Scultetum describitur Gargarismus, qui in omnibus anginae speciebus, cùm in principio augmenti fuerint, maximè commendatur, si eo fauces saepiùs colluantur. Componitur autem ex pulveris sinapis scr. j. ss. aceti acerrimi unc. j. aquae plantaginis unc. iij. sacchari albissimi dr. ij. Obs. Chirurg. 32.

Pulverem stercoris canini effert Valleriola ex Galeno, Aegineta, & Avicenna. Et Fridericus Hofmannus, hirundinum, anserum, columbarum fima, in quibus sal nitrosum delitescit. Lib. 6. obs. 10. In Meth. Med.

Alii commendant succum nucum viridium expressum, ac depuratum, aut quod ex illo componitur rob, & extractum: At saepè salutare experti sumus hypericum, & papaver rubrum, praesertim verò utriusque extractum, & sal, cum stibio diaphoretico, ter, aut quater exhibitum; atque extrinsecùs cataplasma ex caricis decoctis cum oleo chamaemelino, & croco.

Amuletum tandem creditur filum sericum purpureum, quo vipera fuerit strangulata, collo circumductum ex Galeno, & Thoma Bartholino: itemque Bufo, seu Rubeta cocta, & instar emplastri adhibita ex Cardano. Cent. 5. hist. 72.

no. E Territorio Aletino advehuntur lapides quidam oblongi, rotundi, recta excavati, ac pertusi, qui collo gestati, ut asperam arteriam contingant, feruntur ab Angina certissimè præservare.

Ad Tumores verò colli, & cervicis referuntur Strumæ, & Scrofulæ; ac qui speciatim gutturi accidit, Bronchocele dicitur. Fieri putantur ab humore lento, & glutinoso, sua vesicula concluso: neque in collo, reliquoque corpore erumpere dicuntur, nisi primùm Mesenterium occupaverint, ut cum Guidone, & Ingrassia testatur Jo: Riolanus *lib.2.Antrop.cap.15.* unde solutu difficiles illæ evadunt. Fatentur tamen plerique eas curatas tam facilè, ut admirationi fuerit. Sic Panarolus asseverat se vidisse brevi tempore, & faciliter deletas Strumas non alio medicamento, quàm aloe, si nempè ipsius folia, præsertim æstate, sub cineribus calidis aliquantulum detenta, per longum, & medium dissecta, super illas quotidiè apponantur. Et Helmontius unico mense, prægrandes evanuisse vidit hoc remedio, quod habet: *Spong. mar. in carbonem combustæ unc.iij. ossis sepiæ usti, piperis longi, zingiberis, pyrethri, gallar. sal.gemm. calcis testar.ovorum singul. unc.j. M.hæc cum aqua stillat. ex præfatis spongiis, & exic. paulatim. Cape deinde hujus pulveris dr.ß. cum Sacchari semiuncia, decrescente luna, ut paulatim liquatus deglutiatur; vel fac illinctum, & Bocium disparebit*, inquit idem Auctor. Subdit insuper alios defectu spongiæ sumere pilosam excrescentiam, seu lanuginem sylvestribus rosetis innascentem, atque hujus pulvere feliciter uti. Commendat pariter hoc unguentum, quod ita parandum monet: *ol. laur. unc.viij. olibani, mastich. gumm. arab. resinæ abiegn. singul. unc. iij. destilla, tùm iterùm destilla cum cineribus clavellatis.*

Obs. 22. Pent. 4.

Tartar. non in potu.

Alium pulverem non valdè dissimilem describit ex Arnaldo Villanovano Sennertus, & P. Barbette, quem conficit ex cineribus spongię mar. oss. sepiæ, piper. long. cinnam. sal.gemm. pyrethri, nuc. cupressi, gall. cortic. quercus, flor. ros. rubr. singul. ad unc. ss. exhibet verò ad scr. ij. vel dr. j. Et Deckers commendat spiritum salis ammoniaci internè, & externè. Et Rulandus oleum sulphuris calidè applicatum. Et Borellus oleum bufonum; atque è foliis chelidonii majoris, & nicotianæ. Et Scultetus oleum lacertarum viridium.

l.2.cap.2. Chirurg.

Curat.87 Cent.8.

Cent.4. obs.38.

Cent. 2. obs.67.

obs.31.

Ad Bronchocelem discutiendum efficax medicamentum est, quod habet herbæ Paronychiæ m. ij. bull. in 4. una cerevisiæ lupulatæ generosioris ad consumpt. med. Col. sit pro duabus dosibus sumendis bis in die, tribus ante, & duobus post novilunium, & plenilunium diebus, idque aliquot mensibus consequentibus sine ullo alio medicamento, servata tantùm convenienti diæta: Valet etiam ad strumas ulceratas.

V. Mayerne lib.1.cap 21.

Vim maximam inesse quoque scribit Boyle Paronychiæ folio rutaceo (quæ Bauhino est Sedum Tridactylites, seu Alsine petræa) cujus plantæ in cerevisia infusæ usu, paucis diebus, & sine dolore juvenem quendam hoc morbo graviter afflictum sanatum refert.

De util. philosoph. exper. p.1. s.2.

Similem opem præstare pulverem radicis Pentaphylli cum vino exhibitum, itemque filipendulæ, & agrimoniæ notat Forestus *lib. 3. obs. Chirurgic.* nec non etiam scrofulariam ex Matthiolo Platerus *lib.3.pract.* atque flores genistæ in pulverem redactos, ex quo electuarium cum melle rosaceo conficit Jo. Rajus ad scrofulas exper-

Observ. 11.cap.3.

Catalog. plãt. Angliæ.

expertum. Cardilucius *ad Hartmannum* parat sal pumicis, & tartari, cum sale gemmæ, atque eximium medicamentum esse dicit.

Obs. 38. Cent. 3. Fabritius Hildanus emplastrum describit ex pluribus simplicibus compositum, &, ut ipse inquit, efficacissimum. Obs. hinc inde decerpt. 10. Et Riverius cataplasma ex foliis cucumeris asinini: atque aliud Platerus *lib. 3. observat.* Et Martinus Ruland. coagulo lactis cum sero ad cataplasmatis consistentiam percocto utitur. Obs. 101. Zacutus verò ex radice Bryoniæ unguentum præparat additis terebinthina, & cera, quod numquam fallere ait *lib. 1. prax. admir.* Thomas Bartholinus demùm hæc de Cent. 3. hist. 66. strumis scribit: *Homines fide digni observarunt strumas, aliosque tumores aboleri, si pars affecta affricetur ad manum cadaveris humani: ita enim sensim evanescere tumores, prout sensim putrescit cadaver: quòd tardiùs hyeme, citiùs æstate contingit.* An autem id verum sit, experiatur qui velit.

Expertum autem ad strumas pluries est nostratibus linimentum hoc ex L. Jouberto, quod recipit: Foliorum Nicotianæ lib. ij. axungiæ porcinæ recentis diligenter lotæ lib. j. succi Nicotianæ unc. vj. Folia primùm sint infusa cum axungia, deinde addatur succus, & simul decoquatur lento igne quousque superflua humiditas fuerit absumpta; mox fortiter exprimatur, & expressæ axungiæ addiiciantur resinæ pini liquefactæ unc. iv. & ceræ citrinæ, quant. satis, tandem factam colatura superaddantur radicis Aristolochiæ rotundæ pulver. unc. ij. & mistis simul f. linimentum. In Theatro chimico vol. 1. Emplastrum quoque proponit Penotus, quo præstantius aliud non inveniri ait, valdè simile fodicationum paracelsi, illudque ne dum ad strumas, sed etiam ad cancrum curandum summopere commendat.

Ad strumas prætereà apertas mirabile dicitur unguentum à Fabritio ab Aquapendente descriptum quod tale est: *Olei laur. unc. j. ceruß. pulver. & aqua vitæ lævigat. unc. j. alum. rupei unc. ß. sal. comm. dr. ij. m. & f. unguentum.* L. 1. p. 2. cap. 29.

Cæterùm in glandularum tumoribus quibuscumque dissolvendis major fides præstanda medicamentis ex mercurio paratis, diaphoresim tamen moventibus; sicut & suffimentis ex cinnabari, vel factitia, vel Antimonii; servata interim convenienti diæta. A cerussa etiam Antimonii descripta ab Angelo Sala ad mensem integrum, & ultra assumpta, atque ab emplastro de ranis cum Mercurio, & emplastro de spermate ceti extrinsecùs admoto, opem maximam sequutam aliquandò ipse expertus sum. Et hactenùs de morbis capitis.

DE MORBIS PECTORIS.

Pectus, seu Thorax inter claviculas, & septum tranversum comprehensus, costis, & musculis ex utroque latere, atque anteriùs Sterno, posteriùs spina firmatur ac circumscribitur, interiùs circumvestiente membrana, quam Pleuram à costis, atque ab officio dividendi Thoracem in duos ventres, dextrum, & sinistrum, è Sterno in spinam, Mediastinum Anatomici vocavere. In ejus autem cavo, utrinque Pulmo in lobos distributus, pendulus in hominibus, at hærens dorso in avibus, reconditur. In sinistro verò latere cor suo circumductum Pericardio, quod Mediastini propago est, in orbem expansi, nonnihil ad lævam propendet. Harum ergo partium ægritudines, curationesque deinceps describemus.

DE AFFECTIBUS PULMONIS.

Et Primò

DE ASTHMATE, DYSPNOEA, & Orthopnœa.

IMpeditur in his affectibus respiratio, quæ in Dyspnœa est difficilis, in Asthmate difficilior, in Orthopnœa demùm difficillima fit, ut propterea ægri non solùm sicut in ceteris anheli sint, sed nonnisi erecta cervice respirare possint. Ejusmodi verò anhelatio sine febre esse debet; ex Galeno 6. *Aph.* 46. Porrò si cum febre sit aliam ægritudinem denunciat. Cap.8. & u t.

Contingunt isti affectus pulmoni ex eodem Galeno 4. *de loc. aff.* ob crassos, lentosque succos ejus bronchia obstruentes, vel comprimentes; itemque serosos per pulmonis substantiam diffusos; necnon calculos, grandines, atque abscessus ibidem progenitos, ut alii ex cadaverum sectionibus detexere. At Sylvio lubet à flatibus, vel halitibus in tenui intestino ex pituita per bilem rarefacta, & extenuata citatis, & partim per ventriculum ad os elatis, atque cum aere inspirato commistis, partim etiam per lacteas venas, ductumque Thoracis ad venam cavam, dextrumque cordis ventrem in pulmonum vasa translatis, ac motum eorundem impedientibus, causam istius anhelitus deducere, tum aliquando etiam à pituita tenaci à capite in pulmones delabente. Prax. lib. 1. c. 22. Addit insuper VVillisius, à fibrarum motricium spasmis, sine bronchiorum obstructione, compressioneve, Asthma, quod convulsivum ipse vocat, non rarò fieri; sive vitium sit in ipsis fibris musculorum, sive in ramis, & propaginibus nervorum, sive denique intra cerebrum juxta nervorum origines: quamquàm & aliquandò sanguis in orgasmum concitatus, aut à violento corporis motu, aliave causa evidenti, aut à simili in eodem contracto vitio, anhelationem ejusmodi afferre possit.

Aliter de natura, & causis Asthmatis philosophatur Helmontius. T. Asthma, & Tussis. Atque primùm diviso Asthmate, in Muliebre, ex solo uteri regimine dependens, & in promiscuum, utrique sexui commune; atque hoc iterùm, in siccum, & humidum: in illo arbitratur pulmonem in suis poris constrictionem, ac veluti convulsionem subire, ab Archeo inquinato; quamobrem caducum pulmonis appellat; in hoc verò pulmonem affici ob vitiatam in ipso coctionem, propriique alimenti corruptionem; unde vomica, phlegma obstruens, pluresque putredines mucosæ suboriuntur. Procedere autem putat ejusmodi affectionem à duumviratu, ventriculo scilicet, & liene, ubi mali fomitem constituit: non enim ait fore repetiturum, aut perseveraturum, nisi stabilem radicem in horum viscerum duumviratu egisset. Hinc Asthma à semine virulento ortum existimat, cujus sit poros pulmonis contrahere, pari modo, quo cantharidum venenum vesicam urinariam lædit; licèt radix mali insideat, undè regimen corporis promanat. Atque hinc etiam Fossores, & Fusores metallorum, præcipuè Mercurii, & Cinnabaris, Asthma facillimè incurrere advertit, quia inspiratum Gas, ut ipse vocat, cum aere, canales laryngis vitiat in ultima digestione, unde haudquaquàm proficit alimentum, sed totum degenerat in excrementum, secundùm conditionem fermenti transmutantis; quo detento præfati canales clauduntur. Sic quoque ingens frigus Asthma parere subdit, quia digestio-

gestionem ibidem perdit. Quare remedia Asthmati sicco deberi ait, quæ epilepsiæ inveteratæ; confortantia verò, & restaurantia pulmonem, ejusque custodem, exquiri, pro Asthmate humido, ut sunt anodynum saccharinum sulphuris, fumus sulphuris accensi, laudanum opiatum paracelsi, elixir proprietatis ejusdem, & præcipitatus diaphoreticus ab eodem Helmontio descriptus.

Cap. 14. de febr.

Nicolaus Chesneau consideratis primùm instrumentis respirationi inservientibus, latiùs causas læsionis illius pervestigat, atque impediri respirationem ait, si pulmones, ejusque ductus obstruantur, aut graventur, materia crassa, & glutinosa, flatibus, crudo tuberculo, abscessu; si inflammentur, aliòve tumore afficiantur; si vulnus, vel ulcus subierint; si exiccationem, extenuationemque contraxerint ab ortu, veneno, febre ardente, pulvere, fumo metallorum; si ex aliqua ægritudine membranæ costas succingenti adhæreant; si denique à pure, aliove humore pectoris capacitas occupetur, inhibeaturque, tum pulmonis, tùm diaphragmatis, totiusque pectoris motus. A musculis verò præsertim Thoracem dilatantibus alias respirationis læsiones deducit, putà si secti, tumefacti, inflammati, aliterve affecti illi fuerint. A spiritibus denique animalibus respirationem quoque offendi, insinuat; si deficiant, ut in morituris; si non influant propter cerebri affectum, ut in apoplexia, vel propter spinalis medullæ obstructionem, & vertebrarum luxationem. Quidquid insuper motui diaphragmatis impedimento est, nempe flatus in abdomine; aquosus humor in hydrope; tumens ventriculus à cibis, atque ab humoribus jecur, lien; intestinorum inflatio, uteri affectus; Cæterorumque viscerum in abdomine contentorum, necnon musculorum ejusdem, & humerorum, brachiorumque dolor, tumor, aut alia quævis affectio gravis respirationem incommodat, & turbat; sicut & aer nimiùm calidus, crassus, pulverulentus, vapore maligno imbutus, ut in fodinis metallorum, pulvere calcis, & gypsi, terrarumque quarumdam fossilium. Quarum omnium causarum in suas classes distinctarum schema exhibet.

Lib. 2. obs. c. 1.

Sed non tàm facilè quis omnes læsæ respirationis, & Asthmatis causas in certas classes retulerit? adeò variæ sunt, & innumerabiles, quemadmodùm sectionibus cadaverum sæpiùs innotuit. Anhelationes accidisse ex coalitu meatuum, seu pororum pulmonis, ejusque extenuatione, & humectatione, corrugatione, & duritie; à pseudopolypis, calculis, tuberculis, vomica, flatibus, sero, pure, itemque à vitio adjacentium partium, pericardii, pleuræ, mediastini, arteriæ, aortæ, thymi, aliarumque, tùm in pectore, tùm etiam in imo ventre contentarum, dignoverit, qui Medentium, & Anatomicorum de hac re observationes perlegerit, quas magna ex parte memorat Bonetus *lib. 2. Anat. pract. sect. 1.* & nos aliquandò observavimus prætumidum ex aqua liquati glutinis laxioris instar, universa sui substantia repletum pulmonem, unà cum tumidiori, durioríque jecore, ac liene in quodam ex sicco Asthmate extincto, qui in cæteris visceribus, totoque corpore, tabidus jam pridem vixerat. Alii tam frequens, & gravis anhelitus accidit, ut totus imus venter, & Thorax quàm maximè intumeret, postquàm intra paucas horas expirasset, nulla manifesta viscerum læsio visa est. Hinc non immeritò à plerisque siccum Asthma inter affectus Spasmo-

dicos recensetur. Quamobrem licèt quæ relatæ sunt causæ frequentiores esse consueverint, alias tamen, & alias plures adesse, quæ hactenus occultæ jacuerunt, ex nuper dictis probabiliter conjectandum.

Atque hinc etiam fit, quòd quamvis sæpissimè constet de Asthmate, & Orthopnœa, haud tamen, undè difficilis hæc respiratio proveniat, notum sit. Indicia, quæ proponit Galenus 4. *de loc. aff. cap.* 7. universam causarum seriem neque explent, neque explanant; immò adeò dubia sunt, ut sæpissimè pro alteris alteræ accipiantur, undè non modò in dignotione, sed etiam in curatione error maximus insequitur: quare solertissimum Medicum res hæc expostulabit.

V. Gal. 2. Aph. cõ. 40. 4. de loc. aff. c. ult. de Antipatro Medico, & Hipp. 2. de morb de repleto pulmone.

In Prognosi verò minus errare contingit, cùm cujuslibet generis respirandi difficultas non facilè medicamentis etiam efficacissimis cedat; quin immò ægrotantes ad mortem usque comitatur, & ferè repente è vivis eripit, præsertim qui gibbi ex Asthmate fiunt, ut dicitur 6. *Aph.* 46.

Curationem horum affectuum Medici aggrediuntur per attenuantia, & expellentia materiam pulmones occupantem, quam ipsi plerùmque crassam, viscosamque existimant. Sed si multiplex, & varia potest esse causa, procul dubio varia quoque expostulabitur medicamentorum exhibitio. Aliter enim operandum in tumoribus, tuberculis, lapillis, & similibus in pulmone contentis; & aliter omninò cùm aliundè respirationis læsæ causa suppetit, ut superius notatum est. A materia tenaci, ac viscosa inductum Asthma vomitum validè moventibus curari testantur præ cæteris Horstius, & Rulandus; ille quidem syr. emetico; hic verò aqua benedicta ad unc. j., cui consentit etiam Hartmannus. Rulandus prætereà *curat.* 8. *Cent.* 6. præmisso vino emetico, exhibet pulverem compositum ex *card. bened. & sinap. sylvestr. singul. scr. ij. piper. longi scr. j. fol. sen. mund. dr. ij. anis. scr. ß.* ad dosim scr. ß. usque ad dr. j. per singulos dies manè, & vespere cum vino albo, vel jusculo, ad morbi declinationem usque: his enim plures pristinæ, integræque sanitati fuisse restitutos asseveranter affirmat. Alii verò potiùs purgantibus insistunt ex agarico, carthamo, aloe, jalapa, tartaro, & similibus; quin immò in difficultate spirandi non esse formidandam etiam frequentem, & magnam purgationem consulit Guil. Ballonius. Præ cæteris efficacissimus dicitur pulvis asthmaticus purgans ejusdem Rulandi, qui fit ex *fol. card. bened. & cartham. singul. dr. ij. piper. long. dr. j. fol. sen. mund. & rad. ari exicc. singul. dr. ij. anis. dr. ß. diagrid. scr. j. Hæc in pulv. subtiliss. redacta divid. in xij. partes æquales, ac per sex dies continuos exhib. singulatim pars una manè jejuno ventriculo, pars altera vespere cum vino albo, vel jusculo.*

De pharm. obs. 3. l. 10. Cent. 7. cur. 85.

Lib. 2. epid.

Cent. 6. cur. 8.

Describitur etiam à Cardilucio *in Hartmannum* potio cathartica, præmisso tamen syr. tenacem materiam incidente, ex radice iridis, glycyrrhizæ, enulæ campanæ, quem mirabilem ipse prædicat.

Commendantur prętereà ab Hartmanno flores sulphuris, ipsumque sulphur vivum; itemque aqua stillatitia ex fructibus Rubi cum Rob nucum sumpta; & succus radicis Ireos, ejusque fæcula. In Asthmate à crassa, & viscosa materia linctum Gesneri optimè contulisse testatur Achilles Gasserus: conficitur autem ex *sulphur. pulver. & sæpissimè cum aq. tussilag. lot. unc. j. & diapenid. unc. viij.* Et Hieremias Martius quendam Obs. 11. Obs. 92.

diutur-

diuturno asthmate curatum fatetur aqua salis ammoniaci, quam parat hoc modo: *fol. semperviv. xx. aut xxx. contund. in mortario, affuso modico aq. fontis, col. cum expreß. & add. sal. ammoniac. scr. ij.*

Idem etiam præstare dicit spiritum ejusdem salis ammoniaci: Sed & spiritus C. C. occlusos pulmonum meatus mirè expedit, sicut & spiritus salis ammoniaci ex tartaro paratus, atque ad guttas aliquot exhibitus cum hydromelle jejuno stomacho, aliove simili liquore; nec non flores ejusdem in pilulas redacti. Radix Ari in vino albo excocta pondere semiunciæ, cum loch de pino, vel cum syr. de hyssopo eclegmatis modo exhibita paroxysmum asthmaticum mirificè sedare dicitur à Jo: Zecchio. Efficacior verò creditur Ari fæcula cum floribus sulphuris in syr. Nicotianæ, vel Hispidulæ ab Horstio. Flores rorismarini, atque in defectu horum, folia, si coquantur cum vino optimo, & melle ad dimidiæ partis consumptionem, capianturque ante somnum, Asthmati mirè conferunt, & vocem clarificant, ex Borello *cent. 4. obs. 46.* In septuagenario ex multis annis Asthmate affecto, ut vix spiritum ducere posset etiam erecta cervice, atque hianti ore continuò sterteret, hæc plurimùm contulisse expertus est Riverius *cent. 3. obs. 21. Aq. cinnam. unc. ij. oxymell. scillit. unc. j. m. & crebrò ad cochleare exhib.*

Conf. 45.

Lib. 5. obs. 32.

V. etiam C. 3. obs. 8.

Itemque *radic. enulæ campan. saccharo conditæ dr. iij. sacchari caodidi unc. ß. syr. de hyssop. unc. ij. gumm. ammon. aq. vitæ dißol. dr. ß. m. ad formam loch. & manè, ac vespere cochlear. j. sensim sumendum.*

Nunquam fallax remedium inquit esse Philippus Grulingius hanc potionem, eamque tanta efficacia à suffocatione patientes liberare, ut præclarius remedium ipse non viderit. Paratur autem ex *ammoniaci dr. ß. aq. hyssop. unc. iv. vini Rhen. unc. ij.*

Pract. l. 2. p. 2. c. 1.

Ab Helmontio magnifit elixir proprietatis, cui addit memoratus Grulingius aquam tussilaginis, vel hyssopi.

T. Injecta, & recepta.

Apud Hertodium Arcanum dicitur decoctum radicis Ireos addito croco ad scr. ß. & moscho ad gr. iij. Et in Asthmate puerorum certissimum experimentum affertur infusio millepedum in vino cum croco, & cinnamomo, addito modico sacchari candidi: ut & spiritus ex viride æris, & gummi ammoniaco destillatus, ac cum croco purior, & efficacior effectus.

In Crocol.

Spiritum vini cum junipero, & croco conficit, & commendat præ cæteris Mynsicht; necnon species diasulphuris.

Armam. medico-chym.

Ex Horatio Augenio recipiunt, & salutarem prædicant Platerus, Sennertus, Riverius, VVillisius, aliique, syrupum Helenii, & Peti: ex quibus alii extractum parant longè efficacius.

Tom. 2. lib. 4. epist. ult. de aff. pect. c. 4. v. Plat. l. 2.

Pulvis Asellorum, seu millepedum in olla donec albescant præparatorum, melle exceptus, & ante, & post cibum asthmaticis exhibitus ad cochleare certò curabit.

Valet in Horst. ex Heurn.

In usu est apud plerosque jus Galli veteris alvum solvens descriptione Victorii Faventini: quod tamen improbat Septalius *lib. 6. Animadvers.* quamvis postliminio vindicare nitantur Sennertus, & Riverius.

Ad difficilem respirationem à potu frigido inductam certum remedium statuitur Acetarium ex Bellide Mindereri: ejusque succo sanatum hunc affectum à D. Jo: Michael. memorat Fridericus Hofmannus *in methodo*. A fumo Mercurii efficax fertur cinnabaris antimonii, vel ejusdem sul-

Medic. Militar.

sulphur solare. Ex angustia pectoris mirabilis dicitur succus Bryoniæ, cujus præparationem, & usum tradit Hartmannus *in sua praxi*. Ex flatibus pulmones inflantibus, & distendentibus, pulvis Ari, ejusque fæcula ad scr. j. laudatur ab eodem Hartmanno. Cap. de Asthm.

Quæ ex aliis ægritudinibus accidunt respirandi difficultates, suis locis cum adjunctis medicamentis memorabuntur.

DE PERIPNEUMONIA.

QUemadmodùm cæteris visceribus, ita pulmoni nonnunquam accidit inflammatio, græcè περιπνευμονία vulgò pulmonia, à sanguine alicubi in illius substantia restagnante, atque è suis vasis effuso, vel etiam in exilibus ejus ductibus inhærente. Quandoque verò erysipelatis conditionem æmulatur hic morbus, cùm extima dumtaxat pulmonis superficies afficitur citrà ingentem inflationem: & non rarò etiam ab inflammatis musculis œsophagi, aut asperæ arteriæ, pariterque à phlegmone pleuræ, similem contrahit affectionem; unde pleripneumoniæ nomen apud quosdam emersit; immò & sæpissimè simul unà afficiuntur, inflammanturque pleura, atque ab ea ortum ducens mediastinum, & pulmones, saltem secundum alterutrum latus, ut experimentis anatomicis compertum est. At verò potest pulmo inflammari sine pleuræ affectione, sicut etiam pleura absque læsione pulmonis: & aliquandò ab unius inflammatione, sequitur inflammatio alterius. Quamquam non desint, qui acriter contendant ab inflammatione alterutrius lobi pulmonis, pleuritidem, non peripneumoniam exoriri, quæ utrumque inflammatum omninò consequatur. V. Hipp. de intern. affect.

Contingunt plerùmque ejusmodi inflammationes tempore hyemali à potibus gelidarum aquarum, & palustrium, à cibis acidis, & nutrimenti tenuis, quorum causa sanguis crassior, & glutinosior evadit, facilèque in exilibus ductibus subsistens. A subita etiam aeris mutatione è calido in frigidum, atque ab impedita perspiratione, sæpè fiunt pectoris, & pulmonis ægritudines; itemque ab anxia exercitatione in locis frigidis, & palustribus. Fertur quoque Lepus marinus nocumenta pulmonibus inferre, immò quandoque etiam cum ulcere. Accidit præterea, ut ab impedito lymphæ cursu, vel etiam à copia, & crassitie ejusdem, quæ in pulmones irruit, contingat peripneumonia; si videlicet illos expandere non permittat, atque sanguinis præterfluentis motum quoquo modo retardet, unde hærens ipse tumorem pariat phlegmonodem. V. Hipp. de aer. aq. & l. & 5. Aph. 24.

Cùm peripneumonia pleuritidem sequitur, credere licet translatione humoris è pleura in pulmonem, sortiri ejusmodi mutationem, vel etiam resoluto eo, qui pleuram occupaverat, ut in suos ductus promoto, similis humoris vitiosi depositionem, inhæsionemque fieri in pulmone pari noxa affecto. Neque enim novum est in hisce ægritudinibus, dolores vagantes excitari in variis partibus pectoris, ob acidum oberrans, ut loquitur Helmontius, quod in sanguine est, & varias partes feriens tandem hanc, vel illam acerbiùs infestat, & dolorem parit vel laterum, vel pulmonis, vel mistum ex utroque, ut in constitutionibus epidemiis non rarò observatum est, præsertim ex nivibus solito abundantioribus, & à ventis borealibus diutiùs perflantibus. Hipp. 7. Aph. 11. & in cō. Gal.

Hanc verò tradit Galenus differentiam inter eam, quæ in pleura, & 4. de caus. puls c. 12.

quæ

quæ in pulmone fit, inflammationem: quòd in priori sanguis magis tenuis, & biliosus sit, qui scilicet subire queat angustas illius membranæ vias; crassior verò in posteriori, cùm tenuis, & biliosus sanguis in rara, & laxa pulmonum substantia non adhærescat. At Hippocrates indiscriminatim fieri posse peripneumoniam à quocumque humore asserit: etenim *lib. de internis affectionibus*, à bile, & sanguine pulmones affici posse docet; necnon etiam à phlegmate, vel simplici, vel salso. Et *lib.* 1. *de Morbis* inflammari pulmonem ait, ex commota in ipsum bile, & pituita: quamobrem si lentus humor in pulmonum substantiam impingat, saltem in causa erit, sanguine in suo cursu retardato, ut inflammationem incurrat, quemadmodùm non raró ex Rheumate contingit. Hinc notat idem Hippocrates sępiùs huic ægritudini obnoxios fieri eos, qui palustres regiones accolunt, ob aerem justò crassiorem, pulmones sua natura spongiosos infarcientem simul, & corrumpentem.

De Aer. aq. & loc.

Quamvis peripneumonia valde affinis sit pleuritidi, & non raró altera alteram mentiatur; internoscitur tamen ab hac illa, quod respirationem longè difficiliorem adjunctam habeat, quam Hippocrates sublimem nuncupavit; dolorem verò obtusum potiùs, & gravantem. Anxietas, & jactatio ægros molestat, unde coguntur sæpiùs situm mutare, & elatiori cervice decumbere. Genæ rubent, lingua flavet, vel nigrescit cum siti, & sæpè etiam mens vacillat, ac delirat. Cæterùm in aliis conveniunt. Quæ autem afferuntur ab Hippocrate *in Coacis prænotionibus*, dignoscendi lateris affecti gratia, & num dexter, vel sinister pulmonis lobus, an uterque laboret, non tam certa sunt, ut aliquandò non fallant.

3. epid. s. 2. ægr. 7.

3. de Morb.

V. 5. epid hist. Hippostheris, & Holler. eo loco.

Peracutus hic morbus plus periculi, quàm doloris habet ex Celso; at cùm vigesimum diem transcenderit, vel desinit, vel vertitur in Empyema *lib.* 2. *&* 3. *de Morbis*, *&* *lib. de internis affectionibus*. Empyi verò redditi si natu majores sint, potiùs intereunt, quàm natu minores, cùm difficiliùs in illis pus reiiciatur ex 2. *prognost.* 69. retento etenim sputo, certò suffocati pereunt 7. *Aph.* 16. Sudores insuper circa cervicem, & caput oborti mali dicuntur Hippocrati, nisi urinæ multæ, & crassæ proruperint, & sputa cocta prodierint: itemque malum, si diarrhœa superveniat 6. *Aphor.* 16. si sputa flava excernantur 2. *progn.* 46. vel sincerè rubra 1. *Aph. comm.* 12. & si à pleuritide, vel angina contingat 7. *Aph.* 11. & 5. *Aph.* 10. sicut pariter si phrenitis succedat 7. *Aph.* 12. In melius autem abibit, si constantibus viribus abscessus fiant ad aures, aut ad partes thoracis inferiores, & in crura, *in Coac. prænot. &* 2. *præsag.* vel etiam urinæ appareant crassæ, & purulentæ; aut sanguis è naribus effluat, ex Aetio.

Lib. 4. cap. 7.

V. etiam 5. Aph. 10

De ration. Vict in acut.

Tetrab. 2. s. 4. c. 46

Ejus curationem explendam in praxi putant missione sanguinis, & catharticis levioribus ex manna, cassia, diapruno, rhabarbaro; mox etiam maturantibus, & sputum è pectore educentibus, præsertim hydromelle, syr. de hyssopo, de tussilagine, de zizyphis, de malis appiis, de althæa, cum decocto passularum, scabiosæ, pulmonariæ, radicis iridis, hordei, glycyrrhizæ, capillorum Veneris; externè verò linimento ex butyro, adipe anseris, & vervecis, cum oleo amygdalarum dulcium, chamæmeli, liliorum. Pro victu denique dulcia commendant, ab acidis autem abstinent, licet Hippocrates 3. *de Rat. vict. in acut.* oxymel perutile censeat in affectibus pectoris.

At Helmontius peripneumoniam, & pleuritidem certò curari ait pulvere ex virga Cervi, vel Tauri, cruore Hirci ex resectis testibus collecto, succo cichorii sylvestris, floribus papaveris rubri, & similibus.

Hartmanno vomitum moventia ab initio juvare dicuntur, præsertim aqua benedicta: eique inhæret etiam Cardilucius innixus authoritati Hippocratis 4. *Aph.* 18. dicentis *Dolores supra septum transversum purgatione indigere per superiora significant*. Verùm plura de hac re sequenti capite.

DE PLEVRITIDE.

VAldè affinis peripneumoniæ est pleuritis, quin aliquibus unus, idemque affectus visus est acutie solùm differens. Propriè autem significat inflammationem pleuræ, idest membranæ succingentis interiùs costas: cùmque supernè pulmones pleuræ, & mediastino alligentur, mutuòque coalescant (coaluisse autem omninò pulmones cum pleura, atque etiam dorso adhæsisse, ut in Avibus, Anatome in pluribus compertum est) fit proindè ut unius inflammationem alterius inflammatio aliquando consequatur, ac vicissim prædictæ partes afficiantur, & sicut anteriùs, ità & posteriùs ad dorsum: undè non raro morbus hic posticas pectoris partes excruciat. At si inflammatio intercostales musculos occupet, lateris dolor dicetur potiùs, quàm pleuritis, quamquàm vulgò notha pleuritis appellari soleat.

Pleuriticum hunc morbum plerumque comitantur febris acuta, & continua, dolor pungens, creber, & difficilis anhelitus, tussis molesta, & pulsus durus, ex Galeno 5. *de loc. aff. cap.* 3. & 1. *Aph. comm.* 12. Accidit autem ut aliquandò unum, aut alterum ex his deficiat, & pleuritis Medicos fallat, præsertim cùm peripneumoniam refert. Febris etiam, quæ sæpiùs una simul ægrotantem afficit, & invadit, quandoque post aliquod tempus subsequitur, & non raro multò anteà præcedit. Absque ulla respirandi difficultate bis, aut ter contigit pleuritidem observare, fortè quia inflammatio levis fuit, quæ modico sputo cruento salubriter desiit. Potest quoque tussis abesse, si lateris præcipuè sinistri posticam partem illa occupet. De pulsu duro, quem serratum dicunt, non est quòd multa addam, cùm jam à peritis commentitius censeatur.

Quemadmodùm antiquioribus vera, & legitima, à notha, & spuria, pleuritis distinguitur; ita illius causa, vel sanguis biliosus, & fervidus, vel crassus, & phlegmaticus putatur; & vel in pleura, vel in musculis intercostalibus compactus. His addunt flatus, si nimirùm in pleuram, vel in musculos thoracis irruant, illosque inflent ac tendant: quò ajunt respexisse Hippocratem 6. *Aph.* 33. cùm dixit: *qui acidum eructant, non valdè morbo laterali corripiuntur*.

At potiùs acido sanguini causam hujus ægritudinis attribuit Helmontius; si verò latex acescat, & in intercostales musculos decumbat, putat dolorem ad pleuram non pertinere, & sæpissimè esse à flatu: ejusmodi enim acore sanguini communicato, atque in pleuram effuso, spasmum quemdam induci, contractisque fibris apostema suboriri, sanguine ibidem coagulato: at verò acor hic in arterias, & venas per pleuram discurrentes effusus, pleuritidem, in vasa pulmonis, peripneumoniam efficit; unde concludit pleuritidem à peripneumonia nec causis, neque remedio differre. T. Pleura furens.

Ab

Ab acido insuper extra stomachum vagante, & sanguini, aut latici preter naturam commisto, in intestinis tormina, in lotio stranguriam, in ulceribus corrosionem, in pelle scabiem, in artubus podagram, & in aliis partibus consimiles ægritudines inferri opinatur. In hanc eandem sententiam alii plures inclinarunt; illamque Hippocrates innuisse visus est *præcitato aphorismo*: qui namque acidum eructant majori ex parte per os in halitus illud digerunt, & emittunt, sanguine immuni superstite.

Solet quandoque Pleuritis salubriter, & brevi desinere, cùm sputum cruentum, facilè, citòque comparuerit 1.*Aph*.12. aliquando verò in Empyema commutatur 5.*Aph*.8. & Phthisim affert. 5.*Aph*.15. atque in mortem desinit, si nihil omninò expuitur; dummodò sudor non superveniat, vel insensibiliter per poros corporis concretus humor dissolvatur, laxatis intereà fibris partium, ut aliquando mihi contigit experiri. Si prætereà lividum, viride, & fœtidum sit id, quòd excernitur, flavum quoque aquositati permistum, itemque glutinosum, & rotundum, malum dicitur. Si his accedat pulsus parvus, tensus, ac durus, signum omninò exitiale refertur à Galeno 4. *de præsag. ex puls. cap*.5. vel si diarrhœa superveniat *6. Aph*.16. aut *Peripneumonia*,7.*Aph*.11.*vel delirium, ut in prorrheticis*. Contra verò salutare signum ponitur fluxus sanguinis è naribus, non tamen in principio; facilis respiratio, sputum concoctum, & robur virium.

2. progn. 47. & 48. itemque c. 46. & 1. de rat. Vict. in acut. 37.

Cùm itaque Pleuritidem communiter Medici constituant Pleuræ inflammationem, illamque à sanguine dependentem; proindè sola, & repetita sanguinis missione ejus Curationem absolvi posse arbitrantur, sive ab opposito, sive è latere cum parte affecta consentiente: de qua re plurimæ, & gravissimæ apud ipsos omni ævo extitere altercationes. At Hippocrates 2. *de rat. vict. in acut. inter initia*, Lateris dolorem, sive is per exordia fuerit, sive posteà obortus sit, medicamentis calidis dissolvere tentat; mox verò dolore ad claviculam pertingente, cubiti internam venam secandam suadet, ad coloris usque in sanguine mutationem; at si partes sub septo tranverso afficiat, ventrem vel nigro veratro, vel peplio solvendum ait.

Verùm Helmontius ejusmodi curationem multis improbat, præsertim quia sicut Apostema natum ab infixa digito spina, procul dubio temerè curatur per venæ sectionem, nisi spina ipsa evellatur, pari ratione Pleuritis per eam sanari nequit: quamobrem subdit: *quòd facti Apostematis cruor non potest per venam sectam evacuari, utcumque nomen revulsionis, aut derivationis in ægrorum delusionem iactitetur*. Neque insuper venæ sectio impedit, ne quid deinceps ampliùs acescat, cùm phlebotomia privationis tantùm vim habeat, nec possit eductus cruor inhibere, ne qui intùs aciditatem contraxit, eandem deponat. Pleuritidem prætereà, quæ sit per phlebotomiam restituta, sæpè post annum recurrere, sæpiùsque tabem post se relinquere advertit. Quare propria hujus ægritudinis remedia esse insinuat pulverem de virga Cervi, vel Tauri, cruorem Hirci, succum cichorii sylvestris, flores papaveris erratici, ac plura talia: hæc enim, inquit, causam immediatam corrigere, acorem tollere, ad diaphoresim disponere, doloremque lenire. Alibi quoque commendat dentem

L. c.

V. T. sextuplex digestio alim. De modo colligendi hirci cruorem V. Zuelf. Pharm. Aug. In Pharmacopolio. de Febr. c. 5.

Apri,

Apri, fimum Equi, & herbam Bellidem, quam primulam veris appellant.

Rulando fuit in usu Aqua benedicta, qua concitato vomitu in principio, plurimos à Pleuritide sanatos commemorat. Habuere quoque in usu, quæ movent vomitum, Hartmannus, Angelus Sala, Jo: Petrus Faber, aliique. Et Pacheqvus apud Riverium testatur, se infinities observasse pleuriticos, qui in principio morbi vomunt, evadere. (Obser. comm. 29.)

Oleum è seminibus lini recenter extractum Veteribus etiam commendatum fuit: & plerisque dicitur solo ejus usu ad uncias duas, vel tres, pleuritides fuisse resolutas, addita potissimùm rasuræ dentis apri drachma una. In quam rem scribit Tachenius spiritum vini saturatum camphora, & croci tinctura ad gutt.xx. in unc. ij. olei lini recenter expressi, indubitanter pleuriticos sanare. Alii etiam oleum amygdalarum dulcium efficax esse ajunt; sicut & oleum olivarum. (Hippocr.chim. cap. 15. secund. edit. Ven.) (Septal. lib.6. caut.126)

Decoctum florum papaveris rhœados, ejusque syrupus, & extractum quoque prosunt ex Valleriola, & Quercetano. Decoctum pariter Tabaci mirum medicamentum inquit esse Epiphanius Ferdinandus; itemque aquam florum chamæmeli stillatitiam, Lelius à Fonte. Efficacia similiter censentur, quæ conficiuntur ex carduo benedicto, scabiosa, radice lapæ majoris, floribus cynosbati; sive tincturæ, sive extracta, sive salia ex his eliciantur. (Lib. 5. obs. 10. Pharmaco.restit. Hist. 32.) (Consult. 147.)

Quercetanus Nucum avellanarum coloris rubei putamen ad dr.j. cum æquali dosi corall.rubr. ex aq.card.bened. aut papaver.rhœad. ceù specificum commendat in pleuritide. (Diæret. polyst. c. 3. s. 3.)

Parat quoque Pomum cum olibano, & intra triduum exhibet utiliter: idque approbant Riverius, & Simon Jacoz. Idem Riverius felici cum successu exhibuit fuliginem camini in pulverem redactam in aqua cardui benedicti. (V. Alex. Pedem. arc.lib.1. Obs. 56. centur.1.) (Obs.88. cent. 4. Cent. 2. obs. 79.)

De rasura eboris, pulvere dentis apri, cornu cervi, oculorum cancrorum, mandibulæ lucii piscis, coralliorum rubrorum, ligni visci quernei, jam innumeri meminere, quòd pleuritidi conferant, & passim de eorumdem fructuosa exhibitione referuntur historiæ. Conficitur etiam pulvis ad eumdem finem ex Aristolochia, scordio, dictamno, rhabarbaro, cæterisque, qui sub nomine Cardinalis Pallotti, & Ducis Aquæspartæ circumfertur. Conferunt quoque sal volatile cornu C., salis ammoniaci, fuliginis, urinæ, & omnia alkalia diaphoretica. (V. Arcana P. Audæ.)

Dominicus Panarolus optimum remedium esse fatetur, & apud magnates quosdam inter arcana principaliora repostum, stercus columbinum in pulverem redactum ad dr. ss., sicuti Helmontius testatur de stercore jumenti. (Pentec.4 obs. 14. T. de febr. c.4.)

Apud Robertum Boylæum, magnum, & perutile medicamentum celebratur Urinæ humanæ spiritus per destillationem elicitus, & purgatus, & à gutt.x. ad xxx. in convenienti liquore. At præcellit spiritus salis ammoniaci dulcis redditus; vel flores ejusdem in pilulas redacti. (L. 2. de util. philos. s. 5. cap. 5.)

Bezoardicum Minerale, Solare, Joviale, Martiale, sicut & diaphoreticus pulvis Antimonii primas in hac re occupant: quorum usu plurimos brevi, & feliciter curatos vidimus. Conficit tincturam antipleuriticam Adrianus à Mynsicht, eamque mirificè commendat, pariterque species antipleuriticas: & Penotus spiritum nitri. Valet etiam Nitrum Antimonii, magisterium oculorum cancrorum, galbanum, sagapenum, sper-

In not. ad prax. Barbett. sperma ceti, mumia, & quidquid multo alkali præditum est. Fridericus Deckers trageam antipleuriticam Ausfeldianam laudat, apud quem vide. Et Sylvius Deleboe misturam conficit sudorificam, cujus usu Pleuritidem, cæterasque inflammationes brevi curari fatetur, inducto sudore. (Lib. 1. prax. c. 40. n. 43, & al. nu. 28.)

Inter externa verò dolenti parti adhibenda recensentur unguentum de Althæa Fernelii, pectorale Mynsichti, martiatum, de mucilaginibus, de meliloto, & oxycroceum; butyrum recens, adeps vervecinus, anserinus, gallinaceus, cum oleo amygdalarum dulcium, chamæmeli, liliorum, lini, nucum juglandium, sesami, & à Mynsicht oleum camphoræ, & anodynum dictum. In Ephemeridibus Germanicis anni 1670. (Obs. 10.) memoratur oleum antipleuriticum ex oleo olivarum, & rasura cucurbitarum simul frixis, quo pleuritides certò sanari testatur ejus promotor Petrus à Castro. Fatetur Digbæus ad rumpendum in pleura apostema (Lib. de pulv. sympath.) feliciter successisse hoc experimentum. Panem recens coctum, atque calentem adhuc, è furno extractum, in duas partes divisum, theriaca ex interna parte oblinit: applicat autem dolenti lateri unam, & alteram medietatem ex adverso, & fascia circumligat donec abscessus dirumpatur: quod remedii genus memini quoque descriptum ab Alexio Pedemontano. Hartmanno probatur cataplasma ex herba Kaly, radicibus liliorum alborum, & axungia suilla. (Lib. 1. Arcan.) Pro eo autem subrogat Cardilucius cæpam assam, cum axungia, & modico saponis nigri simul mistis. Aliud cataplasma ex cępis describit Sylvius Deleboë, commendatque præterea emplastrum de spermate Ceti sanguinem à coagulatione præservans, (Lib. 1. prax. c. 40. n. 34. & 35.) (V. etiam Mynsich,) & jam coagulatum dissolvens. Calx viva comminuta, & melle subacta, si ad modum Cataplasmatis calidè parti dolenti admoveatur, impactum, concretumque sanguinem in pleura dissolvit, & ad anacatharsim disponit. Reiteretur autem pluries cum friguerit, & oleo tepido removeatur. Expertum pluries.

Ad hanc morbi classem referuntur inflammationes, & abscessus in Diaphragmate, & Mediastino, qui cùm Pleuritidem mentiantur, vulgò ad Pleurę inflammationem reducuntur, quamvis longè graviores esse soleant, præsertim si non tam facilè pateat aditus excreationi, cùm fortasse suppuraverint. Cæterùm iisdem utendum, quibus in Pleuritide, præter diuretica convenientiora, & non acida.

DE EMPYEMATE.

Ex Pleuritide, aut Peripneumonia non rarò Empyema oritur, cùm scilicet suppuratus humor intra quatuordecim dies minimè fuerit per tussim excretus; unde in Thoracis cavum ex dirupto apostemate delapsus cujusdam ponderis, & respirandi difficultatis causa est, comitantibus similiter febri lenta, & corporis extenuatione: quamobrem Medici Empyema dicunt esse Puris in pectoris cavo collectionem. Et quamvis ἐμπύημα omnem suppurationem significet, pressius tamen hoc loco, ea, quæ in pectore fieri solet, intelligitur. (5. Aph. 8.)

Non modò ex Pleuræ, Pulmonis, & faucium, gutturisque inflammationibus ad suppurationem perductis Empyema fieri contingit, sed etiam ex sanguine in cavum Thoracis illapso ex vulnere ejusdem, vel ex apertis venis, aut arteriis illuc pertingentibus: (6. Aph. 20.)

tibus: ex sanguinis enim sputo, puris sputum, scribit Hippocrates 7. *Aph.* 15. sicut etiam à destillationibus in ventrem superiorem, idest Thoracem, habitis, suppurationem intra viginti dies fieri tradit eodem 7. *Aph.* 38. quamvis inde non verum pus, sed quid puri simile exoriatur. Meminit quoque aquosi Empyematis Deleboe Sylvius ex pure scilicet, ac albicante sero commisti. Quandoque ab Abscessu in pulmone habito, & ex Vomica, Empyici nonnulli facti sunt, cùm non minus in pulmonem, quàm in cæteras partes vitiosos humores abscedere, credere liceat; immò & pulmones putruisse, & purulentos evasisse non rarò compertum est.

Prax. l. 1. c. 24. n. 8.

V. Bonet Anatom. pract. l. 2. sect. 6.

Ductus verò, per quos Empyici purulentam materiam in Thoracis cavo collectam extussiant, jam pridem quæsiti sunt à Medicis. Plerique crediderunt à pulmonibus sua natura spongiosis exsugi primùm, mox verò per tracheas illam educi. At Helmontius putat per poros pulmonum facilè posse excrementa quæcumque traduci, & expurgari. Adeò autem Pulmones in patentes poros desinere nonnullis dicitur, ut pisi majusculi magnitudinem æquent, quemadmodùm aliquoties se observasse testatur Vvalæus in vivorum dissectionibus. Verùm M. Malpighius Pulmonum structuram talem detexit, qualem referunt Apum favi, ex tenuissimis scilicet, & levissimis vesiculis orbicularibus, & sinuosis constantem: quare non immeritò Hippocrates fistulosum, & Aretæus multiforum Pulmonem appellavit. Credibile verò est per has vias purulentam materiam permeare, & per anacatharsim educi, quamvis aer illuc appulsus egredi nequeat, membranulis fortasse in valvularum morem impedientibus. Neque verò omninò putaverim omne pus hac ratione per tussim eiici posse, sed illud tantummodò, quod fluxilius est, & proximius per septi transversi propulsionem pulmonum lobos attingit, cùm experiamur certam puris quantitatem Empyicos extussire, reliquam verò non posse; unde Veteribus Paracentesis fuit instituta.

V. Barthol. de Nat. & usu pulmonum.

Non semper utramque Pectoris partem, pure, aut purulenta materia gravari sæpiùs observatum, sed vel dextram, vel sinistram. Signa verò alterutrius affecti lateris deducit Hippocrates ex pondere, & ex acriori calore, quem à citiori arefactione madefacti lintei, eo loci adhibiti, conjectat Avicenna ex eodem Hippocrate 3. *de Morbis*; Galenus verò ex fluctuatione. Ubicumque autem pus collectum inveniatur, febris aderit pusilla, sed continua, noctu potissimùm ingravescens, ingens sitis, cibi fastidium, difficilis respiratio, & longè gravior à cibo, tussis molesta cum sputo purulento: pulsus præterea languent, genæ rubent, oculi incavantur, sensim corpus contabescit, pedes non rarò intumescunt, & sudores comparent ægrum nihilum levantes.

2. progn. 59.

V. etiam 2. de Morb. & 4. de loc. aff. 8.

Cùm à rupta vomica febris illicò desierit, vel saltem lentescere cœperit, si fames superveniat, & sitis desinat, venter consistentia deiiciat, & pus album, læve, & æquale, minimèque fœtidum edatur absque dolore, & citrà molestam tussim, ægrotantem evasurum tradit Hippocrates; secùs verò, cui contraria his accidunt. Ab olente autem sputo, peculiariter notat Vvillisius, non semper certum indicium desumi; neque certius signum sumi posse, quòd Phthisicorum sputa in aquam injecta supernatent, aut submergantur, cùm

V. Hipp. 2. progn. 63.

Pharmac. rat. p. 2. s. 1. c. 10.

cùm utriusque generis casus, quosdam salubres, alios funestos cognoverit: quamquàm Hippocrates dicat à sputo graveolente lethum designari. Morituros etiam scribit eos, quibus specillum à pure, velut ab igne coloratur: suppuratosque prę terea ex morbo laterali, nisi quadraginta diebus purgentur, in tabem transire. Ex suppurationibus denique in pectore habitis, senes potiùs perire ait, ex cæteris verò potiùs juvenes.

5. Aph. 11. & 7. Aph. 44. In Coac. prænot.

5. Aph. 15. In Coac. prænot.

Quoniam curantur Empyici difficillimè, consueverunt veteres Thoracem incidere; ut indè purulenta materia promptiùs educeretur. Monet autem Hippocrates ne pus universim effluat: tunc enim languentes Mors certò excipit, ut experimentis pluries innotuit. Partem verò urendam, vel secandam nonnulli eligunt inter tertiam, & quartam costam: alii inter quartam, & quintam: & alii inter quintam, & sextam. De qua re legendi potissimùm Paulus Ægineta, Fabritius ab Aquapendente, Fienus, Scultetus, Barbette, Marchetti. Hippocrates 2. *de Morbis* utroque latere pure affecto, sinistrum potiùs aperiendum voluit: minùs enim lethalem dicit factam ibi sectionem. Alii verò utrumque, si utrumque sit affectum; atque alterutrum, pro ratione collecti puris in uno, vel altero. Verùm Epiphanius Ferdinandus ex eodem Hippocrate *de internis affectionibus* tutius putat perforare costam ipsam. Id ipsum approbat Martianus etiam in Hydrope Pulmonis ex Hipp. ad aquam educendam.

6. Aph. 27.

Lib. 6. c. 44. De chirur. oper. c. 46. De præc. Art chirur. contr. tr. 5. Armam. chir. tab. 37. Chirurg. & Anat. pract. Insyllog. Obs. 44.

hist. 32.

In côm. hii. v. 76.

At longè periculosiorem, quàm vulgò creditur, Paracentesim esse existimat Jo: Van. Horne; & Tulpius pluries infeliciter institutam ait. Quamobrem plerique ad alia remediorum genera confugiunt, quæ si non magni juvaminis, saltem minoris sunt periculi. Fumo tabaci per fistulam excepto, ejusdemque decocto calido cum saccharo bis tantùm sumpto, pus è cavo Thoracis per tussim excretum memorat Epiphanius Ferdinandus: debet autem illud convenienti digestione depurari, & castigari, ac saccharo, vel melle demulceri ad formam julapii. Alii communiùs diureticis insistunt documento Galeni *6. de loc. affect. cap.* 4. Nec denique desunt, qui etiam per alvum expurgatum Empyema recenseant: nam præterquamquòd visum id aliquando fertur ab eodem Galeno *c. 6. de loc. aff. cap.* 4. confirmatur quoque à Velschio, qui acceptum à Matthia Baccono refert, Empyicum ex pleuritide sanatum frequenti potione, ex syr. althææ, oxymelle, saccharo, manna, oleo amygdal. dulcium recenti, & aqua scabiosæ; pure nimirùm, ut ipse inquit, alvo proclivius, quàm ore, expurgato. At ductus isti nondum satis perspecti sunt, quamvis illos ostendere adnisus sit Bauhinus relatus ab Horstio, & à Sennerto; ac multò anteà Galenus *c. 6. de loc. aff. 4. & 7. Aph. comm. 30.*

Micro-rech. p. 2. §. 18. 2. obs. c. 4.

Hist. 45. consil.

Obs. 29.

L. 2. Theatr. Anat. c. 6 Lib. 3. de Morb. pect. obs. 11. c. de pleurit. q. 4.

Profuisse nimiùm vidimus Empyicis decocta ex scabiosa, pulmonaria, sanicula, tussilagine, hyperico, hyssopo, carduo benedicto, betonica, iridis Florentinæ, & lapæ majoris radice, glycyrrhiza, consolida, C.C.C. & majori ex parte, ligno guajaco, & lentiscino composita, & exhibita ad plures dies cum balsamo sulphuris anis. vel terebinth. ad guttas aliquot manè per quinque saltem horas ante cibum. Confert pariter extractum scabiosæ in omnibus pulmonum affectibus, etiam peripneumonia; itemque in apostematibus internis ex Heurnio, & Foresto. Item pul-

pulvis seminum urticæ cum syr. viol. vel simili aliis commendatur in Empyicis, & Pleuriticis. Efficax quoq; observatur elixir proprietatis elicitus cum aqua cinnamomi, cum quo commisceri potest syrupus de tussilagine, de hedera terrestri, de hyssopo, de prassio, de helenio, si libuerit. Flores Antimonii fixi, & Antimonium diaphoreticum ritè præparatum miram opem præstitere, sicut pariter illius Cerussa descriptione Angeli Salæ, non neglecta tamen in hanc rem observatione, cautioneque Friderici Hofmanni. Magna etiam vis inest Terebinthinæ albæ Cypriæ, si cum modico vitelli ovi dissolvatur, & cum aqua hederæ terrestris stillatitia guttatim infusa tantisper subigatur, quousque cremorem lacteum æmuletur. Capi potest ad unciam unam, vel alteram, jejuno stomacho. Succus ejusdem hederæ utilissimus memoratur à nonnullis, si cùm olibano diapenid. redigatur in formam Electuarii, & per vices assumatur, vel in ore detineatur.

Animad. in Pharmac. Schroderi.

Ad Pulmonis vomicam, refert Cardilucius sibi pro secreto communicatum spiritum è pulegio in spiritu vini per octiduum infuso, elicitum, vel insensibiliter, vel per sudorem, aut urinam illam dissolvere. At Morbus hic sicuti rarissimus, ita difficillimæ curationis; quinimmò priùs hominem enecat, quàm internoscatur, aut opportunis remediis tractetur, cùm repentè è vivis ægros tollere soleat, nisi spontè sua rumpatur vomica, & purulenta materia in Thoracis cavum deponatur, vel sensim expuatur.

Ad prax. chym. Hartmã. V. de Pulm. Vomic. Hippoc. 1. de Morb.

DE HYDROPE PULMONIS, & *Pectoris.*

QUemadmodùm purulenta materia in cavo pectoris collecta, Empyema; ita aquosus humor ibidem restagnans Hydropem inducit: quamquam etiam pulmones ipsos eodem aqueo humore gravari, & imbibi contingit; undè difficilis anhelitus mox à primo somno, tussis absque sputo, color faciei pallidus, & alterutrius brachii resolutio, vel inflatio, pedum tumor, palpebrarum à somno tumefactio, sitis, febris, & alia his affinia symptomata. Quandoque verò Hydrops pulmonis est absque tussi, quia aqua bronchia non occupat, sed exterius pustulis aqueis, seù hydatidibus, pulmonem comprimit, undè anhelitum affert, sed citrà tussim.

V. Hipp. in Coac. de pulm. inflãm. C. Piso l. 3. c. 7. V. Hipp. 2. de Morb.

Aquosus autem hic humor in pectoris cavum exudare, & deponi à multis creditur è vasis lymphicis, quæ plurima per thoracem excurrunt, si fortasse illa erodantur, aut aliter aperiantur. At cùm interdùm Hydrops pulmoni acciderit, citrà istius liquoris è suis ductibus effusionem, alium sanè modum excogitare oportet, quo pulmo sero gravetur, & imbibatur: ut aliquando mihi contigit experiri in quodam cadavere hoc genere morbi interempto, cui pulmo inerat tam sero glutinoso distentus, tumidusque, ut universam Pectoris capacitatem occuparet. Suspicandum idcircò, vel poros, vesiculasque Pulmonis, lympha glutinosiori ibidem reddita, nec per suos ductus traducta, successu temporis repleri, vel à vaporibus (qui plurimi è Pulmonibus quotidie expirant) si fortasse ab acido quodam concrescant, aut aliter impediti detineantur,

tur, fieri ut Pulmonis ſubſtantia infarciatur, Hydropſque excitetur. Non rarò etiam accidit Hydatides Pulmonibus adnaſci ab aqueo humore extimam illorum membranam alicubi relaxatam tumefaciente: hæ autem veſiculæ aqua repletæ Hydropis comites communi voto cenſentur, documento Hippocratis *lib. de intern. affect.*

Quocunque verò modo gignatur Hydrops Pectoris, ſemper vitæ periculum minatur, quamquàm ad tempus aliquod protrahi poſſit. Nonnulli per vices repetunt hydragoga, & præſertim pulverem, extractum, aut reſinam jalapæ, & mechoacan, itemque agarici, & quod fortius, gummi Peruani, ſeù gummi guttæ: & Riverius magnifacit uſum calomelanos cum diagridio: Alii diuretica, & alii ſudorem moventia. Etiam in hoc affectu Paracentenſis inſtitui conſuevit. At, ſi quod juvamen unquam huic morbo ſit adfuturum, certè ex diæta exactiſſima illud ſolùm ſperare licebit, indicto nimirùm victu attenuante, & exiccante; non neglectis tamen iis, quæ ſupra de Empyemate memoravimus. Ab aere pariter maximum juvamentum, nedum in hoc, ſed etiam in reliquis Pulmonis affectibus ſperandum.

Cent. 4. obſ. 3.

DE HÆMOPTOE, ſeù SANGVINIS SPVTO.

INter graviores Pectoris, & Pulmonis affectus procul dubio ſanguinis Sputum eſt. Poteſt autem ipſe è ſuis vaſis exilire, & expurgari Anaſtomoſi, Diapedeſi, & Diæreſi: Diæreſim verò pleriſque placet in Rixin, & Diabroſim ſubdividere. Anaſtomoſis vaſorum apertione, Diapedeſis tranſudatione, Diæreſis vaſorum diviſione, Rixis ſciſſione, & Diabroſis eroſione contingit.

Sanguinem, qui ſpontè effluit, Vvilliſius putat ex arteriis prodire. At quamvis ſanguis venarum perpetuò in cor reducatur, nil tamen obſtat, quin etiam ex ipſis, ſi rumpi contigerit, is egredi queat. Anaſtomoſi autem nonniſi ab arteriarum oſculis manare poterit; ſecùs è venis, quæ cùm ſanguinem exceperint, reddere illum denuò non poterunt, impedientibus valvulis. Etſi verò plerùmque ſanguis, cùm expuitur, multus, & floribus è ſuis vaſis egrediatur, interdum tamen ab eroſa viſcerum, & præſertim Pulmonum ſubſtantia exſudat: quo fit cur aliquando ſanguinis Sputum affluenter prodeat; aliquando verò, adeò modicum, ut vix cruoris tincturam referat: cùm tamen hinc longè gravius damnum immineat, quòd pulmonem eroſum denunciet.

Sanguinis è ſuis vaſis egreſſus manifeſtum ejuſdem vitium arguit: ſiquidem acer, vel acidus, ſalſus, fluidus, tenuis, & ſeroſus, pluſquàm decet, evaſerit, cùm viam ſibi aperit, aut per poros venarum exudat: quandoque etiam, quia craſſior, & glutinoſior, à venis, ut par eſt, excipi nequit in reditu ad jecur, & cor; qua ratione obſtructis facilis eſſe ſolet hæmorrhagia.

At verò citrà ſui vitium etiam ſanguis expuitur, ſi arteriæ exiles ſint, venæque molles nimiùm, & laxæ, ut à cantu, ſaltu, curſu, vociferatione, iræ impetu, ingenti tuſſi, violento vomitu, fieri ſolet. A laxitate quoque nimia glandularum, ubi ſcilicet venarum, & arteriarum anaſtomoſes fiunt, reſudat ſanguis, neque-

V. Oth. Heutn. obſ. 27.

queuntibus illis præterfluentem sanguinem custodire, & malè cohærentia arteriarum, & venarum oscula obstruere. Observatum quoque est sputum sanguinis ob ruptum Aneurisma Pectoris internum accidisse: atque in dies experimur acrem, & salsum humorem in fauces, & guttur irruentem, Hæmoptysim sequi, erosis nempè vasis prædictarum partium, aut Pulmonum; unde postmodùm Phthisis.

In quibusdam Anni peculiaribus constitutionibus, tempestate præsertim nivali, & flante aquilone, Hæmoptyses frequentissimè accidunt, aut à frigore partes corrugante, & sanguinis trajectum impediente, unde is restagnans nisu suo dissiliat, aut potiùs à nitratis halitibus per id tempus vigentibus vasa lædi contingit; quemadmodùm de nive, & glacie memorat Hippocrates 5. *Aph*.24. In æstibus pariter vehementioribus, cùm pulsus celerantur, & sanguis longè tenuior fit, facilèque fermentescit, arteriæ etiam reserantur, & cutis universa laxior evadit, spuitiones sanguinis contingunt, sicuti faciles sunt per id tempus è naribus hæmorrhagiæ.

A cibis quoque, & potibus acrioribus, sicut etiam à venenis erodentibus, & crasim sanguinis turbantibus, pulmonique potissimùm infensis, cujus generis esse fertur Lepus marinus; itemque ab epota hirudine, aliisque, non semel sanguis expui visus est, ut propterea innumerabiles fermè causæ sint, quibus ille per os egeri consueverit.

Verùm simplici screatu is prodiens, è partibus ori proximis effluit; à meningibus verò cerebri, si præcesserit capitis dolor gravans, aut pulsans. Cùm vomitu excretus à ventriculo manabit; & si modicus, fluidusque, proximè ab eodem; ab adjunctis verò visceribus, si multus, grumosusque, ac præterea illorum viscerum tumores, dolores, similesve ægritudines conjungantur. Tussi denique egestus sanguis, aut ab aspera arteria, aut à pulmonibus, aut à pectore prodibit: ab aspera, si facilè screatur, & cum sola gutturis titillatione isque tenuis sit, & paucus: à pulmonibus, si spumosus, & floridus appareat, nullusque dolor in pectore percipiatur: à thorace demùm, si dolor eam partem occupet, & sanguis compactus, ac nigricans educatur. V. Hipp. 5. Aph. 13.

Decipit autem interdùm Tussis, quoniam per eam inducuntur Medici, ut credant, sanguinem è pectore effluere, cùm tamen illud omni culpa careat; exilit quippè non rarò sangnis è musculis, & glandulis laryngis, faucium, aliarumve partium his adjacentium, qui inferiùs delabens, titillat, stimulatque asperam arteriam ad tussiendum; quinimmò sæpiùs tracheam ipsam subit, & pulmonis bronchia pervadit; unde partes istæ ad tussim concitatæ illum extrudunt.

Quamvis hactenùs notata plurimùm faciant ad cognitionem partis laborantis, simulque ad eventum morbi præsagiendum, Hippocrates tamen 4. *Aph*. 25. inquit, *sanguinem suprà ferri* (*sive*, ut exponit *in commentario* Galenus, *per os excerni*) *qualiscumque sit*, *malum*. Verùm à capite prodiens, salutaris dicitur ab eodem 6. *Aph*.10. ex vehementi ejusdem dolore, ut pluries praxis edocuit. Fœminas quoque ex suppressis menstruis malè affectas, sputo sanguinis levatas vidimus: & aliàs ex periodico ejusdem screatu nil damni persensisse, sive is per vasa pulmonis, ut arbitratur cum Fernelio

Fernel. 5. de Morb. c. 10. nelio Sennertus; sive per vasa jugularia ex axillari ramo, & mammario ferretur. His exceptis, reliquæ sanguinis per os rejectiones malæ omninò existimandæ sunt: at pejores è pulmone, & pectore, quam ex œsophago, & ventriculo; quin Hippocrates 7. *Aph.*37. scribit: *Quicumque evomunt sanguinem, si sine febre quidem, salutare.* De ea verò sanguinis egestione, quæ ex pectore fit. 7. *Aph.*15. *&* 16. hæc habet: *à sanguinis sputo, puris sputum malum; à puris sputo, phthisis.* Quòd si diabrosi, sive erosione vasorum, sanguis egrediatur, longè pejus malum erit, cùm præter partium ulcerationem, vitium in sanguine arguat acritudinis, aut salsilaginis, quod ægrè correctionem admittit. Cæterùm sputa sanguinis diuturna curatu admodùm difficilia; faciliora verò recentia ex Gal. 5. *meth. c.* 13. *&* 14.

Recentia itaque undecùmque proveniant, curanda adoriuntur nonnulli iteratis phlebotomiis, frictionibus, ligaturis, cucurbitulis; catharticis etiam lenibus, in diæresi, & diabrosi ad purgandum sanguinis vitium: mox verò refrigerantia, & glutinantia exhibent ex farre, limacibus, testudinibus, aliisque parata; itemque lac, ejusque serum.

At alii his parùm, vel nihil fidentes, solùm cohibentibus utuntur, quibus etiam vitia sanguini adimere conantur, ut sunt succi depurati urticæ, polygoni, plantaginis, verbasci: pulveres terræ Armeniæ, & sigillatæ, coralliorum, sanguinis draconis, corticum myrobalanorum, hæmatitæ, croci martis, colchotaris vitrioli, sperniolæ, C. C. usti: gummi tragacanthum, & Arabicum, thus, styrax, mastiche, succinum: syrupi de rosis siccis, de papavere albo, & rubro, de baccis myrteis, de cydoniis, de portulaca, de nymphæa: trochisci de succino, de terra sigillata: theriaca recens, philonium Persicum, requies magna, pilulæ de cynoglosso, & de styrace, laudanum opiatum, & id genus alia.

Curari dicitur Hartmanno sputum sanguinis è pulmonibus semine hyoscyami; ex quo tabellas conficit Platerus, additis gummi Arabico, coralliis rubris, violis recentibus, succo berberum, & saccharo. Helidæus verò de Paduanis ex seminibus hyoscyami, & papaverum alborum, terra sigillata, coralliis rubris, & saccharo ros. parat electuarium, quod ad sputum sanguinis mirabile dicit esse. Apud Du-Hamel memoratur aliud à Boyle confectum ex seminibus hyoscyami, & papaveris albi contusis, & cum conditura rosarum rubrarum mistis. At Cardilucius monitu Carrichteri semen hyoscyami infundendum vult per noctem in tribus partibus aquæ fontis, duabus aceti, & una parte vini albi veteris, mox exiccatum in usum adhibet. Lib. 3. obs. Consil. 7. lib. 3. à Scholzio edit. Lib. 2. de Corpor. affect.

Idem Hartmannus feliciter cohiberi ait sanguinis sputum usu aquæ stillatitiæ radicum urticæ majoris ad unc. iij. cum oleo vitrioli ad gratum acorem. Ab aqua plantaginis ad unc. iiij. cum scr. ß. spiritus vitrioli, subitò etiam fluentem ex pulmone sanguinem sisti affirmat: quod & Riverius quoque fatetur. Præter aquam plantaginis, & spiritum vitrioli addit Cardilucius pulverem hæmatit. præparatum ad scr. j. & granum j. laudani opiati. Intereà verò potandam præcipit aquam solani, in qua hydropiper, seu persicaria urens decocta sit, ea postmodum defossa in loco humidiori ad putrescendum. In prax. In praxi.

Quercetanus in sua Pharmacopæa descri-

describit aquam summoperè efficacem ad Hæmoptysim. Et Serapio *tract.2.cap.25.* atque ex eo Antonius Valerius, pulverem valdè utilem, qui sub nomine Julii Cæsaris Scaligeri circumfertur, & passim ab Authoribus memoratur.

Ad cap. 17. lib.2. de Morb intern. Jac. Hollet.

Riverius amylo sine calce parato in aqua decocto, & per mensem integrum assumpto, sputum sanguinis omninò desiisse scribit. Alii looch inde conficiunt cum albumine ovi vehementer agitato, & saccharo rosaceo, apud Vvillisium.

Cent. 4. obs. ix.

Amatus Lusitanus succum urticæ mirabilem dicit, si eo utatur æger per sex dies ad unc.iiij. jejuno stomacho: quin & urticam ipsam jure pulli incoctam comedendam consulit. De hujus vi notabilem quoq; historiam scribit P.Borellus, quamvis nonnulli suspectam illam habeant in principio Hæmoptysis, quòd tenuium sit partium, & menses, urinamque promovere dicatur à Dioscoride.

Cent. 8. obs. 95.

Præscribit ad quemcumque sanguinis exitum Deleboe Sylvius mixturam, quam pluries efficacissimam ego comperi, addendo succum urticæ, & polygoni, seù sanguinariæ ad unc.j. Is autem in aquæ plantaginis unciis duabus, semisse aceti stillatitii, ac tantundem aquæ cinnamomi, cum syrupo baccarum myrtearum miscet coralliorum rubrorum præparatorum semidrachmam, & sanguinis draconis sextam drachmæ partem, laudani demum opiati grana ij. Alibi Apozema memorat æstuanti sanguini compescendo valdè accommodum.

Lib. 1. prax.c.9. nu.20.V. etiam Frider. Deckers ad prax. Barbett.

lib. 1. c. 23.n. 34.

Quanta autem sit vis Polygoni, seù sanguinariæ, vulgò centinodiæ, non solùm in sistendo sanguine, verùm etiam in omnibus immodicis egestionibus, experientia testis fida est, ut planè dixerim me nunquam fefellisse, sicut pariter de plantagine, & verbasco testari possum: ex dupla enim foliorum plantaginis parte, & una radicum recentium consolidæ majoris simul tritis, addita sufficienti quantitate sacchari purissimi, conficitur syrupus ad cruentum sputum efficacissimus. Pulvis etiam ex foliis verbasci arefactis, cum pari portione terræ damnatæ vitrioli, optimus est ad dosim semidrachmæ. Idipsum affirmant alii de bursa pastoris. Extractum pariter corticis medii salicis tenellæ, antequam folia emittat, collecti, singulare remedium dicitur pulmonibus ulceratis, & sanguinem fundentibus. Fuit nostra ætate Medicus quidam celeberrimus, qui ad sanguinis sputum compescendum, potandum dabat lixivium commune clarificatum; id quod pro arcano habuit toto tempore, quo vixit.

Maximi facit pulverem sperniolæ Crollius in omnibus Hæmorrhagiis. Laudant alii pulveres, vel extracta tormentillæ, bistortæ, & millefolii. Alii Crocum Martis, lapidem hæmatitem, & tincturam sulphuris vitrioli. Pulverem è summitatibus, & spongiolis cynosbati elicitum, efficax remedium esse inquit Vvillisius, si bis in die ad dr. ß. exhibeatur.

Quoniam verò sanguis è suis vasis egressus illicò concrescit, ac mox in pus vertitur; unde Empyema, & Phthisis; propterea grumi illi omninò dissolvendi, ne præter Pulmonis corruptionem, glutinamentum vasorum impediant, ut scitè advertit Sennertus, & Fridericus Hofmannus. Veteres utebantur oxycrato, seù posca, quam Galenus 5.*meth.cap.*8. jucundam, neque multo aceto saturatam præcipit, ne tussim excitet, & Nos camphoræ modicum addere solemus, ac tepidam pro gargaris-

mo

mo præscribimus: quamquàm nonnulli potandam quoque exhibent; intereà verò misturam Sylvianam ad cochleare unum per intervalla propinamus, additis pulvere oculorum cancrorum, antimonio diaphoretico, & spermate ceti, monitu ejusdem Authoris. Specialiùs etiam commendat misturam *aquæ hyßopi, & fœniculi singularum unciam unam, vitæ Matthioli dr. ij. aceti stillatitii unc. ʃʃ. oculor. cancror. dr. ʃʃ. antimonii diaphoretici scr. j. syrupi capillorum Veneris unc. j.* At paulus, Aetius, & Oribasius coagulo hædi, vel leporis utuntur: & Forestus mumia, & spermate ceti. Exhibent alii rhabarbarum (ex quo pulvis Mesuæ contra casum) cum modico mumiæ, & rubiæ tinctorum in vino rubro, vel aqua plantaginis.

c. l. & 2. Meth. c. 18. l. 1. prax. c. 23. n. 37.

Ante horum exhibitionem, utile existimant levi aliquo cathartico vitiosos humores à sanguine secernere. Verùm cautè procedendum, ne sanguis à purgante medicamento citatior fiat, & ad exitum magis promoveatur. Locum idcircò solùm habebunt, quæ potiùs corrigunt, & blandè admodum acres succos per epicrasim educunt, ut est rhabarbarum, pulpa tamarindorum, cassia recens, cavendo ab his, quæ aloen admittunt, sicut à cæteris purgantibus validioribus.

Cæterùm victus ratio eò vergat, ut fluentem sanguinem quoque cohibeat, illiusque vitium pro rata sua emendet, & mediocritatem non excedat. Vitentur acria, salsa, flatus excitantia, acida. Vinum leve, & rubrum, præsertim consuetis, concedi potest, atque eò magis si fuerit dilutum aqua consolidæ majoris, plantaginis, aliusve. Motus, clamor, ira, cantus, etiam prohibeantur, admissis solùm, quæ sanguinis motum retardare, & gluten adaugere valent.

Inter externa, Fridericus Hofmannus Bufonem transfossum, Sole existente in Leone, exiccatum, & manibus detentum, vel suspensum è pectore, certo experimento sanguinem spuenti mederi ait: pariterque bursam pastoris recentem pulsibus applicatam. A decocto etiam centinodiæ axillis, aut genibus imposito, idipsum præstari addit. At ipse memini hæmorrhagiam è naribus aliquando stetisse sanguinaria, & plantagine contusis, plantisque pedum adhibitis: Et aliàs, appenso gutturi, rubi, seu spinæ sylvestris frustulo, sputum sanguinis cohibitum fuisse; quamobrem utrumque simul experiri in his frustrà non erit.

In meth. M.

DE PHTHISI.

ENarrati pectoris, & pulmonis affectus nisi exactè, absolutèque curentur, tandem terminantur in Phthisim, quæ licèt totius affectio sit, cùm indè universum corpus contabescat, & langueat, ea tamen non sine pulmonis vitio accidere dicitur; unde vulgò Phthisis describitur: Consumptio universalis corporis cum febre lenta insequens insanabilia pulmonis ulcera.

Propriè autem Phthisis non eam solùm maciem, quæ ex vitio pulmonis accidit, sed qualemcumque significat; unde veteres Atrophiam, Colliquationem, Marasmum, & Cachexiam, ut Celsus, ad Tabem, tamquam ad genus, retulere; & sive pulmonis, sive spinalis medullæ, sive seminalium vasorum, aut cæterorum viscerum læsione, contractam corporis maciem, Phthisim, & Tabem indiscriminatim appellarunt; unde motus VVillisius distinctè de his omnibus Phthiseos differentiis agere constituit, ac posteà speciatim de Phthisi

Lib. 3. c. 22.

ex pulmonis vitio. Scitè insuper notat hic Auctor Tabem ex pulmone non proximè ab ipsius visceris ulcere procedere, sed ex labe sanguini illata, qui summè inquinatus vim suam nutritiam amittit, undè postmodum partes contabescunt: idque sana ratione colligit ex eo, quòd nonnulli sine tussi, & citrà manifestam pulmonis, aut pectoris læsionem sensim extenuantur, appetitu, digestione, somno, cæterisque operationibus benè se habentibus. Vitium autem sanguini, tum etiam succo nervorum illatum ex pluribus deducit: de qua re idem Author legendus *parte* 2. *Pharmac. Ration. sect.* 1. *cap.* 5.

Neque verò à vitio sanguinis, & liquoris nervorum dumtaxat tabescere corpora experimur, sed etiam ex nimio genitalis humoris effluvio, ut in Tabe *Dorsali* dicta, cujus meminit Hippocrates 2. *de Morbis*; itemque à viscerum naturalium, præsertim Mesenterii, Pancreatis, Hepatis, lienis, renum, uteri, aliorumque obstructione: à mala in glandulis vel tumefactis, vel relaxatis secretione: à fermentis partium depravatis: ab abscessibus, & tumoribus, atque ulceribus: à venerea contagione; hysterica affectione; fluxu cujusque humoris immodico, vel diutiùs suppresso: à nimio, diuturnoque mœrore, ac vigilia: à lumbricis: à defectu bilis in cysti, & seri in pericardio, aliisque causis innumeris, quas in dies praxis edocet, & magna ex parte colligit Bonetus in *sua Anat. Pract.* Hinc scorbutici, hypochondriaci, lienosi, diabetici, obstructi, lienterici, fame picacea, vel lupina affecti, tristes, vigiles, amantes, aliique sensim contabescunt. De Tabe, ventriculi vitio, & excrementorum ibidem stagnantium congerie, speciatim meminit Petrus Jo: Faber *de Morbis lib.* 3. *cap.* 2. Et plura exempla tabidorum ex latente affectione ventriculi, aliorumque viscerum naturalium, illæsis interim pulmonibus, referuntur à Sckenchio *in exerc. Anat.* à Platero *lib.* 2. *obs.* & à Carolo Pison. *de Morb. à serosa colluvie*. Citrà pulmonis ulcus, aut sanguinis, purisque sputum, Phthisim accidisse refert etiam Galenus 4. *de loc. aff. ult.* ubi quosdam recenset absque manifesto pulmonis ulcere, aut sanguinis screatu, Phthisicorum more decessisse. Hinc mavult VVillisius definiendam Phthisim, *totius contabescentiam à mala pulmonis conformatione ortam*. Et Paulus Barbette, *Humoris nutritii consumptionem*.

Lib. 2. sect. 7.

V. etiam Rhod. cent. 2. obs. 8. & Argent. 3. Art. M.

L. c. cap. 6.

Pract. lib. 3. c. 2.

Phthiseos autem ex pulmonis vitio causas veteres ex Hippocrate duas tantùm constituere, acrem, & salsam è capite distillationem, & venæ ruptionem. At non solùm acris humor, aut salsus, sed quicumque alius, si in pulmonem irruat, ibique restagnans computrescat, Phthisim inferet: distillationes enim, inquit idem Hippocrates 7. *Aph.* 38. in ventrem superiorem, suppurantur intra viginti dies; neque solùm à capite, sed ab aliis partibus confluere excrementa in pulmonem docet Galenus 1. *epidem. cōm.* 17. Sanguis etiam in thoracis cavum effusus, atque in pus conversus eundem affectum parit, *eodem* 7. *Aph.* 16. Ab inflammatione item gutturis, pleuræ, pulmonis, aliarumque partium spiritalium suppurata idem sæpenumerò contingit 5. *Aph.* 8. 10. & 15. A tuberculis pariter, abscessibus, lapidibus, vermibus, aliisque præter naturam in pulmone genitis, Phthisim exortam referunt plurimi, inter quos VVillisius, Riverius, Heurnius, Hildanus, VVierius, Bartholinus. Ex variolis quoque in pulmone erumpentibus, & suppuratis, adolescen-

Lib. de glandul. de loc. in hom. & 3. de Morb.

p. 2. Pharm. rat.

Pract. lib. 7. c. 7. obs 11. cent. 2. obs. 29. & cent. 1 obs. 70. 3. de præstig. dem cent. 1. 4. 5. hist. 46. 43. 76.

lescentulum quendam Phthisicum periisse non multis ab hinc annis vidi. A lympha vitiosa, & acriori in asperam arteriam delabente, & post excoriationem ulcus excitante oriri ut plurimùm Phthisim existimat Sylvius *lib.* 1. *prax. cap.* 49. illamque inter alias ejus causas etiam recenset, *tract.* 4. *de Phthisi.* Hunc tamen humoris defluxum à capite in pulmones per tracheæ ductus nullum fieri notavit VVillisius: siquidem ait, ex observatione Anatomica manifestò liquet nihil à cerebro per glandulam pituitariam (qua sola indè pateret transitus) in palatum, aut pectus decidere, sed serum ibi depositum per ductus proprios ad venas jugulares deferri, & sanguini remisceri, proindè ut nullus omninò humor, aut à cerebro, aut è palato in pulmones depluat. Suspicatur proptereà hic Author materiam tussim excitantem non à capite per tracheam, sed à tunica glandulosa ejusdem asperæ serum è sanguine in pulmones deponi, præter illud, quod affluentiùs è massa sanguinea, & lymphæ ductibus, in arterias pneumonicas, & sinus inanium fistularum effunditur, quibus pulmones inundari, atque ad tussim irritari arbitratur.

Sect. 1. c. 6.

Crediderim autem ego etiam ex reliquis glandulis circumjacentibus, & tum laryngem, tum œsophagi summitatem stipantibus, exsudare istiusmodi serosum humorem, qui eas partes titillans, ac vellicans nonnunquàm ad inaniter extussiendum sollicitat; & aliquando etiam ab immodica gurgulionis relaxatione ejusmodi inanis tussis provocatur, stimulata solummodò epiglottide, & superiori Asperæ arteriæ parte, sicut accidit à potu gelido, à borea, & similibus. At verò ab iisdem ductibus, quibus illa, quæ simplici screatu educere solemus, extillare quoque poterunt, quæ tussim molestam, & Phthisim concitent. Nec quidquam insuper vetat, quin etiam ex salivariis, canaliculis possit lymphicus humor, cùm multus, aut acris est, laryngem vellicare, in ejus cavum defluere, & tracheam, ac pulmones inficere.

Sed & insuper sine defluxu humorum aliudè derivantium, non rarò gravatur, & inficitur pulmo lympha per proprios meatus illuc deducta, quæ vel ob eorundem obstructionem, vel propter sui crassitiem talem pulmoni, & sanguini affectionem degenerata imprimit, ut sensim Phthisis consequatur. Ab effluviis item corporis solitis per poros cutis evaporare, & ambientis frigore intùs cohibitis, subindeque sanguinem fermentantibus, serosa sanguinis recrementa cumulari, & in pulmonem deponi advertit VVillisius: Quamvis exindè potiùs tussis concitetur, quæ si fortassè inveterascit, Phthisim procreat.

Notabile sanè est, quod sæpiùs expertum, atque à pluribus memoratur, integras familias hoc morbi genere extinctas, & veluti hæreditario jure infectas. Novi ego quatuor ex eadem Matre phthisica natos, qui supremum diem obierunt unus post unum pari intervallo, quo orti, conformibus symptomatis, & æquali ferè durationis morbi tempore; ut proptereà credibile putaverim contagium, seu fermentum à matre communicatum pulmoni, aliæve thoracis parti inhæsisse, quod deindè à nativitate fermentescere cœpit, & fermentationis terminum parem habuerit: quo pacto experimur ex eadem arbore decerptos fructus æquo tempore fermentescere,

& maturari. Vel etiam à sanguine, aliisque liquoribus in certam crasim evectis fermentum illud fuisse promotum, ut postmodùm pulmones, immò & nutritium succum ad Phthisim excitandam corruperit. Probabile quoque est; quod Sylvius Deleboe in hanc rem meditatur de glandulis ad asperæ Arteriæ latera sitis, & cum testium parenchymate affinitatem habentibus, ac Thyroideis dictis, è quibus succum aliquem, in eandem Arteriam deferri suspicatur, qui si præter naturam acrior fiat, facilè pulmones afficiat, & ætatum mutatione magis adhuc immutatus Phthisim inducat, illamque hæreditariam, ejusmodi scilicet vitio à parentibus contracto; sicut pariter cùm glandulæ Pulmonis vomicis, seù tuberculis inficiuntur.

Append. Prax. tr. 4. de phthisi.

Dicuntur autem ad contrahendam Phthisim maximè dispositi, qui angusto nimis pectore, longoque collo sunt præditi, grandiori capite superincumbente, & scapulas habent instar alarum exporrectas, quique destillationibus, ac tussi magis obnoxii sunt, atque ex quacumque levi causa, etiam externa, illas incurrunt, & anheli fiunt, spirantem Boream, vel Austrum non ferunt, sed protinùs tussientes evadunt: His enim indicatur tum mala pectoris conformatio, & imbecilla nimis pulmonum constitutio; tum etiam facilis serosæ substantiæ accretio, & promotio, atque in tracheam, & pulmones delatio; undè affici, erodi, ac pus, & Phthisim subire poterunt. Hæc autem potissimùm eveniunt Autumno, si pluviæ ingruant, & vigeat austrina constitutio ex Hippocrate. Qui in fodinis metallorum versantur, illorumque fusores, ac fabros ferrarios hoc affectu facillimè corripi pluries vidimus.

V. Hippoc. 3. epidem. comm. 3. 70. & Galen. ibidem, & comm. 1. 1. epid. 18. & 2. de temper. 6.

Ab his, quæ ferè communi, & unanimi voto stabiliuntur ab aliis, solus desciscit Paulus Barbette contendens non solùm partes affectas in Phthisi præcipuè esse Ventriculum, Pancreas, glandulas lacteas, per consensum verò pulmonem; sed etiam causas illius referendas esse ad Ventriculum malè digerentem, & succum pancreaticum malè sese miscentem bili, undè chylus crassior exoriatur, qui in glandulis lacteis hærens illas induret; indèque nonnisi serosior pars per ductum Thoracicum in Cor feratur; vesiculas verò Pulmonis lympha repleri crassiori ibidem reddita; unde anhelatio, & tussis: pulmonem insuper ulcerari negat, nisi longo temporis tractu degeneraverit, vel in Vomicam, vel in Empyema: contrarium enim se perpetim observasse fatetur in cadaveribus hoc malo extinctis. Quamobrem pro curatione addit se contra omnium Medicorum sententiam acidis temperatis felicissimè usum; & contra, dulcia acidis non temperata, ægris semper aliquantulum obfuisse. Hinc miscet cum expectorantibus salem prunellæ, & nitri, tartarum vitriolatum; atque etiam unicè commendat spiritum salis dulcem, & liquorem tartari, itemque spiritum sulphuris per campanam.

Sed & Richardus Morton ad Phthisim revocans reliquas omnes Tabis species (præter eam, quæ Pulmonum propria dicitur) veluti morbos alios consequentes, proindèque secundarias appellatas, Phthises constituit, vocatque Scrophulosam, Scorbuticam, Asthmaticam, Hystericam, Hypochondriacam, Hepaticam, Rheumaticam, aliasque, prout ab hoc, vel illo morbo, aut etiam ab una, aliave causa, originem traxerint totius corporis emaciationes: quam-

In sua Phthisiologia.

quamobrem pro earundem curatione, primariæ origini, & causæ primævæ insistendum esse monet: id quod sanè cæteros omnes vetustiores Rei Medicæ Professores haud quaquàm latuit; quippè cunctis notum, semper adversùs causas, & primarias ægritudines pugnandum esse, cùm inde dependentes ad classem symptomatum redigantur.

Imminentis Phthisis signa plerumque sunt, acris, aut salsa destillatio, respiratio non facilis, tussis diuturna, & ut plurimùm sicca, mox verò cum sputo modico sanguine intincto, deinceps etiam purulento: Febris adjungitur pusilla, sed continua, & marcor universalis sensim subsequitur. Evidentiora verò erunt indicia, si ex præcedenti pleuritide, aut peripneumonia empyema relictum fuerit; aut ex dirupta pulmonis vomica; sicut etiam ex apertis, vel erosis vasis pneumonicis spumosum sanguinem eructantibus; ex thoracis vulnere, unde sanguis in illius cavum defluxerit. Si verò quod excreat æger, omninò purulentum est, ac sordidum, respiratio difficilior evadit, & corpus manifestjùs contabescit, pedes intumescunt, ungues incurvantur, fames minuitur, & sitis augetur; immò & febris noctu ingravescit, & aliquot horis à cibo, non rarò sudore inutili consociata; jam de confirmata phthisi non ampliùs ambigendum: immò etiam signa hæc solent proximè morituros comitari. At verò eos, qui prætereà, quod expuunt ægri, in salitam, tepidamque aquam, & in ignem iniiciendum suadent, ut de Phthisi certi fiant, jure notat Aretæus inquiens: *Quicumque aut igne, aut aqua, humiditates hìc explorat, ac notat, hunc videri haud ita multum phthoem dignoscere*. Quinimmò signum ex graveolentia desumptum fallax reputat VVillisius *cap. de Empyemate*: quamvis sæpiùs lethale dicatur Hippocrati 5. *Aph.* & alibi.

V. Hipp. de inter. affect.

1. De sign. & caus. diutur. morb cap 8.

E Phthisi pauci evadunt, sed & periculo proximi sunt, quibus defluvium capillorum, & alvi fluxus accidit, aut sputum retinetur. Ab ulcere pulmonis insuper insanabilem tradit Galenus, vel difficillimè, ob laxam ejus visceris substantiam, ob assiduum ejusdem motum, & quòd citrà tussim sanies indè repurgari non possit, atque ob difficilem medicamentorum ad eas partes commeatum. Signa verò convalituri ab Hippocrate proposita 2. *prorrhet.* non tam facilè jungi possunt: requirit enim ut *æger sputum album, æquale, ejusdem coloris, nulla pituita commistum per tussim facillimè eiiciat: per nares expurget quod à capite defluit: febri careat: cœnam leviter ferat: non sitiat: durum, & quotidiè, pro ratione ciborum assumptorum, egerat; nec sit adeò corpore extenuatus*. De Phthisi verò fœminis contingente hæc profert: *Minimè superstites erunt, quibus ex suppressis mensibus tabes oborta est, si verò illi floridi appareant, & reliqua signa bona accedant, evadent. Quibus denique vox rauca fit, malæ livescunt, cùm priùs rubuerint, pulsus elanguent, atque insueta fames, qua avidè nimis ingurgitant, supervenit, mors in propinquo est*.

5. Aph. 11 & 12. & l. 1. & 2. de Morb. & 7. Aph. 16. 5. de loc. aff. 5. & 5. meth. 8. & 14.

5. Aph. 14

Phthisim jam productam, & confirmatam Medicorum nemo ausus est aggredi, cùm sua natura insanabilem existiment; quin etiam ægrotos veluti contagiosos cominùs tractare reformidant. Solùm ea propter curandam suscipiunt, quamvis ægrè, quæ nondum altas fixit radices, neque ægrum adeò dejecit, ut viribus defecerit: his namque constantibus, spes aliqua salutis affulget; aliter de

vita actum erit. Initianti ergo phthisi protinùs occurrendum, itemque obsistendum imminenti. Imminet autem à diuturna, & pertinaci tussi, à sputo sanguinis, aut puris: cùm enim tussis diutiùs perseverat, sive sicca, sive humida illa sit, maximè verendum de erosione, & ruptura vasorum spiritalium, ob assiduam thoracis, & pulmonum concussionem. Neque insuper tussis ista tamdiù perennat, nisi ab irruente acri, salso, aut acido humore, vel vapore (ut in scorbuticis) partes illæ continuo prorirentur; undè tandem eas corrodi, vel graviter affici necessum erit. Tusses namque aliis de causis inductæ intra limites catarrhorum ad summum spontè sua desinere solent. Sputum verò sanguinis, aut puris, nisi opportunis remediis succurratur, certè Phthisis sequetur, ex superiùs memoratis. At verò cùm partes pneumonicas erodi, & ulcerari contigerit, indeque pus rejectatur, & febris lenta exoritur; vel ex infecto pulmone sanguis contaminatur, difficulter æger respirat, sensim contabescit, vehementer sitit, vigilat, aliisque symptomatis, vexatur, non de imminenti, sed de inchoata omninò judicandum.

Imminentem autem præcavebimus, delapsam in cavum pectoris materiam congruentibus remediis educendo, atque illabentem inhibendo, corrigendoque; quæ propterea si crassa, & viscosa fuerit, attenuanda, mox etiam expectoranda elixire proprietatis, julapio vitali, aqua vitæ Matthioli, aqua cinnamomi, ejusque essentia, syr. de hedera terrestri, de tussilagine, de hyssopo, rubino sulphuris. Si verò fluxilis ac serosa, immò etiam acris, & salsa illa fuerit, corrigetur pilulis de cynoglosso, & de styrace tum Sylvii, tum Schroderi, ejusdemque pilulis ad tussim. Pulveres etiam, tabellæ, & eclegmata ex olibano, tragacantho, & mastiche, styrace, glycyrrhiza, succino, opobalsamo, balsamo Peruviano; itemque pulveres Haly, syrupus papaveris rubri, & albi, diatragacanthum, diacodion prosunt. Diuretica, & sudorifica, sicut pariter hydragoga locum solùm habere poterunt, si lympha, aut serum superabundare videatur, de quibus alibi.

A sputo sanguinis, vel puris, imminentem prævenient, quæ de curatione sputi sanguinis, & empyematis dicta sunt.

Inchoatam verò Phthisim, immò & productam plerique jactant se feliciter curasse. Avicenna, Mesues, Valescus, de Taranta, Valleriola, Zacutus, aliique saccharo rosaceo. Idemque Valescus aliàs cum pulvere Haly. Philippus Ingrassias decocto ligni sancti: sicut & Riverius solis passulis, & decocto hordei, ac glycyrrhizæ. Quercetanus syrupo ex succo hederæ terrestris suæ descriptionis, cum floribus sulphuris. Et Cardanus decocto caudarum, & chelarum cancrorum in aqua hordei. Refert Boyle Medicum quendam fumo sulphuris, succini, & betonicæ, vel tussilaginis Phthisicos sanasse. Alibi etiam memorat, ad tussim Phthisicam mirificè contulisse passulas majores exacinatas, rutæque summitatibus infarctas, & mane comestas. Et Petrus Borellus cujusdam Pharmacopœi meminit, qui utebatur butyro, è lacte muliebri elicito, tamquam arcano optimo ad tabem; additque nullum remedium illo præstantius esse. Paracelsus commendat unguentum compositum ex axungia, & medulla Cervi cum oleo de baccis lauri: quo vult ægrotum manè, & vesperè inungendum esse quousque urina mutetur: sordes tamen prioris inunctionis singu-

Lib. 3. f. 10. tr. 5. cap. 6. cap. de Phthisi. Lib. 3. c. 11. Lib. 5. obs. 5. obs. 130. lib. 1. prax. ad mir. V. monitum Sylvii in hujus usu l. 1. prax. c. 34. n. 100. Consil. pro Duce Terræ-novæ, & Marcell. Don. l. 3. c. 10. Cent. 1. obs. 99. In Pharmacop. rest. Sect. 3. m. im. cur. 8. De util. Philos. exper. 5. s. c. 6. Cent. 3. obs. 82.

singulis vicibus detergendas aqua, & aceto simul bullitis. At hæc plerumque fallunt, & conceptam spem salutis sæpissimè eludunt.

Lactis usu, atque aeris in meliorem mutatione, aliquid emolumenti Phthisicis quandoque accidit: maxima enim utrisque vis inest; lacti quidem in alendo simul, & corrigendo sanguinis vitium; aeri verò in pulmonis obstructiones, ac superfluitates dissolvendo, absumendoque.

Verùm nonnulli temerè lac exhibent, cùm pure pulmo est gravatus, ulcus sordidum, & sputum nedùm purulentum, sed copiosum est; ventriculus elanguet, aut acore infestatur, vasa chylifera, & glandulæ Mesenterii, ac lumborum obstructæ, aliove simili modo reliquę partes corporis affectæ sunt, maximo ægrorum nocumento: etenim à lactis usu sordescit magis ulcus, pulmo laxatur, alvi solutio suboritur, vel vomitus, febris augetur, venter inflatur, & alia incommoda gravissima sequuntur, quæ longè majora erunt, si aliquid eorum accedat, quæ memorantur ab Hippocrate 5. *Aph.* 64. Hinc paucissimos invenies, quibus illius usus fuerit salutaris. Porrò qui opem aliquam exindè experti sunt Phthisici è pulmonis vitio non fuerunt, sed simplici atrophia correpti.

Majus, tutiusque ab aere juvamen planè sperandum, si is purus, serenus, ac mitis sit, ex quo ulcus pulmonis detergi, & sanies sensim reficcari possit. Undè Galenus Phthisicos suo tempore Stabias mittebat: siquidem pervadens pulmonis meatus aer, ac ejusdem vesiculas pertingens, efficacissimam opem præstat, quam aliundè sperare non est. Num verò tenuem eligere deceat, an paulò crassiorem, montanum, aut campestrem, deducit scitè VVillisius *hoc loco* ex varia pulmonum, sanguinis, & corporis patientis constitutione, ut propterea aliquibus tenuior, aliis crassior profuturus sit. Fugiendus tamen omninò humidus, austrinus, palustris, & minimè perflatus, utpotè qui fluxiones adauget, pulmones opplet, & conspurcat, saniemque cumulat. Quamobrem non video, cur tantoperè commendetur indiscriminatim à Nostratibus aer maritimus ad Margellinæ oram, ventis australibus perpetuò expositus, ideòque promovendis fluxionibus aptissimus.

Gal. 5. M. c. 12. vocat Tabias.

Sect. 1. c. 6. p. 2. Pharmac Rat.

V. Gal. lib. 5. meth. c. 8. & 12.

Simul cum aeris mutatione haud inutile erit aliqua in curationem Phthiseos tentare, ne saltem omni spe se destitutos tabidi existiment, desperatisque rebus, errorem in victu committant. Quare vulnerarias potiones perquàm commodum erit exhibere, cum sulphureis medicamentis pectori amicis; potissimùm verò balsamo sulphuris anisato, cui vis præcipua inest ejuscemodi ulcera abstergendi, & à sanie mundandi. Elixir proprietatis Helmontii etiam optimum erit. Efficaces quoque aliquando expertus sum trochiscos à P. Barbette descriptos in sua praxi, addendo ad parem dosim oculorum cancrorum, stibium diaphoreticum. Bezoarticum animale Hartmanni, ex carne viperarum elicitum, etiam prodest: & aqua stillatitia hederæ terrestris ex Paracelso.

Cap. de Phthisi.

Intereà vitentur acida, glutinantia, cruda, humida, frigida, quamvis tabes hæc omnia videatur expostulare: nisi enim ulcus abstergatur, & pus omninò repurgetur, tantùm aberit, ut nutriant, ut potiùs inquinent, saniem cumulent, & pulmonem relaxent, aut oppleant; cùm tamen præcipuum in Phthisi curanda sit, ulcus pulmonis detergere, ac emundare, & pus, ac quicquid Thoracis cavum,

vum, aut ſpiritales partes occupat, educere, & expectorare: quibus neglectis, cætera fruſtrà tentabuntur; at verò à pure deterſo ulcere, ſponte naturæ reliquum complanabitur, & carnes abſumptæ reſtituentur.

Aliæ Phthiſis ſpecies, ab aliis cauſis ſuperiùs memoratis exortæ, per ea, quæ prædictas cauſas removent, aut corrigunt, ex alibi dicendis curabuntur.

DE CORDIS PALPITATIONE.

Motus ille cordis inordinatus, & nimis vehemens, quo videtur à ſua ſede dimoveri, & tam violenter aliquando pectus percutitur, ut ſtrepitum edat, & igneam celeritatem imitetur, palpitatio à noſtris appellatur, Græcis παλμός.

Multifariàm accidere ſolet, & ipſe non ſemel obſervavi ægrotos palpitationi obnoxios, tam inæquales in motu cordis, & arteriarum diſtorſiones pati, ut referrent ſe percipere in ea regione motum irregularem epilepticis ſimilem, unde animo quoque, & mente deficiebant: quamobrem ejuſmodi motus omninò diverſus à conſueto videbatur, qui à VVilliſio Tremor cordis dicitur. Aliquandò verò palpitatio præſetulit vehementem, velociſſimumque motum cordis, & arteriarum, in quo tamen contractiones, expanſioneſque internoſcebantur. Quandoque etiam inordinatum cordis motum non compatiebantur arteriæ. Hinc ſuſpicor pro diverſitate cauſarum diverſimodè cor in palpitationibus affici. A ſanguine acidiori reddito, vel conſimilibus halitibus infecto, ut in ſcorbuticis, & hypochondriacis, affectus hic etiam ſenſum diſtorſionis refert, cum indè fibræ illius, & interna ſuperficies acutiùs irritata inæqualiter corrugentur, & percellantur; atque ſi ab ejuſmodi acido ſanguis concreſcat, & remoretur; præter palpitationem interitus accidet. A tuberculis, lapillis, vermibus, aliiſque in corde præter naturam genitis, immunes erunt, vel ſaltem leviùs afficientur arteriæ. A ſanguine acriori, ſed non ſufficienter ab Aorta ſuſcepto, palpitationem comitabuntur pulſationes arteriarum inæquales; at verò in corde tales, quæ etiam tactu diſcernentur. A ſero in Pericardio abundantiùs collecto (quod inter cauſas morbi hujus referunt ex Galeno plerique, experimentis in Simia, & Gallo habitis) Palpitationem minimè fieri arbitratur Isbrandus de Diemerbroeck, cùm viderit ex copioſiori ſero dilatatum Pericardium, ex quo commodiùs cor intra ipſum expandi poſſe cenſeat; ſolùm autem pulſum exindè reddi languidum, & rarum. Et quidem eo loco Galenus meminit ſe in Simia, & Gallo obſervaſſe tumores in Pericardio genitos, quorum alter hydatidas, alter verò ſcirrhum referebat.

5. De loc. aff. 2. Riol. art. med. par. ſ. 1. tr. 2.

Anat. l. 2. cap. 5. V. Richard. Lovver. de corde c. 2.

Variæ prætereà obſervantur palpitationes cordis à cauſis procatarcticis inductæ. Nonnullos novi ab eſu caſtanearum, & leguminum hujuſmodi incommodum ſubiiſſe, quod pulſus intermittens certo ictuum intervallo comitabatur: & alios, qui à potu copioſiori meraciorum vinorum idem malum ſuſtinuerunt. Vivit adhuc quædam Virago, quæ quoties iraſcitur, ſaltum inæqualem patitur cordis, & arteriarum, tanto impetu, ut toto corpore tremat, videaturque vehementiſſimo rigore, aut horrore corripi. Referuntur ab aliis alii, qui ex inopino timore idem paſſi ſunt. Ex ſuppreſſis menſtruis paſſim occurrunt in mulieribus alię palpitationum ſpecies; itemque ex hypochondriorum

rum perturbationibus, quæ sanè non uniformem exhibent cordis tremorem. Hinc credere licebit è varietate causarum cor gravantium, opplentium, stimulantium, inflantium, ejusdemque ductus impedientium, aut alio quocumque modo afficientium, inordinatos, & tremulos motus varios in illo concitari, quos generaliori nomine palpitationes Medici appellare consueverunt.

His addere non inutile existimavi, me aliquando causam hujus deprehendisse non quidem in corde, ejusque sinubus, arteria magna, aut pericardio, sed in venæ cavæ ascendentis ramo, qua parte auriculæ dextræ cordis adjungitur: ibi enim tenax, & viscosus humor concreverat, atque arctam nimis influenti sanguini viam reddiderat; undè palpitatio, & mors subsequuta est.

V. Kerckring. obs. Anat.

Plures alias causas præ cæteris recenset Ballonius, atque illas vel in ipso corde, & partibus adnexis, vel in locis remotioribus constituit; undè idiopathicè, vel sympathicè afficiatur.

Consil. lib. 1. cap. 15.

Observationibus autem innotuit à flatibus, aut vaporibus illatam palpitationem citissimè desinere, præsertim ructibus frequentioribus. Si tamen ab affectione hypochondriaca, vel scorbutica, illi dependeant, diutiùs vexari solent ægroti; sicut pariter si ab utero in fœminis oriantur. Si ex abscessu, tuberculo, lapide, cor palpitet, & graviùs, & indesinenter æger torquebitur. Ex vermibus verò, præter saltum, percipiet patiens veluti morsum, cum dolore in sinistro latere; quin & aliquando lipothymiam experietur: Ab aqua in pericardio diminuta, vel adaucta, ac putrefacta, sequitur Tabes, vel Hydrops.

V. Schol. Holler. cap. 29. de Morbis intern. & Saxon. prælect. pract. p. 2. c. 1. §. 3.

Quamvis valdè gravis sit hic morbus, solet tamen aliquandò sponte sua desinere, cùm aliundè quàm à corde originem ducit, & à vaporibus facilè difflabilibus dependet. At verò si sæpiùs repetat, vel fixam habeat in corde causam, illamque lipothymia comitetur, repentinum interitum minatur.

Qui à flatibus, & vaporibus morbum hunc oriri putant, flatus discutientia medicamenta præcipiunt, atque exteriùs cordis regioni admovent Theriacam vino albo veteri lotam, vel etiam decoctum rorismarini, pulegii, cumini, croci; exhibitis intereà diambra, diacinnamomo, confectione, vel tinctura alkermes, elixire vitali, & proprietatis, aqua vitæ Matthioli, & similibus.

Si vermium suspicio adsit, approbat Richardus Lovver cataplasma è foliis cinaræ, tanaceti, & absinthii vulgaris, aceto vini albi acerrimo incoctis, & cum mithridatio mistis, quod regioni cordis applicat. Usus allii manè assumpti ab aliis mirificus dicitur: de qua re notabilem historiam narrat Jo: Hebenstr. relatus à Boneto *in Anat. Pract.* Speciatim de his vermibus in corde, vel Pericardio genitis agit Hartmannus *in sua praxi*, aitque, morbum esse virginibus familiarem, atque dignosci à punctionibus, & doloribus cordis, cum convulsione; Curari verò usu Mercurii vivi purgati, & mortificati ad scr. j. cum conditura rosacea ad unc. ß. & granis ij. benzoini pulverati; vel ejus loco aqua, in qua idem Mercurius sit infusus, aut elixus: vel, ut mavult Cardilucius, destillatus: Post excretos lumbricos, convulsionibus, & paroxysmis recurrentibus occurrit, extracto allii, raphani sylvestris, & nasturtii aquatici ad scr. j. in jure.

Tract. de Corde.

L. 2. s. 8. obs. 25.

V. Arc. Alex. Pedem.

Si ab obstructione, scorbutica, vel hypochondriaca affectione, cordis palpi-

palpitatio oriatur, opem ferent humores deducentia, antiscorbutica, & antihypochondriaca, præcipuè verò ex chalybe composita; sicut pariter quæ alkalia dicuntur, & acria, atque amara sunt, ut raphanus sylvestris, cochlearia, nasturtium aquaticum, absinthium, centaurium minus, crocus, camphora, potissimùm si ex his salia eliciantur, aquæ, vel spiritus. Ita quoque, si tremorem referat, vel motum epilepticum, adhibeantur, vel saltem commisceantur cardiacis, quæ ex succino, castoreo, sale ammoniaco, aliisque conficiuntur adversùs epilepsiam.

A cæteris causis non adeò notis, prodesse solent Cardiaca ex croco, cinnamomo, ambaro, ligno aloes, moscho, cæterisque parata. Theriaca etiam, & Mithridatium hìc locum habent: confectio alkermes, diambra, diamoschum, atque ex his tincturæ. Oleum cinnamomi efficacissimum est, itemque aqua vitæ Matthioli, aqua magnanimitatis, elixir vitæ, & proprietatis, spiritus cardiacus Tentzelii, spiritus theriacalis, si præsertim bezoardicis adiiciantur. Spiritus melissæ solus curat, inquit Jo: Faber, cordis palpitationem. Tinctura insuper Antimonii mirabiliter aliquandò profuit ad plures dies exhibita, roborando simul, & causam morbificam fugando. Ex sale ammoniaco, sale tartari, & cinnamomo, in spiritu vini, elicitur spiritus magnarum virium, nec solùm in hoc, sed etiam in aliis affectibus efficacissimus. Ab Hartmanno ad inveteratam cordis palpitationem commendatur mumia hominis sani aliquoties in aqua cinnamomi assumpta: itemque aqua theriacalis Crollii, & camphorata ejusdem. Ab aliis alia plura proponuntur, sed hæc satis.

DE SYNCOPE, *Cæterisque animi defectionibus.*

QUatuor hìc Medici distinguunt, Ἔκλυσιν, λειποθυμίαν, seu λειποψυχίαν, συγκοπὴν, & ἀσφυξίαν. In prima leviter ægri animo deficiunt, in secunda graviùs, in tertia gravissimè, in quarta demùm morti ferè proximi fiunt. Differt autem Lipothymia à Syncope ex Gal. 1. *de arte Curat. ad Glauc. c.* 14. quòd illa tanquàm levior hanc longè graviorem præcedat; undè imperfecta syncope appellatur, cùm sensus in illa non penitùs deficiant, neque ex Aetio sudor accedat, sicut in syncope, quæ Galeno 12. *meth. cap.* 5. præceps virium lapsus dicitur. Tetrab. 2 serm. 1. cap. 101.

Animum deficere ferè communiter ajunt, si spiritus vitales non generantur, vel geniti dissolvuntur, aut inquinantur, suffocanturque. Non generantur autem, cùm deficit, aut inepta est materia, seu alimentum: Geniti verò dissolvuntur à malignis, venenatisque humoribus, aut vaporibus: à nimio æstu: à motu, inedia, vigilia, usu Veneris, & evacuationibus quibuscumque, cùm modum non servant, & vehementibus animi pathematis, & doloribus acutissimis, diùque perseverantibus. Inquinari demùm, & suffocari dicuntur à crassis, crudisque succis, à ciborum, potuumque copia, à fuliginibus retentis, à subito confluxu eorundem spirituum, & sanguinis in cor, simul cum crassis vaporibus ab imo ventre elevatis, aliisque similibus.

Verùm non desunt qui aliis omninò diversis causis defectiones animi adscribendas existiment. VVillisius illas refert ad varia sanguinis vitia, spirituumque animalium defectum: in sanguine namque, & animalibus spi- Pharm. rat. 1. s. 6. cap. 1.

ſpiritibus vitam, cunctaque vitam conſequentia, conſiſtere is arbitratur. Sylvius etiam Deleboe omne animi deliquium fieri credit ab ipſo ſanguine ad cor accedente, ſi cum illo miſceantur, quæ ipſius naturalem æſtum ita turbant, & immutant, ut indè cor non ſatis expandatur, contrahaturque, nec ſanguis ſufficienter in arterias effundatur. Unde autem ejuſmodi vitia ſanguini accedere poſſint, luculenter explicat, deducitque ex pluribus, quæ cum ſanguine conjuncta ſunt, eidemque aſſiduò ſuggeruntur; præſertim autem aere, chylo, lympha, bile, ſucco pancreatico, ſi ſcilicet excedant, vel deficiant, aut alio vitio afficiantur. Speciatim verò ſyncopem oriri ait ab acido, majori copia ad cor deducto, cum aliorum humorum glutinamento: & inſuper, ab halitibus etiam acribus è tenui inteſtino aſſurgentibus, & ad cor per ductum Thoracicum tranſmiſſis, ac ſanguinis fermentationem turbantibus. Neque verò ſilentio prætermittendus Helmontius, qui ſyncopen, ſicut & alias cordis, & cerebri ægritudines malè affecto ſtomacho adſcribit.

Prax.lib. 1.cap.34.

Eod.l.n. 66.

Cap.19. n.56.

T. Sedes Animæ, & jus duumvirat.

Sectis prætereà cadaveribus ſyncope interemptorum detectum eſt plurimos à concreto in ventribus cordis ſanguine, aliove humore ibidem ſtagnante ejuſmodi morbi genere affectos periiſſe: alios à vermibus, & lapillis: alios à craſſis, viſcoſiſque ſuccis in vena cava, & auricula dextra cordis hærentibus: alios ab effuſo in pulmones ſanguine, alios ab inflammatione Pericardii, ulcere, ſanieque cor obſidente: & quod majus, à Pancreatis, ventriculi, & præcordiorum abſceſſibus. Undè tam variæ eſſe poſſunt deliquiorum cauſæ, ut ſana ratione ſolis ſpiritibus vitalibus deferri minimè poſſint, quos in ſola ſanguinis vivida parte conſiſtere aliàs oſtendimus. Quare ſi vitia ſolidarum partium excipias, certè ab uno ſanguine quicumque defectus animi dependent, & potiſſimùm cùm is exſolvitur, & defloreſcit, cùm concreſcit, & in grumos vertitur, ſeu novo pabulo deſtituitur, aut in ſuo motu interturbatur, ſive etiam aliò, quàm quò debet, effluit, vel violentiùs, quàm par ſit, irruit. Ex his enim nedum leipothymia, aut ſyncope, ſed etiam mors repentina accidit.

Syncopen comitantur pulſus languidus, & penè deficiens, pallor faciei, partium extimarum refrigeratio, ſudor circa frontem, & cervicem, repentinus caſus, & languor univerſalis. In Leipothymia hæc omnia, ſed aliquanto leviora obſervantur; & longè mitiora in Ε'κλυσει. Ab iis autem, quæ præceſſerunt, & à concomitante alia ægritudine, à duratione, & ab adjunctis præter morem ſymptomatis, cæteriſque, de cauſis coniicere licebit. Cæterùm internoſcetur ſyncope, & leipothymia ab epilepſia per motus convulſivos, qui hunc affectum ſolummodò comitantur: ab apoplexia, per ſudorem, partium refrigerationem, & pulſuum languorem, quæ in apoplexia deſunt: ab uteri præfocatione, per reſpirationem; in hac enim affectione, deficiente reſpiratione conſtant pulſus, ſecùs ac in ſyncope.

Inter lethales affectus accenſendus hic eſt, nam ſi diù perduret, atque à cardiacis, & exhilarantibus non deſinat, fixam denotans in ſanguine, & præcordiis, affectionem, certò perimit. Perículoſior eſt, quæ citra evidentem cauſam accidit, & ſæpiùs repetit; undè Hippocrates 2 *Aphor.* 41. *Qui frequenter, ac fortiter abſque cauſa manifeſta deficiunt animo, repentè moriuntur*. Minùs verò periculo-

V. Gal. in com.

culosa est, quæ à patente causa procedit : huic enim faciliùs occurri potest.

Confert in faciem languentis insperfus illicò spiritus, vel aqua rosarum, florum malorum aureorum, aut medicorum, liliorum convallium, cæterorumque hujusmodi. Tempora, nares, palatum, arteriæ in carpo, & cordis regio inungi poterunt oleo, vel balsamo succini albi, cinnamomi, caryophyllorum, rutæ, melissæ, citrii, de scorpionibus Matthioli, aut M. Ducis. Odor Ambari, & Moschi, citò etiam succurrit. Cavere autem oportet in fœminis tum ab his, tum à reliquis rebus odoris. Theriaca quoque, & Mithridatium opem ferent, si vino veteri, & odorifero diluantur. A spiritu vini, vino ipso, & cujusvis generis elixire non leve emolumentum sperandum est. Neque solùm prædictæ partes, verùm etiam volæ manuum, & plantæ pedum his sæpiùs abluantur; atque intereà calidis fomentis fovendæ, itemque perfricandæ præsertim cum sale communi trito ad promovendum sanguinis motum. Si verò æger quidpiam assumere valeat, offerri poterit aqua cinnamomi cum elixire vitali, tinctura confectionis alkermes cum oleo cinnamomi, julep vitale, & auratum, essentia melissæ, & croci, aqua theriacalis, & magnanimitatis, tinctura salis tartari, spiritus salis ammoniaci in formam julapii redactus, & id genus alia, quæ vulgò cardiaca appellantur.

In praxi. Notat autem Hartmannus in Leipothymia ex stomachi vitio prodesse primùm, quæ vomitum movent, deindè quæ roborant, ut oleum zedoariæ, essentia melissæ cum spiritu vini, & aliquot guttis olei juniperi: id quod etiam observandum in Leipothymia ex veneno assumpto, si adhuc ventriculi cavum occupet; immò vomitorium ex pinguibus, & oleosis conficiendum, ut vis, & acritas veneni retundatur, ac ventriculi tunicæ obliniantur, ne ab illo patiantur erodi.

Pari ratione, transacto paroxysmo, peculiariter occurrendum causis, ex quibus Leipothymiam, aut syncopen ortam fuisse suspicamur: idque potissimùm ne redeat, & vehementiùs affligat. Quare si ab effœto, deficienteque sanguine illa proveniat, restaurantibus utendum, aromatis, & alimentis sale volatili præditis, præsertim autem vino, vel simplici, vel medicato, in quo scilicèt acria vegetalia sint infusa, cinnamomum, caryophylli, piper, pyrethrum, rosmarinus, salvia, nux odorata, cardamomum, calamus aromaticus, lignum aloes.

Si à concrescente sanguine dependeat, dissolventia expostulabuntur, spiritus, & sal volatile C. C. salis ammoniaci, & viperarum, elixir magnanimitatis, spiritus vini. Cùmque ejusmodi vitium plerumque ab acidis vaporibus, vel humoribus sanguini inferatur, usu acrium, & amarorem præseferentium emendabitur, vino absinthite, elixire proprietatis, tinctura ligni aloes, sale centaurii minoris, extracto gentianæ, & similibus. Proderunt quoque quæcumque acidum nedum temperant, sed absumunt, ut præsertim sunt ex Antimonio parata, diaphoresim promoventia, itemque ex C. C. dictamno, contrayerva, scordio, aliisque elicita.

Si defectu alimenti oriatur, reficientibus, nutrientibusque cibis deficiens sanguis reparetur: non tamen tanti sint, ut potiùs opprimant; undè satius erit sensim, & per intervalla reficere.

Si à vehementibus animi pathematis, ut præcipuè contingit in panico terro-

terrore, violenta iracundia, repentino gaudio, ingenti mœrore, postquàm æger ex inspersis liquoribus resipuerit, blandè in oppositas affectiones deducendus est.

Si ab hæmorrhagiis, irruptionibus, depositionibusque sanguinis, aliorumque humorum evacuationibus Leipothymia, aut syncope procedat, sistendus ille, cùm fluit; dissolvendus verò, & per sudorem, si fieri potest, difflandus erit, cùm alicubi consistit, per sæpiùs repetita medicamenta utrumque scopum attingentia, ut sunt oculi cancrorum, sperma ceti, mumia, sanguis hircinus, stibium diaphoreticum. In aliis verò humorum immodicis evacuationibus, roborantia, & opiata conferent.

Si ab irruente in cor, & præcordia sanguine, Syncope habeatur, difficile quidem erit illum sistere; at verò stagnantis sanguinis dilutio, & promotio, posca cum spiritu camphoræ, adjuvanda; adhibitis etiam extrinsecùs cordis regioni dissolventibus ex aceto theriacali, theriaca ipsa, vel mithridatio cum aceto stillatitio dissolutis: Præter ea, quæ internè eandem opem ferunt, mox recensita.

Si denique ab abscessibus, lumbricis, calculis, aliisque in corde, ejusque Pericardio genitis, itemque à viscosis, tenacibusque humoribus in ductibus illius hærentibus syncope contingat, omni conatu, & quo citiùs fieri possit, maturationi tumor subiiciatur, indeque sanies detergatur, & expurgetur: vel, quod melius, insensibiliter resolvatur, aut in sudorem extenuetur. Lumbrici enecentur, & depellantur, ut in palpitatione dictum. Calculi per lithontriptica comminuantur, & egerantur. Et demùm viscosi, tenacesque succi incidentibus, & attenuantibus, ad alvum, vel vesicam deturbentur.

Haud dissimiliter, pro causarum varietate, varia victus ratio institui debebit, & aliquando plenior, aliquandò parcior, nunc hujus, nunc alterius conditionis, crebriùs, vel rariùs, ut ex dictis perspicuum esse potest.

DE MORBIS IMI Ventris.

QUo ordine natura in imo ventre viscera disposuit, eodem & nos, distinctioris doctrinæ gratia, illorum ægritudines prosequemur.

DE ÆGRITUDINIBUS Ventriculi:

Et primò

DE CARDIALGIA.

SI cardialgiæ etymon spectetur, cordis dolorem significat. At apud Medicos molesta stomachi, seu orificii superioris ventriculi affectio hoc nomine appellatur, quod vetustioribus Græcis ex testimonio Galeni 2.*meth.cap.*2.*&* 4.*aphor.comm.*65. καρδία dicebatur. V. etiam 2. de plac Hippoc. & Plat.

Neque solùm stomachus dolore affici potest, sed etiam ventriculus universus, cùm totus sensu præditus sit, quamquam longè acutiùs ille doleat ob copiosiores nervos, qui per eam partem diffunduntur. Speciatim verò tribuitur ventriculo anxietas à nonnullis, qua detenti accubitum non sufferunt, sed assiduò situm, & figuram evariare coguntur. Meminit quoque Galenus alterius ventriculi dolorificæ affectionis, quam attritionem appellat, eamque à cibis Ventriculum torquentibus, & atterentibus fieri scribit. His Ventriculi V. Galen 7. Aph. com. 56. & 2. protrh. 44.

dolo-

doloribus addunt plerique Morbum illum à Celso *lib.3.cap.19.* memoratum, & Cardiacum dictum. Verùm Celsus eo loco dolere ex hoc morbo Ventriculum minimè asserit, immò illum describit: *nimiam esse imbecillitatem corporis, quod stomacho languente, immodico sudore digeritur;* undè verisimile est, deesse dolorem in hoc morbi genere, cui tanta corporis, & virium exolutio contingit: quamobrem Galeno *lib. definit. Medic.* Cardiaci dicuntur, qui propter oris Ventriculi languorem animo deficiunt, & sudoribus exsolvuntur; & *primo de caussis symptom. cap.7.* Cardiaca affectio Syncope stomachica appellatur. Cardiogmon denique, quem nonnulli cum Cardialgia confundunt, alii ad Cordis palpitationem potiùs referunt, putantes esse crebrum, & velocem Cordis motum, palpitationi similem, ut testatur idem Galenus *cit.4. Aph.65.*

Lib. de præcogn. ad Posth. c.11.

Fieri putant ejusmodi Ventriculi dolorem, seù Cardialgiam ab humoribus, vel vaporibus acritudinem, & mordacitatem præseferentibus, qui vel in eodem ventriculo, potissimùm ex corruptis cibis, progigni, vel ab aliis visceribus ad illum confluere creduntur; undè tunicæ exquisito sensu præditæ percelluntur, & dolent. A vermibus prætereà Cardialgiam inferri sæpè observatum est: sicut pariter à calculis, erysipelate, apostemate, tùm in ventriculo, tùm in pancreate, adjunctisque visceribus, venenis, cathartico medicamento, lacte coagulato, cæterisque similibus. Verùm ab acido potiùs exuperante in suo *Triumvirali* humore cardialgiæ causam deducit Fr. Deleboe Sylvius; indè enim halitus elevatos, & ad superius ventriculi orificium ascendentes, cùm acriores fuerint, dolorem molestum, & cardiacas febres parere putat.

Lib. 1. prax. cap. 34 n.68.

Quamvis autem vellicantes hos humores ferè omnes existiment ab aliis visceribus, & præsertim à jecore, cùm præter naturam afficitur, in ventriculum pervenire: id tamen rationi non videtur consentaneum, detecta sanguinis circulatione. Quare probabilius est ex arteriis, & ramo cœliaco illuc confluere; vel potiùs è glandulis in ventriculo sitis exsudare, indeque vitiari succos illos, qui fermentationem, & ciborum dissolutionem promovent: quamobrem sicuti isti cùm convenientem conditionem acido-acrem nanciscuntur, levem titillationem stomacho, & ventriculo afferunt pro famis stimulo: ità cùm depravantur, & vitiosi fiunt, cardialgiam inferunt; quinimmò cum saliva, & cum reliquiis ciborum in ventriculo commisti, indebitam fermentationem excitantes, magis cumulantur, & in varios, dissimilesque succos convertuntur, ferri æruginem, porrorum succum, vel mali citrii colorem referentes.

Contingit aliquandò porum felleum natura tàm proximum Pyloro superfluitates biliosas è sua cysti deponere in duodenum intestinum, ut subindè aliquibus quacumque ex causa nedum cardialgia, verùm etiam vomitus accidat. Anatome pariter innotuit quandoque recta bilem in ventriculum exonerari; undè moti quidam illam credidere confectioni ciborum necessariam. Sed hoc rarum est, & monstrosum.

Haud insuper prætereundum, suboriri non raró ex mala, inconvenientique mistura succi pancreatici, & biliosi cum præterfluente cibo, dolorificam fermentationem, ob quam intestinum duodenum, aut jejunum, acrem, & lancinantem dolorem patiatur, qui fermè mentitur cardialgiam.

giam. At hic dolor infra stomachum percipitur, & post chyli secretionem sponte sua desinit. Non tamen inficias ibo ex halitibus indè in pylorum, & ventriculum assurgentibus interdum has etiam partes affici, ut præsertim accidit quibusdam hypochondriacis, qui postmodùm iteratis ructibus istiusmodi molestia liberantur.

Has easdem causas quoque consequi dolorificum alium ventriculi affectum, quem ardorem stomachi nuncupant, fas est opinari, cùm experiamur in sanis, ab ingestis cæpis, allio, porro, pipere, & similibus ardorem hunc excitari; undè coniicere licet consimiles succos in his, qui hoc morbo corripiuntur, progigni; ex depravato scilicet ventriculi fermento, vitiatis humoribus bilioso, & pancreatico, itemque ex corruptis alimentis, ut in scorbuticis, & hypochondriacis potissimùm est observare. At, non quia ardoris sensum ejusmodi affectus refert, à solis acribus, & calorificis induci posse quis existimet; nam experimento satis, superque constat, acidos liquores unà commistos ingentem ebullitionem excitare cum manifesto caloris sensu: quin & scorbutici ut plurimùm, & hypochondriaci de ardore stomachi conqueruntur, qui tamen acido superabundant.

Periculo non vacant stomachici, ob exquisitum ejus loci sensum, & ob imminentem leipothymiam, cùm cor facilè ad passionem stomachi in consensum trahatur. Gravius verò erit, si partium extremarum frigus accedat, cum sudore glutinoso, aut si
7. Aph. 1. 4. Aph. 65. cum febre conjungatur. At ab externis causis inducti dolores leviores esse solent, quàm si à latente causa procedant. Minùs quoque mali sunt, si ventriculum solummodò infestent, illæso stomacho; quamvis ab affecto pyloro progeniti gravissimi adhuc sint, ex Helmontii documento. Ab assumpto denique veneno, aut cathartico medicamento, periculum quoque involvunt; pariterque à lumbricis, & abscessibus. Semper autem securiores, si citra febrim sint, cùm plerumque vomitu, vel dejectione sponte naturæ terminentur.

Si itaque dolor stomachi, aut ventriculi sine febre fiat, cum vertigine, oris amaritudine, & cibi fastidio, *purgatione*, inquit Hippocrates, *indigere per superiora significat*. Subditque *dolores, qui sunt supra præcordia, dummodò expurgatione egeant, medicari oportere per superiora; qui verò infrà subsistunt, per inferiora*. At si febris copuletur, cautiùs cum purgante medicamento, sive per supera, sive per infera, agendum est, ne fortasse ab erysipelate, aliove tumore inductus dolor exasperetur, & necem afferat. Quod omninò etiam observandum, si humores in cavo ventriculi, & tenuium intestinorum minimè innatent, ut medicamento educi promptè nequeant. Assumptum etiam venenum quamdiù in ventriculo substiterit, vomitu egeri poterit, sed ex laxantibus, & oleosis; at cùm penitiores partes pervaderit, cujuscumque purgantis medicamenti operam eludet; quamobrem alexipharmacis tùm potiùs utendum, & potissimùm ex Theriaca elicitis.

4. Aph. 17 Aph. 18. V. Gal. 1. ad Glave. 14. & Hor. Augen. t. 1. epist. 6. & Vallesf. 2. epid. sect. 2.

Sæpiùs cardialgia curata est remediis acritudinem succorum temperantibus, & anodynis, cùm ab acribus frequentiùs inferri consueverit; unde modò acidis adversùs humorum acrium vitium, & modò acribus adversùs acida excedentia occurrere oportebit, admistis semper opiatis dosi conveniente. Comitem febrim si habeat, videaturque corpus picro-

cholum, potiùs acidis insistendum, dilutis tamen aquis ex plantagine, scorzonera, carduo benedicto, adjecta portione laudani opiati ad grana ij. vel iij. & per vices cochleatim assumptis. Si verò febris desit, & habitu melancholico patiens sit præditus, aromatis utendum, aqua cinnamomi, vitæ Matthioli, elixire proprietatis Helmontii, cum memorata dosi laudani opiati. Summè quoque conferunt corallia rubra præparata, oculi cancrorum, ebur, cornu C. bolus Armenia, terra Melitensis, cortices ovorum, magisterium concharum, tellinarum, & conchyliorum, atque omnia alkalia, & bezoardica, acorem humorum temperantia, imbibentia, aut præcipitantia. Externè, scribit Helmontius, se vidisse sanatum dolorem istiusmodi, apposito emplastro fragranti suprà stomachi regionem. Et Hartmannus laudat epithemata ex chamæmelo, malva, & ex oleo chamæmelino cum terebinthina distillato.

T. Imago Ferm. menti impr.

Si verò ex cruditate, aut ex corruptis cibis oriatur, vomitu curari solet, cui succedant roborantia tùm interna, tùm externa. Quæ ex mentha, absinthio, nuce odorata, mace, cinnamomo parantur, optima sunt. Hujus generis fuit medicamentum in attritione ventriculi à Galeno exhibitum: nempè epotum vinum cum pipere; & oleum nardinum lana exceptum, & ori ventris applicitum. Cavendum autem ne medicamentorum importunorum usu magis magisque ventriculus delaxetur, & langueat cum manifesto vitæ periculo.

V. Bayr. l. 11. c. 9.

A cæteris causis, putà vermibus, abscessibus, & adjacentium partium affectionibus inducta cardialgia remediis suprà memoratis curanda, aliisque suo loco referendis. In fragmentis Vitri devoratis adnotat Keckermannus, & Helidæus apud Hofmannum prodesse pulmentum ex frumento saracenico, & terebinthina confectum. Sed & Terebinthina sola efficax est.

Eisdem remediis ardor stomachi corrigendus erit, ac prætereà instituto victu simplici, & mediocri, cavendo acria, & acida; quamvis hæc in picrocholis sint profutura; sed potissimùm juvat spiritus salis dulcis, & vitrioli purificatus, itemque spiritus sulphuris per campanam elicitus, ad guttas aliquot in primo potu.

Postremò ad ventriculi tumorem cum inflammatione commendatur aqua plantaginis cum syr. papaveris erratici, extractum hyperici, ejusque sal; tinctura florum, & seminum utriusque, saccharum Saturni cum nitro præparatum, & nitrum ad grana IV. vel V. in aqua rosarum, vel plantaginis. Deinceps verò, ut tumor dissolvatur, Antimonium diaphoreticum Bezoardicum minerale, spiritus tartari in aqua scabiosæ, atque alia curandis inflammationibus opportuna usui esse possunt. Dolores denique ventriculi mirificè sedare dicitur ex Platero gummi Hederæ à scr. I. ad dr. I. in convenienti aliquo liquore sumptum.

DE SINGULTU.

MUlti Medicorum singultum fieri putant, cum ventriculi orificium superius, & sinistrum, tantummodò afficitur; Alii verò ad totius structuræ vitium referunt. At Platerus diaphragmati illum attribuit, cui inhæret Deleboe Sylvius *lib. 1. prax. cap. 23. n. 9.* affirmans motum esse voluntarium, atque à se, pluribusque aliis pro libitu excitari: In quam eandem sententiam descendit Richardus Lovver *tract. de Corde c. 2.* Hip-

Ex Gal. 5. de loc. aff. cap. 6 & 6. aph. com. 39. 2. de sym pt. caus. cap. 6. & 7. Aph. comm. 3.

6. Aph. 39.

Hippocrates etiam, cùm illum ad genus convulſionis reducat, videtur potiùs in muſculi, hoc eſt, diaphragmatis læſionem, irritationemque revocare. Convulſionem quoque appellat Galenus 5. *Aph. comm.* 4. *&* 7. *Aph. comm.* 3. vel ſaltem motionem convulſionis ſpeciem referentem 4. *de rat. vict. in acut.* 69. *&* 1. *prorrhet.* 23. Convulſio autem, ſeu convulſionis motio propria muſculorum affectio eſt, ex doctrina ejuſdem. Cujuſcumque verò partis affectus ſit, certè haud fit ſine irritamento, undè motus percipitur moleſtus, licèt interruptus, quo ſcilicet niſus repetuntur ad excutiendum id, quod partes illas vellicat, & compungit; quinimmò conveniunt omnes, facilè inter ſe invicem compati ſeptum tranſverſum, & ventriculum, cùm hic juxtà ſtomachum illi alligetur, & hæreat, atque ab eodem extimam tunicam mutuetur. Hinc VVilliſius tùm ventriculum, tùm diaphragma affici ait in ſingultu, ejuſque reciprocationes propter ventriculum per ſuas fibras modò inflatum, & per diaphragmatis ſyſtolen modò depulſum contingere. Quin & ipſemet Franciſcus Deleboe Sylvius irritationem in ſingultu docet, ut plurimùm eſſe in ventriculi orificio ſuperiori, atque exindè in conſenſum diaphragma trahi: quare utramque partem affici quoque exiſtimat. Obſervatum autem pluries ſingultum ſubſequi ab affecto œſophago, qua parte diaphragma pertingit, & perforat: A cibo enim illi, cùm deglutitur, hæreſcente, ſingultus accidit, compreſſis, contractiſque œſophagi fibris, unàque ſimul diaphagmatis motum impedientibus; epoto autem liquore aliquo, cibus delabitur, & ſingultus deſinit.

1. Aphor. com. 39.

Pharmac. rat. p. 1. ſ. 1. c. 2.

Append. prax. tractat. 1. c. 4

In cauſis ſingultus aſſignandis longè admodùm diſſentiunt à veteribus recentiores. Siquidem Hippocrates *6. Aph. 39.* eaſdem ſtatuit ſingultus cauſas, ac convulſionis, nimirùm *Inanitionem*, & *Repletionem.* Addit verò Galenus *in commentario*, moleſtiam à re acri, veluti pipere, ventriculum ſtimulante. At Sennertus, quem alii ſequuntur, ſolam vellicationem, veram, & proximam hujus affectus cauſam conſtituit, & ſupervacaneas putat cauſas ex inanitione, & repletione deſumptas: nec inſuper admittit excuſationem Mercurialis, quam is pro Hippocrate afferre conatus eſt. Præterea Deleboe Sylvius veràm ſingultus cauſam arbitratur quidquid ad violentam, non tamen durantem, ſed mox interruptam, ceſſantemve, itemque ſæpenumero repetentem ſui contractionem, diaphragma cogere aptum eſt; ſive id ventriculum occupet de genere medicamentorum, aut noxiorum, & acrium ciborum, aut potiùs venenorum; ſive ex tenui inteſtino à vitioſorum humorum confluxu, & fermentatione, elatus humor, vel vapor, in ſuperius ventriculi orificium, & diaphragma feratur; ſive in ipſo thorace conſiſtens proximè diaphragma mordicet, aut etiam ex abdomine per conſuetos, proprioſque ductus traducatur, prædictaſque partes vellicet, & ad moleſtam, inordinatamque contractionem illas adigat, ac ſollicitet. Idemque confirmans in Appendice, cauſas haſce proritantes eſſe ait: quemcumque humorem, halitum, flatumve acrem, ſive à re nuper aſſumpta, ſive ab humoribus in corpore jam exiſtentibus eleventur. Alii denique cùm ſingultum, vel idiopathicum, vel ſympathicum exiſtiment, cauſas illius proptereà vel in ipſo ventriculo eſſe putant, ſi nimirùm aſſumpta ſint alimenta acria, medicamenta, aut ve-

1. prax. c. 23. n. 11.

Tract. 1. c. 4.

nena; vel lumbricos gigni contigerit, aut cibos corrumpi: vel si è liene, intestinis, pancreate, utero, cæterisque vapores acres, & molesti in stomachum ferantur, illumque vellicent, & lacessant. Ab affecto cerebro singultus nonnunquàm etiam oritur; sicut etiam à pulmonibus; Unde Hippocrates 1. *prorrhet.* 23. Aphoniam cum singultu pessimam esse scribit, compatiente nimirum stomacho, per nervos à sexto pari vago, ut interpretatur Galenus.

Hæ insuper ex Anatome singultus causæ innotuere: Inflammatio jecoris, undè ventriculus comprimeretur; nimia omenti crassities, & obesitas; intestinorum prolapsus, sed potissimùm jejuni, & hernia; renum, & vesicæ inflammatio, aliorumque viscerum in imo ventre affectiones. Prætereo causas externas, piperis, aliusve rei acris esum, solidorum, vel tenacium, facilèque hærentium ciborum ingestionem, ut à mollibus, elixisque castaneis non rarò evenit: quoniam singultus ab his proveniens, vel sponte sua desinit, vel potu, sternutamento, vel etiam repentino timore, cohibitoque per aliquod tempus spiritu; ideòque nullius periculi.

7. Aph. 17. & 5. Aph. 58. &7. Aph. 10. & 3. 5. Aph. 3. 7. Aph. 41. In Coac. prænot. & 1. prorrhet. Aet. tetrab. 3. ser. 1. c. 5. 6. Aph. 13.

Periculosissimus verò est, qui cum febre jungitur, quæ propterea Singultuosa appellatur; itemque ab Hepatis inflammatione, ab ileo, vomitu, hæmorrhagia, & ex hypercatharsi senibus præcipuè contingens; vel cum delirio, aphonia, aliisque cerebri, & cordis affectibus gravioribus, tetano præsertim, & animi deliquio. Cæterùm singultum patienti sternutatio superveniens remedio est: concussione enim, ea, quæ ventriculi tunicas vellicant, facilè excutiuntur, & ablegantur.

Ad hujus affectus curationem conatus Medicorum eò diriguntur, ut causam vellicantem à tunicis, fibrisque ventriculi removeant, vel saltem obtundant, hebetemque reddant sensum partium affectarum; sive ad ventriculum, sive ad Diaphragma illæ pertineant. Ad causæ remotionem, si illa ventriculo adhæreat, nonnulli vomitum commendant, neque solùm ex levioribus pharmacis, sed etiam ex Antimonio, quod sanè amicissimum humanæ naturæ dicitur Sylvio. Alii potiùs dejectiones moliuntur medicamentis laxantibus, ac lenientibus; quinimmò Riverius exhibuit pulverem calomelanos, & diagridii. Ad ejusdem verò correctionem, utuntur in humorum acritudine lacte ex quatuor seminibus majoribus, item psyllii, cydoniorum, amygdalarum dulcium, & papaveris albi expressis, elicito, cum decocto tamarindorum, syrupo de portulaca, de papavere albo, de nymphæa. Hæc eadem exhibent in singultu à medicamentis acribus, & venenis, ac prætereà oleum amygdalarum dulcium recens, butyrum, lac, cremorem ptisanæ, juscula pinguia. Si à vermibus, illos enecantia. Si ex febre maligna, alexipharmaca. Et si ex consensu aliorum viscerum, propria remedia illis succurrentia administrant, præsertim verò inflammationi Hepatis, aliusve, si indè singultus oriri videatur. Sensum denique singultientis partis obtundunt per opiata, theriacam recentem, pilulas de cynoglosso, & laudanum opiatum dosi convenienti, quo solo ante cibum ad granum j. pluries exhibito, diuturnum, & contumacem singultum curavimus.

V. Plater. l. 1. observ.

Cent. 3. obs. 42.

Forestus in singultu, post febrem continuam, profluvium ventris, & vomitum, exhibuit decoctum seminum anethi, cari, portulacæ; & papaveris albi in cerevisia tenujori, feliciss-

Obs. 13. lib. 18.

licissimo successu. Et Horstius post [Obs. 25. lib. 1.] usum tartari vitriolati cum vino absinthite, singultum pertinacissimum sedavit bolo ex granis iij. laudani opiati, dr. ss. theriacæ, & dr. j. condituræ rosaceæ. Riverius verò laudanum opiatum [Obs. 78. cent. 4.] cum expresso liquore seminum quatuor frigidorum majorum miscuit, addita dr. j. salis prunellæ. Platerus singultientem puerum [Lib. 1. observat.] curavit aqua stillatitia nucum viridium cum raphano in aceto prius maceratarum. A Francisco Sylvio [Append. tr. 1. c. 4. Lib. 1. prax. cap. 23. n. 23.] magna vis in compescendo singultu tribuitur menthæ, ejusque aquæ, ex qua misturam conficit cum ejusdem syrupo, aqua vitæ Matthioli, vel theriacali, confectione alchermes, & laudano opiato ad cochleare unum per intervalla assumendam, donec ad somnum æger disponatur. Addit etiam spiritus nitri guttas aliquot, si flatus unà simul ægrotantem divexent. In omni denique singultu præsens creditur remedium Francisco [Pract. lib. 4. s. 2.] Joeli cornu Cervi ustum ad dr. j. in vino rubro: aliis etiam ebur.

Externè verò, amuletum existimatur Castoreum ex Tralliano; idemque creditur præstare Alyssum ex Dioscoride: similiter & cuminum linteo inditum, & carpo sinistræ manus alligatum ex Sennerto. Ab aliis potiùs olea, vel decocta ex his elicita, commendantur; additis etiam styrace, & mastiche, ut apud Claudinum. [Consul. 18.] Describit Adrianus à Mynsicht cataplasma, quod singulare experimentum adversùs singultum esse dicit; illique addit Fridericus Hofmannus oleum stillatitium zedoariæ, chamæmeli, & anisorum. Alia externa memorat Hartmannus, quem vide. Advertit autem Langius auctoritate [Lib. 2. epist. 44.] Galeni, & Aetii, topica ejusmodi remedia non epigastrio, sed dorso esse admovenda, præsertim ad septi transversi vertebras: idemque pari ratione observandum monet in cæteris gulæ, & stomachi affectionibus, cùm hæ partes spinæ superincumbant, & hæreant.

DE NAUSEA, ET VOMITU.

Ventriculus recipiendis, retinendisque alimentis natura destinatus, aliquandò si gravetur, vel à noxiis humoribus irritetur, nausea primùm, mox vomitu afficitur, ut ab ejusmodi molestia seipsum allevet; quamobrem concitatur, turbaturque solùm nausea; vomitu verò eiicit, quæcumque illius cavum occupant. Incipit autem hic motus expulsionis à fundo ventriculi, & pyloro, & nonnunquàm intestinum quoque duodenum simul unà contorquetur; undè fit, ut non raro in vomitu vehementiori præter ea, quæ in ventriculo innatant, atque plicis ejusdem tenaciùs hærescunt, egerantur quoque humores, qui in prædictum intestinum confluunt, quandoque synceri, putà biliosi ex cholidocho ductu profluentes, interdùm etiam permisti, & heterogenei varios colores referentes ob adjunctum succum pancreaticum, & fortasse vitiatum: quod sæpiùs observare est in vomitibus ab emeticis, & catharticis medicamentis fortioribus provocatis, si nimirùm acriùs, quàm par sit, illæ partes, & pylorus in suis fibris motricibus irritentur, atque ab ima parte sursum contrahantur.

Etsi nausea, & vomitus ab iisdem omninò causis fieri perhibeantur, gradu solùm differentibus; verisimile tamen admodùm est in nausea stomachum potiùs, à vaporibus dumtaxat, & præsertim è bile magis volatili elevatis commoveri, & laxari; unde levis ad vomitum incitatio, & quan-

quandoque etiam irrita. In Vomitu verò potiùs ventriculi fundum, & pylorum affici, & quidem ab humoribus acrimonia vellicantibus, atque ſtimulantibus ad vomendum.

Nedum autem ventriculus ab humoribus acribus ad vomitum concitatur, verùm etiam à quibuſvis alterius conditionis vitioſis ſuccis, gravantibus, laxantibus, aliove modo fibras, plicaſque illius quaqua ratione turbantibus. Unde cibi abundantiùs ingeſti, oleoſi, pingues, itemque acres, acidi, ſeroſi, aliive; necnon humores phlegmatici, tùm ex degeneratis alimentis ibidem progeniti, tùm aliundè confluentes, ex apertis vaſis, diruptiſque tumoribus, ſanguinei, purulenti, & ſimiles nauſeam, & vomitum promovere poſſunt. Ab inflammatione inſuper, tumore, abſceſſu, ulcere, vel in ſeipſo, vel in adjacentibus partibus, præſertim Pancreate, vomitus aliquoties moleſtiſſimus obſervatus eſt: pariterque à vermibus, à tuſſi violentiori, & à quibuſdam morborum generibus, nephritide potiſſimùm, variolis, & morbillis impetens vomitio ſuccedit. Taceo denique venena, & medicamenta purgantia, quibus plerumque ventriculus adeò laceſſitur, ut iteratis vomitionibus, cibum non capiens, tandem deficiat, & mortem arceſſat.

Hinc vomitus multigeni eſſe ſolent, ſanguinei, purulenti, bilioſi, phlegmatici, ciborum, vermium, idiopathici, ſympathici, faciles, difficiles; interdum ſalutares, non raro etiam lethales.

Et quidem conſuetus vomitus eorum, quæ à cibi digeſtione in ventriculo relicta ſunt; vel etiam inſipidi phlegmatis, vel ſubamari humoris, utilis plerumque eſt; ſicut pariter à navigatione, & à crapula, unde ventriculus gravetur, aut torqueatur; itemque à venenis, & catharticis moleſtioribus, ſi tamen modum ſervent, nec alii egerantur humores, quàm qui circa ventriculum ſtagnabant. Præterea ſalutaris eſt vomitus in febribus, præſertim periodicis inter initia acceſſionum ſponte con- 6. Aph.
tingens: eo enim cauſa morbi, vel 15.
omninò, vel magna ex parte educitur. Eadem ratione confert ſponta- 4. Aph. 17.
neus vomitus longo alvi profluvio laboranti. Similiter ſi præcedant oris amarities, ructus nidorem olentes, ciborum faſtidium, vertigo, dummodò ſubindè levamen conſequatur. At contrà malus eſt, & eò magis ſi modicus, hærentem nimis, contumacemque humorem indicans, aut inflammationem, vellicationemque
aſſiduam in ventriculo, adjunctiſque V. Galen
viſceribus, in quibus inflatio, dolor, 1. prorrh.
ardor, aliudve ſymptoma obſervabi- comm. 3. 25.
tur. Sic etiam ſi fuerit lividus, niger, 7. Aph. 37.
multorumque colorum, fœtidus, pa- 2. Progn.
riterque ſanguineus (quamvis hunc 38. & ſeq. 7. Aph.
Hippocrates ſine febre ſalutarem di- 10.
cat, præſertim in fœminis ex ſup- 6. Aph. 50.
preſſis menſtruis ex Langio, & Bra- 1. Prorrh. comm. 1.
ſavola) chyloſus, ſyncerus, ſanioſus, 10.
verminoſus, & ſtercore fœdus, ut in 7. Aph. 3.
morbo Ileo. Ex capitis vulnere, aut contuſione peſſimus quoque eſt; ſicut etiam in capitis doloribus cum vigilia, & ſurditate: imminentem etenim inſaniam denunciat. Denique poſt vomitum ſingultus, aut oculorum rubor, malum.

Nauſeam citiſſimè ſolvi ſcribit Hartmannus comeſta zedoaria, vel ſumpto illius extracto, mirabilemque ejuſdem radicem, & acetum prædicat in omnibus ventriculi affectibus cum languore conjunctis. In vomitu verò commendat aquam menthæ ad uncias duas, ſemel atque iterùm epotam, & ſuccum cydoniorum crudum

ad

ad cochleare unum, vel alterum, ac postremò laudanum opiatum, si cætera non prosint. Et externè emplastrum theriacæ, aut epithema ex decocto absinthii, menthæ, & lupulorum in aqua ferrariorum, vel aceto.

At verò vomitus non semper sistendus est, immò & aliquandò promovendus: & quidem pro varia ejusdem conditione, atque causarum diversitate. In consueto, critico, à crapula, navigatione, aliisque causis externis inducto, roborato ventre, nil ampliùs tentandum. Immoderatus, chylosus, sanguineus, & vires deiiciens quantò citiùs temperandus, & cohibendus; distracta deindè, correctaque materia, ne aliò irruens, aut ibidem aggesta gravius damnum moliatur; quare si acres, irritantesque humores vigeant, acidis temperentur, & stomacho suavibus, syrupo, & rob ribium, succo cydoniorum, & punicorum acidorum, aqua myrtearum baccarum, aqua imperiali Quercetani, & Sennerti, elixire citrii, & proprietatis Crollii, spiritu sulphuris per campanam, spiritu salis dulci, & vitrioli depurato, sale prunellæ, cæterisque, additis quoque, si opus sit, opiatis, theriaca recenti, diascordio Fracastorii, nepenthe; ex quibus grata ori, & ventriculo mistura confici poterit, etiam cum aqua, vel elæosaccharo cinnamomi. Quæ proponitur à Riverio efficax quoque est ex sale absinthii ad scr.j. cum cochleare uno succi mali limonii; sicut pariter quæ à VVillisio, ex succo ejusdem limonii ad unc. iv. coralliorum præparatorum drachmis duabus, & salis absinthii sesquidrachma, additis unciis duabus aquę cinnamomi. Vult autem ad cochleare j. vel alterum, bis in die esse assumendam.

Cent. 1. obs. 15.

Pharmac. rat. s. 2. c. 3.

Si verò humores acidum referant proderit pulvis stomachicus Quercetani, sal absinthii, & centaurii minoris, ebur, oculi cancrorum, tormentilla, bistorta, C. C. ustum, lignum aloes, bezoarticum martiale, elixir proprietatis, & syrupus de absinthio, de mentha, julep vitale, julep de cinnamomo. In quorumvis autem humorum acrimonia magnifacit Sylvius diascordium Fracastorii ad dr. ij. cum altera confectionis hyacinthinæ, dilutum in syrupo papaveris albi, & aqua fœniculi, singulorum unc. j. duplaque dosi aquæ plantaginis. Alias medicamentorum formulas præscribit, tùm ad succum acidum, tùm ad bilis acrimoniam corrigendam, de quibus infrà. Cæterùm si vitiosi ejusmodi humores, etiam ex corruptis cibis, exuperare videantur, convenientibus catharticis blandè educendos commonet, rhabarbaro, mechoacan, & similibus. Riverius autem in vomitu vehementissimo exhibet laudani grana iij. & pilularum cochiarum min. scr. ij. ff.

Cap. 15. n. 27.

n. 31. & 32.

Lib. 9. c. 7.

Si prætereà humores phlegmatici, crassique fuerint, (quod tamen rarius) post incidentia, attenuantia, atque etiam per vomitum educentia, conferent aromata, & stomacho grata ex mentha, cinnamomo, nuce myristica, galanga: omne genus elixiris, ut & spiritus vini, vinum ipsum, præsertim medicatum, quale describit Deckers *hoc loco*.

At si vomitio cum hypercatharsi à pharmaco inducta sit; foveatur ventriculus emplastro de crusta panis, cataplasmate è succo absinthii, & menthæ, cum theriaca, & modico vini rubri austeri; vel emplastro *Deckersiano* ex mentha, mastiche, nuce odorata, cinnamomo, & fermento. Essentia menthæ, & mastiches optima est. Intereà verò offeratur offa panis vino veteri, & odorifero intincta; vel

theriaca recens cum confectione alchermes, aqua cinnamomi cum ſyr. menthæ; vel aqua ſtomachica Mynſicht; vel vinum malvaticum ſpiritu vitrioli dilutum ad gratum ſaporem, aliudve ſimile.

Vomitus ab importuno uſu Antimonii illicò ſedatur ſpiritu vini ad cochleare unum, vel ſimplici, vel cum julapio cinnamomi, aut ſucco cydoniorum depurato, ejuſque ſyrupo.

In cibi, & chyli vomitu ex imbecillitate ventriculi, vitiatiſque fermentis illius, cùm exindè fibræ laxæ nimis, & flacceſcentes fiant, atque iners coctio, & ventriculi turbatio inſequatur: conferunt ſtyptica, & acido-acria ſtomacho gratiora, ut elixir vitrioli Mynſicht, aut acetum aromaticum, ſpiritus ſalis, & vitrioli coagulatus ejuſdem Mynſicht, itemque ſpecies, & hauſtus ſtomachicus ejuſdem. Externè verò eſſentia menthæ, & abſinthii, emplaſtrum maſtiches, ejuſque ſpiritus, oleum nucis myriſticæ, &c.

Vomitum cruentum compeſcit ſuccus urticæ, ejuſque aqua ſtillatitia unà cum radicibus, & ſpiritu vitrioli acidula reddita; itemque aqua plantaginis, centinodiæ, conſolidæ majoris, biſtortæ, & burſæ paſtoris; Aqua plantaginis cum ſpiritu vitrioli, nec non tinctura roſarum ſæpiùs profuit, ex Petro Caſtello *in epiſt.* Pulvis coralliorum rubrorum, & ſanguinis draconis, colchotar vitrioli, bolus Armenia, terra ſigillata, crocus Martis adſtringens dictus, lapis hæmatites, trochiſci de carabe, ſperniola Crollii. Suum locum hìc habet mistura Sylviana tàm ab eodem Authore commendata, nedùm in hac, ſed in cæteris aliis ſanguinis egeſtionibus, atque ex aqua plantaginis, & cinnamomi, aceto ſtillatitio, coralliis rubris, ſanguine draconis, ſyrupo myrtino, & laudano opiato compoſita. Addit autem, ad diſſolvendum ſanguinem coagulatum, ſperma ceti, oculos cancrorum, & ſtibium diaphoreticum. Prodeſt quoque mixtura à Friderico Deckers deſcripta *in notis ad Praxim Barbettianam*, cujus meminimus capite de pleuritide. Subitò ſiſti vomitum cruentum teſtatur Hartmannus frigida potione ex aqua ſtillatitia radicum urticæ majoris ad unc. j. & ſpiritu vitrioli ad ſenſibilem acorem. Unà ſimul verò applicat ventriculo panem toſtum, & pulvere caryophyllorum aſperſum, atque vino Cretico, & aceto madefactum. Præſtantiſſimum quoque remedium ſcribit eſſe Rondeletius potum aquæ plantaginis, vel poſcæ ad unc. iij. in aqua camphoræ ſemiſcrupulus ſit diſſolutus.

Lib. 1. prax. c. 9. n. 20. — Conſil. 68.

Quamquàm autem Aceti uſus in ſanguinis rejectionibus ſuſpectus meritò dicatur Fr. Hofmanno, utilis tamen ſummoperè obſervatur, ſi aqua, ſyrupis, cæteriſque temperetur: mirè enim relaxata, & aperta vaſa, quibus ſanguis fertur, corrugat, & comprimit; ſanguinem verò effuſum, & coagulatum diſſolvit, ac diluit, atque ad exitum diſponit.

Vomitum à venenis, venenoſiſque humoribus, ut in malignis, ac peſtilentibus febribus, temperant, & infringunt omnia Alexiteria, & Bezoartica, Theriaca, Mithridatium, diaſcordium, aqua, & ſpiritus theriacalis, aqua vitæ Matthioli. Efficax remedium dicitur Hofmanno ſal abſinthii ad ſcr. j. cum unc. ß. ſucci mali citrii recentis: paritèrque conferre margaritas præparatas, corallia, terram ſigillatam, bolum Armeniam, cum rob Ribium, vel Berberum, in aqua acetoſæ. A venenis verò erodentibus auripigmento, mercurio ſubli-

ſublimato, aliiſque, conferunt oleoſa quævis, & pinguia, lac, butyrum, cum quibus etiam aliquid opiati permiſceri tutò poteſt.

Vomitus ex obſtructione Lienis, aut uteri, & ex ſuppreſſis Menſtruis, vel ex affectione Hypochondriaca, ac Scorbutica, temperatur chalybis uſu, ac antiſcorbuticis medicamentis, extracto, aut ſpiritu naſturtii aquatici, raphani agreſtis, & cochleariæ, ceteriſque alkalicis acrioribus.

Ab inflammatione, tumore, abſceſſu; itemque ab ulcere, vermibus, tuſſi, cæteriſque ægritudinibus proveniens, ſedabitur, ſi peculiaribus remediis cauſa mali removeatur, viſceribuſque affectis congruentibus auxiliis ſuccurratur, quæ partim ex ſuprà dictis, partim ex infrà dicendis palàm fient. Ex ulcere autem, miſturam conficit Deckers ſatis efficacem, nec non balſamum ſulphuris aniſatum, & Peruvianum cum tinctura florum hyperici commendat: quod & Sylvius approbat *loco citato*.

In not. ad Prax. Barbett. cap. de Vomitu.

Illud poſtremò notandum cibos in omni vomitu jucundos, gratoſque ventriculo eſſe exhibendos, neque multos, & digeſtioni reſiſtentes, ne ſcilicet is exindè gravetur, & crudos ſuccos generet, incidatque in alias pejores affectiones. Hinc conſulit Avicenna vomentes non debere cogi ad comedendum, donec avidè fameſcant: quamquàm hoc valde periculoſum. Senſim itaque reficiendæ vires erunt, & in priſtinum ſtatum jucundis alimentis reducendus venter. De uſu etiam vini ſpecialiter advertendum, quod quamvis plerùmque eo ventriculus roboretur, interdum tamen indè nocumenta perſentit, & meliùs ſe habet aquæ, quàm vini potu, cùm ſcilicet ſucci diſſolventes tenues nimium ſunt, facilèque ex fermentatione evaneſcunt, & reſolvuntur, unde chylus aceſcit; vel etiam quia fibræ, rugæque ventriculi villoſa cruſta orbatæ promptè in ſeipſis admittunt tenuiores vini particulas, ex quibus deinceps vellicantur, & ante tempus ſollicitantur ad nondum confectum cibum protrudendum; cùmque exindè etiam bilis è ductu cholidocho derivans infringatur, diluaturque, vel etiam acuatur, aut craſſeſcat, vigeat, vel hebeſcat, indebitam cum ſucco pancreatico miſturam efficit; undè acores, ardores, anxietates, irritationes, malæ ſecretiones, flatus, alvi durities, aliaque mala, pro eorundem ſuccorum vitio, pedetentim ingraveſcentia conſequuntur; quæ ſanè ab uſu aquæ demulcentur, & remittuntur. Quod pariter obſervare licet in iis omnibus, qui à nativitate debilem ventriculum ſortiti ſunt: in his enim ſalubrior aquæ uſus eſt, quàm vini, licèt de languido ſtomacho conquerantur, modò vinum imbecillum non ſit, quale Græcis oligophoron dicitur. Hinc ſi fortaſsè illud expetatur, moderatum, & leve ſit.

DE FAME, ET SITI LÆSA.

FAmem multipliciter lædi poſſe in comperto eſt: aboletur in ἀνορεξία, ἀσιτία, & ἀποσιτία: diminuitur in δυσορεξία: augetur in βουλιμω, & in appetitu Canino, aut Lupino: depravatur demum in κίττα, vulgò Pica, & in Malacia gravidarum. Sunt quippè nonnulli, qui non modò cibum non expetunt, ſed etiam averſantur, immò ad aſpectum, ac nomen ciborum nauſeam patiuntur: unde memorantur aliqui ad longiſſimum tempus omni cibo abſtinuiſſe. Alii verò certos ſolùm cibos faſtidiunt, cæteros vel aliquantulum appetunt, vel ſaltem non nauſeant. Alii præter

4. Aphor. com. 17. 2. Aphor. com. 21.

V. Sennert. l. 3. p. 1. ſ. 2. c. 2. & 3.

præter morem avidè famescunt, & citra saturitatem devorant, quamvis mox assumpta evomant, vel deiiciant. Alii demùm res etiam extraneas, & ab usu hominum alienas exquirunt, & ingerunt, testas, cretam, carbones, paleas, ceram, sulphur: quod Virginibus familiare esse consuevit, & magna etiam ex parte gravidis, quibus non rarò contingit, ut assumi solita respuant, & fastidiant; insueta verò, nova, quæque alioqui si benè valerent, abhorrerent, avidissimè appetant, & suavissimè comedant.

1. De sympt. caus. 7. Galeni dogmatibus addicti dejecti appetitus causam retulere ad deficientem suctionis sensum in orificio superiori ventriculi, cùm naturalem famem fieri credant ab ejusmodi suctione ex prævia in omnibus partibus corporis consumptione. Deficere autem hunc suctus sensum in stomacho arbitrantur à crudis, crassisque humoribus in ventriculo stagnantibus, vel etiam è toto illuc confluentibus, ut in obesis, & inutilibus humoribus gravatis; sicut pariter à sensu ejus partis resoluto, aut impedito. Aucti verò appetitus causam faciunt vitiosos succos ventriculum mordicantes, corrugantesque, quales potissimùm putant melancholicos, quibus Platerus aliam qualitatem, & quidem venenatam affingit. Addunt alii continuam suctionem, immò & absumptionem subitam alimenti habitam à vermibus, iisque potissimùm, qui de genere Platiarum referuntur. Depravatum denique appetitum induci putant à vitiosis humoribus prava qualitate præditis, atque tunicis ventriculi hærentibus: quamvis hi sæpiùs ex utero ferantur in fœminis ex suppressis menstruis.

At recentiores, his posthabitis, ducti experimento, & Anatome, causas famis universas ad quosdam succos in ventriculum exudantes retulerunt: qui si natura acido acres sint, famem humanæ exigentiæ consentaneam excitant, ventriculo cibis vacuo; & si solito acidiores, acrioresque fiant, excedentem inducunt: dummodò acorem talem non contrahant, ut aquam stygiam æmulentur, adeòque tunicas, fibrasque ventriculi veluti exedant, & obtundant, unde sensus aboleatur. Si verò omninò deficiant, vel dilutiores, aut consistentiores evadant, constipatis præsertim poris, glandulisque, undè transudant succi isti, fames vel desinit, vel elanguet, retusa nimirùm, atque infracta vi, qua stomachum vellicare queant. Si denique cum his alii, & quidem heterogenei humores commisceantur ab aliis visceribus confluentes, vitiantes solùm, non autem hebetantes vim, & acutiem eorumdem, fames depravata exoritur, & rerum sanè exoticarum pro diversitate concurrentium succorum. A tunicis etiam, fibrisque ventriculi glutine, tenacique substantia oblitis, fames, vel nulla, vel hebes fit, undè cibi frustrà quoque conficiantur, ut in obesioribus, ac otiosam vitam ducentibus. Aliquibus etiam hebetantur, ac stupent nervi per stomachum diffusi, qui & aliquoties in sua origine tam exiles sunt, ut vix partem illam irrigent, & superficie-tenùs tantùm attingant, quamobrem à nativitate inappetentes observantur.

Acidum autem Fami, & ciborum dissolutioni necessarium alii ex glandulis ventriculi deducunt; alii à Liene; & à reliquiis ciborum ex præcedenti digestione alii, aut à Pancreate exoriri arbitrantur; inter quos præcipuus Deleboe Sylvius, qui Auctæ famis causam succo Pancreatis aci- Lib. 1. prax. cap. diori ad intestinum tenue delato attribuit,

tribuit, undè halitus ad ventriculum assurgant, & famis sensum intendant; Diminutæ verò, putat esse salivam viscosiorem, vel etiam bilem pinguiorem acidum succum Pancreatis obtundentem. Depravatæ demum, esse ait vitiosos humores, in mulieribus potissimùm ex suppressis menstruis, dependentes. A salivario etiam humore digestionem, & famem promoveri alibi asseruit, quam sententiam nuperrimè amplexus est Diemerbroek, qui famem à particulis acribus fermenti genitis ex deglutito salivario liquore, aliisque quibusdam subsalsis, acidisque ventriculi tunicis hærentibus, atque ad acorem perductis, oriri docet. Fieri autem famem Caninam à copiosioribus hisce succis; diminutam, aut abolitam ab iisdem crassioribus, vel omninò deficientibus, aut etiam ab effusa in ventriculum è cysti amara bile, ut in picrocholis, ictericis, & febre laborantibus. Depravatæ demùm famis causam non in ventriculo, sed in cerebro quærit, quod ex pravis, absurdisque imaginationibus res pravas, & absurdas, tamquàm gratissimas appetat. Hinc gravidas ait res etiam absurdissimas appetentes, si illis potiri nequeant, notas fœtibus imprimere; atque hinc etiam fieri, cur non semper eadem exoptent, quia indifferenter varia cogitant, quod uni alicui pravo humori in ventriculo hærenti imputari non posse subdit; quippe diversarum rerum appetitus à diversis humoribus procedere deberet. Hinc postremò concludit ejusmodi exoticam ciborum cupiditatem se aliquibus abstulisse prohibita recordatione, amotisque è domo picturis earum rerum, quas avidè illi expetebant, oblatis intereà sæpiùs per diem laudabilibus alimentis, ut indè esuriendi occasio deesset. Verùm quamvis imaginationi plurimum tribuendum sit, non tamen citrà succorum in ventriculo stagnantium, vel etiam aliundè suggestorum irritationem ejusmodi Picam induci posse crediderim, cùm adhuc de imaginatione ipsa ambigere liceat, cur in hanc potiùs, quàm in aliam rem appetendam impellatur, atque multoties in una solùm delectetur, cùm tamen in plurimis oberrarit.

Dispput. de Ferment.

Lib. I. Anat. cap. 6.

Frid. Hofm. M.M. l. I. cap. 19. ait: Hic affectus provenit ex phantasia corrupta à fermento ventriculi vitioso.

Sed mirum quidem est, quòd aliquandò in longum tempus ciborum abstinentia feratur, & absque fame: cujus rei causa cognosci fortè poterit, si animadvertatur, quòd passim serpentes, testudines, talpæ, atque insecta penè omnia vivant multos menses absque cibo; & si aliquandò cibum capiant, vix mutatum diutissimè in ventriculo detineant, ac deindè indigestum, exsuccum tamen, egerant. Reperi aliquandò in ventre Viperæ, ad plures hebdomadas in capsula conservatæ, integrum bufonem: aliàs etiam murem villis omnibus obtectum, qui confici nondùm potuerat, licet sesquimensis à captu illius præteriisset. Abundant quippe Viperæ multo alkali, at exiguum acidum, tenuissimumque sortitæ sunt, & modicum sanguinem, qui neque facilè concrescit, cujus motus simul, & cordis tardissimus est; fermentum quoque ventriculi longè admodùm iners; quo scilicet is nec sollicitatur ad famem, nec roboratur in dissolutione ciborum; idque potissimùm hyberno tempore; cùm omnia in ipsis, & insectis torpent. In id multùm confert perspiratio impedita; vel si fortè nulla, aut levis à natura sit: unde modica fiat sanguinis exsolutio. Angustia quoque ventriculi famem minuit; quamobrem compertum est, helluonibus latiorem ventriculum, expansioresque illius tunicas inesse;

sobriis

sobriis verò, & cibis abstinentibus plurimùm coarctari. Quamobrem qui costas, & stomachum strictis fasciis devinciunt, non multùm famescunt, & pauxillo cibo saturantur. Scythæ, ex Erasistrato, referente Mœbio, jejunaturi, stomachum, & intestinorum regionem de industria fasciis strictioribus obligabant ad eludendum appetitus stimulum.

Physiol. cap. 9. V. Gellium lib. 16. c. 3.

Bulimum patiuntur, quibus ingenti fame cruciatis ventriculus arctissimè corrugatur, ut tandem famescere desinat, insequente etiam leipothymia: atque hac de causa iis præcipuè, ex Plutarcho *Sympos. lib.* 5. *c.* 8. Bulimus accidit, qui per altam nivem iter longum faciunt. Quare Bulimos à fame quidem inchoat, sed non habet eam ampliùs adjunctam, ut docet Galenus 2. *Aph. comm.* 21.

De Nausea demùm, & fastidio certorum ciborum tres causas tradit Sennertus. Primò peculiarem ventriculi constitutionem à primo ortu contractam, & sæpè ab imaginatione Matrum procedentem, quæ cùm gravidæ essent, certos cibos fastidierunt; atque hujus generis nonnullos ego novi. Secundò consuetudinem: sicut enim ab ineunte pueritia assuescimus, ità hos, vel alios cibos appetere, aut nauseare solemus. Tertiò Imaginationem: quibus enim cibi semel displicuerunt ex impressio illorum menti phantasmate, deinceps quoque fastidiuntur, quos si inscii comedant, minimè nauseant; at assumptos regerunt, si de illis moneantur. Sunt qui, licèt meribibuli forent, à cathartico in vino assumpto, in posterum abstemii evaserint, vinum, vinique odorem aversantes. Est adhuc in vivis, qui cùm ex carne suilla pinguiori aliquandò cibum evomuisset, nunc si alium pinguia comedentem aspiciat, ad nauseam, & vomitum illicò concitatur. Hoc pacto aliquibus etiam accidere comperimus, ut aspectu, vel odore medicamenti purgantis alvo turbentur, & stomacho, cum vomitu, & iteratis dejectionibus, quia ab ejuscemodi genere medicamentorum passi aliàs sunt consimiles corporis turbationes.

Pract. l. 3. p. 1. s. 2. c. 3.

Quamvis aucta fames nullum plerumque periculum minetur, si tamen cum aliis ægritudinibus jungatur, vel illas consequatur, mala censenda est; Hinc hecticæ febri consociata non sine periculo est; & in aliis morbis obstructiones parit, vel cruditates, adeòque illorum longitudinem, vel cœliacum morbum, aut assiduam vomendi necessitatem. Adhuc periculosior est Bulimos ob insequentem animi defectionem, atque eò magis, si alios morbos, & præsertim chronicos consequatur. Anorexia etiam mala est, nam 2. *Aphor.* dicitur, in quovis morbo mente constare, & benè se habere ad ea, quæ offeruntur, bonum; contrà verò se habere, malum. Et 7. *Aphor.* 6. in morbo diuturno fastidium cibi, & dejectiones syncera, malum. Malacia in gravidis partu sæpissimè desinit; in cæteris verò Pica, præter obstructionem, affert cachexiam, chlorosim, aliaque mala sanè gravissima.

Quoniam ergo famem lædi contingit ob acidi fermenti vitium, defectum, aut excessum, remedia Medici præscribunt, quæ illi excedenti infringendo, temperandoque, deficienti cumulando, & acuendo, ac depravato, vitiatoque repurgando, corrigendoque idonea sint. Franciscus Sylvius in fame adaucta exhibet salia ex lixivio elicita, tùm fixa, tùm volatilia, corallia, margaritas, oculos cancrorum, cretam, lapidem hæmatitem, succinum, chalybem limatum, quæ acidum infringunt; itemque

que pinguia, & oleosa, quæ idem obtundunt: nec non spiritum vini, & tincturas aromatum, quæ temperant: & aquea, quæ diluunt; abstinendo interim ab acidis, sicut etiam à purgantibus, à quibus testatur irritari potiùs cum summis torminibus, quàm evacuari noxios acidos humores. In Fame diminuta, vel abolita, quæ pituitosum, viscosumque succum attenuant, ut sunt acida, sale tam fixo, quàm volatili prædita, & omnis generis aromata; sic etiam purgantia, ut colocynthis, turpethum, hermodactyli, mercurius tàm præcipitatus, quàm sublimatus. Si bilis pinguior in causa morbi fuerit, commendat elixir proprietatis; absinthium, & vinum in quo illud sit infusum, vel etiam calamintha montana, amaracus, rosmarinus, hyssopus, salvia; mox verò eandem bilem evacuantia, per vomitum quidem, crocum metallorum, vitrum antimonii, atque indè præparatam sapam vomitoriam, oxysaccharum, vel oxymel; per alvum verò, rhabarbarum, scammonium, tamarindos. In Fame depravata præscribit sanguinem, cæterosque humores mundantia, præsertim salia volatilia, & menses provocantia, (à quibus suppressis frequentissimè Pica fœminis contingit) ac sudores blandè moventia, ut antimonium diaphoreticum, bezoardicum minerale.

V. Schro. in Pharmat.

Hartmanno laudatur in ciborum fastidio spiritus vitrioli philosophicus in aqua menthæ, aut acetosæ, in vino, vel jure; atque in Bulimo, succo mali punici, syr. limonii, & acidi citrii, vel cum tinctura rosarum. Externè verò, epithema ex vino Cretico, & aceto, cum crusta panis pulvere caryophyllorum aspersa, & aliquoties calidè supra ventriculum apposita. Appetitum caninum autem adimi, per essentiam melissæ cum spiritu vini extractam, ad cochleare unum, cum aliquot guttis olei cari; itemque per vitellos ovorum aqua ad ignem induratos, & sæpiùs comestos. Postremò ad Picam, prodesse aquam cinnamomi, & corticum malorum aureorum, sal eorumdem, cum magisterio coralliorum, & margaritarum.

Apud Riverium *in observationibus communicatis* à Pachequo describitur hoc decoctum tanquam efficacissimum, quod habet: *fol. agrim. absinth. vulg. & centur. minor. m.ß.* hæc decoquuntur, & expressus liquor ad selibram cum pauco saccharo exhibetur. At verendum ne præ nimio amarore potari nequeat. Obs. 1.

Angelus Sala conficit aquam vitæ menthæ ex foliis illius, spiritu vini, & aqua communi cum saccharo, quam mirabilem prædicat in pluribus ægritudinibus, sed potissimùm in appetitu promovendo, & ciborum coctione adjuvanda. Ex eadem mentha elicitur essentia in hunc eundem usum; sicut etiam essentia absinthii, & spiritus mastiches. Ex zingibere, cinnamomo, & galanga, paris virtutis remedia colliguntur. Refert Borellus *cent.* 1. *obs.* 41. Civem quendam Monspeliensem famam sibi comparasse syrupo absinthii purgante, quem non differre ait ab eo, qui in Officinis paratur, nisi additione modica Rhei electi, & absinthii collectione mense Majo ante Solis ortum, ut scilicet simul cùm illo ros colligatur. Efficacem quoque nonnulli experti sunt bolum ex *terebinth. Ven. dr. ij. mastich. dr. ß. & aromat. ros. scr. ß.* quo remedio nullum ex internis valentius testatur Zecchius. At Prævotius mastichen ad dr. j. in ovo sorbili, addito cinnamomo, vel

In Append. Hydrel. c. 12.

zin-

zingibere propinat. A Quercetano commendatur pulvis stomachicus, qui tamen potiùs confert in Anorexia ex crudis, viscosisque succis; itemque sal Philosophorum, & Sacerdotale dictum apud Schroderum: nec non spiritus vini stomachicus, & aqua stomachica calida Mynsicht. Conferunt etiam electuarium baccarum juniperi, syrupus de mentha, diacurcuma, diagalanga, diacinnamomum.

Effrænatam appetentiam Vini potum solvere scribit Hippocrates 2. *Aph.*21. atque efficaciùs, si in eo salvia, melissa, absinthium, fuerint infusa; undè vinum salviatum com-
1. c. ca.4. mendatur à Sennerto. Temperat
1.4. ca.1. eandem pulvis descriptus à Deckers in *notis ad Praxim Barbett.* qui constat coralliis rubris præparatis, antimonio diaphoretico, cinnamomo acuto, & saccharo albo. Idem
Prax. l.9. cap.2. præstat ambra grisea in ovo sorbili ex Riverio. At pinguia alimenta tutiora erunt.

In Bulimo quàm citiùs fieri potest reficiatur æger, præsertim intrita panis ex vino veteri, & odorifero. Aquam carbunculi Imp. Maximiliani cum vino commendat Sennertus.
V. lib.5. Instit. p. 3. s.3. c.5. Naribus verò adhibeantur aquæ odoriferæ, acetum, vinum, ejusque spiritus, atque alia in syncope relata.

Quod si à vermibus immodica ap-
l.7. c.14. petentia oriatur, ut refert Trallianus, hieræ usum salutarem ipsemet expertus est. Succus etiam Nasturtii creditur efficacissimus. Pulvis verò aloes cum felle Tauri mistus, & umbilico impositus, fertur vermes enecare. At quæ ex Mercurio conficiuntur efficaciora sunt, de quibus aliàs.

Ex morbis chronicis, inedia diuturna, & immodicis evacuationibus, lentè reficiendi erunt ægroti: inquit enim Hipp. 2. *Aph.*7. *Quæ longo tempore extenuata sunt corpora, lentè reficere oportet.* Cæterùm appetentia ab his proveniens morbosa dicenda non est, cùm spontè sua temperetur ab instaurato corpore.

Ad depravatum appetitum, & Picam, prodesse dicuntur syrupus mēthæ, & cydoniorum, cum aqua cinnamomi, electuarium corticum malorum aureorum, aqua pampinorum vitis albæ, seù bryoniæ, quam etiam propinandam prægnanti consulit Hartmannus, ne ex frustrato desiderio aliquid mali fœtui contingat. Semina citrii saccharo incrustata pro pauperibus laudat Frid. Hofmannus; itemque decoctum polygoni, & anethi, ac majoris chamæmeli ex Michaele. Et Horatius Augenius semina ammeos ad semidrachmam per quatriduum. Verùm remedia ex chalybe cæteris antecellunt, nisi tamen patiens utero gerat. Sed de his latiùs, cùm de morbis mulierum agemus.

Pari modo Sitis, non secùs ac Fames, lædi potest: crebrius verò augetur; nonnunquàm etiam minuitur; & interdum quoque, licèt raro, prorsùs aboletur, neque solùm in delirantibus, verùm etiam in benè, & mente valentibus. Est mihi notus Sacerdos, qui cùm alioqui avidè famescat, & comedat, per hebdomadas tamen nil potat, & si aliquando, potiùs amicorum suasu, quàm ex Ventriculi indigentia, tantillum bibit, nec unquam se sitire fatetur. Alium refert Platerus à teneris annis nihil penitùs bibisse. Depravatę autem Sitis, qua quis potum omninò naturę dissentaneum, & insuetum appetat, exempla non suppetunt; nam qui memorantur Mercurium cru-

crudum, urinam, similesque liquores sorbuisse, non ex proprio illorum appetitu, sed casu, aut errore, vel etiam necessitate cogente ad id ducti, impulsique referuntur.

Augeri sitim scribit Galenus, vel ob humoris inopium, vel ob caloris copiam. Ob humoris inopiam quidem, ex laboribus, vigiliis, sudoribus, cæterisque evacuationibus immodicis; ob caloris copiam verò, ex febribus præsertim ardentibus, inflammationibus internis, aere æstivo, cibis calefacientibus, & exsiccantibus, potissimùm sale, & pipere conditis, medicamentis purgantibus, venenis erodentibus, & inflammantibus, aliisque. At qui Sitim in hydropicis consideraverit, quæ nec ab humiditatis inopia, neque à caloris copia dependet, procul dubio alias Sitis causas scíscitari cogetur.

1. de simpl. med. fac. c. 30.

Sylvius Deleboe auctam Sitim fieri ait à bile acriore in tenue intestinum delata, ibidemque cum succo pancreatico ita effervescente, ut inde halitus salsi ad fauces eleventur, atque ariditatis sensum inferant; & si per vasa lactea ad cor penetrent, & sanguinem nimia salsugine inficiant, salivam salsam, vel acrem gignent, Sitim potiùs augentem, quàm temperantem.

Verùm citrà salsos halitus, salitamque salivam sæpissimè sitimus, ut à cantu, nimià locutione, terrore, motu; quin & febrientes, pulmonarii, renibus affecti, absque, eo quòd salsedinem in faucibus percipiant, ingenti Siti cruciantur. Nec insuper perpetuò Ventriculus in morbosa Siti afficitur; sed plerumque Pulmo; immò Aristoteles hunc potiùs Sitis sedem constituere videtur, atque eos, qui thorace ampliori, longiorique à nativitate sunt prædití, Siti magis infestari docet, sicut Fame, qui latiorem ventrem nacti sunt. Hippocrates etiam, & Galenus per laryngis rimam aliquid potulenti in tracheam, & Pulmones delabi fassi sunt ad eosdem irrorandos; hinc tunc Sitim extinctam experimur, cùm guttur permaduerit: & quidem per ductus illos aquosos nuperrimè Anatomicorum solertia detectos, qui per jugulum ad utrumque asperæ arteriæ latus serpunt, atque œsophago superincumbunt, & linguæ salivarium rorem suggerunt. Hac de causa notat Hippocrates 4. *Aph.* 54. non multùm Siti infestari eos, qui etiamsi ardenter febricitent, tussi leviter irritante tenentur; irrigata nimirùm à distillante lympha larynge, & aspera arteria.

Ex Platone.

Lib. de cor. 8. de plac. Hippocr. & Pl. c. 15. Plat. in Timæo.

A lymphæ itaque defectu, vel vitio, crediderim ego Sitim immodicam oriri: à defectu quidem, non solùm in Ventriculo, sed etiam in Pulmonibus, totoque corpore exhaustæ; vitio verò, si eadem glutinosior, salsior, acrior, acidior reddita nequeat fauces, & guttur, immò & linguam convenienter irrorare; cùm experiamur ab arefactis potissimùm faucibus, & gutture, Sitim intolerabilem exoriri, Ventriculo licèt elanguido, inappetente, crudis, aqueisque humoribus obsito, quem ipsimet patientes sitientem non accusant. Sæpissimè etiam evenit, ut pitissando, sorbillando, & gargarizando, Sitim sedemus, quam poculis liberalioribus remittere non potuimus. Defectus lymphæ cuicumque parti contingens Sitim certè afferet, at principaliùs cùm faucibus, & gutturi accidit, molestiorem illam efficit, immò etiamsi cunctæ partes corporis, ipseque Ventriculus plurimo scateat humore; si tamen fauces solùm, & guttur exarescant,

scant, fortè quia salivario rore minimè irrigentur, Sitis exoritur molestissima. Sic à pastu ut plurimùm sitire solemus, quamvis Ventriculus, & cibo humectante, & potu copioso sit saturus. In hydrope etiam, in catarrhis, & urinæ profluvio, quia aliò effunditur lympha, quàm ut os, & guttur irriget, aut extra proprios ductus restagnans, glutinosior evadit, & salsedinem contrahit; Sitis intensior observatur. Fiet quoque Sitis, cùm lympha deficit, & absumitur in inedia, nimia locutione, sudoribus, motibus, evacuationibus, vel cùm tenax, & viscosa evadit, & glandulis faucium hæret, neç è suis ductibus extillat; vel cùm salsa nimis, & acris fit in febribus, tussi cum phthisi, ubi sanguinem indebitæ fermentationi subiicit, & partes potiùs vellicat, ac exasperat, quàm humefaciat, & irroret. Atque hinc tam diversimodè Sitim sedari comperimus, largo haustu aquæ interdùm, quandoque vino, ejusque spiritu ore abluto, & aliquando spiritu vitrioli, aut salis, sale prunellę, aliove acido: exactissima etiam dięta; vel diaphoreticorum, atque opiatorum usu: quæ cùm maximè disparia sint, summam ignaris admirationem pariunt.

Quemadmodùm ab his Sitis augetur, ita minuitur, vel etiam aboletur, cùm lympha, & salivarius ros superabundat. Accidit quoque deficere Sitim ex hebetudine sensus, & resolutione nervorum per fauces, & guttur, aliasque partes inferiores perreptantium; vel etiam ex depravata mente, ut in Phreneticis ex Hippocr. 3. *epidem. sect. 3. t. 44.* Apud Gal.

Diminuta Sitis sicuti nil mali portendit, ita neque curationem exposcit. Abolita si cum delirio jungatur, delirii medelam expostulabit: & si ex resolutione nervorum dependeat, paralysi curata restituetur. Aucta igitur solùm temperanda superest. Et quidem tribus remediorum generibus illi occurrendum putat Sylvius, videlicet aqueis, bilis salem diluentibus, & ad urinæ vias ducentibus: acidis ejusdem acrimoniam retundentibus, atque invertentibus: ac oleosis hanc eandem lenientibus, ex seminibus plantarum potissimùm elicitis.

At congruentiùs Sitis immodica ex defectu lymphæ, laboribus, sudoribus, febribus absumptæ, sedabitur aquis acido liquore medicatis, præsertim si febris adjungatur de genere Ardentis, ut sunt potiones acidulæ è spiritu vitrioli, sulphuris, salis, aut nitri, succo mali citrii, aut limonii, sale prunellæ, cæterisque.

Si tenax, & viscosa lympha sit, ut subindè salivarius ros in fauces, & guttur nequeat extillare, præter acida temperata, conferet vinum, ejusque spiritus, vel syncerus, vel cum aqua permistus. Prosunt quoque, quæ dentibus mansa salivam provocant, nec non gargarismi ex iisdem compositi cum sale prunellæ, aut spiritu sulphuris per campanam elicito.

Si salsa, & acris illa sit, convenient opiata, pilulæ de cynoglosso, de styrace; diacodion, pulvis Haly cum syr. papaveris rhœados, & albi, de portulaca, de nymphæa, de glycyrrhiza, de violis, itemque decocto hordei seminum cydoniorum, & psyllii, aqua amyli, vel cassiæ. In Siti à phlegmate salso exhibuit Rhasis salitos cappares. l. 2. tr. 1. c. 2. Hæc autem locum quoque habebunt in siti ex diabete, cui plerique opportunam etiam existimant aquam ex pulpa tamarindorum stillatitiam.

Si ab immoderatis evacuationibus Sitis oriatur, temperanda simul unà

Sitis,

Sitis, & reſtaurandum corpus erit alibilibus ſorbitionibus, documento Hippocratis 2. *Aph.*11. Faciliùs eſt impleri potu, ideſt humido alimento, quàm cibis. Mox verò ſomnus moderatè conciliandus.

V. Holler. côm. in Aph. 27. 5. Si denique Sitis cum hydrope copuletur, vel cum catarrho, proderunt diaphoretica, & diuretica, victus attenuans, & aperiens. De qua re alibi. Cæterùm ad omnem Sitim proficit ex Hippocrate, os claudere, & tacere.

DE LÆSA CHYLOSI.

Gal. 1. de differ. ſympt. cap. 1. CHyloſis, ſeu ciborum in chylum diſſolutio, & permutatio, multipliciter etiam lædi ſolet. Cùm abolетur dicitur ἀπεψία: cùm diminuitur, βραδυπεψία: cùm depravatur, ut in alios humores cibus, quàm in chylum, commutetur, appellatur Lib. 1. prax. c. 7. δυσπεψία. His tribus vitiis addit Franciſcus Deleboe Sylvius quartum, cùm ſcilicet citiùs, quàm deceat, Chyloſis perficitur, licèt id tunc nocuum homini exiſtimet, cùm diutiùs perſeverat, indèque Plethora, & 1. Aph. 3. habitus athleticus conſequitur, ex Hippocrate valdè periculoſus: quod ſanè rariſſimum.

In abolita autem Chyloſi, cibi, quo prorsùs modo ingeſti fuere, crudi, vel ſursùm, vel deorsùm, egeruntur. In diminuta parumper immutantur, & ſolùm in indigeſtam, phlegmaticamq; materiam convertuntur, quæ ventriculo gravamen, cæteris verò viſceribus obſtructionem affert: quin & aliquando ita ſenſim cruda hæc, & tenax materia interiori ventriculi tunicæ inhæret, ut cruſtam limoſam imitetur, impediatque illius coarctationem, amplificationemque; undè appetitus infringitur, & alia plura ſymptomata inſequuntur, præſertim inflatio, tumor, & hebetudo ventriculi. In depravata commutantur in acidos, nidore graves, corruptoſq; ſuccos; undè cruditates illæ emergunt, à quibus acidum eructatur, & nidoris ſpecies refertur, qualis ovorum corruptorum, vel ſimilium.

Veteres ciborum coctionem arbitrati ope caloris fieri, cruditates, & Chyloſis vitia, in ventriculi imbecillitatem, & caloris languorem retulere; quamvis cruditatem cum nidore, calori exuperanti, præſertim jecoris, attribuant. Ob externos etiam errores coctionem lædi citra ullum ventriculi vitium docet Galenus 3. *de ſympt. Cauſis cap.*1. videlicet ob excrementa ventriculi cavum occupantia, cibos ſubſtantia vitioſos, quantitate immodicos, qualitate excedentes, potiſſimùm calore, aut frigore, tempore importunos, & ſine debito ordine aſſumptos; ac denique ob ſomnum, cujus defectu coctio graviter interturbatur.

Recentiores verò à Fermento Ventriculi diſſolvente vitiato ejuſmodi Chyloſis læſiones deducunt. Unde Sylvius Deleboe abolitam, & diminutam fermentationem, ſeù Chyloſim, fieri ait, nunc ipſorum alimentorum quantitate, vel qualitate excedentium culpa; nunc fermenti defectu, aut inertia; nunc etiam à confluxu vitioſorum humorum in ventriculum. Auctam contra fermentationem promoveri à Fermento acidiori, à cibis facilè fermenteſcentibus, & ab humoribus acido volatili præditis aliundè in ventriculum pervenientibus. Depravari verò Fermentationem, & in nidorem abire à bile acriori, nimiſque volatili ad ventriculum delata; atque in acorem ab acidis humoribus, ac potiſſimùm pancreatico acidiori, & abũdantiori.

Non alitèr alii causas læsę Chylosis à succis dissolventibus, excedentibus, aut deficientibus, infractis, inertibus, commistis, similiterve affectis deducunt; sive illi è glandulis, tunicisque Ventriculi, sive ex arteriis, aliisque ductibus, ac visceribus deferantur.

Anatome autem compertum est, Ventriculos ejusmodi languentium repertos fuisse plurimùm distentos; atque in suis tunicis, plicisque relaxatos, aut villosa crusta, crassiori, densiorique obsitos: vel etiam Omento malè affectos: ut est exemplum apud Galenum cujusdam gladiatoris, qui ob resectum Omentum de ventriculo, & Chylosi conquerebatur, coactus illam juvare laneis integumentis.

Non rarò læsam Chylosim comitatur vomitus, vel alvi dejectio, aliquando mox à pastu, aliquando post aliquot horas. Adjungitur quoque ventriculi gravamen, ructus, inflatio, languor, inappetentia, fluctuatio, præter alia, quæ intestinis, aliisque visceribus contingere solent, incommoda: quamobrem origo plurimorum morborum cruditas esse consuevit, cùm ex Hippocrate *Ventris torpor, omnium confusio, vasorum immunditia, cerebri consumptio.* 6. Epid. s. 3.

Auctam, citamque ciborum coctionem, & contrà diminutam, ac depravatam Chylosim à causis externis, atque ex errore in victus genere commisso, nemo unquam medicamentis prudenter subiiciet: siquidem illa firmam salutem, roburque Ventriculi designat; hæ verò, præscripta solùm convenienti diæta, vitatisque iis, è quibus venter læditur, facillimè corriguntur; immò etiam spontè sua in consentaneum Naturæ usum reducuntur. Igitur tribus reliquis dumtaxat vitiis occurrendum, ne alias graviores ægritudines arcessant. Perutile autem fuerit causam primùm malæ Chyloseos internoscere, & tollere; mox verò languentem Ventriculum fovere, ac roborare, dissolventesque ipsius succos, si deficiant, recreare, si inertes sint, acuere, & si ab aliis pravis humoribus inficiantur, commodis remediis repurgare.

In usu medicamentorum fermentationem promoventium proponit Sylvius acida, & sale lixivio prædita, ac per spiritum volatilem alterata: spiritum salis cohobatum, & cum spiritu vini dulcem redditum; itemque sal tartari, succini, urinæ, & C. C. sal ammoniacum crudum, ejusque spiritum, seù sal volatile: vitatis intereà cibis, potibusque fermentum Ventriculi figentibus, vel obtundentibus. Speciatim verò cruditas nidorem præferens curari dicitur per bilem corrigentia, & præsertim spiritum salis dulcem: & si opus sit, etiam per eamdem evacuantia, sive per os, sive per alvum, modica tamen dosi, ne indè Cholera Morbus, vel Diarrhœa insequatur. At cruditas acida, acorem temperantia, tum quoque educentia expostulabit: in quem finem describit suum electuarium Hydragogum, & vinum quoddam medicatum, quo fermentum iners acuitur, & humores pituitosi simul emendantur.

Roborant præterea Ventriculum, & coctioni opitulantur zingiber, & nux myristica, piper, & caryophylli ante cibum, vel etiam cum ipso cibo assumpti ex Platero. Hinc diatrion pipereon insigne remedium à Galeno celebratur 8. *meth.* licèt reprobetur à Tralliano. Mastiche etiam summoperè prodest ad dr. j. in ovo sorbili, vel vino tribus horis ante cibum. Vinum Pract. to. 2. c. 15. & obs. l. 2. V. River. cent. 4. obs. ult. de usu piperis.

num absinthites, elixir proprietatis, aromaticum rosatum, diambra, diarrhodon, & similia salutaria observata sunt; quamobrem licèt acida fermentum Ventriculi mirificè acuant, cùm tamen is crudis succis gravatur, atque acore inficitur, proderunt potiùs aromata, & amarorem præseferentia. Extractum aloes, & myrrhæ simul corriget, & sensim abradet è tunicis Ventriculi impactos ejuscemodi succos. Commendatur quoque ab Hartmanno sal ammoniacum purificatum, aqua, seù balsamum ventriculi, aqua cinnamomi, essentia melissæ, pulegii, menthæ, absinthii, & spiritus mastiches: sal absinthii, & cinnamomi. Theriaca quoque, & Mithridatium suum hic locum habent, prçter alia plura passim à Medicis memorata.

Acidis succis dissolventibus acuendis usui esse possunt spiritus vitrioli philosophicus, acetum esurinum, spiritus sulphuris per campanam elicitus, elixir vitrioli Mynsicht. Verùm hæc moderatè exhibenda, vel cum aliis stomacho utilibus, commista. Parantur etiam ad hoc diversi generis condimenta ex rebus salitis, & acidis, unà cum aromatibus, ut nimirùm ab his adjutus Ventriculus arctiùs cibos complectatur, & suaviùs illos conficiat: quæ sanè in cæteris hujus visceris affectibus opportuna erunt, & maximè conducibilia; undè Hippocrates 2. *Aphor.* 38. docet, *parùm deteriorem cibum, aut potum, at suaviorem, melioribus, sed minùs suavibus esse præferendum*. Cçterùm quamvis somnus maximo juvamento languenti Ventriculo esse soleat, non tamen exercitium omninò interdicendum erit, immò summoperè commendandum matutinis præsertim horis, & ante prandium. Unde coctioni, dissolutionique ciborum in Ventriculo somnus, & quies; distributioni verò, secretionique conferet magis motus, & vigilia.

Denique si cruditati solis corrigentibus videatur satisfieri minimè posse, evacuantibus quoque incumbendum per superiora, vel inferiora, prout æger uni, vel alteri evacuationi fuerit proclivior. In his autem modus servandus est, ne nimia dosi, incongruenti medicamine; & immodica ventris turbatione is graviùs afficiatur, & magis elangueat. Quòd si de ejus laxitate dubitetur, roborandus ille omninò erit, iis præsertim medicamentorum generibus, quç corrugandi, adstrigendique vim habere dicuntur; cydoniis scilicet, myrtorum baccis, sorbis, mespilis, conditura ribium, pulvere coralliorum rubrorum, terra Armenia, cholcotare vitrioli, aliisque. Narcotica verò vitanda, vel parcè admodùm, & cum aliis permiscenda, ob Ventriculi languorem; vel solùm usurpentur opiata leviora, theriaca recens, diascordium, philonium.

Inflatio, & ructus non dissimiliter curantur, præter ea, quæ dicentur inferiùs de Hypochondriaca affectione.

DE CHOLERA Morbo.

CHoleram ab humore cholerico, seù biliosò dictam putat Galenus; Trallianus verò ab intestinis, quæ χολάδες Veteribus appellabantur. Vocamus autem morbum illum, in quo simul dejectio, & vomitus patientem torquent, & prætereà ventris inflatio: sæpè etiam crura, manusque contrahuntur, urget sitis, anima deficit, ut loquitur Celsus. Neque verò omninò necesse est, ut quam vocant bilem, solùm ægro- tan-

2. meth. 2 Lib. 7. c. 14.

Lib. 4. c. 11.

tantes egerant, cùm & varii, ac difformes humores expurgari possint, flavi, virides, atri, dummodò acres, mordacesque sint, una simul Ventriculum, & intestina lancinantes. Cùm autem soli flatus suprà, & infrà cum impetu erumpunt, impropria, & sicca Cholera nuncupatur.

Hipp. 4. de rat. Vict. in acut.

Hujus morbi causam ad humorem cholericum, seù biliosum Galenus refert. At ejus origo censetur aliis acer quicumque, & pravus humor, sive in Ventriculo genitus ex corruptis cibis, præsertim horariis dictis, aut venenosis, sive qui ex adjacentibus visceribus confluxerit. Quamquàm Isbrandus Diemerbr. nunquam ejuscemodi humorem in Ventriculo generari arbitratur, sed è folliculo fellis, poro bilario, aliisque vicinis locis in duodenum erumpere; mox verò partim per Ventriculum, partim per reliqua intestina protrudi. Sylvius verò à succo tùm bilario, tum pancreatico violenter fermentescentibus unà cum saliva vitiata, in intestino tenui, irritationem primùm, & turbationem intestinorum, mox etiam Ventriculi subversionem, cùm præcordiorum anxietate, concitari ait, indèque Choleram morbum oriri, quem frequenter quoque horarios fructus, cerasa, pruna, melones, mala persica excitare notat. Nec improbandus Helmontius, qui Pyloro ejusmodi vitium attribuit, in cujus gratiam referenda huc sunt, quæ alibi memoravimus, cùm de Vomitu.

V. Hip. poc. 7. epid. & Gal. de cibis boni, & mali succ. cap. 4. Anat. l. 1. cap. 5. L. 1. prax. cap. 15.

Verùm quotquot hactenùs Cholera affectos vidimus, omnes à cibis, vel pravis, vel immodicis in ventriculo corruptis, vel in tenui intestino depravatis, violentam hanc alvi, & stomachi turbationem, egestionemq; passi sunt, præter eos, qui à catharticis potentioribus hypercatharsim superam simul, & inferam subiere. Semel autem corruptus cibus fermenti vice alios ex aliis partibus confluentes humores inficit, & depravat; undè tam ingens, & iterata heterogeneorum humorum evacuatio in hoc affectu aliquando contingit. Porrò ab his potissimùm Choleram morbum induci advertit Hippocrates 7. *epidem.* 90. nempè ex usu carnis svillæ crudioris, cicerum, sepiæ, locustarum, gammarorum, olerumque, maximè porri, & cæparum: itemque ex lactucis coctis, brassica, lapatho, bellariis, pomis, cucumere, pepone, & potione ex vino, & lacte mistis, eruo, & polenta recenti; pariterque ex ebrietate, & insolatione.

Tanta autem plerumque est hujus morbi sævitia, ut ægros brevi interimat, sive quòd immodicam hanc evacuationem vires sufferre non possint; sive, quòd lacessita viscera flaccescant, aut inflammentur; sive, quòd sanguis etiam ex immensa illa evacuatione dissolutus, simulque infectus exhauriatur; sive, quòd delaxatus tandem venter nequeat corruptos humores egerere, qui propterea detenti, præcordia, immò & cor ipsum inquinent, ac suffocent; sive demùm (ut existimat Sylvius) quia inanito felleo humore, desinit vitalis fermentatio. Hinc rectè monet Trallianus in hoc affectu exiguam etiam, & levem curandi moram pessimam esse. Observat autem Galenus quibusdam salutarem illum esse, repurgato nimirum exindè corpore à multitudine gravantium humorum: quod & Nos in quodam Adolescente ferè ab infantia exploratum habemus: is enim per certa intervalla vomitu, & dejectione, tantam humorum colore, & sapore differentium copiam egerit, ut neque

V. Cels. l. c. Lib. 1. prax. c. 19. n. 6. Lib. 7. c. 14. 7. meth. cap. 11.

tan-

tantillum cibi ſumere poſſit; poſt triduum verò ſenſim convaleſcit, ac ſedato vomitu, intermiſſaque alvi turbatione, alimenta capit, atque in priſtinum reſtituitur: quod autem admirabilius eſt, hæreditariam à Patre hujuſmodi Choleram ejus mater atteſtatur.

Cùm igitur in hoc morbo cunctatio periculoſa ſit, quàm citiſſimè ſuccurrendum, ſcilicet cauſæ remotione, correctioneque; mox verò vomitus, & dejectionis temperatione, ac virium reſtauratione. Licebit autem aliquandò, blandioribus tamen medicamentis, vomitum, aut ventris ſubductionem promovere, cùm natura videbitur conctabunda, & æger gravamen in ventriculo perſentiet: at in reliquis ſatius erit abſtinere, & ſolis corrigentibus uti, quibus retundatur vis, & moleſtia irritantis humoris: idque potiſſimùm obſervandum, ſi vires ferendo non ſint; nam in turbationibus alvi, & vomitibus ultroneis, ſi talia purgentur, qualia oportet, confert, & leviter ferunt. Opiata communi voto commendantur, theriaca recens, diaſcordium, philonium, ut in curatione Vomitus dictum eſt.

V. Hipp. 5. epid. in hiſtor. Vir. Athen. Valleſ. & Proſp. Mart.

2. Aph. 2.

Sedato vomitu, virium refectioni deinceps incumbendum, nec tamen ſubitò, & immoderatè, ſed paulatim, ne gravamen indè ſequatur; atque intereà tum extrinſecùs, tum intrinſecùs fovendus venter erit. Vinum Celſo commendatur, ſed tenue, & odoratum cum aqua frigida miſtum: refert præterea Eraſiſtratum, qui primò tribus vini guttis, aut quinis aſpergendam potionem eſſe dixit, deindè paulatim merum adiiciendum. Scribitque Trallianus multos ſolo vino præter ſpem evaſiſſe: & quidem ſi calidum illud exhibeatur, præſentaneum remedium eſt, cùm & calidas potiones unicè prodeſſe, ſi reliqua omnia æger evomat, advertit Aretæus. A vino etiam, cui lapis porcinus infuſus ſit, teſtatur Bontius apud Du-Hamel Choleram morbum ſanari.

2. Acur. c. 4.

Petrus Jo: Faber aceto roſaceo ex aqua fontis, compeſcendum vomitum eſſe conſulit, ter, aut quater iterato; deindè ſuadet tincturam violarum cum ſyrupo violaceo. Riverius etiam oxycrati exhibitione, Vomitum, & alvi profluvium in fœmina quadam ſtatim cohibuit. Et Langius, cui quoque aſſentitur Sennertus, præſentiſſimum, & probatiſſimum in Cholera humida remedium teſtatur eſſe cryſtallum ad ſemidrachmam exhibitum, præſertim in ſucco citrii, & berberum, ut vult Henricus ab Heers. Et Panarolus vomitum, & dejectionem ſanguineam ad virium jacturam uſque cum ſudore frigido compeſcuit lapide hæmatite in ſucco punicorum. Reliqui demùm omnes refrigerantibus, & acidis univerſaliter inſiſtunt. Verùm hæc opportuna erunt ad humorum acritudinem temperandam, atque in ſedanda Cholera in picrocholis.

Centur. 4. obſ. 8.

l. 3. p. 5. ſ. 2. c. 13.

Obſ. 1.

Pentec. obſ. 11.

Si maligna febris affectum hunc comitetur, Bezoardica proderunt, & antimonium diaphoreticum, magiſterium coralliorum, C. C. uſtum, bolus Armenia, terra ſigillata, ebur, crocus Martis, tormentilla, biſtorta, & alia hujus generis.

Cæterùm quæcumque ſtomachum roborant, non levem opem in hac affectione præſtabunt, præſertim verò, quæ ex mentha conficiuntur, ex abſinthio, & maſtiche.

Ad ſiccam verò, quam appellant Choleram, itemque ad ructus, rugitus, & tormina ventris, quæ communem videntur habere conditionem, & cauſam eandem, conferunt

flatus discutientia, diacinnamomum, dianisum, diacuminum, diatrionpipereon, diambra, philonium utrumque, theriaca, mithridatium. Commendatur à Sylvio spiritus nitri in aqua fœniculi, & syrupo menthæ; itemque spiritus carminativus ab eodem descriptus. Aliis ambra efficacissima dicitur cum quadruplo sacchari. Aliis vinum Malvaticum, & Cretense, in quo fœniculi, & petroselini semina, aut frondes incocta sint. Præcellit verò oleum cinnamomi, & essentia caryophyllorum, ac roris marini: Rusticis familiare est allium coctum cum ruta: quæ nisi profuerint, etiam enemata ex iisdem parata sunt in usu. Hippocrates 4. *de rat.vit.in acut.* Choleræ siccæ medelam describit per usum clysterum, vini meracioris, olei, & lactis Asinæ, præter somnum, quem illi conferentem esse dicit.

Lib. 1. prax. c.9. nu. 29.

à Tex. 104. inferius.

DE AFFECTIBUS INTESTINORUM:

Et primò

DE LIENTERIA, ET COEliaca Affectione.

LAxatur quandoque plus justo alvus, & non solùm excrementa, aut humores sive vitiosos, sive salutares, sed & cibos indigestos, aut vix mutatos intempestivè deponit; undè Lienteria, & Cœliaca affectio exoriuntur: quæ licèt ventriculo sæpenumero quoque debeantur; frequentiùs tamen intestinorum culpa contingunt, ut propterea Hippocrati sub nomine lævitatis intestinorum vocitentur: Hæc namque, & præsertim tenuia, interiùs rugosa, glandulis innumerabilibus exiguis incrustantur, quibus nimirum vasorum illuc repentium oscula obturantur, & transiens chylus propterea inhærens, à lacteis venis excipitur; si verò emuncta, & complanata villosam istiusmodi crustam, obliteratis nempè glandulis, amiserint, lævorem adepta, chylo sine ulla mora præterlabente, hujus ægritudinis sunt causa. Undè Lienteria dicitur Galeno celer esculentorum, potulentorumque exitus, quæ talia deiiciuntur, qualia fuere devorata.

Comm. 1 in 6. Aph. & de diff sympt. c. 4.

At mirùm sanè quàm discordes in natura, & causis Lienterici, & Cœliaci fluxus Authores fuerint. Imbecillitati ventriculi, ut coquere, & retinere nequeat, illos Antiquiores attribuere. Alii Lienteriam à ventriculo nec concoquente, nec retinente cibos; Cœliacam verò affectionem à venis lacteis obstructis, atque à mala distributione pendere opinati sunt. Alii mesenterium, ejusque glandulas crassiori chylo turgidas, aut etiam tuberculis obsitas hujus mali causam constituerunt. Placuit quibusdam excretionis istius celerioris vitium glandulis intestinorum, aut laxioribus, aut justo densioribus adscribere: ac nonnullis aliis, in consortium venas Mesenterii, aut lacteas advocare. Neque defuerunt, qui & jecur, lienem, aut pancreas, tumoribus, ac scirrho affecta, in hujus mali causam concurrere sint arbitrati.

V. Fernel Path. l.6. c.10.

V. Ballō. in epidē. Diemerb. 1. Anat. c. 8.

Ex Conrad. Peyer.

Sylv. l. 1. c.16.

Verùm ex quacumque causa cibi indigesti remaneant, aut jam confecti non distribuantur, nec in venas lacteas, & glandulas lumbares permeent, hæc ægritudo exoritur. Si namque laxetur ventriculus, suasque fibras amittat; dissolventes succi desint, vel hebescant; pylorus, aut Ventriculi fundum à recepto cibo, aliisque succis proritetur; intestina laxiora fiant, aut ipsorum glandulę,

ac

ac villosa crusta obdurescat, vel obstruatur; comprimantur, constipentur, vel flaccescant venæ lacteæ, cum adjunctis glandulis mesenterii; si succus pancreaticus, & bilis debitam fermentationem non ineant, aut alteruter acidior, acrior, glutinosior, aliove modo intemperantior fiat, & reliqua, si quæ sunt, dissolutioni, distributionique necessaria, vitium incurrant, quo minùs suo munere defungantur, Lientericus, & Cœliacus fluxus procul dubio accidet; unde uniuscujusque sententia, & observatio, super hac re, vera esse poterit.

Hinc propterea cùm cibus indigestus egeritur, vitium ventriculi, & succorum dissolventium designabit. At verò si mutatus in chylum deiiciatur, malam potiùs secretionem denotabit, provenientem à succorum in tenuia intestina confluentium defectu, vel inertia, undè purior chyli portio ab inutili minimè secernatur; vel etiam ex obstructis, obduratisque glandulis intestinorum, lacteisque tubulis, purioris chyli ingressum impedientibus. Mutatus denique in alios humores, corruptionem, indebitamque fermentationem in utrisque significabit: Num autem ab hac, vel illa ex prænarratis causis dependeat, sedulus Medicus ex adjunctis aliis tum symptomatis, tum ægritudinibus conii ciet.

Quanti autem periculi sint ejusmodi fluxus, satis perspectum fiet ex eo, quòd indè vires sensim labascant, & corpus universum contabescat: quamobrem si alium affectum, & præsertim chronicum, insequantur, lethum prænunciabunt; aut hærente alicubi in glandulis, & lacteis mesenterii permisto cum fæcibus chylo ventosam hydropisim, & cachexiam adducent. Ab externis verò causis exorti, crudis præsertim, aut fugacibus alimentis, minùs mali sunt, nam sponte sua salubriter terminantur, redditis iis, quæ ventrem aggravant. Notabile quoque est, quod scribit Hippocr. *6. Aph.* 1. Ructum acidum longis lævitatibus intestinorum supervenientem, bonum signum esse: quoniam exindè inchoari ciborum coctionem significatur, quam ab acidis succis proficisci, alibi notatum est.

Medelam quidem admittent variam Lienteria, & Cœliaca affectio pro varietate causarum. Ventriculi languorem, & succorum fermentationem, dissolutionemque promoventium inertiam si consequantur, remedia expostulabuntur roborantia, & succos prædictos acuentia superiùs relata: Et si ab inflammatione, ulcere, acribusve humoribus Ventriculus ad depositionem ciborum fortasse proritetur, huc revocanda erunt, quæ inflammationi curandæ, & humoribus corrigendis, educendisque conferentia jam anteà dicta sunt. A secretione læsa, convenient, quæ bilem acuunt, & augent, ut sunt amara ex aromatibus selecta.

Obstructionem viarum lactearum, tumoresque glandularum, & villosam crustam intestinorum crassiorem redditam emendabunt, deobstruentia, & attenuantia, simulque, si opus sit, evacuantia. Aromata optima sunt, quæque potissimùm subamara observantur; vitentur verò oleosa, & pinguia, itemque acida, quæ si fortassis grata Ventriculo videantur, parcè, & cum aromatibus permista exhibere licebit: cæterùm nocua in his existimanda sunt.

Villosam intestinorum crustam abrasam consequens Lienteria, ut aliquando ex Dysenteria evenire ad-

vertit Sylvius, insanabilis ab eodem reputatur, cùm nulla medicamenta norit, quæ crustam illam renovare valeant, & quidem talem, quæ transitum concedat chylo ad lacteas venas propellendo: proderunt autem, quæ vulgò adstringentia dicuntur, & austera, vel sola, vel cum aliis commista, præsertim opiatis.

Lib. 1. prax. cap. 16. & tract. V. Append.

Cæterùm fluenti alvo indiscriminatim opitulantur, quæ stomachum roborare superiùs sunt memorata; itemque bolus Armenia, terra sigillata, colchotar vitrioli, crocus Martis, cornu C. ustum, corallia, tormentilla, bistorta, ribes, baccæ myrteæ. Saccharo rosf. veteri stetisse Lienteriam in sene fatetur Forestus: eodemque cum theriaca optima, & succo cydoniorum in formam electuarii redacto, curatum alium testatur Amatus Lusitanus. Cum conditura rosarum punicarum miscet Sylvius Deleboe diascordium Fracastorii, confectionem hyacinth. terram sigillatam, & sanguinem draconis. Commendatur ab aliis Mithridatium ad dr. j. cum scr. ß. croci Martis. Hepar lupi magnifacit Hartmannus cum eodem mithridatio, additis magisterio coralliorum, C.C. usto, & mastiche. Ab electuario ex baccis juniperi descriptione Paracelsi, & croco Martis magnum juvamentum non raro prodiit. Aqua cinnamomi efficacissima quoque est, & longè efficacior illius essentia, & elæosaccharum. Pulvis, aut sal pelliculæ interioris ventriculi gallorum optimus etiam plerisque dicitur in cibis.

Lib. 22. obs. 24.

Cent. 2. cur. 56.

Externè verò confert emplastrum ex Tacamahaca, mastiche, stypticum Mynsicht, Jo. de Prochyte, ex crusta panis cum succo, vel pulvere menthæ, & absinthii, mastiche, & nuce myristica. Olea insuper, & essentiæ inde elicitæ valdè etiam prosunt.

Cibis intereà ægrotus minimè gravetur, sed pauca exhibeantur, sæpiùs tamen, & grata Ventriculo. Liquor expressus ex carnibus assis, cum aromatibus, & succo cydoniorum, vel cerasorum laureorum subacidorum conditus salutaris est. Aliquando memini sanatum vidisse lientericum graviter affectum sumpta halece salita aceto inspersa. Memorantur alii non dissimiliter curati, appetitis priùs, mox comestis rebus insuetis, & extraordinariis. At de his latius in sequentibus.

DE DIARRHOEA, & Dysenteria.

CUm liquidiùs, quàm ex consuetudine Alvus, haud cibum, vel chylum, sed humores reddit, cum dolore, febre, siti, ciborum fastidio, torminibus, iteratisque cùm interdiù, tum noctu molestissimis dejectionibus, undè vires sensim consumuntur, & corpus extenuatur; quin & aliquando, ingravescente in dies morbo, emunguntur intestinorum glandulæ, & albicans illorum crusta abraditur, unàque simul cum variegatis humoribus egeritur, quam tandem consequuntur cruentę evacuationes, quæ modò cum liquidis fæcibus, modò cum quibusdam, quasi mucosis, comparent, & interdùm simul quædam carnosa, seù membranacea descendunt: quare frequens deiiciendi cupiditas, dolorque in ano fit, & cum eodem dolore exiguum quid emittitur, atque eo quoque cruciatus intenditur; Diarrhœa primùm, mox etiam Dysenteria exoriuntur, Morbi planè acerbissimi æquè, ac periculosissimi, immò sæpenumero lethales. Cels. l. 4. cap. 15.

Species Diarrhœæ plures recensen-

ſentur à veteribus. Alia enim à fluente chylo: Alia ab humoribus, & præſertim bilioſis: Alia ab eliquatis carnibus. Sic pariter alia à Meſenterio, alia à ventriculo, alia ab Hepate, Liene, Utero, Cerebro, itemque à vermibus, à pharmaco, à veneno.

Lib. 1. prax. c. 13. Verùm fluxus omnes Alvi diſtinguit congruentiùs Deleboe Sylvius in Lientericum, cùm alimenta cruda egeruntur: in Ictericium, ſeu Cœliacam affectionem, cùm alimenta fermentata, non tamen ſecreta, & in chylum, fœceſque ſeparata excernuntur: in Chyloſum, cùm alimenta tùm fermentata, tùm in chylum, fæceſque ſecreta, ſed ſimul adhuc confuſa deponuntur: in Bilioſum, cùm humores bilioſi repurgantur: in Pituitoſum, cùm craſſi, & viſcoſi, vel etiam tenues, ac ſeroſi evacuantur: in Pinguem, ſeu unguentoſum, cùm pinguia, & oleoſa deiiciuntur: in Cruentum, vel purum, ut in hæmorrhoidibus; vel loturæ carnium ſimilem, ut in fluxu Hepatico dicto: & demùm in Purulentum, ſeu ſanioſum, ut in Dyſenteria, & Teneſmo graviori.

At quamvis Diarrhœæ nomen latiori ſignificatione comprehendat omnem fluxum, & ſpecialiùs qui ex alvo liquidiori provenit; ſumitur nihilominùs hoc loco pro eo, qui humorum eſt, & præſertim acrium, cum dolore inteſtinorum, & febre; quique niſi opportunè ſedetur, mox comitem trahit Dyſenteriam, cum torminibus ventris, ſtrigmetorum, & cruoris frequenti evacuatione conjunctam. Cæteros verò alvi fluxus peculiari nomine donatos, partim ſuprà cùm de Lienteria, & Cœliaca affectione; partim infrà cùm de fluxu Hepatico, & alibi examinabimus.

Lib. de Catarrh. ſpec. Qui autem à cerebro procedere putatur, Schneiderus in ſanguinem refert per inteſtinorum arterias recrementa alba, & ſpumoſa repurgantem.

Hanc itaque Diarrhœam ab acribus, acidiſque humoribus dolorem ſimul, & irritamentum inteſtinis afferentibus pendere in confeſſo eſt apud omnes. Hos autem licèt antiqui Jecori ad calidum intemperato adſcripſerint; Ratio tamen, & experimentum contrarium evincit: neque enim in Meſenterium quidquam è Jecore per venas effluit; neque ſi efflueret, aliud quid à ſanguine eſſet, cùm tamen alii humores per alvum efferantur in Diarrhœis, qui certè ſi è venis exilirent, hæmorrhagiam perennem parerent: at verò ligatis venis per meſenterium, & inteſtina perreptantibus, infra, non ſupra ligaturam ſanguis reſtagnat: Experimento etiam conſtitit, nullam inflammationem in Hepate obſervatam, nullumque ardorem, aut dolorem, quæ ſanè febrim attuliſſent vehementiſſimam, cùm cæteroqui ſæpenumerò Diarrhœæ ſine febri fiant. Humores pariter excreti virides, ſeu porracei, atri, flavi, variegati, non leve etiam argumentum præbent illæſi Jecoris, quia cum tanta humorum corruptione, & pravitate, quanta dicitur ab illis haberi, minimè poſſet diù innoxium, & vita conſtare.

Probabile itaque magis eſt ejuſmodi fluxus frequentes, dolorificos, & variegatos procedere à ſuccis bilario, & pancreatico, vel ex ſe vitioſis, vel in tenuia inteſtina confluxis, ibique quantitate, aut qualitate inconvenienter commiſtis, atque indebitè fermenteſcentibus, adeòque proritantibus ad ſui depoſitionem inteſtina; qui ſive ab exceſſu bilis acrioris, ſive à copia ſucci pancreatici acidioris redditi, nedum ſemetipſos depravent, chylumque pertranſeuntem vitient, ſed & alios quo- V. Graeff. de Nat. & uſu ſucc. pancr. 2. Isbrand. Diemerb. 1. Anat. cap. 3. 5. VVilliſ. pharm. rat. ſ. 3. c. 1.

ſcum-

scumque humores illuc delatos; quin etiam alimentum, & quidquid sponte, vel adigente natura eo loci deducitur, corrumpant, mucum intestinorum, & glandulas emungant, atque abradant, cruorem eliciant, & substantiam eorumdem erodant cum doloribus lancinantibus, & torminibus ferocissimis; undè fit, ut Diarrhœam pertinacem inevitabiliter Dysenteria subsequatur plerumque immedicabilis. V. Conrad. Peyer de gland. intest. c. 9.

Quamvis autem plerumque Dysenteria cruenta esse soleat, observata tamen aliquandò incruenta est. VVillisius enim memorat quotannis ineunte Autumno Londini sævire consuevisse popularem, & incruentam Dysenteriam, in qua aquosæ dejectiones cum torminibus, & subita virium jactura observantur. Neque solùm incruenta, sed interdum indolens quoque refertur ab Hippocrate 2. *epidem. sect. 6.* & extat exemplum in *Ephemer. German. ann.* 1671. *observ.* 43. Pharm. rat. s. 3. c. 3.

Præter horum succorum vitium, ab abscessibus etiam, & inflammationibus viscerum naturalium, præsertim Mesenterii, Intestinorum, & glandularum, Diarrhœam, & Dysenteriam oriri, jam satis exploratum est: atque plures extant historiæ apud Th. Bartholinum, Riverium, Hildanum, Rhodium, Platerum, Fontanum, & alios.

Consueverunt potissimùm humores isti vitiari à cibis, & potibus, qui facilè corrumpuntur, & fermentationem immoderatam promovent, quales præsertim sunt fructus, horarii dicti, & potus nimiùm relaxantes, ac frigefacientes, importuna, & subita aeris inclementia è nitrosa, & boreali, in aluminosam, & austrinam constitutionem; undè non rarò Dysenteriæ epidemicæ. Huc etiam accensenda est Rubigo, & Uredo supra fruges, vineasque decidua, cujus meminit Plinius *lib.* 18. *cap.* 1. & 28. & alibi; quamobrem infecti fructus alvum movent, & tormina pariunt, ut non semel visum in locis ad Vesevum sitis. Immoderatas pariter animi curas Diarrhœam inferre, ostendere conatur VVillisius, per inordinatam spirituum animalium motionem, undè intestina violenter perturbentur: porrò experimur ab ingenti timore alvum repentè laxari. Hipp. 3. Aphor.

Præterea non rarò accidit Diarrhœas, ac Dysenterias febribus acutissimis, & mali moris accidere à vitio sanguinis; undè sicuti hæmorrhagiæ, sputa sanguinis, vomitus; ita Dysenteriæ cruentæ contingere possunt, læsis exindè potiùs Intestinis, ac Mesenterio cum venarum, aut arteriarum erosionibus. Internoscere verò summoperè oportebit has sanguinis evacuationes ab iis, quæ ex hæmorrhoidibus accidunt, quia in hoc Medicos falli contingit: de qua re legendus Galenus *3. de sympt. caus.* 2. *&* 2. *de loc. aff.* 5. cruenta namque evacuatio in Dysenteria sequens est, & modica, cum ventris torminibus, febreque plerumque acutissima; secùs in hæmorrhoidibus.

Tradit Galenus 4. *Aph.* 26. *&* 6. *de loc. aff. cap.* 2. plures Dysenteriæ gradus ab excretorum varietate, quamobrem Diarrhœam Dysenteriæ prodromum constituit. At quam ex adiposa substantia excreta deducit, verè talem non esse alii plures, & gravissimi Auctores ex Anatome evincunt: A muscosa enim, & villosa crusta Intestinorum abrasa videri aliquandò pinguem substantiam excerni docet VVillisius; & Peyer à glandulis intestinorum derivari arbitratur; atque Sennertus viscosos esse humores ait diù in intestinis coacervatos. V. Panarol. Pentec. 1. obs. 9.

tos. Insuper cruorem excerni solitum in Dysenteriis plerumque ab intestinis crassis, & præsertim à Recto manare vero-similius est; undè Dysenteriæ assiduus comes Tenesmus esse solet, quo tàm crebriter coguntur patientes desidere, irrito sæpissimè conatu. Accidit quoque à Mesenterio sanguinem unà cum recrementis, & pure, quia fortasse ibidem substitit, effluere, atque Dysenteriam mentiri, ut nonnunquam ex Abscessibus illius maturatis, ac diruptis observatum est, quos adhuc in ipsis intestinis obortos memorat Aetius. Tetrab. 3.s.1.c.42

Undecumque autem ejusmodi dejectiones oriantur, (criticis tantùm Diarrhœis exceptis) semper malæ existimantur: frequens enim desidendi labor insomnem facit, & periculum defectionis animi minatur. Gravius insuper erit, si quod egeritur, omninò præter naturam fuerit, undè faciliùs intestina possint exedi. Quare porri speciem referentes, nigras, variegatas, graveolentes egestiones pejores putat Aetius, de quibus Hippocrates 2.*prognost.* Quod si veluti carunculæ deiiciantur, vicina mors portenditur. Malum quoque est ciborum fastidium, & cum febre, (quæ tamen non semper juncta Dysenteriæ putatur Hollerio) pejus; sicut etiam Lienteria. Bonum verò dicitur, si maniacis contingat, ac lienosis: Vomitus prætereà, si multo post tempore superveniat, salutaris; at secus inter initia. Cæterùm *uno die fluere alvum*, inquit Celsus, *sæpè pro valetudine est, atque etiam pluribus, dumfebris absit, & intra septimum diem id conquiescat: purgatur enim corpus, & quod intùs læsurum erat, utiliter effunditur: periculosum est, cùm ulteriùs producitur, etenim tormina, & febriculas excitat, viresque consumit.*

[Margin: 2. Prog. 14. — 4. Aph. 24. — 7. Aph. 23. — 4. Aph. 26. — 7. Aph. 78. — 7. Aph. 5. & 6. Aph. 48. — 6. Aph. 15. — Coac. prænot. — Lib. 4. c. 19.]

Ab affectis prætereà partibus, creduntur longè graviores Dysenteriæ tenuium, quàm crassorum intestinorum, quia in illis dolor intensior fit, cum torminibus, siti, & virium exsolutione: pro quibus internoscendis adnotat Galenus *c.6. de loc. aff.* cruorem exactiùs cum fæcibus commisceri, qui tamen ab intestinis crassis descendens alvi excrementis supernatare conspicitur. At hæc fallacem conjecturam exhibent, nisi ab ulcerato ano sanguis puri similis prodeat, ut in Tenesmo. Aet. tetrab. 3. s. 1. c. 43.

Curationem denique quod attinet, illam variis, diversisque medicamentorum generibus Medici moliuntur. Et quidem, cùm Dysenteria intra limites Diarrhœæ versatur, sunt, qui vomitum præcipiant, quique etiam dejectionem, ex rebus astringentibus dictis, rhabarbaro acerbo, vel modicè torrefacto, tamarindis, myrobalanis, syrupo ex pluribus infusionibus rosarum punicarum. Alii ab his abstinent, at clysteriis lenientibus, & pinguibus fluentes humores retundere conantur, atque affecta intestina demulcere. Alii verò, solis corrigentibus humorum acrimoniam uti malunt, ut hi in meliorem statum revocati desinant fluere, & intestinis nocere. Vallesc. Massar. Angel. Sala, & River.

Hippocrates in victus ratione, & exercitiis universam Dysenteriæ medelam collocat: cibum enim detrahit tùm in prandio, tùm in cœna; atque exercitia indicit vehementiora: quippè existimat à ciborum repletione illam plerumque fieri. Et alibi, lac decoctum tantummodò exhibet. At Celsus, motu inhibito, vini cyathum, cui contrita radix quinquefolii sit adjecta, jejuno stomacho sorbendum præcipit, atque intereà imponenda cataplasmata super ventrem, quæ reprimunt. Lib. 3. de diæta. — 1. de Morb. — Lib. 4. c. 15.

Atqui distinctiùs in his procedendum alii suadent, & cùm alvi fluxus abundantes humores indicat, ut neque victus ratione exacta, neque solis corrigentibus cedat, etiam leviter evacuantibus utuntur; atque Sylvius, post alios plurimos, in hanc rem primas tribuit Rhabarbaro tosto, cui vim inesse scribit benignè evacuandi, & laxiorem alvum sua austeritate sistendi: miscet autem illud cum subdupla portione nucis myristicæ, vel cum pari dosi radicis jalapæ, & mòdico cinnamomi, ita tamen ut universa dosis vix drachmam attingat. Neque timendum ex torrefacto rhabarbaro empyreuma, & acritudinem excitari; nam exsolvitur, non acuitur inde rhabarbarum, atque ustione potentiùs corrigit, infringitque vitiosos humores: quod omninò in hoc affectu exoptandum. Timor autem omnis aberit, si rhabarbarum austeriusculum exhibeatur citrà torrefactionem, cum nuce odorata, & si placuerit, etiam cum pulpa tamarindorum, quæ mirificè retundit bilis acrimoniam. Qua ratione ejusmodi medicamenta prodesse credendum, non autem, ut quidam arbitrantur, vi, qua pollere dicuntur, astrictoria. Nos illo hoc pacto exhibito feliciter multoties usi sumus. Temerè verò, imprudenterque à quibusdam fieri solet, qui cùm comprimendæ alvo dant operam, Diarrhœa tamen, ac Dysenteria affectis in dies præscribunt cathartica largiora ex manna, syrupo rosf. julapio rosf. aureo, aliisque, cum solventibus decoctis ad plures uncias, quæ à bene valentibus vix sufferri possent: per hæc enim fluxus non sistitur, sed potiùs promovetur, ducunturque ad intestina ab aliis partibus humores medicamento commoti, ac corrupti, non sine graviori illorum affectione. Quamobrem hos meritò reprehendit Fuchsius *lib. 2. Paradox. cap. 13.* atque in comprobationem, Hippocratem, Galenum, aliosque veteres adducit, qui ab ejusmodi medicamentorum generibus prorsùs abstinuerunt. Quæ verò adversùs rhabarbarum tostum ipse affert, eluduntur à Matthiolo, qui id perutile Dysentericis evincit rationibus, & experimentis.

Lib. 1. prax. c. 13. n. 33. & inferiùs.

V. Gal. 1. de Art. cur. ad Glauc. cap. 14. Qui ausi fuerunt sanguinẽ mittere, vel purgare in majora pericula ægros perduxere.

V. Vallesf. in 4. epid.

Apolog. adv. Amat. Lusit.

Si verò evacuatione non sit opus, fortasse quia vitiosos humores constat multitudine non excedere; quin immò fermento cysti felleæ, pancreati, ipsorumque ductibus, aut etiam intestinorum glandulis insito, ac subindè sensim exudanti continenter præterfluentes succos depravari, depravatosque alvum ad sui exonerationem sollicitare: tunc sedulò illi temperando, absumendoque incumbendum. Celsus Asclepiadem refert frigidissima potione usum, atque ipsemet aquæ benè frigidæ potum proponit, cùm cætera non juverint. Riverius aliquandò exhibuit in potu sal prunellæ ex aqua lactucæ, & portulacæ, ter in die. Sed tutiùs uti licebit misturis unà simul roborantibus, & corrigentibus, ex aqua cinnamomi, plantaginis, consolidæ, bursæ pastoris, confectione de hyacinthis, vel diamargarit, diascordio, & similibus. Helmontius Diarrhœam sanari inquit duobus ovorum vitellis duris aceto rosaceo temperatis, & patienti exhibitis. Theriaca recens optima est, aliudve opiatum medicamentum. Summè etiam prodest electuarium baccarum myrtearum, vel rosarum punicarum cum pulvere C. C. usti, tormentillæ, bistortæ, & plantaginis ante cibum pluries iteratum; itemque pulvis coralliorum rubrorum, boli armeniæ, terræ sigillatæ, croci Martis adstringentis dicti, colchotaris vitrioli, seminum plantaginis,

Cent. 1. obs. 33.

ginis, baccarum sambuci, thuris, mastiches, balsami Peruviani. Cera alba pyro, vel cotoneo indita, simulque excocta efficacissima est; sicut pariter gummi Arabicum, & pix, præcipuè si Diarrhœa in Dysenteriam transierit: Quo casu Robertus Boyle terebinthinam cum saccharo optimè in pilulas redactam mirabiliter commendat; quam, & cum mercurio dulci commistam, egregium inquit esse antidysentericum, (Valler. lib. 3. obs. 4.)

Specialiùs autem Dysenteriæ conferre scribit Hartmannus essentiam, seu tincturam Smaragdi, essentiam croci Martis à Crollio descriptam, tincturam coralliorum, & alumen crudum ad dr. j. in aqua plantaginis dissolutum pro potu. Et Anselmus Boetius laudat etiam crystallum in tenuissimum pulverem redactum, & cum vino propinatum: quod & fluxum album uteri, cholericum, & cœliacum citissimè compescere ait. Pulverem radicis filipendulæ ad dr. j. in vino, aut vitello ovi mirabilem prædicat Velschius ex Mercato, & Prævotio. Sanguis Leporis, qui venatu per canum morsus interiit, in vino exhibitus, speciale remedium dicitur Helmontio: ut & ungula Equi non luxuriantis in butyro frixa; deindè in pulverem contrita; si autem is lasciviat, dysenteriam magis promovere, & mortem afferre subdit. Hædi coagulum summum etiam arcanum creditur Michaeli. Priapus Cervi, vel Tauri pulveratus, vel elixus; itemque priapus Cati, & talus porcinus in calcis formam redactus; pariterque pulvis pedum perdicis tostorum ad dr. j. ex vino rubro mane, & vesperi; atque hepar Serpentis apud Fridericum Hofmannum; necnon stercus Canis ossibus nutriti cum lacte caprillo ex Fr. Joele. Brevi, & miraculo quasi curatum quemdam dysentericum testatur Borellus potu aquæ, in qua suber ebullierat: idipsum ex pulvere aliis feliciter successisse refert Riverius. Usus pulveris tragacanthi ad dr. j. cum nuce myristica, & coralliis, ana ad dr. ß. in ovo sorbili, præstantissimus notatur à Cratone. Recentes Dysenterias, cruentas licèt, statim sanari fatetur H. Saxonia hoc pulvere, in quo sunt, *ossis sepiæ ustæ dr ij. spongiæ pice imbutæ, & in olla crematæ; & putaminum ovorum induratorum, detracta pellicula interiori, singulorum unc. ß. margaritarum præparatarum, & boli Armeniæ singul. dr. j.* Hæc in pulverem contrita exhibentur in lacte, vel cocto, vel ignito chalybe medicato, vel etiam in aqua polygoni; ad dr. j. Riverius inquit: quidam dysentericus omnia remedia respuens, solo usus est pimpinellæ decocto, cum aqua, & butyro confecto, cujus scutellam sumebat manè, & sero, & intra triduum curatus est. Commendat etiam pilulas ex bdellio alternis diebus, vel bis, aut ter in hebdomade. De Cive quodam Hafniensi meminit Bartholinus, qui selibram calidæ cerevisiæ propinabat, in qua summitates absinthii, & sal album decocta forent, nucemque odoratam tritam cochleari ultimo superbibendam dabat; atque ità innumeros curasse gloriabatur. Hinc non mirum videbitur, si Themison apud Celsum muria dura quàm asperrima in his affectibus uteretur: quodque Galenus refert de eo, qui dysentericos uno lanabat die, cæpis *Cartis* nimirùm cum pane exhibitis, & parco potu primùm, postridie muria acerrima per inferiora infusa. Apud Borellum alia describuntur medicamenta antidysenterica; quemadmodum est aqua chalybe medicata ex decocto lentium cum pulvere fabarum, & caryophyllorum;

Marginalia: In praxi. — Lib. 2. de lap. & gemm. cap. 74. — Obs. 44. — T. Potestas Medic. & Pylorus rector. — Lib. 4. pract. s. 3. — Cent. 1. obs. 57. — Lib. 5. consil. 22 — Pract. p. 2 cap. 19. — Cent. 3. obs. 84. — Prax. l. 10 cap. 5. — Cent. 2. hist. 65. — Lib. 4. c. 15. 12. meth. 1. — V. Mercurial. 1. var. lect. cap. 4. Qui creticas, vel enidias exponit. — Cent. 1. obs. 13.

lorum; itemque oleum olivarum cum
Cent. 1. obs. 36. saccharo, ac vitellis ovorum, & lac caprinum haustum cum saccharo. Verùm in usu lactis cautiùs agendum, ne in ventriculo acescat, aut corrumpatur, monitu Hippocratis,
5. Aph. 64. lib. 8. cap. 8. & Tralliani.

Ulcere in tenuibus intestinis hærente, commendat Sylvius apozema
Lib. 1. prax. c. 13. n. 52. vulnerarium ex decocto *radicis consolidæ Sarac. foliorum pyrolæ, alchimillæ, hederæ terrestris, saniculæ maris, summitatum hyperici, rasuræ C. C. in aqua ferr. cum syrupo de althæa Fernelii, & tinctura cinnamomi, addito balsamo sulphuris anis. vel cum succini oleo parato ad guttas aliquot*. Describit etiam mysturam valdè efficacem, & eclegma in eundem finem, apud quem vide.

A verbasco, plantagine, sanguinaria, hyperico, & bistorta comparatur optimum sanè medicamentum, cui pro usu addere solemus, vel Bezoardicum martiale, vel antimonium diaphoreticum. Succum hederæ, ut efficacissimum magnifacit Hollerius.
Lib. 7. consil. Craton. E verbasco, & sanguinaria aqua elicita, & in potum data, multùm valet, & si huic addatur parum aquæ juniperi longè efficacior dicitur ad sedanda ventris tormina. Ad idem
Lib. de dysent. c. 9. conficit Hildanus electuarium ex oleo amygdalarum dulcium, & saccharo miscello, addito modico oleo recenti vitellorum ovorum. Effert Mynsicht species diaplantaginis: & Quercetanus trageam antidysentericam. Thus demùm, mastiche, succinum, tragacanthum, & gummi Arabicum; itemque sperniosa, sanguis draconis, hæmatites, suber, & Cornu C. ustum, vel mista, vel singulatim sumpta efficaciter prosunt. *Ex America* nuperrimè advecta est radix cujusdam plantæ *Ipecacuanba*, *vel Ippepaquana* dictæ, quæ ad dr. ij. in pulverem contrita mirabiliter dysentericos fluxus curare dicitur: Laudatur autem quæ rufi coloris est, non alba, nec nigra.

Extrinsecùs verò, pro arcano habet idem Hildanus, Argentinæ, seu Anserinæ folium plantis pedum admotum omnes Dysenterias intra XXIV. horas sistere. Eandem herbam butyro frixam, & ventri applicitam commendat Michael, apud Hofmannum, qui & Persicariam pulsibus alligatam, ossi sacro, & umbilico, collaudat. A Martino Rulando sedatus Cent. 7. cur. 40.
olim fuit dolor, & fluxus dysentericus fumo glandium quernarum in aceto asperrimo decoctarum, ano per sedem perforatam excepto: pariter- Cent. 5 cur. 18.
que sacculis ex furfuribus aceto quoque incoctis, & crebrò, calidèque ano applicatis. Fertur à Roberto De util. Philos. p. 2. s. 5. c. 14.
Boyleo, quemdam dysentericos certò curasse fumo zingiberis itidem per anum excepto: atque alium, fumum C. C. prætulisse. Commendat Platerus lotionem pedum cum vino rubro Lib. 3. observ.
styptico, & suffitum ex decocto radicum tapsi barbati, bistortæ, gallarum, plantaginis, rosarum punicarum, & chamæmeli in aqua ferraria. Flores rorismarini in aceto acri leviter de- l. 4. consil. 9.
cocti, mox expressi, & calentes ventri impositi mirificè prodesse dicuntur Solenandro. Si prima excrementa sanguine intincta salis manipulo misceantur, magnetica vi curare scribit Frid. Hofmannus: sicut etiam insperso cholcotare vitrioli. Et Crol- Designat. rer.
lius Acori aquatici lutei radicem mense Majo effossam Amuletum hujus morbi esse docet, si appensa feratur supra ventriculi regionem. Cardilucius etiam frustulum ligni vulne- Hoc loc.
rarii, seu fraxini, excrementis cruentis intinctum in frustulum laridi infigit, ibique detinet, quousque æger convalescat.

Præ-

Præterea plurimùm plerique fidunt clysteribus ex rebus emollientibus, & anodynis, decocto hordei, lacte, jure, oleo, melle, vitellis ovorum, & similibus. At Guil. Ballonius horum usum improbat: dum enim, inquit, sic intestina proluuntur, & diluuntur, mollia fiunt; undè diathesis illa, quam Galenus ῥευματικὴν vocat. Cautiùs procedere videtur Sylvius, qui enemata adhibet solùm affectis crassis intestinis, quò scilicèt illa pervadere possunt; eaque conficit ex lacte bubulo recenti, in quo chalybs ignitus extinctus sit, & terebinthina Veneta ovi vitello dissoluta, cum modico mellis rof. Tentzelius clysma describit ex jure capitis ovini, in quo summitates hyperici, & radices tormentillæ infundit, atque tres, vel quatuor horas supra cineres calidos detinet; Idque in desperatis alvi profluviis præstantissimum esse dicit. In Ephemeridibus Germanicis anni III. describitur & aliud enema à Luca Schrockio, ex decocto *radicis tormentillæ, & symphyti, itemque ex plantagine, bursa pastoris, equiseto, mentha rubra, rosis punicis, balaustiis, & anth. cum seminibus sumach.* cui deindè adiicit *sacch. Thom. & balsam. Peruv. cum vitell. ovi solut.* & tandem *succ. plantag. recenter express.* At paratus clyster ex simplici decocto corticum ligni juniperini virentis mirificè quibusdam profuit: sicut & qui conficitur ex solo decocto plantæ Lysimachiæ in oleo communi, vel ex decocto urticæ, centinodii, & verbasci, aut cynoglossi in eodem oleo. Addit quoque enematibus diascordium Barbette, & alii Theriacam, aut opium; quin immò ex ipso glandem podici inserit Fr. Joel. sed ultra horæ quadrantem in intestinis non dimittit. Guainerius verò admiscet thus, mastichen, crocum, & styracem liquidam cum pauco opio.

Lib. 1. eph. & epid.

In Ter. Bezoard. cap. 4.

Ex Rhal. lib. 4. f. 3.

Lib. 5. consil. 22

Opiatorum usus nec ab omnibus in Dysenteria commendatur. Crato enim ad illa nonnisi urgente summa necessitate deveniendum esse suadet, priùs tamen quàm vires infractæ sint. Suspecta quoque statuit Zecchius; ni fortè maximè urgeat dolor, & vigilia. De laudano autem opiato speciatim monet Th. Minadous, ejus usu ulcera sordidiora reddi, & mortem arcessiri, referente Thonnero.

Consult. 37.

Lib. 3. obs. 10.

Contrarium autem testantur Horstius, & Riverius, qui ab illo plurimos sanatos memorant. Satius propterea erit opiata cum liquidis miscere, ut scilicet acritudinem succorum temperent, & citrà partis affectę noxam, aut vitiosorum humorum retentionem, (ut isti suspicantur) ventris dolorem, ac tormina sedent: quin & theriaca, ac Diascordium omninò innoxia existimanda sunt, ob maximam aromatum misturam, tenuissimam verò opii partem. Cæterùm laudanum ipsum opiatum à perita manu confectum nunquam fallere visum est, si præsertim omittantur in illius compositione ea, quæ à plerisque inutiliter commiscentur. Neque insuper temerè, atque cùm primùm alvus fluere cœperit, & gravamen in ventre ex congestis forsan humoribus percipitur, exhibendum: etenim non rarò juvat per duos, aut tres dies alvum solutam habere, documento Celsi, ad repurganda excrementa ventri onerosa.

Diuretica denique, & diaphoretica miram opem dysentericis sæpè sæpiùs contulere. Sicut enim Vomitus ex Hippocrate spontè contingens à longo alvi profluvio, malum solvit; utque *lib. 2. de diæta* dicitur, alvum plus æquo fluidam sistit, quoniam humores ab affectis partibus avertit; ità quia à diaphoreticis, ac diureticis,

6. Aph. 15.

V. River. cent. 3. obs. 9.

cis, par, immò tutius emolumentum sperare licet, procul dubio utilia erunt existimanda; eoque magis si popularem, malignamque constitutionem Dysenteria consequatur. His præterea omninò insistendum multis suadent Hildanus, Riverius, Sylvius, & VVillisius; atque hic præ cæteris describens epidemiam Dysenteriam incruentam Londini grassatam, testatur remediis cardiacis, & calidissimis tantummodò cessisse.

Inter cætera diuretica huic morbo peculiariùs conferentia creduntur decoctum granorum juniperi in vino, ex Riverio: & decoctum lumbricorum terrestrium cum carne vervecum ex Hildano. Terebinthina, ejusque spiritus, & oleum à nonnullis etiam commendatur; itemque ebur, oculi Cancrorum, decoctum cornu C. gelu coactum, aqua graminis, in qua silices igniti pluries fuerint extincti: atque id genus alia.

Lib. 10. prax. c. 5. De dysf. cap. 7.

Præcipua verò diaphoretica Dysentericis apta recensentur, mercurius diaphoreticus ex eodem Riverio, lapis Bezaar ex Hildano. Pariterque antimonium diaphoreticum, Bezoardicum quodcumque, præsertim solare, & martiale: Theriaca, & spiritus theriacalis, sal volatile C. C. extractum scordii, & diascordium Fracastorii, sal volatile, & pulvis ipse viperarum, aliaque plura, quæ sanè non semel visa sunt in hoc morbo profuisse; præsertim si febris jungeretur mali moris; aut epidemica constitutio vigeret. Singula demùm simplicia ex vegetalibus, fossilibus, & animalibus desumpta, atque huic affectui speciatim opitulantia, & ex his composita, ex pluribus collegit Sennertus, quem videsis.

Cap. de Dysent.

Non dissimili modo Tenesmo (qui à Galeno inter Dysenteriæ species refertur *3. de sympt. causis 2.*) occurrendum, cui curando vix æquè præstantius remedium est Sylvio Deleboe balsamo sulphuris, si cùm terebinthinæ Venetæ spiritu oleoso, vel succini, anisive oleo, ritè fuerit comparatum, ac per se solum, vel aliis admistum, & podici inditum. Suffimentum ex thure commendat Matthiolus: additque præterea Forestus mastichen, semina myrti, & flores rosarum punicarum arefactarum. Suffitus conorum Abietis præsentissimum remedium dicitur Rumlero. Hinc omnia resinosa prosunt, pix, terebinthina, mastiche, thus, styrax, gummi tragacanthum, & Arabicum, myrrha. Tapsus barbatus decoctus, & suffumigatus etiam juvat cum absinthio, anetho, chamæmelo, foliis quercus, & seminibus Kermes. A Dysenteria sejunctum sæpè solis fomentis calidis sanatum vidimus, stomacho intereà roborato. Quin & nonnulli insessu super lateres æstivo Sole excalefactos curati sunt. Oleum ceræ, & vitellorum ovorum quoque prodest; sicut etiam oleum hyperici ex aqua ardente destillatum: Vinumque myrrhatum, camphoratum, & aloeticum. Internè verò, oleum mastiches ad guttas aliquot in aqua menthæ, plantaginis, vel pulegii, subitò Tenesmum solvere notat Hartmannus. Cæterùm antidysenterica hìc quoque locum habent, ut proptereà plura alia congerere supersedeam.

DE ALVI FLUXU CRUENTO, & Hepatico dicto.

NOn modò humores vitiosi, & à natura degeneres, sed aliquandò etiam sanguis per alvum egeritur impermistus, atque à fæcibus, cæterisque mucosis dejectionibus omninò sejunctus, & citrà dolorem, aut inte-

intestinorum tormina. Fluere autem è vasis cohærentibus intestinis ferè omnes ajunt; indeque hæmorrhoim oriri, quà venæ juxta anum turgidæ sanguinem fundant. Harveius arterias ibidem adnexas indè depleri existimat, quæ arteriæ cœliacæ ramuli sunt per mesenterium, & lienem sparsi. Verisimilius tamen putat Conringius, eos, qui secundùm naturam sunt, effluxus, apertis venarum orificiis fieri, eo quòd solæ venæ videantur ad extrema partium hiare, arteriarum finibus conjunctæ. Et Rolfinckius *in dissert. Anatom.* non omninò necessarium arbitratur, ut quemadmodùm humorum affluxus per arterias fit, ità etiam effluxus. Undè Highmorus fieri posse credit has sanguinis evacuationes per venas in magnis naturæ conatibus, mutato sanguinis cursu; & quidem à locis vicinis, Hepate, Liene, Pancreate: motus enim ille Naturæ in humorum expulsione est præter naturam, & violentus, viamque non semper sibi consuetam quærit, sæpiusque, & aliæ actiones naturales Naturæ necessitati cedunt, cùm lacessitur, ut in vomitu. Porrò certissimum est, nedum in his evacuationibus, verùm etiam in hæmorrhagiis narium, venas aperiri, & sanguinem effundere, quamvis iste in has ab arteriis profluat. Non tamen impossibile putandum, interdum etiam ab apicibus arteriolarum sanguinem exudare, & quandoque largas hemorrhagias oriri, quæ non tam facilè cohiberi possint. Neque quòd subsultim sanguinem quis profluere non conspiciat, rectè coniiciet ab arteriis minimè prodire; quandoquidem exiles illæ, præsertim in suis extremitatibus, non pulsant; undè illas à venulis vix licet internoscere.

V. Vvalæum in Meth. cũ animadv Velschii

De Sang. gen. & mot. c. 38

Lib. 6. cap. 29.

Lib. 1. p. 2. c. 6.

V. Barth. Anat. Ren. libell. 2. cap. 1.

De Hepatico verò fluxu, quem nimirùm loturæ carnium similem esse ait Galenus, graviùs dubitare contingit, undè procedat. Nam quod idem Galenus deduxit à Jecore in frigidam, humidamque dyscrasiam delapso, adeoque sanguinem serosum, aquosumque generante, veritati minimè cohæret, & jam notius est, quàm ut demonstrari possit. Quare vel ad vitium aliorum viscerum, Pancreatis scilicet, aut Mesenterii, vel ad misturam copiosi seri cum sanguine, aliis referre visum est. Verosimile autem videtur, si quando albicans ejusmodi sanguis egeritur, Mesenterii, sicut & intestinorum glandulas nimium relaxari, atque vasa lymphatica dicta, illuc confluentia, extillare lympham non benè à sanguine secretam, adeoque rubore aliquo suffusam, in intestina. Credibile quoque est, sanguinem per arterias cœliacas, è quibus splenicæ, & mesentericæ deducuntur, in intestina crassa, quo loci hæmorrhoides cæcæ erumpere solent, multa lympha saturatum deponi, qui mox per alvum excretus loturam carnium æmuletur, cùm non semel viderim diuturnis hæmorrhoidibus affectos in ejusmodi fluxum, ac postremò in Cachexiam incidisse: quin & lympha salsior, ab acido quocumque eidem suggesto, vel quomodocumque permisto, ruborem induit ut sanguineum colorem mentiatur. Fieri etiam potest, ut succi in tenuia intestina confluentes non dissimilem nanciscantur conditionem, ut præterfluentem liquidiorem chylum immutent, & ex sale muriatico, aut è lixivio oriundo simili, tincturam quadantenùs rubentem extrahant, immò etiam chylum ipsum adhuc dilutiorem reddant; undè Paracelsus fluxus omnes à sale resoluto provenire fassus est: Nec rarum, hoc morbi genere detentos fæces deiicere, veluti

luti in aqueum liquorem exolutas, modò pallidas, modò rufas, quamvis solidiora alimenta assumant. Hoc idem febricitantibus sæpè etiam accidit diarrhœa correptis, & multoties ab assumpto cathartico. Atque huc respexisse videtur Helmontius, cùm dixit ex dissensu Fellis, & Pylori, Diarrhœas, Dysenterias, & hæmorrhoides oriri. Nil præterea moror sanguinis universi vitium, cùm scilicet marcidus, effœtusque redditus, suoque etiam glutine solutus, hæc, & graviora mala affert.

T. Pylorus Rector.

Quamquàm autem quicumque sanguinis fluxus periculosissimus sit, is tamen, qui ab hæmorrhoidibus est; si modum servare videatur, consuevit sæpenumerò prodesse. Advertit insuper Hippocrates à diuturnis sanato hæmorroidibus, nisi una servetur, aquam intercutem, vel tabem imminere: hæc autem certò superveniunt, cùm immoderatè fluunt, aut ichores indè perpetim exudant, ut pluries experientia comprobavit.

6. Aph. 12.

Tument autem, & rubent nonnumquam hæmorrhoides, & dolorem acerbissimum afferunt, immò & capiti gravamen, cordi, & pectori oppressionem, stomacho nauseam, & alvo duritiem pariunt. Huic incommodo variis occurrere consueverunt Medici: conferentiora verò putantur linimenta ex oleo vitellorum ovorum, seminum lini, buxi, balsaminæ, balsamo sulphuris Rulandi, lacte aureo sambuceo, unguento linariæ, populeo, & malorum insanorum. Scribit Henricus ab Heers, seipsum à Castrensi Pastore edoctum, expertum esse, minimum quid scrophulariæ, sive radicis, sive foliorum cum cibo, aut potu assumptæ, statim dolorem hæmorrhoidum sedare. Hartmannus, & Horstius maximi faciunt linariam, quam in linimentum redigunt cum vitello ovi. Et apud Riverium Pachequs ex Arnaldo Villanov. summè commendat infusum millefolii in aqua fervente, & per mensem integrum epotum. Chelidonium minus mirabile prædicat in omnibus hæmorrhoidum vitiis Solenander. Millepedes effert Quercetanus, & Hœferus, in oleo nucum excoctos. Aliter ex illis oleum conficit Borellus, illudque sæpiùs in die frigidum admovet dolentibus, tumentibusque hæmorrhoidibus. Plantaginis aquaticæ radix dextra manu gestata donec incalescat è vestigio dolorem hæmorrhoidum sedat ex Prævotio. Hartmannus utitur decocto scarabeorum rotundorum in oleo lini; itemque cinere suberis cum axungia capi, vel oleo myrtino. Decoctum tapsi barbati, malvæ, althææ, parietariæ, & quatuor anodynorum efficax aliis dicitur, itemque cæpa alba sub cineribus cocta, & cum butyro recenti subacta instar cataplasmatis. Helmontio commendantur annulus dentis Equi marini, & morientium sudor, quo hæmorrhoides, & extuberationes quascumque solo contactu comprimi, & complanari scribit. Oleum ex floribus sambuci, vel ex cortice ejusdem interiori in oleo seminum lini, vel nucum incocto, cum modico croci, ex voto aliquandò feliciter profecit. Cardilucius *in Hartmannum*, excellentissimum se expertum dicit emplastrum Apostolicum, quod dolorem sedet, & sanguinem effluere sinat. Cornu Vervecis nigri ustum, pulveratum, & per setam trajectum tumentibus hæmorrhoidibus admotum, certò sanat, ut experimento pluries constitit. Scrophularia viridis contusa, & in modum cataplasmatis tumidis mariscis applicita, dolorem sedat, & illas extenuat. Ad cæcas autem hæmorrhoidas, certum

Obs. 20.

Lib. 4. obs. 50.

Obs. 5.

Cent. 4. cons. 20.

Cent. 1. obs. 63.

Select. Remed.

T. latex. hum. negl. n. 17.

tum Amuletum est Fabaria, seu Telephium ex VVedel. *obs.* 195. *Ann.* 2. *Ephem. Germ.* Appenditur radix Telephii recens cum filo in dorso inter scapulas; cum marcescente radice tabescit etiam tuberculum omne.

His præterea immodicè fluentibus medentur millefolium infusum; radix scrophulariæ; tormentilla, bistorta, C.C. ustum, ut & suber; essentia Martis in aqua sempervivii stillatitia, & alia sistendo sanguini opportuna superiùs relata. Conficit Solenander pilulas ex bdellio, trochiscis terræ sigillatæ, & carabe, cum liquore è seminibus cotoneorum ex aqua rosarum expresso; quas mirabiles fatetur: scribit etiam, tribus seminibus genistæ manè quotidiè sumptis, hæmorrhoidum, & cujusvis sanguinis profluvium sisti; itemque epota aqua stillatitia chelidonii, aut etiam (quod tutius ait) vino, in quo chelidonium ipsum fuerit maceratum. Externè verò fluentem sanguinem cohibere referuntur fumigationes ex thure, aloe, mastiche, pice, carabe, verbasco, foliis quercus, crepitu lupi, qui solus siccatus, & venis sanguinem fundentibus admotus, remedio est: fluxum quoque inhiberi ex croco Martis insperso testantur alii: & Heurnius pulvere colchotaris, seu vitrioli usti. Si tangantur, inquit Frid. Hofmannus, hæmorrhoides tuberosa radice chondrillæ, siccantur, si chondrilla siccatur; corrumpuntur, si corrumpatur; quare sub camino exiccandam consulit. Cingulum conficit Hartmannus ex foliis hellebori nigri recentibus, quo nudum corpus circumdari ait successu felicissimo, atque hoc eodem cohiberi etiam menses immoderatè fluentes. Succus plantaginis injectus cæcas quoque hæmorrhoides sanare fertur. Lotio ex urina propria, mox fumus sulphuris per tritorium exceptus dolori, & fluxui aliquandò medela fuit ex Velschio. Poligono sub axillis posito nimium hæmorrhoidum fluxum sisti testatur VVedelius. Cætera alibi ad sistendum sanguinem descripta ex vitriolo, alumine, marte, opio, hìc etiam adhiberi possunt.

Crato in consil. River. ubi sup.

In Aph. 11. 6.

V. Barth. cent. 3. hist. 66.

Eph. Germ. t. 3. obs. 22.

Si denique à suppressis hæmorrhoidibus mala in corpus universum proficiscantur, ac propterea opus sit illas reserare, indeque sanguinem elicere, præcipuum erit elixir proprietatis Paracelsi simplici etiam infusione paratum. Conferunt pariter pilulæ Aloephanginæ, Rufi, Rhasis; Aloe, croco, & succo absinthii subacta, & quidquid ex Aloe est compositum. Interim adhibenda, quæ venas ipsas emolliant, ac relaxent, uti potissimùm sunt balnea ex decoctura laxantium herbarum, malvæ, althææ, anethi, violarum, quatuor anodynorum, & similium. Post hæc solent nonnulli foliis ficus, aut frondibus parietariæ illas perfricare, ut sanguinem deponant. Idipsum alii tentant succo cæparum Aloe misto. At cavendum ne nimio affrictu partes illæ exasperentur, & inflammationem contrahant, quam non rarò gangræna comitatur: quamobrem satius erit medicamentis internis sanguinis exitum promovere, vel ejusdem vitium moderari; exteriùs vero blandioribus uti, laxantibus, & vaporosis.

V. Hartman. in praxi.

Serosum denique fluxum, & Hepaticum dictum, qui viderint, pauci sunt: curandum autem sibi persuadent per antidysenterica admista cum Hepaticis, quæ scilicet roborent, & calefaciant. Hepati lupi plerique magnam vim in hoc affectu tribuunt, illudque variè præparatum exhibent: Sunt qui aquam ex illo cum aliis simplicibus commisto per alembicum

eliciant: alii electuarium; alii pulverem: Apud Prævotium describitur electuarium è radice consolidæ majoris, & sacharo rof. quod expertum dicitur. At aromata, quocumque modo exhibeantur, optima erunt, cinnamomum, galanga, piper, zingiber, caryophylli, cubebæ, horumque essentiæ, spiritus, aquæ. Vinum absinthites, aliudve, è ligno guajaco, cinnamomo, & pipere conditum: conditurae, & electuaria è baccis juniperi, uvis passis, nuce odorata, cæterisque etiam proficient. Hydrotica moderatè sumpta à nonnullis commendantur ad superabundantis seri evacuationem. Tutiora verò videntur diuretica, & sudorifica, quæque alkali plurimo constant. Vitanda autem sunt humectantia, cathartica valentiora, acida, pinguia, oleosa. Narcotica, si moderata fuerint, & cum roborantibus mista, pro rata sua quoque proderunt. Cætera cum superiùs dictis communia sunt.

Pag.71. select. remed.

DE COLICA, ET ILIACA *Affectione*.

ACerbè nimis aliquando intestina dolent, atque retentis unà simul fæcibus, constipataque alvo, cruciatibus infensissimis vehementer contorquentur, & inflantur, adeò ut potiùs per os stercus erumpat, quàm ne quidem spiritus infrà transmittatur; quamobrem Colicus dolor, mox etiam Iliacus oritur: Et quamvis universa penè intestina sæpesæpiùs utroque morbo affici soleant, creditur tamen frequentiùs in priori crassa, in posteriori tenuia cruciari, atque ex his Ileon, ex illis Colon potissimùm; undè nomen utrique affectui inditum est, qui Celso plenioris, & tenuioris intestini morbus dicitur, ac quibusdam ex Græcis χορδαψός.

Lib. 4. cap. 13. & 14.

Dolere intestina, & inflari antiquitùs creditum ab obduratis fæcibus, crassis humoribus, ac flatibus, cavum illorum occupantibus, distendentibusque; contorqueri verò, atque insuper revolvi, etiam propter eorumdem inflammationem. Mavult autem Sennertus Ileum morbum oriri à motu præter naturam inverso intestinorum, quorum fibræ; non quidem in inferiora, ut moris est, sed versus superiora sese contrahentes, etiam in alvum immissa, aut injecta, per os propellant, & reiiciant. Inversi verò istius motus causam refert 1. in intestinorum inflammationem, abscessum, tumorem, & herniam. 2. in fæcum retentionem, undè Natura ad præposteram evacuationem irritetur. 3. in quæcumque alia vellicare, ac mordere apta: humores nimirùm acres, venena, ulcera, & similia. In hanc eandem sententiam descendit Deleboe Sylvius, qui motum intestinorum peristalticum inverti in Ileo existimat, propter gangrænam, ipsamque comitantem intestini corrupti coarctationem, aut propter intestini tenuis coarctati ingressum in partem proximam, & flatu solito magis expansam; præter Hærniam, fæcum delapsum impedientem. Vix autem fieri posse putat, ut intestina tenuia complicentur, aut convolvantur, ut à plerisque memoratum est. Quod pariter confirmat Kerckringius *obs. Anatom.* 42. excusatque Riverium, qui contrarium ex Anatome deduci scribit: quamvis alii non desint, qui convolutorum intestinorum in Ileo meminerint, facta cadaverum sectione. At Paulus Barbette Ilei causam ferè semper esse ait bilem, aut acriorem, dolorem, inflammationem, motumque intestinorum inversum inferentem; aut crassiorem, alvum minimè sollicitantem, undè fæces

6. de loc. aff. 2.

Lib. 3. pr. p. 2. s. 2. c. 1.

l. 1. pr c. 9 n. 12. &c. 15. n. 16.

Cent. 3. obs. 26. V. Gerard. Blas. in cap. 3. Anat. Vesling. In prax.

ces indurentur: fatetur tamen ſe vidiſſe aliquandò ſeptem diverſis in locis inteſtinum Ileon convolutum.

Verùm enim verò obſervationes Anatomicæ oſtendunt, non uniuſmodi Colicos dolores, & Iliacas affectiones evenire. Feruntur aliqui Colici doloris violentia perempti habuiſſe in inteſtinis non ſolùm craſſis, ſed etiam tenuibus, varia è genere vitioſarum rerum hærentia: mucum tenaciſſimum, Galeno pituitam vitream dictum, bilem, lapides, vermes, flatus, ceraſorum, & prunorum nucleos: In aliis reperti ſunt abſceſſus in meſenterio, pancreate, ipſiſmet inteſtinis, omento, peritonæo, cæteriſque. Ab Ileo verò demortuos, infeſtaſſe inflammationes, tumores, gangrænas, quas potiſſimas hujus morbi cauſas, ac frequentiores volunt Riolanus, Platerus, Sylvius, Patinus, & Hildanus, qui ad finem Ilei, & Coli principium, circa inteſtinum Cæcum, affectus iſtius cauſam ſe perpetuò obſervaſſe teſtatur; quare exiſtimat valvulam à Bauhino in initio Coli detectam, primùm ex inteſtini Cæci inflammatione adeò contrahi, & conſtringi, ut planè nihil excrementorum permeare patiatur.

V. Jac. Thevart in conſ. Ball. ex Hipp. 3. epid. ſ. 2. hiſt. 9. Fernel. 6. path. c. 9. & P. Sal. de aff. part. c. 11 Cent. 1. obſ. 61.

Ad modùm quidem probabile videtur, quod ſuſpicatur Conradus Peyer, ſerum videlicet in plexibus glanduloſis Inteſtinorum, indolem auſteram, ſtypticam, atque tincturæ gallarum æmulam ſortiri, proindè ut manipulus circularium inteſtini fibrarum ejuſmodi tinctura imbutus, facta pertinaci conſtrictione, neque excrementis, neque flatibus tranſitum largiatur; undè his in molem illic aggeſtis, ac perpetuo ſtimulo ad excretionem irritantibus; fæcum, ciborumque rejectio per ſuperiora, extremo Naturæ conatu, excitetur: Inteſtini autem conſtrictione pertinaciter perſeverante, inflammatio, febris, ac tandem gangræna oboritur. His arceſſere non abs re erit, vitia ſuccorum in tenuia inteſtina confluentium, præſertim cùm acidiores, glutinoſioreſque illi evaſerint, ut alibi dictum.

De gland. inteſt.

Neque inſuper improbabile eſt, interdum Colicos dolores, ſicut & Iliacos, pendere à Meſenterio, ut arbitratur VVilliſius, ſive quòd recrementa humoris nervei à cerebro per nervos decidua, & in Meſenterium, alioſque abdominis plexus delapſa, ibique ſtagnantia, & vitioſa reddita, nervorum propagines, fibraſque, quibus Meſenterium innumeris ſcatet, corrugationibus valdè moleſtis, & dolorificis torqueant, ſive quòd aliundè pravi humores illùc decumbant, & fermentatione excitata, tùm Meſenterium ipſum convellant, & compungant, tùm eidem adjuncta inteſtina, cùm propè illa præſertim congeri contingit, ſed ob tenacitatem nec regeri, nec ultra in cavum illorum protrudi queunt, ut in alvum deturbentur. At hos Colicos propriè appellare communis loquendi uſus omninò vetat; quamobrem Fernelius nothos, Riolanus Pictonicos, & Pictavienſes dolores nominat, qui peritonæum, omentum, cæteraſque membranas, quæ Abdominis, ventriſque partibus obtenduntur, obſident, & excruciant.

De An. brut. p. 2. c. 15. VVarth. Adenogr. c. 11.

6. pathol. c. 10. Anthrop p. 656.

Quoniam vero inteſtinum Colon à dextra Ilium regione ſubter ventriculum retorquetur, & in ſiniſtrum renem, cui etiam adnectitur, excurrit; fit ea propter, ut à pleriſque Colicus dolor Nephriticus credatur, & viciſſim: eoque magis quia per nervos inter ſeſe quoque partes iſtæ communicant. At cùm dolor Colicus plerumque vagus eſſe ſoleat, atque zonæ inſtar ventrem ipſum coarctare, qui

Galenus ſe in hoc deceptũ fatetur 2. de loc. aff. c. 5.

& à cibo, eodem compresso, intensius augeatur, undè ad vomendum ventriculus cogitur, alvus etiam adstrictior sit, angustato Colo, clysteriisque laxata levamen persentiat, facilè à Nephritico internoscetur: qui reni semper infixus per adjunctum solummodò ureterem ad testem illi respondentem protenditur, ac consentienti cruri stuporem affert, nec prætereà à vomitu desinit, aut plurimùm mitescit, sicuti colicus, quin & aliquandò à parco cibo sedatur, delata scilicet fluidiori ad renes alimenti portione nonnihil eosdem demulcente. Urinæ demùm tenues primùm, & aqueæ, mox verò turbatæ, atque saturatæ contentis, in Nephritico dolore comparent; in Colico verò etiam inter initia crassæ, & sedimento gravatæ, præter alia, quæ memorat Galenus *6. de loc. aff. cap.* 2.

V. Gal. 6. de loc. aff. 2.

Quamvis autem Colicam affectionem vomitus frequenter comitetur; is tamen, vel non admodùm violentus, vel puri phlegmatis, aut cibi nuper assumpti erit; dolor verò plurimùm urgebit, & sæpissimè cum alvi astrictione, vel parca nimis dejectione stercoris bubuli, vel caprilli similitudinem referente. At verò in Ileo nil penitùs per alvum dimittitur, sed omnia, tùm fæces, tùm injecti clysteres per os (rupta forsan, aut laxata valvula Coli, ut suspicatur Spigelius) reiiciuntur; immò etiam immissæ ano balani, ut ex Gradio refert Sennertus. Quamobrem Galenus proprium, & inseparabile signum in Ileis esse docet, nihil ad inferiora descendere; vomitum autem non semper adesse, sed cùm exitiales sunt. Verùm Hipp. 3. *epidem. sect. 2. in historia mulieris volvulosæ ægr. 9.* adhuc aliquarum dejectionum tenuium, & crudarum meminit: licèt has in principio solùm haberi posse interpretentur Petrus Salius, & Riverius, ex fæcibus fortasse infra intestinum affectum contentis.

Lib. 8. Anat. c. 19.

Lib. 7. Aph. 10.

Maximè periculosus uterque affectus est, & quidem alter altero gravior: quippè diù ferri nequeunt intensissimi, & lancinantes illarum partium dolores, nauseæ, vomitus, quos tandem consequitur virium languor, partium extimarum frigus, & Mors. Aliquando Colica affectio Paralysim contrahit, aut etiam Epilepsiam, perculsis, contortisque nervis intestina pertingentibus. Visa est etiam in Ischiadem desinere; sicut ex adverso experti sumus hanc curatam usu clysterium acriorum ex bryonia, & colocynthide, deposita materia mucosa, & per alvum excreta. In abscessum etiam terminatam memorat Hildanus, qua parte Colon hypochondrium sinistrum spectat; In hydropem siccum, sive Tympanitem quoque desinere docet Hippocrates 4. *Aph. t.* 11. Quòd si vomitus stercoris superveniat, & Colicus dolor in Iliacum commutetur, omninò exitialis dicitur Galeno *6. de loc. aff.* 2. quamquàm ex prolapsu intestini in scrotum, aliquandò sanatum referat Petrus Salius. Ab Ileo insuper vomitus, singultus, convulsio, aut desipientia, malum. 7. *Aphor.* 10. *&* 1. *prorrhet. f. 3. 66.* Ex volvulis malè olentibus cum febre acuta, hypochondrioque sublimi diutiùs perseverante, parotides exurgentes perimunt; sicut etiam si vomitus, & surditas accidat, *in Coac. prænot. &* 6. *Aph.* 44. *Quibus ex stillicidio urinæ Ileos supervenerit, in septem diebus pereunt, nisi febre superveniente, satis urina fluxerit*: quoniam à crassis, & phlegmaticis humoribus uterque hic affectus progigni potest, ut docetur à P. Salio, Ballonio, & Thevartio.

Cent. 2. obs. 74.

De aff. part. c. 11. Lib. 1. consf. Annot. in eumd.

Dupli-

Duplici præsidiorum genere Colici doloris curationem explendam Medici arbitrantur: primò quidem removentibus causam; deindè occurrentibus dolori; ad quem etiam statim aliquandò respiciunt, si propter vehementiam induciæ minimè præbeantur.

Nedùm autem dolori obtundendo, sedandoque, etiam cùm illius causam corrigendam, aut removendam sibi proponit, omni studio adnititur Franciscus Deleboe Sylvius; verùm etiam ab ipsius doloris varietate causas universas deducere satagit, unàque simul adhibet, quæ humores, & dolorem ab humoribus procedentem eliminent. Distinguit namque dolores omnes primùm à partibus affectis, tenuibus scilicet, & crassis intestinis; itemque à lumbis; deindè à modo; atque à sensu; illosque nominat ardentes, algentes, perterebrantes, lancinantes, pungentes, distendentes, rodentes, lacerantes, pulsantes, contorquentes, contundentes, gravantes, fixos, vagos, aliosque atque ardentes, à bile pinguiori, & succo pancreatico acidiori; vel etiam à sanguine in vasis intestinorum capillaribus stagnante, aut extrà effuso, & inflammationem pariente: algentes, à succo pancreatico valde acido, & acri, cum bile minus pingui, vel pauca, vel cum pituitosis humoribus mista; perterebrantes, ac fixos à succo quidem pancreatis acriori, sed cum viscosa pituita misto; undè pituita vitrea: contorquentes ab eodem humore, at multùm acri, & austero: gravantes, à copiosa, viscosaque pituita: distendentes, ab eadem in flatus exsoluta, propter misturam bilis acrimonia muriatica, & oleosa conditione volatili peccantis lancinantes, & vagos, ab halitibus acribus è succo pancreatis acidiori cum bile indebitè effervescente: urentes, ac rodentes ab utroque humore acriori, salsiorique reddito: contundentes à pituita multa succo acido pauco conjuncta: lacerantes, ab acido puriori, & nentiquàm infracto: aliosque similes pro diversitate vitiosorum succorum oriri arbitratur. Quamobrem præscripto ordine eorundem medelam instituit per acida bilem pinguiorem temperantia: per inflammationem auferentia: per corrigentia acido-acrem succum pancreaticum, ut sunt spiritus vini aromaticus, aqua theriacalis cum spiritu vini parata, antimonium diaphoreticum, oculi cancrorum, corallia: per ea, quæ vitream pituitam domant, & educunt, gummi galbanum, sagapenum, bdellium, opopanax, mastiche, myrrha; itemque per salia volatilia præsertim oleosa: per spiritum salis ammoniaci temperandæ austeritati aptissimum: per viscosam pituitam incidentia, & evacuantia: per flatus discutientia, præcipuè emplastrum carminans ejusdem: per aromata cum opiatis commista: per acido-austera, omphacium, succum punicorum acidorum, expressiones: per phlegmagoga, & salia tùm fixa, tùm volatilia: & denique per opiata, & aromata oleosa, & volatilia.

Ileum verò morbum cùm ipse putet speciatim fieri ab intestini tenuis inflammatione, ac gangræna, atque ab intrusa una in alteram intestini parte, præter Herniam: remediis inflammationi, & gangrænæ occurrentibus; & globulis aureis, vel plumbeis (si tamen inferior pars in superiorem immissa sit) curandam tradit, aliò intereà remissa Herniæ medela.

At alii, & quidem communiùs, Colicæ curationem expleri omninò

posse sibi persuadent, flatus discutientibus, ac fæces obduratas, detentasque lubricantibus, crassos, viscososque succos attenuantibus, enecantibus lumbricos, & solventibus inflammationem; quibus alii addidere humores acres, & biliosos educentia, & castigantia: quippe ab his solùm causis ejusmodi affectionem provenire posse sunt opinati.

Progenitam à flatibus intestina distendentibus Colicam cum inflatione, rugitu, murmure conjunctam, atque à retentis, obduratisque fæcibus, tractant alvum laxantibus, & emollientibus clysteriis, ex decoctura malvæ, althææ, parietariæ, violarum, mercurialis, chamæmeli, fœnugræci, meliloti, rutæ, florum sambuci, baccarum lauri, & juniperi, seminum lini, anethi, cari, addito oleo amygdalarum dulcium, chamæmeli, liliorum, rutæ, anethi: admiscent alii cuminum, origanum, rorem marinum, absinthium, nicotianam, & veronicam summè commendatam à Cratone; quin & nonnulli hæc incoquunt in vino albo veteri, vel saltem sapam adiiciunt; aut jus gallinaceum, columbinum, & palumbinum. Mox theriacam exhibent, mithridatium, diacinnamomum, dianisum, in aqua origani, anisorum, aut cinnamomi. Ad Colicam à flatibus vinum exhibuit Hippocr. 2. *epidem. f. 6.*

De fumo Nicotianæ. V. Barthol. cēt. 4. Epist. 92.

Lib. 1. consil. 10.

Si his fæces minimè secedant, lenientibus catharticis utuntur, oleo amygdalarum dulcium, & amararum, recenter expresso, manna, diapruno; cavendo acria, & vehementiora. Singulare remedium, scribit Matthiolus, esse oleum, in quo folia hederæ terrestris sint infusa ad Solem æstivum, idque sive injectum, sive epotum: At Crato laudat oleum amygdalarum cum vino Cretensi haustum, cui & semidrachmam spermatis ceti non rancidi adiicit: & Paræus aquam parietariæ commiscet; Platerus verò modicum syrupi papaveris. Ad subducendas fæces Hipp. *lib. de affect.* clysterem iniicit, qui nisi fortè admittatur, instrumento ad id comparato flatum plurimum in ventrem jubet immittendum, statimque infundendum clysterem, ubi is fuerit cum intestinis inflatus; nam certò inquit exindè alvum laxari. Idipsum etiam *lib. 3. de Morbis* faciendum per follem fabrilem præcipit, ut injecto postmodùm clystere, venter exoneretur: huic Hippoc. documento potissimùm inhæret Trallianus *in curatione Colicæ*; quod etiam sequuti sunt Amatus Lusitanus, & Epiphanius Ferdinandus; licèt improbetur ab Aureliano, quòd ventus frigidus nocuus futurus sit intestinis: at huic incommodo occurrit Riverius admonens follem juxta ignem aere implendum esse. Martinus Rulandus extracto esulæ ad dr. ß. cum unc. iv. aquæ fontis dissoluto, & colato calidè usus est in adolescente, qui indè expurgatus sanitatem adeptus fuit. Alium etiam infuso trochiscorum alhandal in sero lactis sanum evasisse testatur: & alium spiritu vini aureo, quem pariter commendat Hartmannus, qui tamen in pituita educenda speciatim præstare inquit essentiam trochiscorum alhandal; ad flatus verò dissipandos specialiùs valere misturam spiritus vini, & spiritus nitri ad dr. ß. vel scr. ij. in aqua cumini tepida, ægro interim quiescente. Riverius pilulas præscripsit ex dr. j. aloes, diagridii gr. viii. & laudani opiati gr. v. quarum usu, sedato protinùs dolore, & alvo soluta, æger omninò convaluit. Hollerius etiam cum philonio exhibet scammonium; quin & Helidæus cum purgantibus miscenda semper esse narcotica consulit,

Lib. 5. cõsil. 21.

Lib. 16. cap. 28.

Lib. 10. cap. 1. cēt 1. cur. 100 hist. 74.

Cent. 7. cur. 45.

Cent. 10. cur. 61.

Cent. 3. cur. 5.

Cent. 2. obs. 1.

ſulit, ut unà ſimul cauſæ, & dolori occurratur.

Obſ. 2. At nullo injecto clyſtere, aut exhibito cathartico, teſtatur Pacheqvus apud Riverium certò ſanari colicos pulvere inteſtini lupi ad dr. j. ex pauco vino generoſo ſumpto: quod remedii genus divinum appellat Amatus Luſitanus. Utiliter etiam ab aliis exhibetur jecur lupinum in pulverem redactum, ſicut & teſtes equini in vino, vel jure; itemque ſtercus eorumdem animalium pulveratum ex Panarolo, & Riverio; cujus meminit Galenus 10. *de ſimpl. med. fac.* & Helidæus de Paduanis præſervare etiam ſcribit à Colico dolore inteſtinum lupi exiccatum, & zonæ inſtar per ventrem circumductum. Apud Riverium *obſerv. hinc indè decerpt.* 7. præſentaneum medicamentum eſt cinis ſuberis, quod dolii vini obturamento ultra annum uſui fuit: exhibetur autem in vino albo ad dr. j. urgente dolore: ut & pulvis corticum avellanarum ſylveſtrium, & cinnamomi æquis partibus ex vino Cretico exhibitus. Zingiber etiam ad eamdem doſim ex vino calido datur pari efficacia: Quin & Boyle aſſerit etiam fumum zingiberis ter, vel quater de die, ex fiſtula inſtar tabaci hauriendum, Colicam, & hyſtericam paſſionem ſedare. Cunctis verò præcellere ait Nicolaus Piſo Caſtoreum, ſi tantundem illius exhibeatur. Expertum quoque ſcribit Borellus juſculum cum allio, & oleo olivarum calidum hauſtum, adjecta ſubdupla parte vini generoſi. Solet pariter allium decoctum umbilico admoveri, & aliud devorari; undè Galeno Theriacæ æmulum illud dicitur. Refert Thomas Bartholinus Jacobum Finckium avunculum ſuum à coli dolore ſanatū impoſito ventri cane Mileſio, qui cùm incaluiſſet, exitum urgebat, & tormina remittebantur. Lactentium catulorum ventri dolenti admotorum uſum vetuſtiſſimum fuiſſe ſcimus malum enim ipſos contrahere, atque colicis doloribus tandem mori Veteribus eſt creditum; in quorum fidem etiam Crato ventrem anatis vivæ deplumem, ac ventri patientis appoſitum; itemque ranam vivam, experimento idem præſtare teſtatur. At Galenus cùm flatus urgerent admovendam conſulit umbilico cucurbitulam magnam, & pro incantamento illam habet. Hoc idem adſcribitur magneti ab Hartmanno. Verùm tutius erit ventrem inungere galbaneto Paracelſi deſcriptione Cratonis, commendato ſummoperè à Riverio *in ſua praxi*: & oleo ex lateribus, aut ſapone Hiſpanienſi. Avena in ſartagine frixa, & ſacculo indita, atque abdomini iterato applicata, fertur Gaſpar Hofmannus aliquando hujuſmodi dolorem ſedaſſe: dicitur enim attenuare flatus, alvumque laxare. Notabile eſt, quod à Roberto Boyle memoratur, aurifabrum colica affectione ſæpiùs vexatum inſeſſu ad longum tempus ſuper incudem inſigniter calidam illicò curari ſolitum: atqui novi ego quendam, qui cùm atroci dolore ventris cruciaretur, admotis ſæpiùs ſæpiuſque pannis coccineis calidis ano, ſenſim convaleſceret. Credendum tamen à flatibus, crudiſque humoribus, & acidis, in his colicam affectionem eveniſſe.

Cent. 3. cur. 12. — Roder. à Fonſ. to. 1. conſ. 57. — V. Zac. Luſ. l. 2. prax. adm. obſ. 26. — Prevot. ſelect. rem. p. 78. Exper medic. — Cent. 4. obſ. 92. — 12. meth. c. 8. — Cent. 6. hiſt. 53. — Lib. 3. conſil. 13 — In Conſi. Crat. apud Scholzium. — De util. philoſ. p. 2. ſ. 5. c. 14

Hæc eadem juvamento quoque erunt Colico dolori ex pituita craſſa, & tenaci, quam vitream nuncupant, ſeù potiùs ex acido, lentoque humore; at ſpecialiùs conferunt philonium, theriaca, electuarium è baccis juniperi, aqua cinnamomi, eſſentia zedoariæ, & chamæmeli. Neque abs re erit ſupponere alumen crudum

cari-

caricæ inditum, vel cerato aliquo oblitum: mirificè enim mucosum phlegma, lentosque succos dissolvit, & allicit; per os verò utilia dicuntur hiera picra, infusum colocynthidis in vino, extractum trochiscorum alhandal, & catholicum, pilulæ aloephanginæ, & Arabicæ. Clysterium ex oleo rutæ benè aliquando cessit Galeno 2.*de loc.aff.cap.*5. Et Forestus vinum dictum Hippocratium injectum profuisse scribit: atque alii puerorum urinam.

V. Act. tetrab. 3. s.1.c.31.

Lib.21. obs.7. schol.

A vermibus orta Colica affectio sedabitur medicamentis illos enecantibus, & expellentibus, de quibus infrà; Ita pariter ab inflammatione, tumore, & abscessu, propriis ad id tractabitur remediis, quamvis sæpenumerò parum feliciter.

Coli dolorem postremò ab acribus humoribus inductum, & biliosum, ac scorbuticum dictum, endemicum inquit esse Sennertus in Moravia, Austria, Franconia, ubi vina validiora, & non benè defæcata sunt in usu: eumque frequenter in Paralysim, Arthritidem, & Epilepsiam desinere, evomique etiam in illo infusos clysteres, injectasque glandes: atque hujus generis videtur fuisse Colica Pictaviensis, & ea, quam per universam Italiam vagatam memorat P. Ægineta. Probabiliter autem conjectat Vvillisius à liquoris nervorum, & sanguinis recrementis acidis circa Mesenterii plexus, aliasque regionis illius partes nervosas aggestis, ejusmodi colicas affectiones provenire. Sæpè enim, inquit Sebastianus Nasius, qui dolores intestinis tribuuntur, in illis non sunt, sed in adjunctis partibus, nimirùm Pancreate, Mesenterio, Omento, & aliquando etiam in Peritonæo (quamvis à Peritonæo affecto Colicam fieri neget Vvillisius) si nimirùm in eas partes, cæterasque sensu præditas, acres, & vitiosi humores deponantur. Hinc meminit Fernelius, Colicum dolorem diuturnas febres, aliosque morbos biliosos aliquando subsequutum, depulsa materia morbifica in abdominis viscera, undè non tam facilis per alvum exitus pateret, coadjuvante pariter prava illius conditione acidoaustera fibras intestinorum coarctante, & egestionem impediente, etiamsi in alvi ductus deflueret. Hinc pariter Paralysis ex Colica sæpenumero visa est; itemque & motus convulsivi dicti, scilicet proritatis, perculsisque, aliterve affectis nervosis partibus imi ventris: quamobrem non absre Vvillisius inter affectus, quos spasmodicos voluit appellare, ejuscemodi ægritudines numerare ausus est, sicuti sæpissimè in hystericis affectionibus contingit experiri, quæ cùm illis maximam habent analogiam. Istiusmodi verò Colicam affectionem cum ingenti Siti, oris amaritie, urinæ ardore, febri, ictero, aliisque symptomatis conjunctam, curatam referunt Auctores usu aquæ, & potuum refrigerantium, immò & frigidis epithematis, linteisque frigida aqua imbutis, ac ventri sæpiùs sæpiusque admotis. At Riverius quendam narrat Colicæ biliosæ contumaci obnoxium, frustulo butyri recentis per plures dies manè sumpto, ac mox epoto modico vini, liberum evasisse: pro purgante verò medicamento diagridium cum Mercurio dulci commendat. Et Hartmannus catharsi primùm promota, cum extracto rhabarbari, vel panchymagogo vegetabili, Cretense vinum cum oleo amygdalarum dulcium semel, atque iterùm exhibet: indè enim bilem acrem infringi, & dolores sopiri ait. Ad præcautionem verò adhibenda suadet Sennertus,

De scorb cap.4. & de Anim. Brut. p.2. cap. 15.

P.2. met.

Lib. 6. pathol. cap. 10.

V. Gal. 12.meth. cap.7. & ult. Ægin.l.3 cap.43. Amat. Lusit. cent.1. cur.48.& cent. 7. cur. 21. Forest. l. 21.obs.12 Thom. Barth. de Niv. us. in Med. cent. 2. obs. 71.

quæ

quæ obstructa reserant, humoresque vitiosos eliminant: dolore autem urgente, statim ad narcotica confugiendum esse docet; verùm vires constantes sint, ne sensus omnis, & vita ipsa pereat. Denique in Paralysi ex Colica, & in Colica scorbutica, diuretica, & sudorifica optima sunt, præter ea, quæ suis locis referuntur.

Ad Volvulum eadem ferè faciunt, quæ Colico dolori adversa dicta sunt, respectis tamen causis, ex quibus ille ortum ducere videbitur. Hydrargyri usus ad plures uncias epoti mirificus ab innumeris tum Veteribus, tum Recentioribus prædicatur, cùm mobilitate sua, ac pondere, ventri laxando plurimùm conferat; quinimmò nonnulli cum catharticis illum exhibuerunt, ut apud Rhodium. Qua autem ratione præparandus sit Mercurius in hunc usum affert Velschius. Alii posthabito Mercurio, globulos plumbeos, aut aureos devorandos jubent, ægroto interim stante, vel ambulante, inter quos est Helmontius. Ab Hofmanno laudatur etiam globulus deglutitus ex Regulo Antimonii; sicut & pinguedo circa intestina, & omentum vituli hærens cum jure exhibita. Itemque sanguis vespertilionis, qui dicitur quoque efficacissimus ad inflammationem, doloremque Ilei sedandum. Pilulæ Iliacæ Rhasis à nonnullis etiam commendantur, & præsertim à P. Barbette. Externè verò stercus bovinum, vel caprinum abdomini applicatum, & zibethum umbilico, fęces propellere dicuntur; itemque unguentum de arthanita dictum, & oleum diacolocynthidos: atque ex hernia, emplastrum magneticum ejusdem Authoris lumbis appositum mirabile recensetur.

Cent. 2. obs. 80.

Obs. 43. V. etiam obs. 1. comm. Riv. à Fr. Chomel T. de flatib. Meth. med.

Pervetusto huic usui exhibendi globulos plumbeos, aut hydrargyrum, solus, quod sciam, obsistit Sydenham, qui potiùs universum ventriculi, & intestinorum motum sistere studet ope salis absinthii ad scr. j. ex cochleari succi limonii manè, & vesperè; intermediis verò temporibus usu aquæ menthæ stillatitiæ; intereà tamen catulum vivum nudo ventri indesinenter accumbere jubet: sedatoque postmodùm dolore, post diem unum, vel alterum, pilulas cochias in aqua menthæ dissolutas ad dr. j. exhibet: Victum autem instituit tenuem ex solo jure pulli gallinacei, bis vel ter in die sumendo, non intermisso usu aquæ menthæ, & ventre calidis pannis assiduè foto. Verùm quamvis hæc methodus medendi Iliacis ex inverso motu peristaltico Intestinorum rationabilis videatur; nil tamen prohibet, ut in Volvulo ex induratis, constipatisque fæcibus, aut ex intrusa inferiore intestini parte in superiorem, ut adnotat Sylvius, tutò etiam hydrargyri usus institui possit, quemadmodùm à gravissimis Authoribus felici cum successu factitatum legimus.

Tr. de Febrib.

Pro coronide tandem adducemus ea, quæ duriori, ac tardiori alvo, undè potissimùm Colica, & Iliaca affectio originem sumunt, utilia observata sunt. Borellus hoc ad pigram alvum sollicitandam proponit: Torreatur, inquit, mica panis, & oleo olivarum irroretur, ac manè deglutiatur: effectum experieris optatum, si bis, vel ter idem repetas. Et alibi: Guttæ duæ olei nuclei pinei Indici, seù Ricini Americani prælo educti, in potu, vel in jure exhibitæ alvum lubricant. Alii eodem umbilicum fricant. Riverius quendam refert astrictam alvum sibi laxare consuevisse sumptis per duas horas ante cœnam prunis coctis, atque itidem epoto eorumdem decocto: modicum etiam vini

Cent. 2. obs. 14.

Cent. 3. obs. 29.

Cent. 3. obs. 6.

vini benè diluti potabat ante, & alterum tantùm posteà. A butyro recenti ad nucis majusculæ magnitudinem sumpto, & mox hausto vino diluto idipsum experiebatur. Sorbilia ova in prandio data alvum citare scribit Brasavolus, & Bartholinus. E pane furfureo comeso idem præstari à plerisque experimento comprobatum; itemque illito umbilico butyro recenti cum sale minutissimè contrito. Oleum è seminibus colocynthidis expressum idem efficaciùs operatur; quin & Sennertus memorat Medicum pomo colocynthidis manu detento, quousque incalesceret, ventrem exonerare solitum. Essentiam salis tartari spiritu vini extractam, & spissiorem redditam, ad guttas v. vel viij. singulis diebus vesperè per horas duas à cœna ex vino, vel alio liquore exhibitam alvum solvere ab Hartmanno proditum est. Magnifit Rulando electuarium ex uvis passis Κοπραγωγον dictum, & Alexandrinum: immò solam earumdem pulpam alvum subducere scribit Hofmannus Frid. Infusum Sennæ in vino, & passæ uvæ in decoctura Sennæ elixæ; itemque summitates Mercurialis herbæ cum oleribus excoctæ, si in cibo sumantur, blandè etiam ventrem emolliunt. Tussis, & sternutatio non levem opem ferre consueverunt ex Platero. Quod denique refert Brasavolus, Ducem Ferrariensem, constipata alvo graviter ægrotantem, ex nudis pedibus supra marmoreum pavimentum frigida aqua conspersum incessu, fæces abundanter ejecisse, periculo non vacat: sicut etiam panicus timor, & inopinus; quo aliquando memini periisse quendam, cui à Medico, ut hac arte alvum laxam redderet, fatalis mortis dies indictus fuit: is autem, utpotè qui illi maximam fidem haberet, ex subito indictæ mortis terrore, verè paulò post fato cessit.

De med. purg. c. 6. Cent. 6. hist. 65. — L. 3. prac. p. 2. s. 2. cap. 4. — Cent. 10. cur. 79. — Lib. 1. observ.

Si demùm styptica alvus sit ex affectione scorbutica, aut hypochondriaca, remedia his conferentia, exonerandis quoque intestinis opem ferent, quæ scilicet acidum infringant, & corrigant; bilem verò inertem, dilutamque acuant, augeantque; & si fortasse lentus succus glandulis intestinorum hæreat, incidant, & attenuent: in quem usum, mirificum experiri sæpiùs contigit alumen crudum ano inditum, sed linimento aliquo oblitum, aliterve obvolutum, ne noceat. A cibis denique austeris, sorbis, mespilis, ut & à parco potu, urina verò, aut sudore copiosiori; laxantia, & humida proderunt.

DE LUMBRICIS.

Tametsi ubique locorum in dissectis cadaveribus Lumbrici inventi sint, & passim ab Authoribus historiæ referantur, quas recollectas habes in Ephemeridibus Germanicis; frequentiùs tamen intestina occupant, ex quibus præterea à plerisque putatur in alias partes permeasse. At quomodò in Cor, ejusque Pericardium, in Cerebrum, Pulmones, venas, cystim felleam, vesicam indè discesserint, haud facilè captu. Quocumque autem modò se res habeat, illud semper inquisitu dignissimum, perarduum tamen habitum est, undè ortum illi recognoscerent. Qui à putrescentibus humoribus genitos credunt, ac potissimùm à phlegmate in vermem degenerato; sicuti facillimè ab hac difficultate se expediunt, ita longè nimis à veritate aberrare deprehensi sunt: cùm viventia quæcumque suis seminibus natalia debeant. In quam rem pulcherrima planè, & scitu dignissima à pluribus

Licet. de spont. Viv. ortu. Scalig de subtil. Senner. de consens. & Diss. Chym. & Gal. c. 12 V. Helm. Tumul. pest. Form. atque Mat. Hipp. 4. de morb. V. Gal. 3. Aph. 26.

nostri sæculi accuratissimis Naturæ scrutatoribus congesta sunt; præsertim verò ab industrio, & perquàm diligenti viro Francisco Redio *peculiari opusculo de Insectis*.

De speciebus Vermium non convenit inter Authores: Nam aliqui duas, communius tres, alii quatuor species constituunt; undè Teretes, seù rotundos, Ascarides, Latos, & Cucurbitinos nominant. At frequentiores sunt teretes, & rotundi, qui nonnunquam visi etiam sunt hirsuti, capitati, bicipites.

Ab ipsis autem omnes propemodum ægritudines provenire putantur, epilepsiæ, vertigines, sopores, deliria, convulsiones, dolores capitis, syncopæ, palpitationes, mœrores, pavores, tusses, vomitus, nauseæ, diarrhœæ, singultus, punctiones, tormina ventris, inquietationes, erosiones, tabes, febres acutę, & chronicæ, aliæque innumeræ affectiones de quibus passim referuntur exempla. Ex enarratis verò speciebus, lati vermes pejores creduntur, quòd universa intestina plerumque occupent, & difficilius egerantur. Pessimi etiam sunt teretes, cùm loco moventur, & superas partes petunt: At verò Ascarides, quia ultimum intestinum inhabitant, ac promptissimè deiiciuntur, minùs mali esse solent. In febribus autem malum adaugent, atque eò potissimùm si per os excernantur, aut vivi prodeant, ut vult Aetius; vel contra mortui, ut suspicatur Rhasis, & Avicenna. Si verò declinantibus febribus, cùm alvi excrementis deponantur, bonum ex Hippocrate 2. *Prognost.* 18.

Hi vomitu, aut dejectione se prodere solent. Sunt tamen, qui à morsu, vellicatione, pavore, oculorum squalore, oris fœtore, narium pruritu, genarum nunc rubore, nunc pallore, tussi sicca, dentium stridore, nausea, vomitu, sopore, motibus convulsivis, aliisque symptomatis illos suspicentur. At conjecturæ istę non raro fallunt: quamquàm sæpiùs in pueris fideliores sunt, quibus vermes familiares esse consueverunt. Cæterùm in nonnullis symptomata planè insueta, & his longè admodùm disparia excitare visi sunt.

Statim verò necandi sunt, & expellendi. Distinguit autem Sennertus, num febris adsit, vel absit, & num alvus fluida sit, vel adstricta; timet enim usum medicamentorum acrium, & amarorum febre præsente, sicut etiam evacuantium in alvo lubriciori. Verùm timor omnis aberit, si ea speciatim exhibeantur, quæ vermibus sunt inimica: enim verò sæpenumerò accidit, enectis vermibus propulsisque, spontè sua desiisse febres, & alvi fluxus, qui ab ipsis tum ventriculum, tum intestina vellicantibus, atque cibos assumptos, humoresque eò confluentes turbantibus, agitantibusque proficiscebantur.

Lumbricis adversa multa recensentur: ex simplicibus quidem angelica, absinthium, abrotanum, dictamnum, centaurium minus, contrayerva, gentiana, gramen, folia persici, filix, marrubium, scordium, tanacetum, tormentilla, semen citrii, zedoaria, rasura eboris, & C. C. cortex ovorum, aloe, rhabarbarum, myrrha, semen santonici, muscus marinus, vulgò corallina. Ex compositis Theriaca, Mithridatium, Orvietanum, Diascordium, aqua alexipharmaca, & alia hujus generis plura; undè formulæ medicamentorum variæ à Practicis præscribuntur.

At primùm, & præcipuum contra ver-

vermes remedium creditur Amato Lusitano semen santonici saccharo incrustatum, quo scilicet lumbrici alliciantur: Licèt non desint, qui exindè potiùs oriri vermes autument Sennertus corallinam prefert. Borellus pulvere corticum malorum aureorum ad dr.j. per tres vices quendam innumeros vermes ejecisse, atque ita à tabe liberum evasisse refert. Ibidem etiam commendat essentiam seminis santonici umbilico applicitam. Apud Schenckium efficacissimum dicitur Vveckero semen tanaceti ex syrupo violarum: addendam autem consulit Hoeferus radicem primulæ veris. Comprobatum remedium adversùm vermes testatur Baricellus aquam oleo sulphuris, vel vitrioli acidulam redditam, atque in potum datam. Laudat pariter ex Arnaldo Villanova aquam portulacæ stillatitiam, ejusque semen ad dr. ß. cum lacte in puerulis. Forestus ex succi punicorum unc. j. & olei olivarum unc.ß. conficit haustum, quo alvum laxari, simulque vermes educi memorat: quippe oleum antidotum est ex Petræo; nedum enim illos non admittit, sed suffocat. Hinc sagaciores fœminæ cibos infantibus multo oleo condire solent, adjectis allio, & foliis lauri simul una incoctis. At Bartholinus nihil vino, & spiritu vini ad lumbricos enecandos præstantius esse ait; quod experimento confirmatum vidit eruditissimus Redius. At omnibus palmam præripit Mercurius, tum crudus, tum diversimodè præparatus. Crudus exhibetur ab Hartmanno ad scr.j. alteratus tamen, domitus, ac coercitus cum succo mali limonii, postmodum commistus cum semiuncia conditura rosarum persicarum, & modico flor.benzoini. Et Baricellus cum saccharo rubro illum præparat in mortario vitreo,

Cent. 1. obs. 90.

Lib. 3. obser.

Herc. Med. l. 7. cap. 8.

Hortul. genial.

Cent. 4. hist. 19.

Osser. intorno à gli Animali.

In prax.

commiscetque ol. amygdalarum dulcium guttas aliquot, & ex saccharo viol. vel ros. exhibet à scr.j. ad dr.j. Riverius verò curatos multos narrat usu Mercurii dulcis ad grana vj. viij. & xij. cum pari, vel subdupla dosi diagridii vapore sulphuris correcti: confirmatque idipsum Simeon Jacoz, & Cardilucius *in Hartm.* Helmontio autem satis est potandam dare aquam, quæ cum Mercurio crudo ebullierit; efficacius tamen erit si in aqua radicum graminis, vel acetosellæ is incoquatur. Hac eadem Mercurii aqua se quoque fuisse usum pro puerulis fatetur Baricellus; atque nunc nostrates etiam sine ullo metu illam indiscriminatim exhibent, ubi suspicio vermium est. Oleum raparum saccharo conditum, & cum Mercurio vivo excoctum efficacissimum dicitur Hannemanno. Utuntur alii aqua, in qua stamnum ignitum pluries extinctum sit. De pulvere eorumdem lumbricorum valdè dubitat Henricus ab Heers: nam inquit, materiam vermibus generandis ab illo potiùs suppeditari: Quamquàm Fridericus Hofmannus vanum ejus metum dicat.

In obser.

In addit. obs.

Sextupl dig. alim.

In Eph. Germ. Ann. iv. obs. 83.

Obs 9.

Speciatim verò ad lumbricos latos efficaciter valere plerique confitentur radicem filicis in pulverem redactam ad dr.j. præsertim si cum aqua rutæ capraria exhibeatur. Ab aliis commendatur succus nasturtii, & decoctum radicis bryoniæ, & graminis, addito spiritu vitrioli, vel sulphuris. Efficax quoque est elixir proprietatis, extractum aloes, & rhabarbari, vel mechoacan, aut trochiscorum alhandal, & hieræ picræ: quæ sanè cùm simul lumbricos interficiant, expellant, & alvum moveant, locum in adultioribus habebunt.

Ventri, & umbilico admota prosunt

ſunt etiam oleum thuris ſtillatitium, eſſentia abſinthii, oleum diacolocynthidis, ligni corylini, nucleorum perſicorum. Apud Monachos Caſſinenſes præparatur oleum viride ex diverſis herbis medicatum, quo paſſim uti ſolent noſtrates fœminæ. Paratur item malum aureum ſucco abſinthii, menthæ utriuſque, foliorum perſici, & portulacę repletum, adjecto pulvere aloes, & ſeminum colocynthidis, cum felle Tauri, fuligine camini, & theriaca; mox ad ignem excalefactum ventri, & lumbis adhibetur. Sunt, qui verminoſos curant verme vivo ventriculi regioni ſuperalligato, donec moriatur: ſubinde enim ajunt vermes omnes in corpore pariter commori, ſymboliſmo Naturæ.

Offer. int. à gli Anim. che ſi trov. negli Animal.

Cæterùm Aſcarides jumentis potiùs familiares, ſi aliquando in hominibus gignantur, facilè pelluntur Aloe, ſucco abſinthii inſpiſſato excepta, atque ad dr.j. exhibita. Aqua ardente irroretur venter, & umbilicus, mox pulvere myrrhæ inſpergatur, deindè ſupinus jaceat puer, videbis vermes mortuos exire, inquit Alexius. Theriaca etiam vino veteri, vel ejuſdem ſpiritu diſſoluta, & umbilico impoſita idem præſtat; & ſi adiiciatur modicum unguenti de Arthanita, alvus quoque laxabitur. Poſtremò ad lumbricos cum febre mali moris, alexipharmaca alibi tradenda opportuna erunt.

At de his, quæ hactenus credita ſunt adversùs lumbricos antidota efficaciſſima, dubitandi anſam præbuit diligentiſſimus Redius, eo quòd illis non adeò adverſari nuperrimè expertus eſt; ſaccharum verò, & mel, quæ unanimi Medicorum conſenſu vermibus amica putantur, deprehendit eiſdem eſſe ſummè nocua, & mortifera: Quamobrem Therapejam huc cuſque medicis uſitatam in hac parte, vehementer exagitare, & evertere videtur. Verùm an ab his, quæ extra Corpus humanum ex affuſis liquoribus, cæteriſque medicamentis adhibitis, vermibus accidunt, jure liceat idipſum deducere futurum intra corpus, haud auſim determinare: quippè aſſumpta medicamenta plurimùm in illo immutantur ex miſtura innumerabilium ſuccorum, qui in ventriculum, & adjuncta inteſtina confluunt; undè haudquaquàm conſtat, qualem mutationem illa ſint ibidem ſubitura, cùm & non rarò experiamur dulcia palato, in ventriculo poſtmodùm aceſcere, aut amara fieri, & viciſſim: ſed & falſitatis ſuſpicione non vacat lumbricos ſaccharo necari, cùm compertum habeamus etiam in ſaccharo, & bellariis cujuſvis generis vermiculos progigni, ibique hoſpitari, atque innocuam vitam vivere.

DE AFFECTIBUS *MESENTERII*,

Pancreatis, Jecoris, Cyſtis felleæ, & Lienis.

ADeò inter ſe affines ſunt horum viſcerum affectiones, ut nedum aliquando reciprocè illa compati contingat; verùm etiam communes cauſas, eandemque ferè curandi rationem admittant; quin non rarò evenit, ut morbus unius viſceris, alteri tribuatur: & ſæpiſſimè Medici Jecur criminantur, vel Ventriculum; cùm tamen Pancreas, vel Omentum affecta ſint. Quòd igitur per Anatomen licuit experiri, breviter hìc expediemus.

DE VENARUM LACTEArum obstructione.

DUctus quicumque corporis, cùm à crassis, tenacibusque humoribus, aliisve, impediuntur, subire dicuntur obstructionem. Præcipuè verò ejusmodi malum accidere solet venis lacteis, per quas chyli purior portio ad saccum lacteum ducitur, indeque per tubulos thoracis in cor fertur, ut ex nuperrimis observationibus innotuit.

Observat autem Vvarthonus quinque modis obstructionem vasorum Mesenterii contingere posse. (Adenograph. c. 11.) Primò in ipso aditu, atque in orificiis venarum lactearum, ut proindè chylus ex intestinis minimè exsugi queat, sed per alvum egeratur, corpore intereà contabescente. Secundò, in ipsismet ductibus. Tertiò, in transitu sanguinis ex arteriis in venas per glandulas Mensenterii; undè ex impedito sanguinis motu, illæ protinùs intumescunt, sanguine suffunduntur, atque promananti chylo impedimento sunt. Quartò in lymphæ ductibus, qui si fragiles sint, facilè rumpuntur, & aquam in Abdominis cavum effundunt, undè Ascites consequitur; Sin verò duriores sint, ut minimè rumpantur, distenti tamen plurimùm, hydatidas efformant inter binas vasorum valvulas; quamobrem intestinis intumescentibus, trajectio chyli impeditur per exiles lacteas venas ab ipsismet tuberculis oppressas, & coarctatas. Quintò in Nervis, qui fortasse obstructi stupent, & resolvuntur, ut in paralysi, quæ sicut reliquas partes corporis invadere solet, ita non dissimiliter potest nervos solùm in Mesenterium tendentes afficere. In omnibus autem ejuscemodi vasorum Mesenterii obstructionum speciebus, semper tabem, & extenuationem conjungi contingit. Hinc non immeritò Paulus Barbette (c. de Phthisi.) tabem quamcumque ab obstructione glandularum Mesenterii exoriri opinatus est.

Quæ Mesenterii vasis accidere memorata sunt, etiam glandulis Lumbaribus, seù Sacco lacteo, & tubulis Thoracicis contingere possunt; pariterque glandulis intestinorum, quarum superiùs meminimus, cùm obdurescunt, constipantur, obstruuntur, relaxantur, aut eroduntur; unde fit, ut alimentum non traducatur, sed hæreat, vel etiam corrumpatur, & degeneret in humores omninò naturę dissentaneos.

Hinc non solùm credere licet alibilem chylum minime in cor traiici, quia isthæc vasa obstrui, & impediri contingit à viscosis, tenacibusque humoribus, qui hærentes infarciant ductus, per quos alimentum deferri opus est; verùm etiam ab aliis innumeris causis, densantibus, aut plus justo laxantibus, comprimentibus, distendentibus, erodentibus, corrumpentibus, tum vasa ipsa, tum chylum; unde postmodùm, præter marcorem, insequatur cachexia, tumor ventris, & pedum, difficilis anhelitus, præcordiorum anxietas, sitis, languor universalis, febris lenta, ingravescens præsertim post quatuor, aut quinque horas à pastu, alvi profluvium cum fæcibus albicantibus, urina aquea, & decolor, vel hypostasi inutili saturata. Quamobrem obstructio in Mesenterio meritò cunctorum malorum origo dicitur. Quin & Fernelius (Lib. 6. de Morb. part. c. 7.) affirmare non veretur, plurimorum morborum causas in uno Mesenterio plerumque latere: quod & Anatome cadaverum sæpesæpiùs approbavit.

Perperam verò plerique agunt, qui à con-

V. Sanct. meth. vit. err. 2. cap. 8. à contrectatione Abdominis de obstructione Mesenterii, temerè judicium ferre audent, præsertim autem decepti à musculis utrinque per ventrem in longum extensis: equidem tactu nequit certò decerni tumefactum, vel obstructum esse Mesenterium, quod profunde admodùm sub musculis, peritoneo, omento, intestinisque reconditur. Vix autem tactu percipi potest lien, aut hepar, cùm insigniter intumuerint.

In praxi. De rect. præsid. usu lib. 2. observ. Mesenterii, ejusque vasorum, & glandularum obstructiones, ac tumores, attenuantibus dissolventibus, atque humores inde deducentibus Medentes tollere adnituntur. Purgantia rarò proficere adnotat Hartmannus, consentitque Mercatus, & Sckenchius; quin & isti multò gravius à catharticis ægrotos affici attestantur. Medelam propterea petit idem Hartmannus a resolventibus, & emollientibus; resolventia autem mitiora probat ex tartaro vitriolato, vino, in quo chalybs infusus sit, pulvere cachectico, & acidulis tum naturalibus, tum artificialibus; emollientia verò extrinsecùs adhibenda, atq; inprimis emplastrum de cicuta. At comparente per alvum pure, enematibus insistit, quibus alvus ab inquinamentis mitissimè repurgetur.

Sennertus etiam à potentioribus purgantibus abstinet, & solùm utendum monet lenioribus, quæ venarum orificia detergant, & humores blandè educant, quales sunt pilulæ Tartareæ, & Aloeticæ.

Verùm non raro, tutò, feliciterque curantur obstructiones sola victus ratione convenienter instituta, cavendo acida, glutinosa, cruda, potationes immoderatas aquarum præsertim gelidarum, otium. Juvat motus horis matutinis, vel longè admodùm à pastu: aromata cum cibis: vinum absinthites, vel ex chalybe per ignem pulverato medicatum: sal absinthii: pulvis stomachicus, & cachecticus Quercetani; admoto intereà cerato ex ammoniaco, tacamahaca composito, aliove.

Neque verò semper expedit indiscriminatim usu chalybis, ejusque salis, vasa viscerum obstructa reserare; si potissimùm ad glandulas pertineat, vel ad partes multùm à ventriculo dissitas: tum quia longiorem moram in ventriculo sal chalybis patitur, dissolutumque statim in alvum deiicitur ab acido præcipitatum; tum quia glandulæ id maximè expetunt, ut aromatis roborentur, undè impactos succos attenuent, diluantque, haudquaquàm verò vehementer proritatæ exsolvantur, & flaccescant. Quare juvabit potiùs aromata exhibere, vel essentiæ Martis, ejusdemque vitrioli dextero usu ejusmodi obstructiones curare.

In hanc rem maximè à nonnullis commendatur terebinthina Cypria ad unc.ß. quater lota aqua absinthii, & rutæ, deindè adiiciunt pulverem cinnamomi, & nucis myristicæ ad pondus unius drachmæ. Effertur aliis hoc electuarium, quod habet: *chalybis limati, & super lapidem porphiritem tenuiter cum aceto contriti, mox ad solem, aut ignem siccati, & septies pari modo pulverati selibram, cinnamomi, & nucis odoratæ singul. dr. iij. rhabarbari electi dr. ii. specier. aromat. ros. dr. vi. Hæc melle optimo, & sacharo albissimo excepta rediguntur ad lentum ignem in form. Elect. & singulo manè ad pondus semiunciæ exhib. præscripta convenienti corporis exercitatione.* Quod si unà simul deobstruere, & leniter evacuare expediat potissimùm in corporibus succi plenis, & ad cachexiam proclivibus, proderunt se-

quentes pilulæ compositæ ex tribus partibus gummi ammoniaci vino albo, vel aceto communi per decoctionem, quousque in lactescentem liquorem abeat, dissoluti, mox colati, fortiter expressi, ac depurati; scammonii vapore sulphuris præparati parte una, & croci Martis aperientis parte dimidia, conficiendo pilulas ad gr.xv. vel xx. pro qualibet vice, iterandas ad plures dies, prout opus fuerit.

Quæ denique Cachexiæ, & Asciti curandæ, aliisque ægritudinibus ab obstructione pendentibus usui esse possunt, alibi trademus.

DE INFLAMMATIONIBUS, Tumoribus, atque Abscessibus in Mesenterio, & Pancreate.

OBstructionem Mesenterii, ejusq; vasorum, & glandularum non rarò Inflammatio sequitur, aliusve Tumor, & Abscessus, potissimùm cùm sanguinis cursus impeditur, retardaturque, ut præsertim in illius glandulis restagnet. Cùmque in his exiguus sensus habeatur, eò quandoque tumor devenit, ut in ingentem molem attollatur, ac diutissimè persistat, pondus, & dolorem intestinis inferens, quandoque etiam lumbis, quousque tandem membranas adjunctas pertingens, vel etiam processus nervorum, & Peritonæi comprimens, dolorem inducat intolerabilem.

Nedum autem in uno solùm loco contingit Mesenterium inflammari, ac tumere, sed in cunctis ferè illius glandulis, ubi nimirum facilè humores impingunt, & adhærescunt: quamobrem totum tuberculis refertum aliquandò Anatomici detexerunt, immò & scirrho, gangrænaq; affectum, pure repletum, atque lympha plurima perfusum. Hinc dolores profundius ventrem excruciant, inquietudines, nauseæ, vomitus, alvi durities, chyli dejectiones, febres, tabes, aliaque gravissima symptomata, etiam cerebro infensa, plerumque observantur, quæ falsò Intestinis, Jecori, Lieni, Renibus, aliisque à nonnullis adscribuntur.

V. Sennerh. l.

Pari modo Pancreas affici multoties compertum: nam & obstrui, & inflammari, & obdurescere, & abscessus pati observatum est.

Horum viscerum affectiones propriis signis internoscere difficillimum. Suspicari autem aliquando licebit de inflammatione, aut abscessu in Mesenterio, & Pancreate, postquàm ad maturitatem pervenerint, & purulentæ egestiones comparere cœperint, neque jecore, neque liene in tumorem elato. Affecti autem Pancreatis longè difficilior conjectura erit, etiam si à positu subter ventriculum, quis non se fallere arbitretur, cùm à diaphragmate idipsum prodire possit; itemque à musculis lumborum, & spinæ adjacentibus.

Sicut autem ista cognitu perardua sunt, ita & curatu difficillima; nam etiamsi maturuerint, non tamen facilè aut per alvum, aut per vias urinæ ibidem congesta repurgantur, quamobrem retentum pus vel corruptionem afferet, vel si aliò deferatur, novum, & quidem graviorem morbum pariet, Colicam affectionem, Paralysim, Ischiadem, Dysenteriam. Quin & postquam Abscessus fuerit emundatus, etiam inductum ulcus, vitæ periculum minatur, cùm nequeat convenienter abstergi, & consolidari, licèt opportuna remedia adhibeantur. Verumtamen Naturæ opera in hoc plurimùm valet, illamque proindè Medicus promovere debet, exhibendo primùm, quæ inflam-

flammationem, ſi fortaſsè prænoſcatur, impediant, & ſanguinem remorari non ſinant, qualia ſunt pluries memorata diaphoretica: mox quæ maturitati illam ſubiiciant, & dirumpant, ſi jam facta ſit. Præcellunt ſanguis hirci, ſperma ceti, mumia, coagulum leporis, aut hædi, extractum hyperici, & baccarum juniperi, omnis generis Bezoardica, ſtibium diaphoreticum, ſal volatile C. C. viperarum, & ſuccini, ſpiritus ſalis ammoniaci dulcis redditus, elixir proprietatis, tinctura Martis, & Antimonii. Potiones vulnerariæ optimæ quoque ſunt, præcipuè dirupto jam apoſtemate. Terebinthina pariter fructuoſa eſt, ut & balſamum Peruvianum, Tolutanum, & ligni guajaci. Quòd ſi neceſſe ſit inchoatum Naturæ motum per vias urinæ promovere, conducent diuretica, aquæ thermales, oculi cancrorum, ſal cardui benedicti, & centaurii minoris, verùm ſalis balſamum colore aureum, ſapore dulce, & contactu linguæ volatile; pulvis, & eſſentia macis, extractum glycyrrhizæ, trochiſci Gordonii. Si demùm remaneat ulcus, ſuffitus ex cinnabari cum balſamis miram opem afferre conſueverunt, atque horum uſu quoſdam brevi ſaluti reſtitutos vidi: etenim ab inducto ſenſim ptyaliſmo è ductibus ſalivariis educitur humor ille, qui in Pancreate, & Meſenterio reſtagnat, ob communionem glandularum interſeſe, & præcipuè illarum, quæ in Meſenterio ſunt, cum colli glandulis. Neque verendum de interno Mercurii uſu, modò ritè præparatus ſit, & diaphoreticus evaſerit.

DE HEPATIS, ET LIENIS Obſtructione, & Inflammatione.

NOn diſſimiliter accidunt obſtructiones, inflammationes, tumores, & abſceſſus Jecori, ac Lieni, qui tamen faciliùs dignoſcuntur ex ſitu tumidæ regionis ad dextrum, vel ſiniſtrum hypochondrium. Obſtructo namque, tumefactoque Hepate, præter duritiem, & inflationem in dextro hypochondrio, percipitur ſenſus ponderis, præſertim in ampliori reſpiratione, & motu poſt aſſumptum cibum, quoniam Diaphragmati Hepar alligatur. Si verò inflammatione corripitur, etiam febris cum arida tuſſi comitatur, & reſpiratio difficilior, cum pulſu celeriori, frequentiorique. Unde deceptus Medicus ille Siculus 5. *de loc. aff. cap. 7.* arbitrabatur ſe pleuriticum eſſe, cùm Jecoris affectu laboraret. Memorat pariter Galenus *eodem loco* alia ſigna, quibus affectiones Jecinoris ab illis vicinarum partium internoſcantur, ut & à Muſculorum Abdominis tumore, vel inflammatione, quemadmodùm refert eveniſſe Steſiano Abſceſſum inter muſculos abdominis paſſo, quem Hepati reliqui Medici adſcripſerant.

V. Gal. 2. de loc. aff. 8. & 5. de loc. aff. 7. & 7. Aph. 52.

Cæterùm Lieni accidit frequentiùs ſcirrho, hoc eſt tumore duro, & indolente, gravari: aitque Hippocrates *lib. de Aere, aquis, & locis* à potibus aquarum paluſtrium, & immobilium, magnos Lienes, & plenos effici, ventreſque duros. Indè autem univerſum corpus macreſcere contingit, ac decolorari, ut notavit idem Hippocrates *lib. de loc. in hom.* & Galen. 2. *de natural. fac. cap. 9.*

Quod ad obſtructiones pertinet cùm Jecoris, tum Lienis, eadem

proderunt, quæ in Mesenterii ejusq; ductuum obstructionibus memorata sunt. Speciatim verò in scirrho adhibentur emollentia, & leviter dissolventia ex gummi præsertim ammoniaco parata, qualia sunt pilulæ tartareæ Bontii, & de ammoniaco Quercetani, atque emplastrum ejusdem. Apud Schrod. Quæ item ex chalybe conficiuntur, salubriter conferunt, cùm & incidendo obstructas vias reserent, & acidum corrigendo sanguinem repurgent. Ab Hartmanno conficitur aqua æquivalens spiritui aperitivo Penoti; itemque alia philosophica dicta, seù spiritus vini tartarisatus. Apud nostrates est in usu vinum medicatum ex chalybe, & vitriolo ad subrufum colorem igne pulveratis ope sulphuris, & nitri. Efficacius est vitriolum Martis. Vinum etiam absinthites optimum, ut & aqua absinthii stillatitia, & ferraria. In cibum prosunt nasturtium, eruca, asparagus, fœniculum, petroselinum, siler, capparis; itemque crocus, cinnamomum, zingiber. Sæpenumerò tamen scirrhus cum ęgrotante consenescit, pręcipuè si diutiùs opportunis remediis obstiterit; quin immò ex Hipp. *lib. de affect.* in hydropem mutari solet.

Minimè verò prætereundum, ab obstructo, tumidoque jecore, aut liene; sæpissimè hæmorrhagias oriri: quod etiam animadversum à Volchero Coitero: Etenim ab horum viscerum obstructionibus, cùm non benè secernatur, repurgeturque sanguis, in causa est, ut acrem, acidamque conditionem nactus, oscilla arteriarum, & venarum aperiat, sibique viam faciat. Unde ejusmodi sanguinis fluxum nonnisi obstruentes humores indè deducentibus, acidumq; temperantibus potissimùm ex chalybe medicamentis, brevissimè cohiberi contingit, non sine vulgi admiratione.

His præterea curatum scirrhum narrat Forestus: *Radicis filicis unc. i. & radic. cuscutæ dr. ii. ebullire iubet in unc. viii. vini albi veteris ad tertiæ partis consumptionem*; decoctum autem colatum patienti exhibet. Lib. 20. obs. 8. Hoc etiam cerato lienis regionem inungendam mandat: *ol. cappar. unc. i. lilior. alb. amygdal. dulc. chamæmel. & butyri recent. singul. unc. ß. succ. beyoniæ, & cyclam. unc. i. bull. ad consumpt. succor. deinde add. gumm. ammon. aceto sol. dr. ii ß. pingued. gall. medull. crur. vitul. œsyp. humid. singul. unc. ß. pulver. cort. rad. tamar. capp. ceterach. rad. filic, singul. dr. i. pulver. sem. agn. cast. & genist. singul. scr. i. ceræ parum f. cer.* Testatur insuper minui lienem fotu aceti acerrimi, in quo lapis pyrites candens extinctus sit, cum spongia in regione lienis. Et Benivenius utitur capparibus pro cibo, & aqua ferrariorum pro potu: & quidem illis capras, hac verò canes lienibus diminui compertum est. De occult. morb. & san. caus. cap. 105. Lib. 2. meth. ad prax. cap 10. Apud Heurnium mirabile dicitur emplastrum ex cicuta, & ammoniaco aceto dissoluto, ad duritiem quamcumque emolliendam. Et ab Hildano conficitur, commendaturq; unguentum de Cicuta dictum. Aliud proponitur ab Aquapendente compositum ex duabus partibus ammoniaci aceto dissoluti, una succi nicotianæ, terebinth. & succi ebuli altera, dimidia resinæ pini cum ol. cappar. & ceræ novę q. s. Lib. 1. Chirurg. cap. 51. Plerisque splen peracuta securi iteratis ictibus scinditur, cute non dissecta; mox verò cataplasma apponitur ex verbena, sinapi, capparibus, & farina hordei, quo per alvum magna atri sanguinis quantitas exturbatur, & lien in suam naturalem molem restituitur: quod remedii genus Rusticis est familiare; idque

vidi

vidi aliquandò tam dextrè actum, ut certè admirationi esset. Hanc etiam
lib. 8. c. 44. medendi duri lienis rationem commemorat Cardanus *de Rer. variet.* De cætero purgantia validiora, vehementerque exagitantia, & obstructos ductus commoventia monitu Hartmanni vitanda sunt.

1. De rat. vict. 43. & 13. meth. cap. 15. Postremò ad inflammationem Jecinoris, cautiones à Galeno traditas summoperè observandas velim ab illis potissimùm, qui credunt nimiùm refrigerantibus, & acidis potionibus, & lituris relaxantibus, facile citòque illam sanatum iri: cùm cæteroqui ab his mors certò expectanda sit, scilicet recrudescentibus humoribus, aut promota suppuratione, quæ huic visceri infensissima est: nam ex suppurato Jecore ii solùm evadere dicuntur Hippocrati 7. *Aph.* 45. quibus in tunica pus continetur; omninò verò pereunt, cùm ad parenchyma usque corruptio pertingit, ex
5. Aph. 58. 7. Aph 17. 3. Can. f. 14. tr. 3. c. 2. Galeno *ibidem*. Interdum etiam singultus, aut alvi fluxus inde subortus, est uterque lethalis, alter ex Hipp. alter ex Avicenna.

Ea igitur conducibilia dumtaxat putanda sunt, quæ hærentes humores dissolvant, & per sudorem, vel urinam educant: quamquam, inquit Galenus, diuretica potiùs convenire in affecta parte Jecinoris gibba. Cùm cibis commisceantur herbæ detentos succos ad vias urinæ deducentes. Victus autem tenuis sit, neque glutinosa, neque acida, neque dulcia, & constipantia admittat.

Quamvis autem dissolventia cæteris præferenda videantur, ea tamen acria nimis haud sint; quamobrem sedulò iis tantummodò incumbendum, quæ blande congestos succos diluant, & in proprios ductus promoveant. Sic quoque danda opera est, ne suppuratio insequatur. Quare ab initio suadet Petræus adhibenda esse epithemata ex saccharo Saturni dissoluto in aquis, vel succis depuratis solani, plantaginis, rosarum, fragariæ, quibus utile erit addere succum absinthii ex documento Galeni. At ab his parum, vel nihil emolumenti sperare licebit.

Quod si suppuratio inhiberi nequeat, videaturque congestus sanguis in pus abire: quod dignoscetur ex superveniente insolito rigore, cum febris incremento, doloris reditu, & sensu fluctuationis sub dextro hypchondrio; ac patentiùs ex urina, vel dejectione purulenta, aut etiam ex anacatharsi, quod rarius; tunc, quoad fieri poterit, promovebitur puris evacuatio per eam viam, quam Natura indigitaverit, exhibitis quoque, quæ roborent, & abstergant, ut & potionibus vulnerariis cum balsamo sulphuris anis. vel terebinth. Vinum medicatum ex medulla ligni guajaci, floribus rorismarini, & hyperici mirè aliquando contulit; sicut pariter extractum hyperici irroratum oleo macis, vel cinnamomi. At in hoc Naturæ solertia præ cæteris 6. epid. f. 5.
valentior erit, quæ ex Hipp. *prima Morborum Medicatrix* dicitur; & ut 3. meth. c. 3. & 7. Aph. cō. 34.
inquit Galenus, *mille sibi parat vias; regenerandæque carnis præcipuus opifex existit.*

DE AFFECTIONE HYPOchondriaca, & Scorbutica.

Sicuti nomine Hypochondriorum intelliguntur, quæ utrinque in imo ventre viscera reconduntur, ita horum affectiones Hypochondriacæ à Medicis appellantur, quas comitantur stomachi languor, & cruditas, præsertim acida, cum ructibus, ac rugitibus, ventrisque inflatione, & præcordiorum oppressione: ubi

ubi fæces constipantur, & alvus styptica evadit, totum abdomen tenditur, molesta pulsatio percipitur in sinistro hypochondrio, nec non cœliaca arteria crebriùs, celeriùsque salit: quandoque etiam cordis palpitatio, capitis vertigo, anhelitus, dolores, vigiliæ, pavores, anxietates, decolorationes, tabes, quibus postremò superaccidunt Timor, atq; Mœstitia absque causa, cum desipientia illa, quam Melancholiam Hypochondriacam communiter Practici nuncupant.

Admonet autem, & rectè Sennertus malè à quibusdam confundi Hypochondriacam Affectionem cum Hypochondriaca Melancholia, excusatque Dioclem perperam à Galeno reprehensum *3. de loc. aff.* 7. quòd cùm omnia symptomata istius ęgritudinis enarrasset, Timoris tamen, atque Mœstitiæ non meminerit. Forsan enim, inquit, Diocli non propositum fuit Melancholiam Hypochondriacam in specie; sed Hypochondriacam Affectionem in genere describere. Constat namque Affectionem Hypochondriacam multò latius extendi, quàm Melancholia Hypochondriaca; atque experientia patet, plurimos hoc morbo laborare, qui tamen haudquaquàm Melancholia afficiuntur: Suntque non pauci, qui Melancholia laborant, Hypochondriaca verò Affectione minimè detinentur.

Unde autem ortum suum ducat hæc affectio, & cujus visceris culpa, non convenit inter Authores. Plerique stomachum hujus mali causam accusant, quòd cibum non bene concoquat, sed in crudos, acidosque succos, aliosque heterogeneos, commutet. Alii Jecur intemperie calida, vel etiam venam portam; Ventriculum verò frigida affectum. Visum nonnullis, ex documento Fernelii, Mesenterio, ac Pancreati obstructis, aliterve vitiatis, causam adscribere: & plerisque etiam arteriis mesentericis, atque cœliacis, illisque quæ per Omentum sparguntur. Communiùs demum Lienem incusant, atros, tartareos, melancholicosque succos generantem, immò & calidos, adustos, atrabilarios dictos. At Vvillisius è Liene quidem vitium sanguini communicari fatetur, sed illud deinceps in Cerebrum efferri, quò reciprocè cum Liene in hoc morbo affici arbitratur; undè & liquorem nervorum, & animalem spiritum, universamq; cerebri œconomiam deturpari ait. (de Morb. convulf. cap. 9.) Quamobrem Hypochondriacam affectionem inter morbos convulsivos numerare non veretur: qua de causa lis gravissima mota est inter ipsum, & N. Highmorum: hic enim potiùs in vitiosam ventriculi constitutionem ejusmodi ægritudinem referendam esse evincere nititur. In quam eandem sententiam concedere videtur Deleboe Sylvius, qui sedem, focumque hujus mali putat esse, si non ipsum ventriculum, vicinas saltem ejus partes, quòd symptomata affectionem Hypochondriacam comitari solita, maximè post pastum exacerbentur. (Append. tr. 7.) Ea verò potissimùm deducit ex fermentatione humoris biliosi, & pituitosi sejunctim vitiati.

Veruntamen credere fas est, Hypochondriacas affectiones, sicuti non semper iisdem omninò symptomatis stipatas observare licet; ita neque perpetuò unius tantùm visceris vitium consequi oportere. Quandoque secti Hypochondriaci memorantur Lienis vitio caruisse, à Glissonio, Borrichio, Highmoro: atque interdum alii graviter læsi in Omento, Pyloro, Ventriculo, Mesenterio, Jecinore, Pancreate, deprehensi sunt. (Anat. Hepat. c. 45. apud Barthol cent. 3. ep. 97. de Aff. hypoch. c. 4. V. Bonet. Anat. pract. l. 1. f. 9.)

Quam-

Quamquam in cæteris plerisque visus Splen nedum tumidior, sed & scirrho, atroque humore refertus, & obstructus.

Illud autem videtur commune omnibus in hoc affectu, ut semper sanguis acidum quid, & quandoque etiam austerum ex imi ventris visceribus nanciscatur, ut attestantur ructus acidi, alvus styptica, fuscus cutis color, pulsuum debilitas, præcordiorum oppressio, ventris inflatio, pavor, mœror. Et quamvis interdum aliquibus molestus nimiùm sit in ventre calor, in Hypochondriis æstus, immò & in plantis pedum, ac frequentiùs in volis manuum; ut hinc suspicentur vulgares Medici calidam intemperiem viscerum, & præsertim Jecoris: Qui tamen cujusvis acidi liquoris vim, & actionem perspectam habuerit, cum alteri heterogeneo humori adiicitur, istius phænomeni causam protinùs intelliget. Hinc sanguis, aut si mavis, succus nervorum, acore infectus, cùm in partes influit, fermentationem, & calorem parit; quamobrem quibusdam è Splenis vitio hypochondriacis familiaris esse solet, præter hypochondriorum exæstuationem, genarum rubor: & aliquando observantur Hypochondriaci lienosi rubentem vultum gestare, atque longè rubicundiorem à pastu, etsi pulsus tenuis sit.

Verisimile igitur admodùm est, ab acido exaltato, & è Liene, vel Pancreate deciduo, ac cum sanguine commisto, enarrata incommoda proficisci. At ab aliis quoque visceribus manare posse non est alienum, si videlicet propria eorundem fermenta in acidum degeneraverint. Sic & glandulis Mesenterii, atque intestinorum, itemque Ventriculi, cæterisque, simile damnum accidere poterit, cùm fortasse in illis feculenti humores hæserint, mutuaque simul actione inita, concrescentem, acidamque conditionem sortiantur. A lympha quoque idipsum orietur; si acida evaserit, simili fermè modo, ac nonnulli ex mistura salis, & aquæ, in modico vino vapido, vel in phlegmate spiritus vini, acetum sibi comparant artificiale. V. Colñ. l. 12. c. 5

Hinc evenit, cur disparia admodùm symptomata Hypochondriacis sæpesæpiùs contingant: Quibusdam enim stomachus elanguet, spuitio copiosior fit, urina aquea, alvus lubrica; nonnullis contra, alvus styptica est, oris amarities, sitis ingens, & stomachi ardor à cibo supervenit: alios ructus, tormina, vomitus, anhelitus, cordis palpitatio, capitis dolor excruciant: alios ciborum fastidium, Ventriculi inflatio, anxietas, obstructio, atque id genus alia tenent: Metus, & mœror in quibusdam observantur; in aliis desunt. Quidam sunt cogitabundi, solitarii, scrupulosi: alii loquaces, suavioresque jucunda, & læta expetentes: quidam bibaces, sitientes, & è converso: alii meribibuli, alii hydropotæ, atque alterutrius tantùm potus cupidi: nonnulli certa victus ratione gaudent, quæ aliis infensa esse solet: quidam ab uno medicamenti genere levantur, quod aliis est perniciosum; immò quod aliquando eidem patienti contulit, aliàs non leviter obesse visum est. Varii itaque, & diversi videntur in pathematis, & accidentibus Hypochondriaci, pro varia scilicet partium affectarum, & humorum vitiosorum diversitate; quamobrem non immeritò Proteus Morbus hic à quibusdam dici consuevit, cùm multiformis in dies appareat. Quare aliqui in Mesentericam, Splenicam, Hepaticam, Stomachicam, Pancreaticam, Hystericam, Hæmorrhoidalem, & Phan- V. Avic. l. 3. f. 53. tr. 2. c. 1.

tasticam ejusmodi affectionem Hypochondriacam subdivisere. Undè mirari subit eos, qui tam anxiè exquirere adnituntur hujus mali originem, cùm nil non sit, quod ejus causa esse non possit, dummodò acorem contrahat, & succos viscerum, ipsumque sanguinem inficiat, & acido-austero, aut salito coinquinet.

Quamvis autem affectio ista vetustissima dicatur, quòd illius, vel alterius valdè similis meminerit Hippocrates, sub nomine Morbi Siccatorii, & Ructuosi; ac post Hippocratem expressiùs illam descripserit Diocles Carystius apud Galenum *3. de loc.aff.* 7. Nostra tamen ætate longè gravior, & frequentior in his regionibus, quàm unquam fuerit, observatur; quippe paucissimi sunt, qui se ab ea immunes gloriari possint; idque fortasè ab intemperantia in victus genere, à tot, tantisque gulæ libidinibus, itemq; ex acidis, gelidissimisque potionibus iteratis, atque præposterè, importunèque sumptis, jejuno stomacho, à pastu, æstate, hyeme, etiamsi nulla sitis urgeat, aliave necessitas cogat, citrà quascumque corporis exercitationes.

2. de Morb.

Huic affectui affinis est, & alter Morbus jam pridem Hollandis, Anglis, atque Germanis, cæterisque Aquilonaribus populis maximè familiaris, *Scorbutus* dictus, & ad nostras adhuc Regiones non multis ab hinc annis advectus, licèt hìc non adeò immanis sit, ut in cæteris regionibus perhibetur. Hunc etiam pervetustum morbum esse Sennertus, Langius, Ronsseus, aliique pluribus ex locis Hippocratis, aliorumque veterum monumentis scitè admodùm deducunt, quamvis apud illos aliis nominibus fuerit appellatus. Creditur etiam convenire cum Stomacace, & Sceletyrbe Plinii.

V. Hipp. de inter. affect. & 2.prorrh. Celsi l. 2. c.6. & l.4. c.9. aliiq; apud Sennert. l.3.p.5.f. 2.c.1.l.2. ep.14. l. de magn. lien. Hipp. l. 25.cap.3.

Convenit in plurimis cum Hypochondriaca affectione, sed præterea aliis, & gravioribus symptomatis stipatur; præcipuè verò doloribus crurum, maculis in cute, ulceribus in tibiis, tuberculis cutaneis, oris fœtore, dentium erosione, sputis cruentis, cephalalgia, pectoris angustia, respirationis difficultate, cachexia, corporis lassitudine. Sæpe etiam alios morbos excitat, qui curari nequeunt, nisi speciatim de Scorbuti medela ratio habeatur; unde Paralysis, Convulsio, Arthritis, Epilepsia, Leipothymia, dolor Colicus, Hydrops, Febris, aliæque plures ægritudines consequuntur, quas Scorbuticas quis meritò appellaverit, cùm & antiscorbuticis medicamentis remitti soleant.

V. Sever. Eugal. de Scorb. Sennert. l3.p.5.f.2 Vvill. path.Cer High. Charlet. Mollenbroc.

Medicis, qui hactenus de Scorbuto volumina conscripserunt, semper in culpa Lien est habitus, qui scilicet fæculentum è sanguine humorem melancholicum dictum, repurgare nequiret; immò in suis ductibus detentum depravaret, commutaretque potissimùm in atrabilarium. Aliquibus etiam creditum est à Liene haud emungi, nec excipi serosiores, aquosioresque chyli portiones, quæ deindè cum sanguine commistæ, hujus affectus causa evadant: quamobrem Horstio visum, crudo, atque ichoroso sanguini, speciali quodam modo, corrupto, Scorbuticam affectionem adscribere.

At qui uni tantùm visceri istius morbi originem appingunt, fortè non perpenderunt, quòd ab eo cunctæ propemodùm corporis partes vehementer afficiantur. Undè Vvillisius præter sanguinis vitium, adiicit quoque liquoris nervorum labem in acidum, effœtumque vergentis: quippe existimat sanguinis dyscrasiam in Scorbuto pari modo, atque vini, duplicem

plicem esse posse, nempe *sulphureo-salinam*, ac *salino-sulphuream*: si namque sanguis miasmate scorbutico infectus, præfervidus fiat, in quo nempè sulphur prævaleat, maculas exteriùs excitabit, exanthemata, tubercula, ulcera; interiùs verò vomitus, cardialgias, diarrhœas, dysenterias, doloresque atrocissimos, atque in his temperata solùm remedia admittit, vitatque acria, & acuta, cochleariam, raphanum sylvestrem, & similia. At vero si sal prædominetur, fiatque sanguis crassus, & quasi mucosus, sine cutaneis eruptionibus ægri torpidi, anheli, & enerves fiunt, cum lassitudinibus corporis, & pectoris angustia, quin & anxietatibus cordis, deliquiis, vertigini, & convulsionibus obnoxii observantur; & in his remedia probat calidiora, sale volatili prædita, immò & ex chalybe parata, quæ sanguinem solvant, & exagitent. A sanguine prætereà ità vitiato, atque ad cerebrum appulso procedere quoque ait liquoris nervorum vitium: & quidem illo effœto, liquorem hunc tenujorem progigni ad acidum declinantem, immò ab eodem fæculento particulas heterogeneas plurimùm illi infestas suggeri. Quare labem scorbuticam succo nerveo affixam in his consistere idem Author concludit, & quòd liquor cerebri, & nervorum irriguus multò tenujor, seu pauperior evadat, & quòd à crasi *spirituo-salina* in acidam degeneret, & quòd particulis heterogeneis, ac morbificis referciatur.

Quòd autem humor scorbuti causa acidam conditionem sortiatur, non secùs, ac cùm ex vino fit acetum, multò anteà Sennertus edocuerat, qui & aceti generationem, aliaque plura ad hanc rem facientia adducit, & examinat. Neque enim alius videtur esse Scorbutus ab affectu Hypochondriaco, nisi quòd gravior, immaniorque sit, profectus à causis potentioribus, tenaciusque ob id inhærens visceribus cum sensibiliori sanguinis vitio. Hinc plerisque locis Endemius morbus est, quibus scilicet usui sunt cibi multo sale conditi, fumoque exiccati, meracius vinum, temetumque, vel aqua palustris, & corrupta bibitur, itemque panis nauticus, legumina, caseus vetus, acida quæque salita, rancida, mucida, cruda, crassa, glutinosa, dura in alimentum veniunt: quo fit ut Nautæ, & ad mare Balticum habitantes, cæterique populi Septentrionales ejusmodi victus genere utentes, tam facilè in Scorbutum incidant, ut refert Balduinus Ronsseus. In aliquibus observatur etiam hæreditarius, aut contagiosus, pari modo ac ex lue Venerea, & scabie accidit. In reliquis convenit cum Hypochondriaco affectu, sed pertinaciori, maximèque inveterato.

De Scorbut. c. 2.

Ex his igitur facilè nunc erit utrumque affectum internoscere. Solùm autem advertere oportebit non statim à principio scorbutum prædictis omnibus symptomatis invadere, at plurima ipsorum ingravescente solùm morbo comparere, atque alia aliis accidere. De hypochondriaca verò affectione monet Galenus subindè ab illa cerebrum turbari, atque Melancholiam exoriri, quam Timor, & Mœror comitantur sine causa manifesta. 3. de loc. aff. 7.

Statim ac in conspectum sese produnt affectiones istæ, adnitendum vitiosos humores præsertim acidos, sive in visceribus hærentes, sive cum sanguine commistos, quoad fieri possit, sensim corrigere, & blandè educere. Conferunt in hunc finem pilulæ tartareæ Bontii, aloeticæ, de ammoniaco Quercetani, electuarium

Ale-

Alexandrinum. Mox verò obstructionem tollentia commendantur, præsertim ex chalybe; cui vis magna inest acidum in sanguine corrigendi, atque obstructos meatus reserandi. De ejus autem usu monet Tachenius, quòd nisi excrementa ab illo tingantur, temerè exhibendus non sit, quia tunc non reperit idoneum humorem, qui illum solvat. Optima quoque sunt subamara, absinthium, centaurium minus, gentiana, cortices malorum aureorum, eorumque sales, ac tincturæ; itemque elixir proprietatis, vinum absinthites, decoctum Coffè, & herbæ Thè.

Hippocr. chym.

Distinguit autem VVillisius remedia pro duplici sanguinis vitio. Vel enim sanguis crassus est, subfrigidus, cum lienis obstructione: & sanè medicamenta ex chalybe parata exquiri ait. Vel contrà fervidus supra modum fermentescit, simulque hypochondria æstuantia inflat; & remedia tunc solùm temperata, ac fervorem sedantia indicari docet: fugienda verò, quæ in sui compositione chalybem admittunt.

De morb convuls. p.m.206.

At verò Deleboe Sylvius, quoniam à bile per choledochum ductum delata, unaque simul permista, atque fermentescente cum pituita vitiosa, morbum hunc oriri arbitratur, utriusque correctioni, purgationique incumbit, potissimùm per salia lixivia, itemque galbanum, sagapenum, ammoniacum, masticben, succinum, castoreum, myrrham, ac spiritus, salesque volatiles indè elicitos: De usu autem Acidorum, quæ viderentur profutura ad bilem temperandam, id speciatim monet, non commodè exhibenda, nisi spiritu aliquo volatili castigata. Quin Sennertus etiam è Tartaro parata medicamenta nocua interdum esse testatur, improbatque cappares, præsertim quia aceto condiuntur. Purgantia præterea non reprobat Sylvius, tùm quæ pituitam, tùm quæ bilem educant. Et Hartmannus etiam vomitum commendavit ex aqua benedicta; Immò Hippocrates utrumque evacuationis genus in curatione Morbi Siccatorii indicere non est veritus.

Cautiùs tamen in hac parte agendum est, quippe non rarò à purgantibus medicamentis hypochondriorum affectiones exacerbari consueverunt: ut propterea satius existiment alii ab his abstinendum ex Galeno, qui 3. *de loc. aff.* 7. ait: ***Monendi sunt mihi Amici, qui me curantem viderunt, frequentibus balneis, victuque humido, bonique succi, nullo alio adhibito præsidio, hujusmodi morbum me curasse.***

Diuretica, & sudorifica à plerisque valdè conferentia dicuntur, quòd illa incidendi, & aperiendi vi polleant, valeantque saburram humorum, tùm è liene, tùm à reliquis glandulis imi ventris ad vias urinæ deducere; cùm etiam ex Hippoc. & Galeno pateat lienem per urinarios meatus repurgari: quod & Anatome evidentissimè testatur. Sudorifica verò præter virtutem dissolvendi, attenuandique, acido infringendo utilissima sunt. Præfertur autem cæteris Antimonium diaphoreticum à Sennerto *in Epistolis*. Epist. 35. ad Doring.

Quoniam verò superiùs innuimus non semper hunc affectum ab uno viscere proficisci, nec perpetuò determinatum humorem ejus causam esse; propterea operæ pretium erit exactè perpendere, cui potissimùm parti succurrendum sit, cuique humori oppugnandum. Si itaque è stomachi vitio oriri videatur, ea præcipuè opportuno usui erunt, quæ stomachi fermentum adjuvent, atque extraneos succos corrigant, & exturbent.

bent. Optima planè dicuntur sal absinthii, elæosaccharum citrii, & cinnamomi, spiritus masticheś, essentia menthæ, pulvis stomachicus, & cachecticus Quercetani, sal stomachicus Mynsichti, syrupus menthæ compositus, elixir proprietatis Helmontii. Si Hepar compatiatur, proderit ebur, diarhodon, sal hepaticus Mynsichti, essentia Martis, sal fumariæ, absinthii, fraxini, nitri. Sic pariter proderunt splenica, hysterica, nephritica, si hoc, vel illud viscus gravius affectum prospiciatur. Idem quoque observandum in vitiosorum humorum varietate: quamquam hæc plerumque communia sunt, & vices sibi mutuò commutant, nisi plurimùm à mediocritate declinent, aut vim, actionemque exserant violentam, vehementerque irritantem.

Scorbuto demùm, quæ hactenus sunt recensita, commodè quoque opitulabuntur. Sed specialiùs proderunt acria, & subamara, ut cochlearia, nasturtium aquaticum, beccabunga, chelidonium utrumque, trifolium, chærefolium, petasitis, sinapi, eruca, fumaria, hydropiper, raphanus rusticanus, seu armoracia, cortices malorum aureorum, zedoaria, ruta muraria, zingiber, baccæ juniperi, gummi lacca; atque ex his eliciti spiritus, tincturæ, essentiæ; ut & essentia, ac spiritus turionum pini, salis ammoniaci, & cerasorum nigrorum sylvestrium. Sal etiam, & essentia viperarum à plerisque commendatur; atque ab aliis spiritus tartari volatilis, tinctura Antimonii Bezoarticum Martiale.

Rectè autem, inquit Sennertus, monent Authores succis prædictarum herbarum majorem efficaciam inesse, quàm in decoctis, quoniam vis in illis provenit à sale volatili, qui in coctione dissipatur; Quare præstabit ejusmodi succos spissare, & ne ventriculo noceant, saccharo, & cinnamomo condire.

Neque verò semper utendum acribus, & sale volatili præditis, ut consulit hic VVillisius, præsertim ubi causa morbifica in calidiori sanguinis dyscrasia, vini rancidi æmula, consistit: Mavult enim medicamenta temperata opportuno usui fore, quæ humorum particulas per se effervescere aptas, minùs exagitent, immò potius compescant: quod etiam notavit Sennertus, qui propterea in his cum sero lactis exhibenda esse scribit medicamenta antiscorbutica dicta.

Cæterùm in aliis præstantissimum esse scribit Forestus syrupum sceletyrbicum, quem ità conficit: *succi cochlear. & beccabung. singul. lib. iij. sacch. opt. lib. ij. cum ovi albumine depur. mox simul decoq. & f. syr. s. a.* Exhibet autem illum ad unc. j. ß. cum unc. ij. aq. cochleariæ, & unc. j. aq. beccabungæ per plures vices. Gingivas verò erosas, & sanguivomas solo succo cochleariæ confricandas jubet, vel abluendas cum aqua stillatitia ejusdem, & beccabungæ. A Velschio refertur Othonem Heurnium usum quotidiano potu vini, in quo brassica rubra, cum zingibere, & cinnamomo fuerat macerata: atque hoc jucundissimo remedio vinum Hippocraticum ferè æmulante, addito præsertim saccharo, intra xv. dies, in pristinam sanitatem ægros restituit. Alia vina medicata præscribit VVillisius, apud quem vide.

Lib. 2. obs. 11. & 12.

Obs. 55.

De Scorb. cap. 7.

Acida etiam prodesse scribit Sylvius Deleboe, succum mali citrii, & aurei, & punici, trifolium aquaticum, spiritum salis, & nitri dulcem. Quinimmò P. Barbette reliquis omnibus præstare ait spiritum salis dulcem, ammoniaci, & cochleariæ. Lister quoque miscet succos cochleariæ, limo-

Append. tr. 10. n. 864.

Lib. 4. pract. c. 5

limoniorum, & aurantiorum; immò & efficacius putat acetum, & ſpiritum vitrioli, memoratque utilitates ex aceto relatas à Dioſcoride, & ex limoniis à Piſone. At dexterè acidis utendum, & nonniſi cum aliis medicamentis antiſcorbuticis.

Symptomatis denique ſcorbutum comitantibus, qua ratione occurrendum ſit, legere erit apud Eugalenum, Sennertum, VVilliſium, alioſque fusè nimis de *hoc affectu* pertractantes, vel reſtrictiùs apud Fridericum Deckers *in notis ad Prax. Barbett. cap. de Scorbuto*. Nobis enim ſat eſt hæc attigiſſe de hoc affectu, qui in noſtris regionibus non adeò vulgaris eſt.

DE CACHEXIA, & Hydrope.

EA corporis habitudo, in qua ob malam nutricationem color cutis, atque in primis faciei, à naturali, & conſueto declinat, pallet, flavet, vel in fuſcum vertitur, & quandoque etiam impetiginibus, cruſtiſque inficitur, cachexia à Medicis appellatur, maluſque corporis habitus.

Sequi plerumque ſolet obſtructionem, & affectionem hypochondriacam, aut ſcorbuticam, vel etiam diuturnam in fœminis menſtruorum ſuppreſſionem, & in maribus immodicam hæmorrhoidum evacuationem.

Hepatis imbecillitati, atque intemperiei frigidæ, immò etiam humidæ ab Antiquioribus tribuebatur: ſanguis enim ab illo gigni putabatur crudus, pituitoſus, aqueus, aliquando etiam bile, vel melancholia permiſtus, qui deindè ad partes delatus gravamini, & inquinamento foret, illaſque nunc albo, pallidoque, nunc etiam luteo, livido, vel croceo, aliove ſimili colore fœdaret, quin & in tumorem attolleret, atque Anaſarcam, & Leucophlegmatiam inferret.

At poſt inventa vaſa lymphatica Recentiores ejuſmodi vitium lymphæ, ejuſque ductibus adſcribunt, quòd nimirùm comprimantur, obſtruantur, unde lymphæ curſus impeditur; vel ſi rumpantur, indè illa effluens alicubi decumbat, aut per totum corpus diffundatur. V. VVarth. Aden. c. 11.

Crediderim autem in his affectibus lympham à ſuis ductibus non exugi, ſed unà cum ſanguine in venas traduci, atque in cor remeare; quamobrem cùm is partes nutriendas petit, multa aqua plenus in eas effunditur, quæ propterea gravatæ, turgidæque compareant. Cùm verò è diruptis, relaxatiſque aquoſis ductibus illa effluit; in Abdomine Aſcitem, in Capite Hydrocephalum, in pectore, artubus, ſcroto, particulares alias Hydropis ſpecies parturit; hærente nimirùm in his partibus lympha, quæ ſæpiſſimè glutinis inſtar concreſcit, atque ubi reſtagnaverit in tumorem attollitur, & digito compreſſæ partes foveam relinquunt. Hinc ab infecto, vitioſoque ſanguine, ac nutricationi inepto Cachexiam, & Anaſarcam facillimè deducimus. Vitium autem iſtud advenire ſanguini putat Sylvius Deleboe à bile, ſucco pancreatico, lympha, & ſaliva, diverſimodè affectis, & in tenui inteſtino commiſtis; undè multifariam affici cutim, univerſumque corporis habitum colorari opinatur, pro diverſitate prædictorum ſuccorum prædominantium. L. 1. prax cap. 39. Sed & fermenta viſcerum, glandularum, & ſingularum partium, immò & ſolius lymphæ prava conſtitutio, ac affectio, idipſum inferre poſſunt; Viſa namque aliquandò eſt pravo colore cutis infici, ſanguine non vitiato: Novi ſiquidem nonnullos ad extremum uſque ſenium ſalubriter vixiſſe, cum ejuſmodi fœdo cutis colore,

re, ac penè dixerim cadaveroso; quod certè non contigisset, si sanguis illis inesset, qualis in hoc morbo fieri assolet, phlegmaticus, effœtus, ac evanidus: hi, veluti scabiosi, in omnibus benè valent, licèt cutim infectam habeant.

Tametsi verò à cute, & à glandulis per illam dispersis isthæc fieri possint; plerùmque tamen sanguinis vitium consequuntur, cùm præter fœdum cutis colorem, difficili respiratione, præcordium anxietate, corporis lassitudine, atque ad motum impotentia, marcore, febri lenta, pedum tumore, aliisque symptomatis cachectici afficiantur: quæ sanè à cutaneo tantùm vitio, citrà viscerum internorum, itemque sanguinis, atque alibilis succi depravationem esse non possunt; quamobrem cachexia valde est affinis Hydropisi.

In fœminis autem sæpenumero hæc mala oriuntur ab utero, vel ob immodicum menstruorum profluvium, vel ob eorundem suppressionem, utroque enim casu sanguis vitiosus est, atque adeò acidus, serosus, crudus, aliterve effectus, cum uteri, aliorumque viscerum naturalium obstructione, aut laxitate. Ad quod vitium emendandum, præter alia superius memorata adversùs obstructiones viscerum; summè proderit hæc tinctura Martis pluries manè prout necessitas exegerit, repetita, quæ sic habet: *Limaturæ Martis q. v. & Tartari albissimi duplum, decoquantur in octuplo, vel decuplo aquæ pluviæ repurgatæ ad omnimodam consumptionem, quousque pulvis in fundo vasis siccus remaneat: Mox verò extrahatur exindè cum spiritu vini tinctura, & seorsim servetur. Residuum iterum cum sufficienti quantitate ejusdem Aquæ pluviæ ad siccitatem usque decoquatur, & tincturam pari modo, ut supra, extractam priori adiice, & tertiò idipsum denuò repete. Tandem per filtrum traiice, & in vase vitreo Tincturam ipsam ad usum serva.* Hac enim ad unciam semis exhibita nedum obstructa viscera blandè nimis reserantur, verùm etiam in his functionibus roborantur, emendatis intereà vitiosis humoribus, atque in pristinum naturalem statum revocatis.

Neque verò solùm fœminis, sed viris quoque viscerum infartus Cachexiam attulere, ex observationibus Anatomicis Bartholini, Lotichii, Highmori, Hildani, Heurnii, & aliorum. Obstructa namque viscera non modò sanguinem minimè repurgant, ut decet, sed etiam inficiunt, infectumque per alios ductus amandant, qui deindè laxantur, aperiuntur, vel eroduntur, & sanguis effluit, ut etiam superiùs meminimus.

Cachexiam diutiùs protractam insequitur Hydrops, qui in Ascitem, Tympanitem, & Anasarcam communiter dividitur: Ascites solius Abdominis tumor est aquosus. In Tympanite solus etiam venter intumescit, sed à flatibus; quamobrem instar Tympani resonat. Anasarca demùm tumor est totius corporis exterioris. Adnotat tamen Sylvius totius corporis tumorem à seroso humore quidem Anasarcam, & à viscosiori Leucophlegmatiam progigni: quamvis L. Doldius Leucophlegmatiam morbi materiam indicare ait; Anasarcam verò locum; cæterùm unam, eandemque speciem esse. Cist. Med. epist. 242.

Ascitis prætereà generationem tribuit idem Author venis lacteis obstructis primùm, mox ruptis, ac apertis, effusoque inde in abdominis cavum chylo cum suo sero permisto. L. I. prax c. 17. n. 89 & in App. pend. tr. 6. Verumtamen VVillisius præter hanc

vaso-

vasorum lacteorum ruptionem, atque in Abdominis cavum contenti humoris effusionem, adiicit quoque consimilem lymphæ è suis ductibus illapsum; itemque seri è sanguine ab arteriæ Cœliacæ, & Mesentericæ ramulis decidui, ex præpedito ibidem sanguinis circuitu: quod qua ratione contingat, ex multiplici cùm sanguinis, tùm vasorum vitio idem Author deducit. Experimento quoque idipsum evincere studet; quoniam, inquit, si in vivo animali, venis jugularibus filo exceptis, & ligatis, sanguinis reductio inhibetur, tota capitis regio aqua intercute, & planè hydropica, brevi intumescit.

Pharm. rat. p.2.s. 2. cap. 2. & 3.

Tympanitis causam insuper ipse negat esse flatus ventris membranas, aut intestina distendentes, ut communiùs creditur, admittiturque ab eodem Sylvio; sed inquit esse spiritus animales irregulariter, ac tumultuariè motos, partesque membranaceas inflantes, immò etiam Mesenterium, cæteraque viscera membranis obsita: similemque furorem, sive œstrum virulentum spiritibus alicubi impressum, & inde mox longè, latèque diffusum à toxicis quibusdam epotis, telorum, aut ferarum ictibus, vel morsibus venenosis, indèque tumores, vel particulares, vel universales induci opinatur; quorum deinceps vacuitates à flatibus impleri posse minimè inficiatur.

s.3.cap.1.

Lib. 1. prax. c. 14.n.26.

Anasarcam denique deberi docet aquoso humori extra suos ductus effuso, atque tùm intra musculorum interstitia, tùm intra carnium, cutis, & glandularum, ac membranarum poros aggesto, & quidem in habitu corporis potissimùm; undè illud exteriùs albicat, & si digitis prematur, foveam à compressione relinquit. Is autem humor à sanguine præsertim derivans, ex arteriarum finibus in majori copia profunditur, quàm ut per venas, & lymphæ-ductus excipi, & reduci, ac per renes, & poros cutis, aliaque serosi laticis emissaria amandari queat. Causas verò superabundantis istius humoris plures ipsemet reddit, sed præcipuè præcedentem immodicam hęmorrhagiam, tenuiorem consueta victus rationem, vel contrà lautiorem, retentas evacuationes fieri solitas, tumores interiùs genitos, ac sanguinis circuitum impedientes, & lymphæ è suis ductibus profusionem promoventes, atque humores heterogeneos in sanguinem traductos, illumque pervertentes, atque inquinantes, ut latiùs apud eundem legere est.

s.a.c.1.

Quæ de Hepate ad frigidum, & humidum intemperato, adeòque crudum, aqueumque humorem generante plurimi cum Galeno commenti sunt, non modò recentioribus, sed nec veteribus quamplurimis placuere, qui in sectionibus Hydropicorum sæpè Hepar omni labe immune repertum attestantur, & vel Lienem, vel Renes, vel Uterum, vel intestina, aliaque viscera imi ventris affecta deprehenderunt, ut apud Sennertum præ cæteris memoratur. Neque defuerunt, qui ab intemperie potiùs calida Jecinoris Hydropem oriri asseruerint, ut est Trallianus, Avicenna, Cardanus, Fernelius, Platerus. Quin & Carolus Piso, quem sequitur Sennertus, opinatus est, Ascitem generari ex materia serosa sanguini ex potu, & cibis injuncta, mox vero in vena porta, & cava diutiùs retenta, & ob malam distributionem in abdominis cavum illapsa. Vesiculis quoque aqua turgidis (quas Græci Hydatidas vocant) universa ferè Abdominis viscera referta non raró deprehensa sunt. Notabile equidem est, quod scribit Galenus exponens Aphorismum

q. 1. V. Barth. De lact. thor. c. ult.

L. 9. cap. 3. lib. 3. f. 14. tr. 4. c. 13. 1. progn. 2. aph 12. s. 1. 7. de part. morb. c. 8 in prax.

mum 55. *sect.* 7. Quibus Hepar aqua plenum in Omentum eruperit, iis venter aqua repletur, & moriuntur: *Aptissimum*, inquit, *Hepar est hydatidas, idest vesicas aqua plenas, in ea, quæ ipsum ambit exteriùs, membrana, generare. Si quandò igitur contingat vesicas aquosas rumpi, effunditur aqua ad locum membranæ abdominis interioris ad epigastrium, in quo etiam aqua hydropicorum congregatur*. Vesiculas autem istas recentiores Anatomici, præeunte Th. Bartholino, à tumidioribus aquę ductibus, qui plurimi per Jecoris extimam superficiem perreptant, induci nuperrimè agnoverunt, ut propterea jam dubitationi locus ampliùs non sit de modo generationis, deque parte affecta in Ascite, ut superiùs ex VVillisio, & Sylvio meminimus.

V. Aretęum lib. 4. cap. 1. de sign. & caus. diuturn. morb. de vesiculis aq. plenis & quòd Peritonæum Ascitis conceptaculũ sit, ibidē aqua exsũdans.

Hinc insuper facilè erit intelligere, hanc eamdem Hydropis speciem à causis calefacientibus, non minùs, ac à refrigerantibus oriri posse: nam quæcumque possunt lympham augere, salsam, acrem, glutinosam, tenuem, similemve reddere, itemque vasa lymphatica dicta obstruere, comprimere, delaxare, erodere, aut alio modo vitiare, undè lympha ipsa effluat, & alicubi restagnet, Hydropem afferent, neque solum in imo ventre, verùm etiam in pectore, capite, artubus, scroto, utero, aliisque partibus, quas istius aquæ ductus pervadunt, & irrigant.

T. Ignot. hydrops

Agnovit autem Helmontius ex pluribus cadaverum sectionibus, Jecur omni culpa in Hydropicis carere: at causam ægritudinis retulit in Renes, qui cùm moderatores laticis ab ipso appellentur, si malè affecti sui muneris veluti obliviscantur, laticem minimè à cruore repurgant, ac separant, sed in Abdominis cavum dimittunt.

Neque hic prætereunda Hippocratis sententia, qui censuit Hydropem ex Liene affecto plerumque in fœminis oriri: & Dodonæus tam frequenter Ascitem à Liene procedere ait, ut nullum corpus ex Ascite defunctum, dissectum vidisse referat, cui non tumidus, & magnus Lien fuerit. Idemque confirmat Duretus, & alii plurimi confitentur. A Pancreate quoque vitiato, ab Omento, Mesenterio alii Hydropem deducunt, quare iniquè nimis à quibusdam Jecinori tribuitur, nedum hujus, sed & aliarum ægritudinum origo.

5. De morb. mulier.
6. prax.

Tanta autem sitis Hydropicos urget, ut illam nullatenus ferre possint, etsi aquis quodammodò innatent. Salsedini humoris eam ferè omnes adscribunt; & Paracelsi Asseclæ salem resolutum insimulant. Verùm quamvis lympha in Hydropicis salsa observetur, præsertim cùm è suis ductibus exsilierit, verisimilius tamen videtur sitire insigniter Hydropicos, quia irriguis ejusmodi liquoribus & sanguis, & viscera universa penitùs orbantur, lymphaque ipsa aliò prorsùs influit, quàm deceat, diruptis præsertim illius ductibus. Cum igitur tali humore destituuntur viscera, tabescunt, & ubi venter aqueo humore repletur, vel etiam in Hyposarca universus corporis habitus exterius ab inundante sero intumescit, partes reliquæ collabascunt, exarescunt, & emaciantur.

Aqueus hic liquor è suis vasis profluens in Ascite, inter Peritonæum, & Omentum frequentiùs colligi creditur Hipp. inquit enim: *Quibus Jecur aqua refertum in omentum eruperit, his venter aqua repletur*. At quoniam non semper aqua effluit è Jecore, aut è Liene, sed sæpesæpiùs à Mesenterio, ejusque glandulis, Renibus, Utero, cæterisque partibus, quas

7. Aph. 55.

quas aquæ ductus præterfluunt, proinde de loco collectionis aquosi humoris adhuc ambigitur. Ab Hippocrate etiam *Aph.* 7. 54. dicitur: *Quibus inter ventriculum, & septum transversum pituita reposita est*. Inter cutem, musculos abdominis, & Peritonæum, colligi posse existimat quoque Olaus Rudbeck. Intra Peritonæum, & musculos imi ventris, aut etiam intra duplicaturam Peritonæi aquam observavit Gerardus Blasius. Et Spigelius apud Rhodium inter Abdomen, & musculos. In glandulis Mesenterii, & Omenti tumefactis, itemque in vesiculis ibidem expansis, sicut, & in Utero, atque alibi aqueus humor collectus aliis visus est.

Tr. de vas. glād ser. cap. 9

Obs. med 18. Cent. 3. obs. 6.

V. Aretæum l. 4. cap. 1.

Quoniam itaque in diversis partibus serum istud aqueum è diruptis, vel distentis vasis lymphaticis colligi, & restagnare contingit, diversas Hydropis differentias quis meritò à variis partibus affectis denominabit; atque præter pectoris, & pulmonis Hydropem, de quo alibi mentio facta est, & capitis, & faciei, & oculorum, & uteri, & ventriculi, & mesenterii, & renum, & scroti, & cujusvis alterius partis Hydropisim appellabit. Cæterùm, & in caussis planè convenient interse, & in natura, si tumor albicans prementibus digitis cedet.

Plat. Volch. Coiter. obs. Anat. M. Cordæus comm. 5. in 1. Hip. de morb. mul. Valler. obs. 10. l. 2. Isbr. Diebr. l. 1. cap. 12. VVarth. Adenogr c. 12.

Illud etiam omnibus Hydropis speciebus commune esse consuevit, quòd pedes lento, crassoque humore tumeant, potissimùm interdiù, non adeò verò noctu, & in lecto jacentibus ægris; vel quòd lympha in pedes illapsa quodammodò per suos ductus circuitum perficiat, atque in universum corpus dispergatur, quò fit, ut manè facies decolor plus justo appareat, & oculorum palpebræ aqueo humoræ turgidæ observentur, quæ postmodùm sensim restituuntur à motu; vel quia è somno, & calore in sudorem abit, præsertim ex plantis pedum, ut in aliquibus vidi; aut etiam insensibiliter dissolvitur; vel quia in ductus urinæ traducitur, indèque expurgatur. Adnectitur quoque spirandi difficultas, ad motum impotentia, faciei pallor, totius corporis gravamen, appetitus dejectio, pulsuum debilitas, atque id genus alia. Prætereà speciatim in Ascite venter intumescit, & cùm æger de latere in latus commovetur, ibidem murmur, & fluctuatio percipitur. Quò verò Abdomen magis, magisque tumet, eò reliquę partes superę gracilescunt, & emaciantur. Sitis insigniter augetur, neque ab iteratis potibus vel minimum minuitur; quin, quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. Undè Horatius

V. Hipp. 4. de morb. in fin.

Lib. 2. od. 2.

Crescit indulgens sibi dirus Hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo
Corpore languor.

Tussis etiam sicca succedit, alvus styptica fit, atque urinæ deficiunt, colorantur, vel crassescunt; quamvis aliquandò illa lubricior, & hæ copiosiores, aquosioresque fiant. In Tympanite demùm venter percussus instar Tympani resonat, solentque præcedere rugitus, & tormina circa umbilicum; quamobrem dicitur 4. *Aph.* 11. *Quibus tormina adsunt, & circa umbilicum cruciatus, & lumborum dolor, qui neque medicamento, neque aliter solvuntur, Hydrops siccus contrahitur. Vocatur autem hic morbus*, subdit Galenus *in comm. à posterioribus Medicis Tympanias, quoniam imus venter percussus talem sonum edit, qualem Tympana.*

Non modò ab his Hydropis speciebus, verùm etiam à Cachexia vitæ periculum imminet, quamvis plerumque in longum tempus protrahantur

hantur ægroti. Augetur autem periculum, si tussis superveniat: si abscessus, vel maculæ in cruribus erumpant, ut accidit Bioni, & Ctesiphoni 7. *epidem.* si lienosis post dysenteriam accidat: si alvus plurimùm fluat: si cum febre urina modica, turbataque compareat: aut in sicco Hydrope stillicidium urinæ fiat. Contrà verò salutis spes affulget, si aqua, quæ per corpus diffusa est, in alvum confluxerit, stomacho tamen benè se habente: si à furore contingat: si plus humoris per urinam excernatur, quàm sit potus, qui assumitur. Notat autem Celsus Hydropem faciliùs in servis, quàm in liberis tolli: *quia cùm desideret famem, sitim, mille alia tædia, longamque patientiam, promptiùs his succurritur, qui facilè coguntur, quàm quibus inutilis libertas est. Sed ne hi quidem, qui sub alio sunt, si ex toto sibi temperare non possunt, ad salutem perducuntur*. Undè edocemur minimè sanari posse Hydropicos intemperantes, quique sibi vim non inferunt, ferendo scilicet famem, & sitim.

6. Ap. 35. & 7. Aph 47. In Coac. prænot. & 4. de morb. 6. Aph. 14. 7. Aph. 5. & 29. Lib. 3. c. 21. V. Hipp. 5. epide. & Spon. in Aph. novis sect. 5.

At verò mirari subit plerosque Medicorum, qui sibi persuadent Hydropem quemcumque felicissimè tolli repetitis evacuationibus per alvum, cùm intereà ægrotos alant carnibus contusis, assis, & elixis, cum oleribus, victuque, quàm par sit, pleniori. Laudandus sanè Medicus ille Chrysippi discipulus, cujus idem Celsus meminit, qui notæ intemperantiæ quendam mediocriter hoc morbo implicitum negavit posse sanari, quem alter Medicus se sanaturum pollicebatur; quia hic ad morbum ægri respexit, ille verò ad animum: & quidem æger nec famis, nec sitis patiens, malagmata sua devorando, bibendoque propriam urinam, in exitium se præcipitavit.

Admonet quoque Fridericus Hofmannus in Hydrope, Ascite, Tympanite, & Cachexia purgantia validiora non esse usurpanda, ex Galeno, quia corpus admodùm debilitant, ut posteà major aquarum, & flatuum proventus fiat; ideòque roborantia, & aperientia frequentiùs, quàm purgantia erunt præscribenda. Hydrops etiam Leucophlegmatia dictus per concoctionem, & non per evacuationem subigitur. Nec Cachecticis purgantia ullo modo danda, cùm ab iis lædi Hepar, & bilis fermentum debilitari certissimum sit. Hæc, & alia Hofmannus.

Meth. m. cap. 7. River. in prax.

Cæteri verò omnes purgantia præsertim hydragoga dicta in omni Hydrope absque ullo metu præscribunt; immò & VVillisius in Anasarca cathartica validiora commendat, tùm emetica, gummi guttæ, esulam, Herculem Bovii, pilulas Lunares; tùm alvum moventia, sambucum, & ebulum, soldanellam, gratiolam, succum ireos, elaterium: quorum medicamentorum formulas, & præparationes latiùs ipse prosequitur: quamquam cautiùs in Ascite illis utitur, & in Tympanite à catharticis vehementibus omninò abstinet. Iisdem purgantibus insistit Sylvius Deleboe; at solùm per epicrasim evacuandum docet Barbette.

L. 1. prax c. 17. n. 16 L. 4. prax. cap. 4.

De Diureticis etiam summoperè ambigendum in Ascite, & Tympanite. Nam qua via ex Abdominis cavo in renes materia ibidem collecta deponi possit, non facilè designare licet. Juvabunt autem illa plurimùm in Anasarca, sicut etiam diaphoretica, sudorifica, cùm ex glandulis per universam cutim dispersis, porisque partium, facilè lympha superabundans è vasis sanguiferis, & lymphaticis resorberi possit, atque ad renes deferri, vel per poros cutis in sudo-

rem ablegari. Verùm cùm aliquandò observatum sit Asciticos ab urinæ profluvio convaluisse, non abs re quoque fore arbitrandum, si illis interdùm quis utatur, præcipuè cùm sponte sua aqua per eos ductus ferri videbitur. Ea autem tutiora semper erunt, quæ ex animalibus, & vegetalibus petuntur, modò sale volatili abundent. A Nitro quoque consulit VVillisius perutile diureticum præstari: atque inter plura, quæ ex illo parantur, sal illud in crystalli formam redactum, quod ex iteratis ablutionibus cerussæ Antimonii emergit, opportunum est. In Anasarca verò diuretica è lixiviis elicita cæteris præfert idem VVillisius, ac potissimùm ex cineribus absinthii, vel genistæ cum vino albo ad unc. vj. vel viij. bis, vel ter in die. Servanda tamen in primis cautela VVedelii, ut scilicet lixivia minimè exhibeantur ventriculo debilibus, & emaciatis, urinam rubicundam, & quasi lixivio similem reddentibus: his enim deficit fermentum dissolvendis cibis addictum, & viscera cuncta laxantur; quare aromatica, & sale volatili prædita istis conferent.

(Rondel. M. cur. morb. l. 2 cap. 36. VVier. de præstig. dæm l. 3. c. 35.) (In Pharmac.)

Cæterùm Narcotica, Cauteria, Vesicantia, Scarificationes, unguium ad vivum usque resectiones, sanguinis missiones, & similia periculosissima sunt. Ab his enim facilè imminet Gangræna: quamvis non defuerint, qui ab istorum usu Hydropisim curatam fateantur. At si ex Hipp. *6. Aph.* 8. aqua intercute laborantibus ulcera in corpore facta difficulter sanantur, sine metu mali gravioris hæc in Hydropicis numquàm erunt.

(V. VValæus meth. M. & F. Hofman. Capivac. pr. l. 3. c. 39. Hild. c. 6. Herc. Sax. l. 2. cur. morb. c. 27. Henric. ab Heers. obs. 12.)

Superest consideranda Paracentesis, quam vetustissimam quisque ex eo potissimùm coniiciet, quòd illius meminerit Hipp. Monet autem citò faciendam esse, sed non affatim aquam esse educendam: citò quidem, antequàm vires delabantur, & viscera languida sint reddita, à morbi diuturnitate, & à longiori mora lymphæ in abdomine; At non affatim, quippe omnis subita evacuatio non tam facilè toleratur. Cum ferro candenti haudquaquàm instituendam consulit Panarolus; indè enim Peritonæum inflammari reformidat. Neque caustico, ne ex latiori foramine, magno impetu aqua resiliat, atque subindè grande ulcus excitetur, non sine noxa viscerum subjectorum. Tutissima methodus à Sylvio Deleboe, Paulo Barbette, & Jo: Van-Horne præscribitur per acum argenteam cavam, quatuor circiter transversis infra umbilicum digitis, totidemque ad ejusdem latera in abdomen immissam. Vult tamen Formius apud Riverium haudquaquàm secandos Hydropicos, nisi exomphalos appareat, natura viam ad exclusionem aquarum affectantes, alioqui omnes, qui aperiuntur, non prominente umbilico, interire ait. Suadet propterea in hunc finem admovendas esse umbilico cucurbitulas cum fomentis emollientibus, & ubi intumuerit, sectionem faciendam. At verò inutilem, vel non omninò necessariam putat Carolus Raygerus: inutilem, si viscera malè se habeant; etsi benè, non necessariam, cum possit Natura medicamentis adjuta seipsam exonerare.

(Botall. de cur. per S. M. Rhod. c. 3. obs. 17. Zecch. cons. 77. 6. Aph. 27. & 6. epid. 57.) (Pentec. 1 obs. 17.) (L. 1. prax c. 17. Chirurg. p. 1. c. 15. Microtechn.) (Obs. comm. 4. V. Helm. tr. ign. Hydrops §. 11.) (Obs. 3. Eph. Germ. to. 4. V. River. in praxi l. 2. cap. 6.)

Quamvis autem Hippocrates dixerit aquam non subitò, neque totam simul educendam esse, non tamen adeò parcè, (si fortasse sectio facienda sit) illi exitum concedi debere adnotat Fienus, ut irruens in adapertum foramen aqua gangrænæ causa fiat, quemadmodùm aliquandò accidisse memorat. Quamobrem ejus ipse voti est, ut mox ab apertione, ad aquæ dimidium, vel tertiam saltem

(De côtr. Chirurg. tr. 6. c. 7.)

par-

partem evacuatio promoveatur, donec venter notabiliter detumerit, refecto intereà patiente oleo caryophyllorum, aqua cinnamomi, vel simili; deinceps verò minori, & minori quantitate: at postremam diù relinquendam ob contractam ex diuturno tempore in abdomine consuetudinem.

Loco Paracentesis scroti sectionem nonnulli subrogant, ubi, etiamsi gangræna superveniat, minùs periculosa esse solet, ut etiam observat Hildanus. Cent. 1. obs. 48.

Clysteribus quoque, & emplastris ad Ascitem vim plurimam tribuit VVillisius, quòd illi commodè aquas ex Ascitis educant absque totius massæ sanguineæ fusione, quam Cathartica fortiora cient. Præ cæteris verò hunc efficaciorem describit: *In Urinæ hominis sani, & vinum bibentis lib. j. dissol. terebinthinæ Venetæ vitello ovi solutæ unc. j. ss. adiecta sesquidrachma salis prunellæ.* Vult autem quotidie repetendum.

Emplastra verò proponit, quæ roborent viscera, & vasorum oscula, ne ichores stillent, constringant; in quem usum emplastrum diasaponis ipse commendat. Aliud efficacius affert Valleriola ex stercore bubulo, & caprino in aceto fervefactis, adiecto sulphure, alumine, sale, baccis lauri, succo ebuli, simulque subactis cum pice navali. Sylvius sal tostum adhibet; itemque ex cineribus clavellatis, multoque sale præditis potentissimè aquas allici subdit. Emplastrum è cochleis ab aliis paratur, quod ventri Hydropicorum admotum creditur efficacissimum ex Dioscoride, & Galeno. At vult Platerus testas esse priùs in cinerem redigendas, mox cum earundem carne esse permiscendas. Et Zecchius cochleas cum testis exactè contritas cum aqua ardente, oleo irino, & terebinthinæ stillatitio commiscet, & emplastrum conficit.

Lib. 2. obs. 5. Enchir. med. pract. App. tr. 6. n. 125. Consil. 77.

Præterea ad Ascitem mirificæ traduntur à Jacchino pilulæ compositæ ex squama æris, vel ex ære usto cum melle, additis caryophyllis, aut cinnamomo. Efficacissima dicitur Rulando aqua terræ sanctæ ex bolo orient. & terra sigill. in aq. levistici maceratis elicita. Amato Lusitano commendantur pilulę ex nitro Alexandri, & trochiscis alhandal. Matthiolus optimum remedium dicit esse saccharum absinthii pontici. Et Fridericus Deckers conficit condituram ex absinthio, mentha, corticibus mali citrii, diacalamento, sale sambuc. spiritu nitri oleo stillatitio cinnamomi, & macis. Pulvere bufonis usti curatum præter spem Hydropicum narrat VVierius; quin & bufonem discissum, & renibus impositum Hydropicorum aquas per vias urinæ expellere ait. Usu electuarii passularum in vino albo decoctarum sanatam memorat puellam Riverius; atque alium solo vino è baccis juniperi singulo mane ad selibram epoto, Simeon Jacoz; & alios usu salis prunellæ per mensem, sale silicum, & millepedum. Describuntur à Roberto Boyleo pilulæ lunares, quæ unicè commendantur ad Hydropem, tùm quoque ad Paralysim etiam à Du-Hamel. Alias describit Schroderus Bontio Principis Auriaci Medico debitas, quibus aquam efficaciter educi testatur. A Riverio commendatur Mercurius vitæ correctus cum spiritu salis; itemque succus chærefolii ad unc. ij. in vino albo, & decoctum radicis brusci. A Cratone succus cochleariæ quotidiè sumptus. Et à Borello succus saturejæ quotidiè pariter sumptus, itemque succus saturejæ, petroselini, & aqua veronicæ; ab aliis decoctum radi-

Centur. 3. cur. 88. Centur. 1. cur. 30. Ad prax. Barbett. Cachecticis ex mẽstruo rum suppressione confert sal corticum aurãtiorũ, & citriorum ex Querc. additis essentiæ croci, guttulis Atefficacior est illorum tinctura. Cent. 4. obs. 44. & 37. Obs. 82. Obs. 8. & 9. hinc inde decerpt. De util. philos. exper. Lib. 2. de Corpor. affect. L. 2. pharm. cap. 73. Cent. 4. obser. 32. Prax. l. 11 cap. 6. & cent. 3. obs. 52. Lib. 5. cõsil. Cent. 2. obs. 53. in Eph. German. ann. 1. obs. 8.

radicis vincetoxici, & urticæ. Apud eundem Riverium *in observationibus hinc indè decerptis* memorantur plerique Ascite curati usu vini, in quo silices candentes forent extincti. Laudatur quoque à multis lotium, ejusque spiritus, & sal volatile, quòd diuresim efficaciter promoveat. Mirabile remedium fertur Epiphanio Ferdinando authoritate Plinii, & Galeni Triticum, si in illud solaribus radiis excalefactum æger toto corpore immergatur. Refert Forestus vetulam ab oleo, ubi ranæ vivæ incoctæ fuerant, ventre inuncto, intra triduum sanatam. Fumo tabaci per fistulam hausto Asciticum convaluisse testatur Bartholinus. Aquas ex abdomine insensibiliter inaniri asseverat Fabritius ab Aquapendente applicita spongia magna, quæ illud undequaque comprehendat, expressa primùm in aqua calcis vivæ, & superligata. Ex sapone Veneto cum spiritu vini, & ramentis raphani misto fit cataplasma Asciticis salutare, sed sæpiùs repetendum. Lapis evomitus à colubro aquatico alligatus ventri hydropici aquam paulatim absumere dicitur Hollerio. Adiicit Helmontius ex angujum senecta per ventrem, & renes alligata Ascitem curari, itemque usu mercurii præcipitati, ut & stibii diaphoretici quemcumque Hydropem tolli; pariterque bryoniæ albæ per ebullitionem in aceto correctæ; atque infuso ligni juniperi cum baccis ejusdem: lixivium etiam ex cineribus de extremitatibus frondium juniperi cum vino paratum Hydropicos per diuresin curat, inquit Hoffmannus. A Cinnabari Antimonii cum elixire baccarum juniperi sanatum quendam ab Ascite ipse novi.

Hist. 38.

Schol. obs. 31. lib. 9.

Cent. 6. hist. 17.

Chirurg. p. 1. c. 54.

Lib. 1. c. 39.

Tr. ign. hydrops.

Pharm. Schrod. l. 4. cap. 192.

V. Frid. Hofman. Meth. med. ex Helm.

Transplantari quoque posse creditur Hydrops Ascites exhibito in cibum Cani, vel Sui, sanguine ægri ovi putamine incluso, mox foto, tandem carnibus admisto. Itemque fumo exposita urina patientis in vesica suilla: quò enim Urina ipsa in halitus extenuatur, eò etiam venter Hydropici sensim detumere fertur.

Ad Tympanitem, quæcumque flatus discutiunt, à Medicis commendantur, licèt ista vana dicantur Helmontio. Hartmanno speciale remedium est liquor elicitus ex floribus tapsi barbati, atque ad scr. j. exhibitus in decocto seminum, & radicis fœniculi; intereà foto ventre urina pueri calida, in qua sal prunellæ fuerit dilutus. Ex cumino, & caro medicamentum quoque paratur arcani loco. A VVillisio magnifit fotus alter ex floribus salis ammoniaci, & crystalli fossilis, dissolutis in vini spiritu multo phlegmate imbuto; postmodùm adhibetur cataplasma ex fimo vaccino cum pulvere stercoris canini, vel emplastrum ex minio, & sapone Veneto. Ab aliis commendatur emplastrum ex baccis lauri cum oleo nard. & rut. atque à Mynsicht unguentum carminativum dictum. Refert Helmontius Cabrollium Anatomicum Montispessulanum sanasse octogenarium fomento bis in die adhibito supra ventrem ex lixivio, quo sal, alumen, & sulphur incoxerat; superimposito deindè fimo vaccino. Mirificè etiam effert Mercurium diaphoreticum: & Paracelsus suum præcipiolum. Præscribitur ab Epiphanio Ferdinando vinum quoddam, quod mirabile, sæpiùsque expertum dicitur ad educendos flatus, esseque tutum, & saluberrimum remedium tam in Ascite, quàm in Tympanite: id autem conficitur. *Cucumer. agrestis, seu asinini, sambuc. ireos, & soldanellæ, singul. unc. iij. incid. & infund. per horas xij. in lib. vj. vin. albi, & clari; deindè bull. ad consumpt.*

L. c.

Ignot. hydrops n. 45.

Hist. 41.

sumpt. tertiæ partis, mox add. cumin. anis. sem. fœnicul. ammeos, dauc. seseleos, ruth. aneth. singul. p. j. cortic. citr. dr. ij. cinnam. elect. unc. ß. tragac. & mastich. singul. dr. j. iterum bull. tandem col. & serv. Dosis unc. vj. vel viij.

4. Acut. Vino etiam meraco usum legimus Hippocratem ad flatus discutiendos, & Galenum confectione ex tribus generibus piperis.

Physiogr. cap. 1. Alia plura decoctorum genera in vino ab aliis ad eumdem usum conficiuntur; his tamen moderatè utendum monet Fienus, ne venter à flatibus insigniter attollatur, & thoracis motu impedito, repentè æger suffocetur. Fotus etiam, & balneationes calentes adhibitas supra ventrem, vel flatibus, vel aquis distentum, obfuisse quoque novimus, majori nimirùm inducta ibidem commotione, & æstu; ut etiam observat Carolus Piso *hoc loco*; quamobrem cautus sit in his Medicus.

DE ICTERO.

MOrbus Icterus, quem & Regium, Arquatum, & Auriginosum appellant, adeò facilis est cognitu, ut solo intuitu cuilibet pateat. Eo enim, flavo plerumque colore tingitur cutis; sed & non rarò nigricat, ac virescit; undè flavum, nigrum, & viridem mistum ex ambobus nonnulli constituerunt.

Communiùs putatur infici hisce coloribus cutim, ex poro felleo obstructo nequeunte bilem è Jecore in vesicam fellis traducere, quæ propterea per universum habitum corporis diffundatur. At quamvis hæc obstructio sæpissimè contigerit, non videtur tamen tanta bilis copia cumulari posse in ejusmodi ægrotantibus, quæ valeat totum corpus nedum exteriùs, sed & interiùs flavo colore contaminare, immò & urinam, aliaque excrementa supra modum ad plures dies inficere; si præsertim spectes bilem, quæ in cysti colligitur, & ea, quæ per cutim, vias urinæ, nares, & os egeruntur, cùm intereà felleus humor ibidem non deficiat, immò & aliquandò cystim ipsam plus justo aggravet. In dissectione prætereà Ictericorum non semper inventi sunt obstructi ductus fellei, cysticus, aut intestinalis. Neque semper fæces albicantes egeruntur, cùm interdum etiam flavescant: evidens signum meatus ipsos esse reseratos, admittereque illapsum bilis in Intestina tenuja. Sed & quæ obstructio tàm subitò poterit cystim, ejusque ductus invadere in demorsis à vipera, qui momento temporis toto corpore flavescunt? Sextupl. dig. ign. act. reg. & pass. humor. decept. Hinc moti Helmontius, & Deleboe Sylvius assignatam Icteri à Veteribus causam refutarunt. Et ille quidem ad Icterum concurrere docet *alienationem secundæ digestionis, qua chylus pervertitur, & alienationem distributivæ, & digestivæ stomachi*; L. i. prax. cap. 46. undè fermentum præter naturam virulentum inter Pylorum, & duodenum intestinum constituit. Hic verò in bilem acriorem, tenujoremque redditam, atque adeò ad immodicè effervescendum aptam, ejus causam revocat.

Sed nec in bilem, aut felleum humorem universam hujus morbi causam revocare solùm licet. Nam quamvis possit nedum cysticus, & intestinalis ductus obstrui, sed & cystis ipsa oppleri, gravari, tumefieri, ab humore etiam felleo in lapillos concreto; compertum tamen est, citrà biliosi humoris vitium, prædictorumque ductuum obstructionem Arquatum morbum accidisse, ex lympha, & sero sanguinis exaltato, atque fla-

flavum colorem adepto ob misturam salis acore præditi, seu succi acidi cum lympha suo etiam sale imbuta, simili fermè modo, ac experimur lixivium ex cineribus plantarum in aqua elixis paratum flavescere, vergereque in croceum colorem, si acidum justa mensura superaffundatur; quin & lixivium ipsum si multo, & acri cinere aspersum, plusquàm deceat, efferbuerit, non leviter rubescere solet, & rufum colorem induere. Lympham verò plerumque in Ictero vitiari ostendit præ cæteris curatio Rusticis familiarissima; qui usu cucumeris sylvestris naribus appliciti, brevi huic affectui medentur, indè elicita maxima lymphæ copia luteo colore saturæ, præter eam, quæ per vias urinæ abundantissimè deponitur. Confirmant idipsum observationes habitæ in plerisque cadaveribus hoc morbi genere defunctorum. Miscellan. Cur. ann.4. & 5. obs. 194. Sylvius enim Deleboe (referente Matthia Paisenio) secuit aliquando Ictericum, atque in illius Abdomine insignem quantitatem aquosi humoris invenit, qui croceum colorem referebat: Additque Regnerus Graaf bilem universam planè serosam fuisse. De nat. & us. suc. panc. c.8. L.9.q.Medicoleg. cons.15. Paulus etiam Zacchias refert se animadvertisse in Icterico Pericardium omni humore destitutum. At verò carnosa viscera, & carnes ipsæ vix, aut nunquàm in Ictericis flaventia deprehensa sunt, & solùm membranacea, per quæ lymphæ ductus plurimi diffunduntur. Accedit, quod Icterum sæpissimè subsequitur Hydrops Ascites, qui vitiatæ lymphæ, & lymphaticis vasis nunc communi voto tribuitur.

Non igitur uniusmodi Auriginosum morbum esse dicendum, cùm & V.Gal.5. de loc. aff.7. ab obstructo, tumefactoque Jecore, aut etiam cholidocho ductu, à sanguinis vitio, ex corrumpente veneno, & à lympha vitiata lixivii conditionem adepta, & mistura acidi exsoluta, atque in rufum, croceumque colorem mutata, cui vitio serum quoque sanguinis subiicitur, oriri possit. Memini quoque, me aliquandò observasse Ictericum quendam, momento ferè temporis factum à cohibita seminis emissione. Atque hinc est, quod symptomata varia Icterum comitentur, variisque medicamentorum generibus ille desinere visus sit, vel contrà penitùs obstiterit. Sic Hippoc. *6.Aph.*42. Si Jecur durum sit, malum pronunciat, & si ante septimum in febribus appareat: quamquàm *4. de rat. Vict. in acut.* 81. cum rigore contingens etiam ante septimum salutaris referatur. 4. Aph. 62. Observavi pariter periculosissimum esse cum nausea, & ciborum fastidio junctum, atque cum urinis primùm croceis, mox verò decoloribus: anxietates enim, præcordiorum oppressiones, atque anhelitus graves, ac tandem mortem minatur. Sed cùm hæc scriberem, accidit, ut Nobilis, ac Ill. vir D. Antonius de Gaeta Marchio Montis Pagani, gravi, malignaque febre correptus quarta die Ictericus evaserit, cum tumore, ac duritie in dextro hypochondrio, virenti sputo, nausea, inquietudine, mentis motione, pulsu intermittente, tactu frigido, (quæ omnia mortem portendebant) solo diaphoreticorum usu, brevi tamen convaluerit, non sine plurimorum admiratione, qui & cathartica, & vesicantia omninò necessaria, ac dumtaxat profutura prædicabant.

Curatio hujus affectus varia instituitur. Equidem cum obstructo, tumefacto, obduratoque Jecore junctum, ex hoc deducentia humores, stagnantesque dissolventia moderabuntur; inter quæ præcipua censentur

tur

tur tartarum vitriolatum, ſal prunellæ, ſal tartari, cardui benedicti, & abſinthii, bezoardicum Martis, ſtibium diaphoreticum cum extracto hyperici, baccarum juniperi, ſpermate ceti, ſanguine hirci, aliiſque diureſim unà ſimul promoventibus, decocto chelidonii, graminis, apii, fragariæ, marrubii, cum ſpiritu ſalis dulci. Si verò ſuſpicio ſit concreti lapidis in cyſti, commendat Sylvius aquam, & decoctum graminis, ejuſque ſuccum cum ſaccharo, vel melle permiſtum. Conferre quoque ait ſpiritum nitri ſpiritu vini dulcem redditum, ad gutt. x. xij. & ultra in vino, aliove potu. At verò impedient illius concretionem ſalia volatilia quævis, ſed præſertim oleoſa, quippe quæ bilem puram reddunt, defæcatamque. Cùm à veneno Viperæ, aliove accidit, ſudorifera volanti ſale abundantia maximo uſui erunt, quibus ſimul corrigi, & expelli illud poſſit: cujus cenſus ſunt ſal volatile C. C. viperarum, ſuccini, ſalis ammoniaci, ſpiritus theriacalis, theriaca ipſa, & quam vocant Germanicam, aliaque ex viperis confecta. Depravatam autem, & vitiatam bilem emendari idem Auctor inquit per oleoſa, & pinguia, teſtaturque à ſolo cannabis ſemine in lacte bubulo pingui, donec rumpatur, cocto, & colato, atque bis, terve in die ad unc. v. vel vj. ſumpto, ſe plurimos Ictericos curaſſe. Idemque præſtari à quovis ſapone ad dr. j. in calente lacte diſſoluto cum ſaccharo, bis, aut ſemel in die exhibito.

V. Sylv. l. 1. prax. c. 45. n. 12. & infr.

Specialia denique remedia ab Authoribus plurima referuntur. Apud Hartmannum præſentaneum remedium eſt Mercurius præcipitatus luteus cum theriaca, ejuſque extracto; nec non decoctum fragariæ. Aliis prædicatur egregium decoctum marrubii, chelidonii, abrotani, hyperici, radicis rubiæ tinctorum, lapathi acuti, aut lentis paluſtris. Croco pariter maxima in hoc tribuitur vis, itemque lumbricis terræ, millepedibus, ſtercori anſerino, aut gallinaceo, ſali urinæ, lapillis repertis in felle bovis, aliiſque ſimilibus. A Cardilucio deſcribitur pulvis D. Alſteinii ex floribus ſulphuris, & modico croci cum æquis partibus ſacchari albi: eo enim intra triduum Icterum pelli perhibetur.

De ſale urinæ Helm. de lith. c. 3.

Neque deſunt qui magica præſcribant: per linteum urina patientis intinctum, & Soli expoſitum quouſque ſiccetur: per Tincam vivam umbilico impoſitam, donec moriatur: per Araneam vivam teſta nucis incluſam, & è collo ægrotantis ſuſpenſam: per veſicam felleam Vervecis adjectis unà guttulis aliquot urinæ calidæ ægrotantis aeri expoſitam, dentemque Leonis, cæteraque alia à Petræo, Friderico Hofmanno, & Helmontio memorata.

Experientiſſimus noſter Thomas Cornelius, inſigni rei literariæ damno, nuper nobis triſti fato ereptus, inter plurima alia remediorum genera, illud præcipuum ſibi arcanum ſervabat, ad hunc morbum, admirandum, Aquam videlicèt *ex Albo Albi*, quam gelidam potandam exhibebat jejuno ſtomacho per hebdomadam.

V. de Ea comm. noſtr. in 62. Aph. 4.

Ruſticis demùm uſui eſt ſuccus cucumeris ſylveſtris naribus exceptus; itemque ſuccus marrubii è foliis contuſis ex Dioſcoride.

Expertum mihi nuper tradidit Vir fide dignus, ſolo ſucco è pulpa cinaræ elicito ad unc. j. cum dupla aquæ calentis parte, epoto, Ictericos illicò ſanari: ſi verum, idem præſtabit ſuccus radicis ejuſdem pari modo cum

aqua epotus, vel decoctione expressus ex Matthiolo.

DE RENUM DOLORE, & Nephritide.

RENes interiùs exquisitissimo sensu præditi cùm à re quapiam vellicantur, compunguntur que, vel etiam inflantur, & tumefiunt, acutissimè dolent: cùmque ferè semper à calculis, & arenulis conglobatis hoc ægritudinis genere afficiantur, proindè græco nomine Νεφρῖτις (quamquàm hæc propriè Renum inflammationem significat) hic morbus à Medicis dicitur.

Lapidum in Humano corpore generatio mirabilis semper est habita, atque inter arcana Naturæ. Neque solùm in renibus, & vesica, sed etiam in reliquis partibus, totoque penè corpore deprehensi sunt. Ex Galeno vetustiores Medici illorum generationem attribuerunt calori pituitosos, crassosque succos induranti. At cæteri melioris notæ Medici, ut præ cæteris Fernelius, & Sennertus, cuidam spiritui lapidifico ejusmodi vim concesserunt; neutiquam verò explicarunt undè spiritui isti tanta vis adveniret, & succos, humoresque corporis in lapideam naturam commutaret. Verùm si attentè considerentur, quæ in cæteris Naturæ, & Artis operibus super hac re contingunt, procul dubio lapidum generatio clarissimè innotescet. Experimur quippè liquores ferè universos acidam participantes conditionem, in res crassiusculas, mucosasque instillatos momento ferè temporis præcipitare compactiores illarum partes in arenulas, aut sabulum: id quod in oleo tartari, mercurii, vel terebinthinæ potissimùm videre licet, si fortassè superaffundatur spiritus vitrioli, spiritus nitri, aliusque acidus liquor. Acidum autem ejusmodi vult Deleboe Sylvius non qualecumque, sed austerum esse debere. Quamquàm Helmontius, analysi in urinis instituta, detexit etiam in urinis sanorum latere quidpiam spiritui vini analogum, quod spiritus urinæ coagulationem, atque in lapidem concretionem promoveat, experimento edoctus, quòd spiritus urinæ cum aqua ardente suo phlegmate spoliata permistus, mutuò concreverint, & coagulationem subierint; in morbosis verò, pollui Renes, & infici fermento quodam urinæ corruptivo, undè tam facilè in ipsis calculi progignantur. Hinc nonnulli calculum existimant congelari ab urinæ alkali, aut ab alkali cujusvis visceris (cùm in omnibus ferè visceribus hærentes calculi deprehensi sint) & acido excedenti commistis: quod succo acido pancreatico, & humori bilioso salso alii adscribunt; At à sanguine materiam lapidum deducit J. Daniel Major; cujus scilicet limosæ, & tartareæ partes in renibus detineantur. A sanguine quoque, immò & à chylo, ciboque ipso, quo vescimur, terream amurcam, seu tartarum relinqui, undè calculi enascantur, docet Schneiderus; proindèque fieri, ut non in solis renibus, & vesica, illi generentur.

Nephritici doloris à calculo hæc indicia ab Hippoc. traduntur *6. epidem. In renem*, inquit, *dolor gravis, cum*, ægri, *cibo implentur, vomuntque pituitam; cùm verò redundarint dolores, æruginosa, & melius quidem habent: solvuntur autem, cùm cibis evacuati fuerint, arenulæque fulvæ subsident, & cruentum mingunt, fitque torpor femoris è directo.* Additque *lib. de internis aff.* quòd *dolor acutus incidit in renem, & in lumbos, & in testem, secundùm rectum*

V. Hipp. 4. de morb. & lib. de Nat. hum.

Lib. 1. prax. c. 55. n. 50. De lithiasi.

V. Tachen. Hippoc. chym. cap. 14.

V. Plater. h. l.

Lib. 3. de Catarrh. c. 7.

V. Galen. cōm. 26. in 3. Aph. & 2. progn.

s. 1. t. 46.

ctum situm, & frequenter mingit, & adstringitur paulatim, & supprimitur urina: cùm urina procedit arena, & ubi per urinæ meatum exit arena, dolorem acutum in meatu affert. Hæc Hippoc.

At quamvis renes plerumque doleant à calculis, non rarò tamen hi in illorum cavo reperti sunt, qui nullum doloris sensum anteà calculosis attulerint. In ureteres autem decidui lapides semper cruciant, præsertim cùm angustum illorum meatum intercludunt, ac distendunt, vel etiam ab asperitate, inæqualitateque compungunt, & irritant. Hinc etiam fit, ut testis respondens reni affecto retrahatur, distenta nimirum membrana, atque irritato musculo cremastere. Accidit etiam nausea, & vomitus à cibo ob communionem renum cum ventriculo per membranas peritonæi, & nervorum plexus vagæ conjugationis per stomachum, & ventriculum excurrentis; vel etiam ex consensu Renum cum Colo, atque hujus cum Ventriculo. Stupet quoque femur è regione Renis affecti, non ob compressionem venarum cruralium, ut voluit Galenus, sed ob compressionem nervorum per musculos crurum excurrentium; quin & musculus ipse, cui Ren incumbit, atque cruri flectendo dicatus est, ab expanso Rene, gravanteque calculo comprimitur. Adiicit & alium nervum Vvillisius medium inter Hepaticum, & Renalem eas ad partes protensum undè viscera ista mutuò consentiant. Urina insuper supprimitur, vel tenuis, & decolor comparet, veluti per cribrum, ut loquitur Galenus, percolata; mox verò crassa, & turbida mingitur, depositis nimirùm arenulis, excretaque universa materia, quæ à calculo obstruente detenta fuerat: Quin & acidum ipsum figens sicuti crassiores urinæ partes coarctat, & comprimit in lapillos, ita serosiores in aqueum veluti liquorem fundit, & extenuat.

[In comm. cit. l.] [Pathol. Cer. c. 27.]

Contingit verò sæpenumerò decipi Medicos in Nephritico dolore à Colico internoscendo, cùm alter alterum non rarò mentiatur. At vagus solet esse Colicus, universamque ferè abdominis regionem, præsertim eam, quæ subter ventriculum est, infestare, & contorquere, aliquando etiam cum inflatione, murmure, inversoque intestinorum motu. Qui verò Renes cruciat, uni lateri, vel dextro, vel sinistro fixus est; & si quandoque deorsùm obrepit, recta per ureteres ad pubem, & testes protenditur. Urinæ prætereà in Nephritico dolore vel supprimuntur, vel tenues minguntur; in dolore verò Colico detinentur fæces, & si quid excernitur, modicum est, obduratum, mucosum, vel flatibus permistum. Fieri tamen potest, ut à complicato utriusque partis affectu hæc simul confundantur, & Colico-nephriticam, aut Nephritico-colicam affectionem referant. Quamobrem periclitantur subindè patientes, cùm ex ejusmodi retentis excrementis, & acerbissimo dolore, sæpe vigilia diuturna, inedia, virium languor, & febris insequatur perniciosissima, cum partium extimarum refrigeratione, frigido, glutinosoque circa faciem, collum, & frontem sudore. Cœterùm absque his etiam immedicabiles censentur in senibus Renum, & Vesicæ ægritudines *6. Aphor. 6.* quamvis per intervalla recurrentes debitis præsidiis cedant, & tùm arenulæ, tum calculi egerantur, quoniam ex causis superiùs traditis regenerantur, & vehementiùs repetunt. At verò Nephriticis hæmorrhoides supervenientes salutares inquit Hipp. de-

[V. Gal. l. de loc. aff. 2. & 5.] [6. Aph. 21]

deposito nimirùm ad eas partes, excretoque humore acido-salso, qui istius affectionis causa esse consuevit.

Genitum jam calculum conterere, comminuere, atque confractum per urinam educere primùm oportebit; mox verò alterius generationem, quo ad fieri poterit, inhibere.

Atterere, comminuereque calculum, atque unà cum sabulo foras educere, feruntur quælibet adianthi species, chærefolium, hedera terrestris, parietaria, veronica, saxifragia, filipendula, petroselinum, milium solis, raphanus, allium, cæpa, cortices, floresque fabarum, radices asari, baccæ hederæ, nuclei persicorum, & mespilorum, etiam rubentium, quæ nobis *Azarolæ*, dicuntur, fructus cynosbati, halicacabi, ciceres rubri, lignum nephriticum, terebinthina, succinum; lapis judaicus, nitrum fixum, sal prunellæ, tartarum vitriolatum, oculi cancrorum, sanguis, & urina hirci calida, sanguis vituli cervini, lumbrici terrestres, aselli, cantharidum, & bufonum pulvis, electuarium Justini, & aquæ ex prædictis herbis stillatitiæ; itemque spiritus salis, & spiritus nitri dulcis redditus, tinctura Martis Zvvelferi, terra tartari foliata, sal tartari volatile, arcanum duplicatum Mynsichti, spiritus salis ammoniaci, balsamum salis verum cum spiritu raphani sylvestris elicitum, spiritus urinæ volatilis, sal ex calce viva, parietaria, & saxifragia, & alia hujus generis apud Hofmannum. Singularis dicitur pulvis radicis ononidis cum ejusdem aqua stillatitia. Testas ovorum in calcis formam redactas, & ad dr. j. assumptas præcellere scribit Barbette in urinæ à calculo suppressione. Ab exclusis pullis collecta ovorum putamina perutilia esse docet etiam Bartholinus. Apud Forestum

V. Barth. cent. 4. epist. 39. De succo cæpæ recenter expresso, & cum vino albo veteri, & generoso permisto mira nõnulli prædicant, quod illicò mictum cieat, & affluenter. Samech. Paracels. est tartarum vitriolatũ.

M. M.

mirificus refertur pulvis leporis in furno exiccati; itemque avis Troglodytes. E testis ovorum ustis, & in calcis formam redactis, ac lixivio instar incoctis sal elicitur præstantissimum. Infusum cantharidum integrarum in spiritu vini efficacissimum etiam est, si ad cochleare exhibeatur longè à cibo. In singulis libris spiritus vini satis est si infundatur dr. j. cantharidum: Subsidentibus deinde cantharidibus solus vini spiritus exhibetur. Cicindelæ pulveratæ commendantur ab Augenio *to.1. epist. lib.4. epist.2.* Efficax etiam memoratur lixivium cinerum fabarum in vino paratum, atque cum fimo columbino epotum; pariterque decoctum radicis lapę, & ononidis. Calculos è Renum cavo se deturbasse fatetur Zacutus usu aquæ stillatitiæ ex nicotiana viridi, vel ex ejusdem siccæ decocto. Hoc idem præstasse testatur Borellus ope fructus cynorrhodi, seù rosæ sylvestris. E semine dauci Cretici idi psum parat Helmontius felici cum successu. Laudat quoque liquorem Aroph Paracelsi, seù aroma Philosophorum, & succum Betulæ. Scribit pariter rarissimum diureticum ex lapidibus cancrorum colligi, quod etiam vulnerarium, & febrifugum esse ait, modò resolvatur in formam pristinam lactis. Efficaciores tamen vires tribuit balsamo salis marini, quin sexagenarium refert immunem à Renùm calculo annos sexdecim servasse largo salis marini usu, quod & in multis deinceps confirmatum ait. Demùm primas obtinere concludit ludum Paracelsi, ideſt calculum ex humano corpore exsectum, ut interpretatur Hartmannus. Mercurium dulcem quoque idem Hartmannus in hoc affectu extollit, aitque Nephriticum dolorem raro infestare solere eos, qui pilulis Mercur. singulis mensibus utun-

De Troglodyti-de V. Cam. cent. 8. memora. part. 80. p. 613. Prax. l. 4. cap. 8. Cent. 4. hist. 23. Lib. 24. scho. obs. 25. A pelle leporina combusta calculos expelli Auctor est Gal. de Ren. affect. Lib. 2. praxi obs. 66. Cent. 5. obs. 22. & cent. 4. obs. 73. De lith. c. 1. & 7.

Aroph describitur à Gnœffelio 4. Ephemer. Germ. obs. 209.

De lith. cap. 3.

Prax. chymiat.

tuntur. Omnibus commendatum vult Fridericus Deckers spiritum salis ammoniaci cum vino Rhenano, vel simili liquore sumptum. Spiritus calcis vivæ atterendo, depellendoque calculo efficax dicitur Basilio Valentino; quin & aqua ipsa calcis vivæ Ostreorum, Mytilorumque calculum solvere plerisque fertur. A spiritu baccarum juniperi ad unc. ß. propinato, cum guttis aliquot balsami salis volantis, & aurei redditi Nos mira sæpiùs vidimus; sicut & ab opiatis conveniente quantitate exhibitis, cùm dolor nimiùm urgeret. Vitriolo quoque mirabilis vis inest calculum frangendi, deturbandique, si præsertim cum philonio alterutro, aliove simili permisceatur. Epoto vino Rhenano, in quo igniti lapilli albi in littore maris inventi sexies extincti fuerint, calculos excerni narrat Forestus. Nitrum fixum, sanguis leporis, pulvis virgæ aureæ in succo raphani expresso exhibitus, oleum ex nucibus expressum, & ultrà annum asservatum ad unc. ii. vel iij. in convenienti vehiculo, vel cum ol. amygd. dulc. permistum, & epotum, vel clysteribus injectum optimum ex Boyle.

Ad cap. 8. lib. 4. prax. Barbett.

V. Tentzel in Exeg. chym.

L. 24. schol. ad obs 25.

V. Libar. synt Arc. 1 1. c. 14.

Verùm in ejuscemodi Nephriticorum remediorum generibus præscribendis habenda est ante oculos Helmontii admonitio *tract. de lithiasi* tradita: nam non omnia diuretica eodem modo, parique ratione operantur. Quare internoscere oportebit, cujus culpa diuresis impediatur, & per quænam medicamenta illa promovenda sit, tartareis intereà recrementis expurgatis. Speciatim autem admonet remedia fermentum felleum roborantia, & acuentia præ primis esse conducibilia, ne debilitato felle, acores in vias urinæ ferantur indomiti, indèque renes graviùs afficiantur, & doleant. Undè verò Acida, alioqui renibus inimica, & calculo gignendo accommoda, maximam opem ferant, si volatilem naturam acquisierint, perbellè quidem explicat idem Helmontius *eodem loco*, & latiùs prosequitur Hofmannus *in methodo*.

Cap. 5.

Quoniam verò plerumque dolor vehementissimus est, impeditque lapidis per ureteres in vesicam illapsum, juvabit lithontriptica cum anodynis, & narcoticis, quantitate tamen mediocri, miscere, quibus sopita natura, laxatisque ductibus, faciliùs illa operentur, & calculus lubricum iter nanciscatur. Ad id etiam convenire videntur fotus emollientes ex malva, parietaria, althæa, ejusdemque generis lituræ, quibus partes irritatæ demulcentur, & à fibrarum contractione desciscunt. In hunc usum commendantur unguentum Althææ, unguentum, & anodynum Mynsicht, oleum seminum hyoscyami, scorpionum, amygdalarum dulcium, & amararum, cum axungia cuniculi. Commendat Panarolus petroleum naturale. Prosunt etiam clysteres emollientes, sed non in magna quantitate, neque ex variis simplicibus, nec ex cassia compositi, ut præ cæteris monet Saxonia, & Simon Pauli: qua de causa Crato simplex veronicæ decoctum, vel florum chamæmeli omnibus aliis prefert adjecto adipe vervecis, cuniculi, vel capi, vel etiam butyro recenti. Nedum autem injecta vituperatur cassia, verùm etiam per os exhibita, ut multis admonet Hildanus, memoratque Petrum Pigray asserentem calculosis cassiam malè conducere.

Helm. de lith. c. 5.

Pent. 2. obs. 2.

Quadrip. botan.

consil. 136.

Lib. de lithot. c. ult.

Chirurg. l. 7. c. 4.

Non sunt insuper Diuretica cum cibis exhibenda, ne illorum vis à mistura ciborum retudatur, aut in urinæ vias eos nondum digestos protrudat, indèque renes, aliique ductus gra-

graventur, & infarciantur. Hinc perperam, inquit Hofmannus, faciunt, cùm decoquunt quidam cum carnibus radices petroselini, vel aliud diureticum, & decoctum illud sumunt in prandio, vel cœna.

Graviùs peccant, qui in Nephritide cathartica præscribunt, & quandoque vehementiora: ab his enim tantùm abest, ut calculi, aut calculorum materia per alvum deturbetur, ut potiùs ad affectos renes violentissimè deducatur, non sine manifesto periculo inflammationis, aut urgentioris doloris: non rarò etiam alienis omninò, atque utilibus humoribus eductis, vires adeò infringuntur, ut impotens natura reddita, neque calculum exturbare, neque vitam diutiùs sustinere valeat. Et licèt vehementia medicamenta, inquit Mercatus, quale est peplium, ad lapidis commotionem præcipiat Hipp. tutius tamen erit lenientibus, quæ partes potiùs dilatent, quàm vehementioribus uti, quæ ad partem affectam fortè majorem humorum copiam alliciant. At verò nec ista omninò tuta sunt.

De rect. præsid. usu l. 1. cap. 6.

De Vomitu etiam plurimùm ambigit Bartholinus, aitque diligenter cavendum, ne temerè ille excitetur iis, qui ferendo non sunt, adeòque morbus morbo addatur: Testatur enim seipsum ferè pleuritidem à vomitu passum in consimili ægritudine.

Cent. 1. ep. 55. ad P. Castell.

A calculis prætereà præcavere ægros Medici adnituntur indicta primùm convenienti diæta attenuante, vitatisque cibis crassum succum generare valentibus, crudis, oleosis, acerbis, & difficilis coctionis, ac distributionis. Sunt deindè qui per intervalla purgantia repetunt ad inaniendum stomachum; sed præstabit vomitus, si ventriculus gravari cœperit, fueritque ad vomendum proclivis. Solo usu Terebinthinæ singulis quibusque diebus assumptæ ad magnitudinem castaneæ cum modico sacchari, Monachum quendam à Nephritico, & Arthritico dolore intra sex menses liberum evasisse narrat Amatus Lusitanus. Eandem quoque commendant L. Lemnius, H. Augenius, L. Riverius: Vult tamen Capivacceus maximè Cypriam eligendam esse. Nil præstantius ad Renum calculos arcendos aqua tepida scribit Zecchius, si ante cibum manè, & vesperè sumatur ad unc. vj. vel vij. Non tamen hinc quis deducat refrigerantia Nephriticis opitulari, ut plerique nostratium credunt, & quotannis præscribere solent: Hos enim acerrimè increpat Sanctorius inquiens: *Errant, qui refrigerant miseros senes nephriticos, qui sunt calore exuti, præbentes aquas thermales, serum lactis. quia credunt excessum caloris necessariò concurrere ad gignendum calculum. Nec obiiciant necessariò calorem conspirare debere, ut tenues partes resolvantur, crassæ relinquantur. Quandoquidem modicus calor, temporis spatio lentorem illapsum potest cogere, & densare, ut patet ex Galeno 6.* epidem. 3. *t.* 15. *Calor, ait, vel mediocris ad hanc cogendam materiam satis est, siquidem in calidis aquis spontè scaturientibus, etsi tepidiores sint moderatis, concrescere tophi conspiciuntur. Sic in vesica, quæ longè frigidior est renibus, lapides concrescunt.* Hæc Sanctorius.

Cent. 2. cur. 68.

Consul. 13. 17.

Meth. vitand. err. l. 3. c. 7.

Neque solùm interna, sed etiam externa refrigerantia vituperat Zecchius. *Mos est,* inquit, *tum veterum, tum recentiorum Medicorum Renum regionem, quo ingens eorum calor remittatur, vel rosaceo, vel santalino unguento refrigcrante illinire: quod quidem suspectum mihi* sem-

Consul. 17.

ſemper viſum eſt nonnihil, quia refrigerantia, & adſtringentia extrinſecùs admota ſupervacanea excrementa magis compingunt. In hanc eandem ſententiam concedunt Capivacceus, & Jo.Fortis, qui propterea aquas thermales, & balnea aquæ dulcis improbant.

Apud Scholz. conſ.154 Cent.3. conſ.95. & 98. L.5.conſil. 17. Ne verò calculi regenerentur, refert Crato probatum ſumere nuces avellanas novem, vel decem antè prandium, vel cœnam; itemque radicem eryngii, & fructus, ac ſpongiam cynosbati ſaccharo conditos; pariterque ſuccum veronicæ itidem ſaccharo ſpiſſatum, & cum ſeminibus violarum congeſtum. Infuſum ligni Nephritici, (unde aqua cœrulea, ex Monard.) & argentina in juſculis excocta idipſum præſtare feruntur. Apud Schroderum deſcribitur elixir granorum juniperi, quod certum, & infallibile medicamentum contra calculum teſtatur Grulingius, qui plura alia commemorat præſertim ex ſambuco elicita. E baccis quoque ſambuci in vino græco veteri cum pari doſi aquæ ſtillatitiæ roſarum infuſis, & maceratis elicitur leni calore per alembicum aqua, quæ ad unc. ij. vel iij. manè ſumpta mirifica eſt. Efficaciſſimus quoque eſt liquor contra arenas Angeli Salæ, quo ad dr.j. vel alteram aſſumpto in jure, in quo radices petroſelini, aut pimpinellæ hortenſis incoctæ ſint, arenas mirificè expelli, viſcoſos ſuccos attenuari, & renes, ac veſicam à calculis tueri confitetur.

Floril. p. 27.cap.3.

Anat. vitriol.tr.2 cap.9.

Medic. ſimpl.c. 31. De lapide Nephritico nuper ad nos allato magna prædicat Monardes: is enim brachio geſtatus urinam cum arenulis pellere fertur; eſſeque tum curando, tum præcavendo præſtantiſſimum, teſtatur Hieronymus Donzellinus. Alterius lapidis meminit Hollerius mollis, & laxi, per quem tranſcolata aqua, & epota urinam ſuppreſſam promoveat, & calculos expellat. Plurimùm quoque tribuit cryſtallo Paracelſus, ſed uſum, & præparationem non adiicit.

Lib. 6. cõſ.Crat. apud Scholz. conſ.83.

Schol.ad cap.48.l. de morb. intern.

Quamquam Nephriticus dolor plerumque à calculo fit, poteſt tamen ab aliis cauſis inferri, & quidem à cruda viſcoſaque materia, flatibus permiſta, ab inflammatione, aliove tumore, ulcere, vermibus.

A crudis, craſſiſque humoribus inductus in Renibus dolor erit gravans, mucoſa in urinis apparebunt (ni tamen ex Gonorrhœa virulenta proveniant) urinæ ipſæ decolores, aut craſſæ cum inutili ſedimemento, quod etiam aliquando pilorum, aut capillorum figuram referet; ſi verò unà flatus conjungantur, dolor per intervalla redibit. Solent tamen interdum talem, ac tantam pati obſtructionem Renes, eorumque glandulæ, aut arteriæ emulgentes, ut præter gravantis doloris ſenſum cum quadam inflatione, urinarium ſerum nequeant ſecernere, & in ureteres, ac veſicam deponere; unde urina, vel omninò ſupprimitur, vel difficulter, & guttatim redditur; quin & cum remeante ſanguine commiſta, plurima alia damna parit, quorum mentiò fit apud Schenckium, & Marcellum Donatum. Obſervatum inſuper, urinam ante ſeptimum diem non excretam mortem afferre, etiamſi deindè reddatur. Quamquam Tulpius ad undecimum diem proroget. Mavult autem Vvilliſius diureſim minutam, & debito parciorem ſæpenumero à ſanguinis compage nimis ſtricta, & velut obſerata pendere, adeòut laticem aquoſum intimè permiſtum è ſinu ſuo ægrè dimittat: quod etiam notavit Sylvius *Append.tract.5.num.*294. His quoque adiicienda Renum, & adjacientium glandularum in ſecernendo ſero

4. Aph. com.76. & 6. de loc. aff.

Lib. 3. Lib.4.c. 38.V.obſ 30.Eph. ger. to.2.

Lib. 2. obſ.45. Lib. 4. obſ. 26. Pharm. rat. p.1.

sero urinario imbecillitas, è languido præsertim, aut inerte eorumdem fermento ejusmodi secretionis muneri dicato.

Ab inflammatione dolor erit vehemens, & continuus, gravis, aut pulsans, impedietque tum motum, tum corporis erectionem, immò ex tussi, sternutamento, ventris compressione, aut alia quacumque motione acutissimè exasperatur; sensus ardoris, & quidem ingentis juxta lumbos, infra jecur, vel supra lienem, percipitur: stupet etiam crus è regione, cum extremorum frigore: urina difficulter redditur, licet crebrò micturiat æger, & sæpiùs levandæ vesicę gratia assurgat: tenuis in principio illa erit, mox rubens, & acris: alvus adstringitur compresso colò: venter inflatur, ac tumet, ea præsertim parte, quæ reni affecto responderit: Febris tandem adjungitur acuta, cum siti, lingua scabra, nausea, vomitu, inquietudine, vigiliis. Multa verò ex his deerunt, si tumeant solùm Renes citra inflammationem, aut ex sola obstructione, potissimùm in canaliculis illis à Malpighio, & Bellino memoratis.

Ab ulcere, urina erit cruenta, mox etiam purulenta, cum mingendi difficultate, præter dolorem alterutrum ex renibus occupantem. Malo autem in longum protracto Tabes succedere solet.

V. Fer. ael. 6. de morb. pa. cap. 10. Holler. schol. 50. lib. 1. de Morb. Inf.

A vermibus denique, si simul cum urina purulenta illi comparent, similes iis, quos in caseo veteri, & rancido observare est; licèt & grandiores excreti visi sint.

Cùm crudi, crassique succi renes occupaverint, medicamenta illa salutaria erunt, quæ attenuandi, dissolvendique vim habent, atque in vias urinæ deducendi: qualia sunt tartarum vitriolatum, sal tartari, absinthii, & corticum fabarum, nitrum fixum, sal prunellæ, elixir proprietatis, & similia, adjectis quoque discutientibus, atque subducta alvo pilulis aloeticis, tartareis, Rufi. Mirificum est decoctum gummi ammoniaci ad dr.j. circiter in unc.iij. vini albi, adjectis deindè granis aliquot nitri rectificati. Cùm gummi ammoniaco jungi etiam posset gummi Arabicum pari modo decoctum, & dissolutum. Exhibetur manè per tres, aut quatuor horas ante cibum: mirabiliter enim viscosos succos, arenulas, lapides, & quidquid in viis urinæ est, efficaciter depellit, ut experientia testis est. Quòd si urinarium serum per Renes minimè secernatur, præter alia diuretica, summè proderit sal volatile urinæ, ejusque vice spiritus salis ammoniaci illi analogus, in aqua baccarum juniperi, aliove liquore. Sudorifica locum habebunt, ut aliò serum prædictum distrahant, ac per cutim educant, suaque vi diaphoretica materiam urinę extenuent, & ductus amplificent. Cæterùm spiritus nitri, vel salis marini, & sal volatile quodvis utilia sunt: vitatis intereà iis, quæ urinam cumulare possunt, ac præsertim potu.

Ad inflammationem Renum conferent illa eadem, quæ adversùs cæteras inflammationes internas memorata sunt; potissimùm verò sanguis hirci, pulvis glycyrrhizæ, semina cardui, succus cichorii sylvestris, rasura eboris, sperma Ceti, C.C. Macis. Sal prunellæ, cum Saturno fixus redditus magnoperè etiam commendatur, itemque saccharum Saturni, tinctura rosarum, & violarum è spiritu salis, extractum florum] hyperici, & papaverum rubrorum, eorumque salia. Arcanum inquit esse Hartmannus succum Astacorum, seù Cancrorum fluviatilium

cru-

crudum, ſcilicet ex ipſis contuſis expreſſum, & aliquo juſculo, vel decocto prunorum aſſumptum ſemel, aut bis ad cochleare unum.

Si verò citrà inflammationem obſtructi ſolùm videantur renum ductus præſtabit tartarum vitriolatum, ſal tartari, lapis prunellæ, ſal elicitum ex calculo humano, & alia ſuperiùs relata.

Si inflammationem ſuppuratio ſequatur, atque puris per urinam excretio, ſignum erit evidens rupti apoſtematis. Detergendum autem illud primò erit, deinceps verò conſolidandum. Proderunt propterea decocta vulneraria cum balſamo ſulphuris terebinthin. vel ſuccin. Pleriſque eſt in uſu Terebinthina ipſa, vel lota, vel cum vitello ovi diſſoluta, vel, ut Hofmanno placet, commiſta cum oculis cancrorum, & floribus hyperici. Aqua hederæ terreſtris cum ſyrupo de ſymphyto Fernelii conducibilis etiam dicitur.

V. Sylv. M.M. L.2. cap. 24.

Ferè communiter lac commendant; ſed ambiguus exindè ſperatur eventus; quamobrem multa in ejus uſu exquirit Horſtius; & alii, vel candente chalybe exuſtum, vel cum herbis vulnerariis incoctum exhibendum volunt.

Q.3. dec. 8.

Magnifit Hartmanno Mercurius dulcis bis, vel ter in hebdomade exhibitus, ejuſque ſpiritus ab eodem deſcriptus: hujus enim guttæ duæ, vel tres quotidiè ſemel, atque iterùm in aqua radicum nymphææ, equiſeti, plantaginis, exhibitæ mirabiliter operari feruntur. At Angelus Sala Mercurio vitæ ad grana aliquot utitur, eoque nephriticos dolores citò ſe debellaſſe confitetur. Conſolidationem verò ulceris tempeſtivè abſolvi conditura roſarum, cum ſubdupla quantitate ſeminum hyperici ſub veſperam per aliquot dies ſumpta idem Hartmannus affirmat. Atqui uſu medicamentorum Mercurialiũ nonnunquàm curatum quendam vidimus diù Renis ulcere conflictatum. Cætera quæ his auxiliari creduntur bolus Armenia, corallium, conſolida, & varii generis trochiſci, plerumque inutilia ſunt.

Prax. chym.

Hæc eadem medicamenta Mercurialia unicè conferent in dolore à Vermibus inducto, præter alia adversùs lumbricos ſuperiùs recenſita.

DE DIABETE.

Morbus; in quo ſtatim à potu, & copioſiùs mingitur, Diabetes ob urinę facilem tranſitum appellatur: atque Hydrops ad matulam, ob frequentem lotii redditionem: & διψακός ob adjunctam vehementem ſitim, quæ acriter patientes excruciat. Creditur à plurimis excretam urinam nil prorsùs ab aſſumpto potu differre; quamobrem ita ſe habere Diabetem ad Renes ajunt, ſicuti Lienteria ad Ventriculum; & quemadmodùm in lienteria cibi nulla ratione mutati per alvum egeruntur, ſic pariter potati liquores per renes, & veſicam. At hos falli ait Vvilliſius, qui urinam in hoc morbo à potu, & à quovis humore plurimùm differre obſervavit, immò dulceſcere quaſi melle, & ſaccharo imbutam, quamvis cruda, & aquea videatur; Quin & Urina ſemper aquea, & ſubpallida eſt, licet vinum rubrum potetur. Comitantur etiam hunc affectum febris, quæ hecticæ naturam æmulatur, & totius corporis marcor ſenſim invaleſcens: fauces exareſcunt, præcordia æſtuant, gravantur lumbi, teſtes intumeſcunt, præſertim cùm ægri urinæ mictum aliquantiſper remorantur. Tanta autem ſolet eſſe Urinæ copia, ut non ſolùm potum lon-

Phar. rat. ſ.4. cap.3.

longè admodùm excedat, sed etiam libras viginti, triginta, quadraginta, & ampliùs, in singulos dies æquet, ut de puella quadam refert Cardanus *lib.8.de Rer.variet.cap.*44. & Dodonæus de alio, *observ. medic. cap.*42.

S.4. c.3. Pharm. rat. p.1. Putat Vuillisius Diabetem sanguinis potiùs, quàm Renum affectionem esse, suamque originem sumere à cruoris massa in serum copiosiùs fusa. Sanguinis enim crasim ita laxari opinatur, & quadantenus dissolvi, ut particulæ aquosæ à crassioribus contineri nequeant, quin illæ harum amplexibus citò elapsæ, & salsedine imbutæ, per vias renum maximè patentes excurrant. Adiicit prætereà fermentum renum vitiatum, ut sanguis non contineatur salis lixivii influxu in debita mistione, ac fluiditate, sed à sale acido in serum copiosiùs præcipitetur. Neque improbabile esse dicit Renum tubulos, nimis amplos, & patentes fieri, proindèque serosum laticem promptè admodùm excipere, & sine remora celeriter transmittere, ut propterea major ejus quantitas in urinam excurrat: quamquam indè lotium cruentum potiùs, quàm copiosum excerni subdat. Hinc procatarcticas hujus affectus, atque adeò solutæ, & laxæ sanguinis compagis causas refert in salem acidum particulas illius salinofixas, & volatiles exagitantem, dissolventemque; unde fieri ait, quòd vinum Rhenanum, Pomaceum, aliique liquores acidi epoti diuresim copiosiorem provocent. Acidum autem istud non ab assumptis tantùm, sed ab humoribus intùs genitis, præsertim verò à succo nervorum, manare concludit.

Append. tract.5.n. 325. usq; ad 339. In sanguine etiam ejusmodi vitium constituit Deleboe Sylvius, sed illum ait in serum converti à sale volatili, & valdè acri, cui vis inest res quasvis corrumpere, & fluidas reddere, præsertim si cum illo commisceatur acidum acerrimum.

In lymphæ vitium quoque non vererer Diabetis causam referre, cùm illa acritudinem indebitam subierit, atque à sua conditione ad concrescendum apta desciverit, ut proindè cum acido renum fermento commista fluorem in urinis pariat, subdulcem saporem acquirat, & colorem ferè aqueum sæpesæpiùs æmuletur, aliquando etiam oleum; ut in Cachecticis, & Hydropicis visum est. Hinc communem causam à lympha superabundanti, sed vitiosa sortiri putatur à quibusdam. Liquari verò, atque insigniter exolvi glutinosam sanguinis portionem in Diabete conjecturæ plurimæ suadent, potissimùm febris, quæ adjungitur de genere hecticarum, totius corporis macies, sanguis, qui in venis est, fluidior, motus cordis, & arteriarum celerior, in tactu mordacitas, & acritudo, vigilia, atque hujus generis alia. Hinc meritò improbat, & deridet Sennertus eos, qui Diabetem ab intenso calore renum, atque vitiata vi eorumdem attractrice commenti sũt. At verò verisimiliùs creditur M.Listero *in suis exercitationibus* auctoritate Aretæi primùm in hoc morbo malè affici stomachum, eo quòd specialius contingat cum ardore, siti, fastidio plurimùm vexari. Sed & verisimile quoque putat deleteriam quandam, & venenatam vim eidem affigi cum tenuibus intestinis, quæ qualemcumque potionem inficiat.

Quamquàm autem superiùs ex Vuillisio retulimus urinam in Diabete correptis omninò à potu nuper assumpto differre; sunt tamen plurimi, qui testantur non solùm potatos liquores nihil mutatos per urinam ejectos esse, sed & portiones ciborum indi-

indigestas, & quidem solidas. Quamobrem suspicatus est post inventa lactearum Th. Bartholinus, per lacteas venas in emulgentes hæc efferri, via sanè perquam brevi, & compendiosa. Hujus Authoris opinionem confirmare postremò visum est nuperum inventum Domini Gayant, cujus meminere Acta Anglica anni 1667. Is enim detexit ductum lacteum Thoracicum cum vena emulgente communicari. Fortasse & alii ductus sunt, nondùm tamen solertia Anatomicorum detecti.

Opusc. de Hep. exauth.

Est hic morbus valdè periculosus, & plerumque lethalis, licèt in aliquod tempus protrahatur; undè sensim patientes tabefacit, & ad mortem perducit, nisi citò congruis auxiliis occurratur.

Non probat adstringentia Vvillisius; quia, inquit, horum virtus in sanguine nihil valet, atque illa ad renes, & vesicam minimè pertingit. Quæ verò maximè juvare deprehenduntur, alia sunt, quæ salium combinationes, & sanguinis fusionem impediunt, cujusmodi sunt, quæ vulgò incrassantia dicuntur; alia, quæ salium accretiones dissolvunt, proindeq; sanguinis mistionem restituunt, veluti quæ alterius indolis sali acido cohærere, ipsumque à combinationibus intra sanguinem initis, avocare apta sunt, uti in primis sunt medicamenta sale fixo, necnon volatili, & alkalisato prædita.

At verò Deleboe Sylvius contemperationi salis volatilis acrioris incumbit, tum per oleosa, expressiones, puta, hordei, amygdalarum dulcium, seminum papaverum alborum, melonum, cucumerum, &c. per lac dulce vaccinum, ovillum, caprillum, humanum, asininum; tum per acida, sed sale volatili contemperata, nempè spiritum salis dulcem, miscendum cum potu conveniente, jusculis, aliisque, non item cum prędictis expressionibus, aut lacte, cùm hæc ab omni acido concrescere soleant. Vidi equidem aliquando quendam à Diabete sanatum solo lactis caprilli usu.

Apud Zacutum Lusitanum memorantur duo Diabete correpti, qui, postquam plurima frustrà fuissent tentata, lactis tandem Asinini candenti chalybe exusti potu, integri mensis spatio, nutriti, & philonio Persico per intervalla sumpto, convaluere.

Prax. ad. l. 2. obs. 80.

Cancris etiam fluviatilibus in clibano siccatis, atque in pulverem redactis, ad pondus unius drachmæ cum semialtera olibani, & modico sacchari exhibitis, alium curatum vidit Achilles Gasserius.

Obs. 36.

In essentia croci Martis à Crollio descripta vim maximam collocat Hartmannus; sed feliciùs operari ait tincturam smaragdi. Præstare quoque tincturam, & sal coralliorum affirmat. Cæterùm pro potu aquam ferrariam, immò & cibos in eadem incoquendos, atque etiam regioni renum admovendam commendat, posthabitis purgantibus, & diaphoreticis.

In Ephe. Germ. ann. 2. obs. 129. commendatur, Catechu seù Terra Japonica.

Medicamenta item ex Marte parata approbat Hofmannus, præsertim essentiam Martis adstringentem, crocum ejusdem, & tincturam Veneris vitrioli; extrinsecùs verò unguentum Comitissæ cum croco Martis adstringente, & oleo mastiches.

M.M. l. 1. c. 19.

A Mynsicht commendantur species diaplantaginis ad dr. j. species diamartis ad dr. ß. syrupus stypticus ad unc. ij. & aqua ad ardorem urinæ ab unc. j. ad unc. iv.

Demùm à Vvillisio inter cætera laudatur aqua solutionis calcis vivæ, & tinctura Antimonii.

Pharm. rat. p. 1. cap. de Diabet.

Verùm juxta placita Aretæi duæ

præcipuè videntur esse intentiones curativæ: prima ut stomacho, sitis fonti, atque malorum omnium origini opem feramus. Altera, ut colliquationem à veneno ortam sedemus. Primæ indicationi, inquit Aretæus, satisfacit Hiera, quæ licèt multiplex fuerit tempore Galeni, Aretęo tamen cognita solùm videtur, quæ simplex dicitur, aut Hiera Pacchii. Hiera namque Pacchii authoritate Scribonii Largi ad tollendam sitim maximè commendatur. Unde ad dr.j. vel semidrachmam exhibita cum aquæ frigidæ cyathis duobus sitim mirificè sedat. Secundæ indicationi conferunt lac, poma granata, limonia, fraga, cerasa, &c. quæ aquis incoquantur. Item vinum meracius astringens ad roborandum stomachum, quod omnibus venenis est antidotum, authore Celso.

DE VESICÆ CALCULO.

Lib.6. pathol.c. 15. PRopria Calculi Vesicæ signa hæc tradit Fernelius: Vagam, & oberrantem circa pubem, & perinæum titillationem: mox verò incumbentis gravitatis sensum, ut idcircò difficilis, & doloris plenus per salebrosa loca sit incessus, multòque difficilior saltatio: mictionem crebrescere adeò, ut tandem assiduò mejendum sit, vixque possit urina cohiberi, cùm mejendum est: urinæ fluorem repentè intercipi, obviam quidem impulso calculo, sicque minimè continuatam, sed intercisam esse mictionem: ac tum dolorem aliàs universum pudendi ductum, aliàs glandem solam affligere, eumque acerrimum esse sub emictionis finem, cùm calculus urinæ cursu incitatus quasi proditurus spincterem violentiùs comprimit: mejendi conatum comitari desidendi cupiditatem, quòd calculi magnitudo è prinæo rectum intestinum, ut vesicæ cervicem extimulet: urinam albam, crassam, & turbidam reddi, cùm grandior calculus jam diù est in Vesica detentus, in qua sedimentum purulentum est, aut narium mucori persimile. Sed & legendus quoque de Calculi Vesicæ signis Hippoc.4. *de Morb.& lib.de aere, aq.& loc. & 4. Aph.79.*

At ab his dubiæ quidem, & maximè fallaces exurgunt conjecturæ. Nam præterquam quòd ipsemet Fernelius adnotat nonnunquam summæ Vesicæ adhærescentem calculum, & quasi ex ista propendentem vix ullum ex calculi signis manifestè exhibere, & visos esse, qui nullo dolore diù illum gestaverint; atque horum signorum plurima etiam observari in cavo, & sordido cervicis ulcere, quale Venerea Gonorrhœa profert. Alii plures illis fidendum non esse suadent. Sic ab excretis arenulis Lithiasim minimè certò deducendam monet Charletonius, cùm plerique hypochondriacæ affectioni obnoxii urinas effundant tartareis coagulis luculenter conspersas citra Nephritidis paroxysmos. Observat præterea Beverovicius, Calculos, quamdiù in vesica continentur, molliores exteriori præsertim superficie esse; unde facilè illis arenulæ adhærescunt, proindèque cum urinis non excernuntur. Quare advertit Mercurialis sæpè usuvenire, ut ubi lapis est in vesica, arenæ, quæ anteà eiiciebantur, non ampliùs compareant, scilicet iis ipsi lapidi adhærescentibus, & conglutinatis.

V. Jo. Bapt. Silvat. cōt. 31. Card. in Aph. 79. 4. Diatrib. de lith. cap.3.§.1 Exerc.de Calcul. In 4.Aph

Neque fidendum explorationi, quę fieri solet digito in anum immisso, ut judicium inde adamussim factum dicas: etenim admonet Hildanus iis in partibus duros tumores, ac scirrhos, nonnunquàm progigni, qui Calculos mentiuntur, afferuntque sym-

De lithot.Vel.

ſymptomata calculis non diſſimilia. Neque pondus in imo ventre, aut in ani, & teſtium intercapedine certum ſe prodit indicium: id enim non ſemper accidit, nam Calculoſos obſervaſſe teſtatur Sebaſtianus Naſius, qui ſe nunquam tale pondus advertiſſe aſſeruerunt, quoniam lapide paulatim concreſcente ſenſim ejus geſtationi aſſueſcunt; & plurimi poſt mortem diſſecti prægrandes calculos in Veſica habuiſſe deprehenſi ſunt, cùm tamen viventes neque de urinæ ſuppreſſione, nec de dolore unquàm conqueſti fuerint. Et quamvis urina ſupprimatur, neque tamen calculò obſtipanti illicò tribuendum, cùm poſſit illa ſupprimi, & impediri à mucoſo, glutinoſoque humore, grumo, pure, caruncula, vel ſimili.

Meth. m. p. 2.

V. Merc. conſil. 18 Heers obſ. 26.

Putant nonnulli Veſicæ Calculo magis pueros, ſenes verò potiùs Renum infeſtari. Verùm & huic illos quoque frequenter obnoxios oſtendit Ballonius, qui ſigna etiam affert, quibus prudens Medicus in illius dignotionem pervenire poſſit. Et quidem ex Anatome ſatis ſuperque conſtitit, eos à renum calculo minimè immunes eſſe, immò ſæpeſæpiùs exindè interiiſſe, cauſa tamen mortis nonniſi ex cadaverum ſectione detecta: quorum hiſtorias ex quamplurimis collegit Bonetus in ſuo Sepulchreto.

Hippoc. 3 Aph. 26.

L. 2. Epid & Ephem

L. 3. ſ. 13. 14. 15.

Tametſi plerumque Veſicæ Calculi in ipſiuſmet cavo initia habeant; nil tamen vetat quin etiam à Renibus delapſi, primùm exigui, ſenſim deinceps increſcentes, diùque ibidem detenti adeò coagmententur, & pluribus veluti lamellis obducantur, ut tandem ovi columbini, adhuc etiam anſerini magnitudinem exæquent. Hinc jure optimo ad Calculi Veſicæ generationem glutinoſum quidpiam, præter copiam terreſtris materiæ, & ſalis ſoluti, exigit G. Harvejus ex Hippoc. *epidem.* 5. in hiſtoria pueri Theophorbi; in cujus rei teſtimonium affert exemplum fœminæ cujuſdam, quæ ex tali materia in ſua urina ſubſidente pilulas propriis manibus concinnare conſuevit, eaſque in pyxide reſervatas ſpontè in calculos abire edocuit; quamobrem exiſtimavit Beverovicius calculos, cùm primùm externum aerem excipiunt, tum obdureſcere, & denſari, cùm tamen in Veſica molliores extiterint.

Apud Beverov. ſpicil. de Calculo.

Quoniam verò Veſicæ Calculi præter gravantem dolorem mictui ſunt impedimento ob oppletum illius orificium, aut etiam Urethræ ductum; Omnis propterea induſtria adhibenda eſt, ut ille primum removeatur ad concedendum urinæ exitum; deindè verò vel comminutus egeratur, vel opera lithotomi extrahatur.

Removetur Calculus à Veſicæ orificio, vel à ductu Urethræ, dextrè adhibito cathetere, vel candela cerea, aliove ſimili inſtrumento.

V. Hipp. in Coac. prænot.

Ad illius verò comminutionem licèt omnis opera quandoque eludatur, ut plurimi ſint, qui lapidem in Veſica frangi non poſſe autument, ob remediorum inefficaciam, & partis affectæ à ſtomacho diſtantiam; ſpe tamen æger non erit deſtituendus, cùm plurimi memorentur congruis medicamentis comminuiſſe calculos, & in perfectam ſanitatem patientes reſtituiſſe. Notabilis eſt hiſtoria Laurenbergii relata à Sennerto hoc loco, qui ab uſu medicamenti ex pulvere aſellorum, leporis, ſanguinis hircini, ſpongiæ roſarum ſylveſtrium, ſeminum violarum purpurearum, & ſpeciebus lithontribi aliquot hebdomadarum ſpatio à Veſicæ Calculo liber evaſit. Idipſum refertur à Camerario *Memorab. cent.* 8. *part.* 77. ſed remedium ex aſellis murariis ſpongiis cynorrhodi, & ſanguine hirci, præpa-

V. Monar. l. 3. de ſimpl. ex nov. orb. all. cap. de cochl. Rhaſ l. 9. Aet. lib. 2 Rolſinch l. 9. cõſ. 9.

ratis, ac æquis partibus in pulverem redactis confectum dicitur, & ad scr. ij. assumptum ex aquis diureticis cum syr. de althæa. Alios memorat Horatius Augenius simili ferè medicamento curatos. Describitur etiam ab Hartmanno *in notis ad Crollium* pulvis millepedum in hunc usum valdè commendabilis. Effertur ab aliis pulvis scorpionum, si præsertim spiritu salis corrigatur, ut ex Michaele refert Fridericus Hofmannus. A ptisana fructus cynorrhodi, seù rosæ sylvestris in furno siccati, & in pulverem redacti, multos quoque à calculis evasisse testatur Borellus. Ex potu illius liquoris, qui in vesica Tauri embryonis nondùm nati ad unc. ij. singulo manè, cum totidem partibus vini; itemque eliciti ex embryone Hirco feliciter alios curatos narrat Helmontius. A liquore etiam è cortice vulneratæ betulæ mense Martii collecto, & quotidie epoto mense Majo Germaniæ Principes Lithiasis immunes esse idem Author scribit. Memorat præterea Robertus Boyle Gerardum Boot Medicum doctrina, & experientia præclarum aqua persicariæ stillatitia singulo manè ad haustum unum exhibita quendam Vesicę Calculo laborantem pristinæ sanitati restituisse. A Bartholomæo Turriano aliquandò confractus, & comminutus est Vesicæ Calculus, cujus causa sectio jam indicta fuerat, propinato crystallo in liquorem soluto. Liquorem autem istum fieri ait, si vel minimùm novies in fornace figuli crystallus calcis formam nanciscatur, mox verò in cella supra marmor liquescat instar olei tartari; vel etiam ignita septies extinguatur in aqua, vel spiritu urticæ minoris. Decoctum urticę mortuæ, & seminum ejusdem ad unc. v. vel vj. calens epotum singulo manè per plures hebdomadas mirificè Calculum in Vesica atterit, & cum urinis educit, ut expertum in pluribus. Commendantur ab aliis aquæ stillatitiæ raphani, nicotianæ, parietariæ, veronicæ, cancrorum fluvialium, & cæparum albarum ex vino albo: & à Schrodero urinæ spiritus, vel è calculo humano elicitus, quem etiam magnifacit Wolfgangus Hoeferus *In Miscell. Curios.* 1676. refertur medicamentum Calculum Vesicæ comminuens, & expellens à Wvinclero concinnatum, quod habet: *sem. viol. purpur. unc. ss. fragar. ononid. alkekeng. singul. quant. s. Fit s. a. express. & add. asell. præpar dr. j. sang. hirc. dr. ij. spec. lithontr. scr. i. spir. terebinth. scr. ss. & m.* Dentur sæpè cochl. ij.

Tom. 2. conf. & epist. l. 9. epist. penul. al. 4. epist. 2.

Cent. 3. obs. 22.

De lithiasi c. 7. & 8.

De util. natur. philos. p. 2. l. 3.

Jatt. l. 4.

Hercul. med. l. 3. c. 4.

Obs. 102.

Conficit Prævotius malagma ex cępa alba cocta pectini imponendum. Et Zecchius sanguinem vulpis, & hirci calentem adhibet, atque etiam per fistulam argenteam iniicit. Opinatur autem Deleboe Sylvius magnoperè profuturum spiritum Nitri, vel vulgarem, vel dulcem redditum, ac moderata quantitate commistum cum decocto graminis, & pari modo injectum, dummodò Vesica non sit ulcerata. Aquarum per Catheterem in Vesicam immissionem alii quoque commendarunt, approbatque Cardanus modò Vesica innoxia sit. Quamquam Rolfinchius hos deceptores vocat, & Zecchius ejusmodi injectiones inanes judicat.

Consult. 31.

M. M. l. 2. c. 15.

Cæteris omnibus minimè suffragantibus, ad Lithotomiam deveniendum Medici suadent. Hanc autem non temerè, neque subitò tentandam monent, sed cùm certi sumus de Calculo Vesicæ cavum occupante, nam plerumque decipi contingit, ut à caruncula in collo Vesicæ reperta memorat Scholiograph. Hollerii. Consulendi præterea sunt in hoc opere Hildanus, Barbette, Van-Horne, Scul-

Scultetus, Panarolus, Paræus, Rouſſetus, ut debitis cautionibus ſervatis vitentur ea, quæ mortis cauſa eſſe ſolent, ob ſupervenientem ex ejuſmodi ſectione hæmorrhagiam, inflammationem, & gangrænam.

DE ISCHURIA, STRANGURIA, & Dyſuria.

IN Iſchuria ſupprimitur omninò urina, aut ob Veſicæ languorem, quæ nequeat urinam propellere, aut ob ipſius meatus anguſtiam, & obſtructionem; ideòque, vel à paralyſi, ſeù reſolutione muſculi ſpincteris, vel à nimia ejuſdem diſtentione ex immodico urinæ confluxu, unde nequeat illa ſeipſam exonerare; vel à calculo Veſicæ collo hærente; vel ab ejuſdem inflammatione, aut tumore; vel à viſcoſa, tenacique materia, pure, grumo ſanguinis urethræ ductum opplente; ſicut etiam à callo ibidem genito; vel denique à verme, alioque corpore per eas partes delato, atque ob loci anguſtiam in tranſitu hęrente: quæ ſanè pro curatione internoſcenda ſunt. Ea verò, quæ ex impedita urinarii ſeri ſecretione à perdita Renum actione, ut exiſtimat Galenus *3. de ſympt. cauſ. c. 3.* vel ab obſtructione vaſorum emulgentium, ut vult River. *l. 1. obſ. 1.* contingit Iſchuria, ſuperiùs eſt recenſita *cap. de Nephr.*

Et quidem ſi à paralyſi; ſtupor, atque ſenſus hebetudo in ea parte aderit, itemque in aliis, per quas ramuli vagæ conjugationis, & nervi ab oſſe ſacro prodeuntes, deducuntur; undè ſenſu, motuque orbatus ſphincter muſculus voluntatis imperio ad meatus urinarii recluſionem non obſequitur. (V. Gal. 1. de loc. aff. 1. & 6. de loc. aff. & 3. de ſympt. cauſ. cap. 2.)

Si à calculo Veſicæ orificio infixo urina remoretur; aderunt indicia calculi ſuperiùs memorata.

Si à nimia Veſicæ diſtentione, atque urinæ repletione; diutiùs illa retenta eſt, & tactu percipietur inflatio in perinæo, ubi pondus, & mejendi deſiderium cum conatu irrito.

Si ab inflammatione, aut tumore; alterutrius ſigna tum per tactum, tum per viſum, innoteſcent, præter febrim, ſitim, dolorem, & alia accidentia inflammationem comitari ſolita. Neque verò omninò neceſſe eſt, ut Veſica ipſa inflammetur, aut tumeat; cùm etiam à ſuperincumbentium aliarum partium tumore compreſſa nequeat urinam egerere.

Si à viſcoſo, tenacique humore: urina perdiù ſabulo, mucoſiſq; ſuccis ſaturata, mox tenuis, & veluti percolata excernitur, ac tandem ſenſim ſupprimitur.

Si à grumo ſanguinis, aut pure; præceſſit mictus ejuſdem ex vaſis alicujus apertione, eroſione, ictu, vulnere.

A vermibus denique; eventu ipſo potiùs, quàm certa nota deſignabitur.

Quod ſi, veſica vacua, urina ſupprimatur; vitium in renibus quęrendum, de quo ſuprà.

In Stranguria guttatim urina mingitur, & Veſica ad illam reddendam aſſiduò ſollicitatur; quocirca urinæ Stillicidium ægritudo hæc dicitur, cum dolore, & conatu præſertim in fine mictionis. Hujus cauſa eſt nimia ipſius urinæ acritudo, ac mordacitas; undè Veſica in ſuo orificio, vel ſphinctere ulcerata, ſtatim ac illuc urina appulerit, micturire cogitur. Fit autem aliquando, ut illa inaniter ad expulſionem ſtimuletur, à ſolo ſcilicet vapore acri, vel à muco, pure, arenulis, calculo, aliave re ſimili tenaciter hærente; nec diſſimili modo, ac in Teneſmo fit Ex Gonorrhœa Gallica pleroſque etiam experiri contigit Stranguria moleſtiſſima labo- (V. Gal. 7. Aphor. com. 48.) (V. Gal. 3. Aphor. com. 16.)

laboraſſe, adnata nimirum inutili caruncula Veſicę urethram occupante. Ab uteri quoque, vel recti inteſtini inflammatione urinę Stillicidium fieri docet Hipp. 5. *Aph.* 58. tracta ſcilicet in conſenſum Veſica ipſis adjacente.

V. Gal. 1. Epid. comm. 2. & Cheſn. l. 3. obſ. c. 10. Dyſuria demùm, ſeù mejendi difficultas, quamvis à nonnullis cum Stranguria confundatur; propriè tamen ab illa differt: etenim in Dyſuria non cogitur Veſica tam frequenter, & guttatim urinam reddere, cùm poſſit nedum juſto tempore illam continere, ſed etiam diutiùs, quàm deceat. At verò cùm emittitur, difficilis ſimul, & dolorifica eſt, quamvis cùm prodierit, ubertim profluat. Hujus cauſa refertur quoque, vel ad vitium urinæ, quæ mordax, & acris ſit; undè dici conſuevit Ardor urinæ; vel ad Veſicæ cervicem, & urethram eroſam, & ulceratam fortaſsè à calculo, arenulis grandioribus, & aſperis, lue Gallica, medicamentis acribus, præſertim ex cantharidibus, injectionibus in penis ductum aquarum erodentium, aliiſque. Quòd autem urina tam infenſa Veſicæ ſit in Stranguria, ut illam illicò ad mingendum ſollicitet, & laceſſat: referendum videtur ad acidum ſalſum lixivium urinæ permiſtum, quod vel è ſucco pancreatico non convenienter correcto à fermento felleo procedat, vel à potu, ciboque acidiori, nec dum benè fermentato, ut de cereviſia novella, & vino Rhenano Germani ferunt. Cùm itaque ſenibus deficiat, vel langueat fermentum hoc felleum, quo ſuccus pancreaticus, atque acores alii ex languore viſcerum orti nequeant corrigi, & temperari; fit propterea, ut ii Stranguriam patiantur; eoque magis, quia acidum ſalſum crudis, viſcoſiſque ſuccis adjungitur, quibus ſenes plurimùm ſcatere ſolent; unde iſti tenaciùs ſphincteri, atque Veſicæ cervici hærentes, etiam citra lotium ad micturiendum crebrò ſtimulant, & compungunt. Hinc Helmontius ait, ſenum Stranguria fit, quoties fermentum bilis juſto debilius eſt, & non poteſt acidum ſtomachi chylum in ſalem ſalſum commutare.

V. Hipp. 3. Aph. 31.

De lith. c. 4. §. 19.

Tam itaque Stranguria, quàm Dyſuria ad mortem ſæpè ægros comitantur, cùm præſertim in ſenibus immedicabiles ſint; Si verò Stranguriæ Ileum ſuperveniat intra ſeptem dies lethum minatur, ex Hipp. 6. *Aph.* 44. niſi febris ſuperveniens urinam promoveat affluentiorem. Longè autem periculoſior Iſchuria, nam retenta diutiùs urina ſanguinem, & viſcera quæcumque coinquinat, & corrumpit; nonnunquàm etiam ſoporem affert, & apoplexiam. Cæterùm ex cauſis, gravior, vel levior erit, prout illæ faciliùs, vel difficiliùs removeri poſſunt.

V. Vvepfer de Cauſ. Apopl.

Suppreſſa urina omni induſtria promovenda eſt, amotis primùm cauſis, quæ illam remorantur. Quare ſi ex paralyſi nervorum, & muſculi ſphincteris, ſuppreſſio oriatur, adhibenda ſunt, quæ paralyſi occurrant; intereà verò per catheterem aditus urinæ præbeatur, non neglectis topicis medicamentis, quæ robur, ſenſum, motumque muſculo recludenti impartiantur. Cùmque ſæpenumero reſolutio iſta ſphincteri accidat ab ictu, contuſione, aut vulnere oſſi ſacro inflictis, unde nervi ejus motui conferentes promanant, peropportunum, ſummèque utile erit, ad citam urinæ egeſtionem, contuſæ, aut vulneratæ parti ſpecialiùs opitulari, ut vis per nervos Veſicæ ſuggeratur, atque unà ſimul vulneri, aut contuſioni, perquàm ocyſſimè ſuccurratur.

A ni-

A nimia Vesicæ distentione ob retentam diutiùs urinam,(qua de causa Tychonem Brahe Daniæ lumen, atq; Astronomiæ restauratorem occubuisse ferunt) si fieri possit, usu catheteris, vel ut mavult Sylvius ex Helmontio, ope candelæ cereæ, illa educatur; adhibitis intereà extrinsecùs medicamentis emollientibus, & laxantibus ex decocto malvæ, althææ, violarum, parietariæ, florum chamæmeli, seminum lini, illitoque oleo amygdal.dulcium, scorpionum, & similium. Clysteres quoque emollientes proderunt ob consensum recti intestini cum Vesica. At ab internis remediis abstinendum quousque urina profluxerit, sicut pariter à potibus præsertim diureticorum, ne magis urina cumuletur, & affluentiùs in Vesicam irruat. Postquàm verò ęger minxerit, si inflammationis suspicio adsit, locum habebunt, quæcumque in gratiam Vesicæ demulcendi vim habent, ut sunt lenientes expressiones, ex condituris violarum, florum nymphææ, lactucæ, seminibus hordei, melonum, halicacabi; quibus & sanguis hircinus, & sal prunellæ, & saccharum Saturni, atque alia ad inflammationem sedandam peculiariùs conducentia adiici poterunt. Si verò à superincumbente alterius generis tumore Vesica comprimatur, huic omninò diversis, & pro re nata, congruis remediis, occurrendum, prout perito, expertoque Chirurgo melius visum fuerit; sicut pariter cum à callo urinæ egestio impeditur.

Append. tract. 5.

Si à calculo, ea conferent, quæ suprà ad Vesicæ, & Renum calculum sunt memorata: quamquàm, ut urinæ exitus promptè paretur, catheter necessarius videatur, dextrè tamen adhibitus. Ex Cantharidibus integris infusis in spiritu vini quousque macerentur, indeque tinctura extrahatur, elicitur remedium valdè efficax, sed non omninò tutum, Ischuria sanata, & calculus dissolutus fertur usu pulveris virgæ aureæ cum succo raphani expresso, si pluries repetantur, *ut in Ephem.Germ.ann.2. obs.30.*

At cùm retentionis istius causa fuerit tenax, & viscosus humor, ad ejus attenuationem, remotionemque incumbendum; quamobrem quę superiùs in impedita seri urinarii è renibus secretione sunt recensita, hìc quoque optima erunt, vitatis insuper alimentis crassos succos cumulare valentibus, imminutoque potu, quoad fieri poterit, ne plus justo vesica gravetur, & oppleatur.

Ad grumum sanguinis, & pus, proderunt dissolventia: neque ab his verendum, quòd sanguinis mictus magis promoveatur: gravius quippè damnum imminet ex grumo, & pure, quàm ex sanguinis exitu; & consultò admonet Fridericus Hofmannus, neque subito sanguinem supprimentibus utendum, cùm urina cruenta ex calculo provenit. Verùm si hæc diutiùs perseveret, speciatim prodesse scribit Hartmannus arcanum agrimoniæ, & quinque folii ad grana aliquot exhibitum; itemque tabulas Plateri, & species diaplantaginis Mynsichti, atque ex Marte, & Saturno medicamentum Cardilucii, ad sistendam hæmorrhagiam, trochiscos Gordonii, aliaque superiùs memorata. Hippocrati commendabatur lac ovillum epotum, sicut & posca ad grumos dissolvendos, ejusque loco oxymel. Aliis est in usu rhabarbarum torrefactum, & cum succo portulacæ exhibitum, atque ivæ artheticæ decoctum. Essentiæ hyperici, agrimoniæ, bursæ pastoris, & plantaginis ab aliis magnifiunt; sicut pariter tinctura, & syrupus coralliorum,

Libr. 1. meth. cap. 19.

T 4 pul-

pulvis hęmatitæ, & croci Martis. A Cantharidibus verò, lac, expressiones seminum melonum, & cucurbitarum, jura, cæteraque demulcentia prosunt. Ad urinam verò sanguinolentam sapo Venetus ad dr.j. bis, terve per diem sumptus cum aliquo vehiculo, multum valere dicitur ex Boyle; ut & flores consolidæ majoris in vino rubro cocti, & bis in die assumpti.

Henr. ab Heers obser. 5. Riv. C. 2. obs. 13.

Ulceri fortassis relicto abstergendo conducunt, quæ de ulcere renum dicta sunt, præsertim decocta vulneraria cum balsamo sulphuris, extractum hyperici, consolidæ, verbasci, pulveres sarcotici dicti, terebinthina, tragacanthum, cera. Sylvio perutiles censentur injectiones ex decocturis plantarum aromaticarum in aqua, vino, vel hydromelle, addito balsamo sulphuris, vel Peruviano. Seligit autem ex plantis Rondeletius radicem consolidæ majoris, caudam equinam, plantaginem, hypericum. Immitti autem priùs debet catheter, mox aptandus siphon, seù syringa, ut liquor iniiciendus Vesicæ cavum subeat, ex Primerosio *de vulgi error. lib. 4. cap. 54.*

M.M. l. 1. cap. 6.

Vermium denique Curatio ex alibi traditis petenda quoque erit.

Nulla autem causarum Ischuriæ ratione habita, nonnulla recensentur, quibus illa affecti curati referuntur. Narrat Forestus quosdam, post multa frustrà tentata, fimo equino cum vino calido Rhenano per filtrum trajecto, & epoto, illicò minxisse. Et Formius apud Riverium efficax remedium esse ait cerebrum picæ exiccatum, & cum vino albo propinatum: eo enim intra horam urinæ exitum promoveri subdit. Proditum est ab Helmontio Mercatorem urinæ suppressionem octiduo passum, jamque morti vicinum, sumpto succo millepedum, & conchyliorum nigrorum, in quo granum unum cantharidum fuerat incoctum, sanitati fuisse restitutum. Fatetur Hartmannus urinam hirci calidè epotam, ejus verò omento, & intestinis ventri intereà applicatis, retentam urinam subitò propellere, unaque etiam calculum, si is fortasse suppressionis causa fuerit. Magnifaciunt alii infusum calcatrippę in vino: expressionem è seminibus violarum, & nucleis persicis cum aqua radicis urticæ, vel raphani: testas ovorum: essentiam lumbricorum terrestrium, vel eorumdem pulverem cum vino mulso: succum cancrorum fluviatilium itidem in vino; sicut, & sal radicis lupinorum à scr.ß. ad scr.j. ex eodem Hartmanno. Decoctum plantaginis aquaticę cum pari quantitate vini gręci ad cyathum unum, ferè post horam urinam promovet. Decoctum pariter abrotani, in quo salnitrum sit dissolutum efficacissimum dicitur Jo: Assuer. *apud Camer. C. 8. memorabilium.* Decoctum etiam glycypicri ad smilacem lævem à Dioscoride relati Ischuriæ contumaci commendatur Pręvotio ex Dalecampio. Halecum salitarum intestina decem in pulverem redacta, & cum vino epota urinam aliquot dies retentam, una cum arenulis phlegmati inhærentibus promovisse vidit Schniz ad Libavium *epist. 39.* Cinis item fabarum cum vino Pictaviensi instar lixivii colatus, & addito fimo columbino epotus ad duo, vel tria cochlearia Arcanum est ad Ischuriam ex calculo. Apes siccatæ n.iij. & in pulverem redactæ propinatæ ex vino albo urinam paulò post provocant: Expertum in Hiberniæ Primate Armegliano refert Theodor. de Mayerne.

Schol. obs. 19. l. 15.

V. Du-Hamel de corp. aff. lib. 2.

Obs. 33.

Prax. chymic.

V. eundē Libav. epistol. 41.

Forest. l. 24. schol. ad obs. 25. Paræus l. 16. c. 37. l. 3. c. 13. de Vesicæ calc.

Extrinsecùs, Parietaria decocta, & cum oleo scorpionum instar cataplas-

plaſmatis pubi appoſita proficere L.25.obſ 8. plurimùm dicitur Foreſto : quam eandem oleo frixam, & nedum pubi, ſed etiam perinæo ſuperimpoſitam laudat Amatus Luſitanus; pariterque Cent. 4. cur. 10. cæpam excavatam, & oleo anethino imbutam, ſupra cineres calidos excoctam, ac pari modo applicatam. In pueris verò commendat radicem Meu, ſeu dauci Cretici oleo decoctam. A lapide Nephritico brachio patientis alligato calculum veſicæ excretum vidit in Nicolao Treviſano Medicinæ Theoreticæ Profeſſore Jacobus Zabarella, indeque nunquam ampliùs urinæ retentæ incommoda eum paſſum teſtatur. Eandemque opem ab eodem lapide coxæ interiori admoto perſentiiſſe alium faſſus eſt Obſ.30. cent.3. Jo:Andreas Schogargus Medicus Patavinus, ex teſtimonio Jo.Rhodii. De ſimpl. Med. & nov.orb. del. Sed admiratione dignum eſt, quod ſcribit Nicolaus Monardes de lapide Nephritico ex nova Hiſpania nuper ad nos delato, quem Praſio lapidi ſimilem eſſe, atque ad viridem colorem lacteo permiſtum tendere notat; præferri verò viridiorem. Is enim tantæ dicitur virtutis, & efficaciæ, ut brachio geſtatus ingentem arenularum quàntitatem per urinam promoveat, atque ab renum dolore, & calculo tutetur. Verùm plures ex his mihi contigit experiri, ſed fruſtrà; niſi fortè illi adulterini fuere, ne aliis Obſervatoribus fidem derogem.

Ad Stranguriam ea potiſſimùm convenire videntur, quæ urinæ acritudinem temperant. Hinc Helmontius ſalia è lixivio parata conferre ſcribit, qualia ſunt ſal ſtipitum fabarum, aut glandium in decocto cicerum rubrorum. De lith. c.4. Ibid. c.8. & ap. ſed A-nim. de Morb. In ſpiritu ſalis ſummum etiam arcanum latere ait. De ſucco betulæ magna etiam prædicat, ſicut etiam de oculis cancrorum. Vinum etiam pleriſque efficaciſſimum dicitur, in quo igniti ſilices pluries fuerint extincti. A ſpiritu vini ex floribus roriſmarini in julapii formam redacto, & mane ad cochleare unum aſſumpto, aliquot etiam vidi in melius abiiſſe: quamquam plerique medicantium refrigerantibus, & humectantibus inſiſtant ex malva, viola, portulaca, quatuor ſeminibus majoribus, lacte, ſero, aliiſque, quæ potiùs ad acrimoniam urinæ temperandam uſui eſſe poſſent. A ſeminibus halicacabi, glycyrrhizæ, & floribus chamæmeli cum modico pulveris nucis odoratæ, vel macis, magnum confici remedium pleriſque creditur. Et Foreſto decoctum foliorum ribium nigr. expertum dicitur. Olei ceræ guttæ tres, vel quatuor in decocto cicerum rubrorum exhibitæ, inquit Hartmannus, Stranguriam ſolvunt. Lib. 25. obſer.3. Crocus, & macis ſtranguriæ medentur Helm. *de Lith. cap.2. n.9.* Externè verò axungia Hirci umbilico applicita, & oleum maſtiches ſtillatitium; nec non inſeſſus, & fomentationes ex herbis emollientibus elixis. Cùm denique calculum, arenulas, inflammationem, aut veneream luem Stranguria conſequitur, medicamenta his opportuna in uſum ducenda erunt.

Speciatim autem in Dyſuria danda opera eſt, ut urinæ mordacitas temperetur, illaque quodammodò dulceſcat; quamobrem expreſſiones aliàs memoratæ ex ſeminibus, & condituris anodynis hìc locum habebunt, & multò magis ſi urinæ ardor ex cantharidum uſu oriatur. Gummi Arabicum pulveratum optimum ad urinæ ardorem dicitur ex Boyle. Item Gummi Tragacanthum, gummi Ceraſorum, & Prunorum, cum albumine ovi inſpiſſato, & ſiccato, rad. altheæ, & ſymphyti, & ſuccus glycyrrhizæ. At verò ſi ulcus in veſicæ orificio timeatur, inutilia iſta erunt, ſicut

cut

cut etiam in ſenibus ex languore, & mucoſis, acidiſque ſuccis; in quibus expoſtulantur roborantia, attenuantia, & aromatica ſubamara, vinum, vinique ſpiritus. Commendat Heurnius vinum tenue cum nuce myriſtica, & lixivium ex cineribus roriſmarini, & vino albo. Thonnerus oleum ſuccini puriſſimum ad guttas vj. in aqua petroſelini. Et Horſtius etiam aromata in urinæ ardore præſcribit, quamvis vitioſus humor acer, & calidus videatur. Apud Nicolaum Cheſneau refertur arcanum mirabile ex pulvere vitri ad dr.j. cum unc.iij.aquæ roſarum manè jejuno ſtomacho exhibito, quo multos fatetur à Dyſuria curatos, excretis per urinam fæculentis ſordibus.

6. Aphor. com. 36.

Dec. 8. q. 6.

L. 3. obſ. c. 10. obſ. 4. 5. & 6.

Illud poſtremò ſupereſt in hiſce urinarum vitiis obſervandum, ut victus ratio ejus ſit conditionis, ut neque urinam, crudoſque ſuccos cumulet, nec ad vias urinæ recrementa deducat; undè Helmontius nonniſi poſt pituitæ evacuationem, diuretica exhibenda docet. Modico igitur cibo, & parciori potu utatur æger, acria, & acida devitet, ne urinam acriorem, moleſtioremque faciat, quæ potiùs, quoad fieri poterit demulcenda; ea namque temperata ſæpiſſimè hujus generis ægritudines, citrà alius medicamenti opem, ſponte ſua deſiere: nec aliud quidpiam præſtant quæcumque ex expreſſionibus ſeminum plantarum conficiuntur. Cæterum Narcotica, & opiata tuta non ſunt, niſi dolor urgeat nimis. Et in cibum urtica minor, ſyſymbrium aquaticum, raphanus, ſiler, cæpa, aliaque his ſimilia in juribus excocta ſæpeſæpiùs contulere.

Tr. ſed. An. ad morb. §. 25.

DE URINÆ INCONTINENTIA.

ALiquandò urina contineri non poteſt, ut debito tempore egeratur; non raro etiam dormientibus ſpontè ſua profluit; quod plerumque pueris accidit.

Hoc quoque vitium tribuitur muſculo ſphinćteri Veſicæ orificium claudere nequeunti, vel quia paralyſi affectus, vel quia à maligno ulcere eroſus, & conſumptus urinæ exitum ex arbitrio non moderatur. Pueris verò potiſſimùm à laxitate ejuſdem urina proſilit; quamvis aliquandò ob vehementem imaginatricis vim illa in dormientibus per retractionem muſculi propellatur, adjuvante ejuſdem irritamento. Quamobrem novi quendam, qui quoties in ſomno mingeret, ſeipſum reverà mingere ſomniabat, atque ità, recluſo ſphinctere, urina effluebat; cum verò inter mingendum expergiſceretur, illicò contracto muſculo mictum continebat. Non raro etiam accidit, ut oppleta nimiùm veſica per fibras ſuas carneas, & motrices, urinam promoveat, obſequente intereà muſculo; ſicut pariter cùm à comprimentibus muſculis abdominis laceſſitur, aut etiam ab inflatis, tumefactiſque inteſtinis, præſertim Recto, cogitur, & coarctatur; itemque à dolore vehementi; à riſu, à repentino timore, in quibus illa vel concitatur, vel laxatur.

Cùm pueris, & ſenibus accidit, minus malum; in illis enim plerùmque ſolet ætatis mutatione deſinere; in his verò quamvis inſanabilis ſit, non tamen mortem affert: cùm ità affectos multos viderim diutinam vitam protraxiſſe; in juvenibus autem gravius, & eò magis, ſi alia ægritudine illi teneantur.

V. Hipp. in Coac. prænot.

Ea

Ea igitur danda opera est, ut causa primùm languoris in sphinctere removeatur; deindè verò peculiaribus auxiliis is roboretur, suoque munere ex arbitrio fungatur. Paralysi autem in primis occurrendum, si ab illa malum oriri videatur, fota speciatim spina, qua parte nervi in vesicam proficiscuntur, adhibitisque etiam interiùs remediis suo loco memoratis. Verumtamen referuntur nonnulla peculiariùs huic affectui profuisse; Guttur galli tostum, exiccatumque, atque in pulverem redactum, & in vino rubro ante cœnam exhibitum: Vesica Capræ, aut Apri pari modo exiccata, & pulverata, atque ad dr.j. in vino rubello epota, sæpiùsque repetita, ut de vesica vervecina in clybano siccata, ac deinde in pulverem redacta scribit Boyle: Pudendum Suis cum brassica capitata; necnon & piscis in ventre lucii inventus: cinis erinacei, gummi Arabicum, styrax calamita, cera, myrrha, mentha, glans, hypericum. Vinum, in quo decocta sint ruta, castoreum, calyces glandium quernarum, semen myrti, & thus commendatur à P. Bayro. Magnifaciunt alii pulverem à Rhasi descriptum. Mus decorticatus, & in cibum exhibitus perutilis dicitur ex eodem Bayro; fateturque se hoc idem edoctum à mulierculis Delphensibus Forestus. Fomenta quoque ex verbasco, mentha, myrtho, absinthio, balaustiis, rosis punicis, adjecto alumine, prosunt. Balneum, & unguentum valdè efficax conficit Hartmannus: & Bayrus emplastrum, quod habet: *Ladani, & mastich. singul. dr. ij. ligni aloes, styracis calamit. cinnam. & terebinthinæ singul. dr. j.* & cum succo menthæ pubi, & perinæo applicatur.

V. Gal. 6. de loc. aff. cap. 3.

V. Solenand f. 4. cons. 11. & Camer. cēt. 8. memorab. p. 72.

V. obs. 21 Ann. 2. Ephem. German. ubi certum remedium dicitur in urinæ incontinentia.

Lib. 9. ad Almanf.

Lib. 25. obs. 22.

Enchir. l. 14. c. 10.

Lib. 1. obs. 14.

Sed elegans sanè, atque admirandum remedium memorat Henricus ab Heers observatum in Puella Malmundariensi, quæ ob ulceratam ab imperita obstetrice in primo partu vesicam, in urinæ incontinentiam inciderat; sanata tandem fuit consilio Cingari, suspenso è collo sacculo, in quo erat pulvis bufonis vivi in nova olla usti: quod & remedium expertum ipse deinceps vidit in quodam Mercatore Leodiensi eadem urinæ ægritudine laborante.

DE ARTHRITIDE.

Articulorum dolor, Græcis Arthritis dicitur, in qua sensiles artuum partes acriter cruciantur, præsertim verò membranæ ipsos amicientes.

Sumitur autem aliquandò Arthritis pro cujusvis Articuli dolore, atque ità confunditur cum Chiragra, Podagra, Ischiade. Aliquandò generaliùs accipitur; vel cùm Artus cuncti dolent, vel cùm ex uno in alium dolor vagatur. Pro partium verò affectarum varietate peculiare nomen sortitur; quamobrem ex laborante manu Chiragra, ex læsis pedibus Podagra, ex Coxa Ischias, & Coxendix, ex Genu Gonagra appellari consuevit. Videtur etiam Paræo-Trachelagra, Rachisagra, Homagra, appellanda, cùm cervicem, spinam, humerum vexaverit.

Causam Arthritidis veteres putabant, fluentes à capite humores, potissimùm pituitosos, in Articulos, illosque è ventriculo primùm, aut etiam Hepate, si biliosi concurrerent, in cerebrum elatos; mox verò per nervos in Artus fieri deciduos. Immò Fernelius non interiores partes capitis, aut cerebrum, sed extra calvam positas Arthritidis originem putat, è quibus supervacaneos humores pituitosos solùm per summa corporis

V. Hipp. de affect. de loc. in hom. & epist. ad Demetr. Gal. 10. de comp. med. f. l. cap. 2. & 2. de diff. febr. 10.

Lib. 6. de par. Morb. c. 18.

ris

ris sub cute deorsum decurrere ait. Et Sennertus serosos hos humores vult salsos, & acres, in liene, & hepate genitos, atque à Natura per venas, & arterias in partes circa articulos protrusos. At Schneiderus à tota sanguinis massa circumflua secerni asserit. Helmontius verò à quibusvis partibus proprium alimentum depravantibus, illudque in articulos deindè deturbantibus deducit. Visum est præterea VVillisio sanguinis, & liquoris nervorum simul unà vitium accusare, prout materies *salina, & tartarea* à sanguine arterioso circa ossium intercapedines deposita, à defluentis nervorum liquoris recrementis acidis, in motum, & fermentationem subigitur, ob degenerem utriusque naturam articulis infensam, undè membranarum, & tendinum fibræ vellicantur, & compunguntur: Acoris autem istius vitium potiùs à lympha, & succo pancreatico derivatum vult Deleboe Sylvius; etenim ad dolorem Arthritidis exigit humores acido-acres, & ad ardorem biliosos, saltem ex indebita fermentatione vitiatos.

Deliram. Catarrh.

De Anim. brut. p. 2. c. de Arthr.

Append. tr. 8.

Verùm Helmontius seminium quoddam, characterem podagricum ab ipso appellatum, Articulis inesse contendit, quod plerùmque à semine parentum transfusum in longum tempus latitat, quousque acidum in sanguine excitatum, vel potiùs in stomacho exaltatum ad eas partes deferatur, & fermentatione promota spermaticum illud gluten inter ligamenta, & ossium intercapedines situm acido inficiat, & ad dolorem, ardoremque inducendum excitet, & quandoque etiam in tophos commutet. In hanc eandem sententiam inclinat Tachenius; nisi quòd expressiùs memoret in articulis, eorumque internodiis mucum quendam, seu gluten spermaticum, *Synoviam* à Paracelsi asseclis dictum, in Arthritide ab illabente acido vitiari, & in indebitam fermentationem promoveri: Quæ sanè à Paracelso multò anteà prodita sunt. Is enim putat, salsum minerale, vel succum acidum, si in microcosmo progignatur, & in synoviam impingat, dolorem podagricum inferre. Pro *Synovia* verò intelligit substantiam illam, quæ proximè abit in alimentum partis; ac speciatim in Podagra putat esse gluten album, quo nutriuntur ligamenta, vel etiam aquam Articulorum irriguam. Hinc P. Fuhemmanus apud Horstium cohærenter his, inquit, proximam morbi hujus causam esse salem volatilem, qui cum fluxionibus, & catarrhis capitis in ligamenta, & tendines articulorum sese insinuat, & vehementi acrimonia dolores intolerabiles excitat. Quamquam Paracelsus podagram quoque ex sanguine furente constituit. Quercetanus etiam, Tartarum congestum in juncturis accusat, quod ob novum fluentem humorem commotum paroxysmum suscitet, non aliter, ac si calci vivæ aqua affunderetur.

T. Volup vivent. à sed. an. ad morb. morb. sed. in an sens. & alibi.

Tract. de morb. Princ.

Tr. de Podagr. & l. 1. de tartar. c. 2. tr. 4.

L 8. obs. 2.

De utroque hel. leb. c. 2.

Cons. de Arthrit.

Etsi verò tam discordes inter sese videantur Authores in origine, & causis Arthritidis assignandis, in hoc tamen omnes conveniunt, ut acidum exaltatum recenseant Artubus infensum: nec abs re, cùm affines admodum sint Nephriticus, & Articularis dolor, ut vix aliquem invenire liceat Nephriticum, qui non pariter Podagricus, vel Chiragricus sit, & humores pari modo in tophos, ac lapides concrescant. Crediderim autem plerumque lympham ejusce ægritudinis causam, cùm plurima vasa lymphatica dicta per articulos corporis excurrant: Illa verò acorem nacta, adhuc se sola, & dolorem ingentem, & tumo-

V. Senner. q. 6. de Arthritide.

tumorem partibus inferet. Quamobrem Carolus Piso existimavit hanc unicam esse Arthritidis causam; in ea etenim concurrunt quæcumque Arthritidi inferendæ necessaria referuntur. Haud tamen inficiabor dolorem cum ardore conjunctum lympham arguere acriorem multo sale saturatam; absque ardore verò potiùs acidiorem; at cùm uterque deest, copia solùm lympha nocebit, & tenacitate.

DeMorb ab illuv. serof. conf. de Arthrit.

Neque verò humores isti serosi in Articulos illabentes Arthritidem omninò excitabunt, sed solùm cùm penitiores partes, membranas ossium, nervos, tendones, ligamenta, infestaverint: quippè sæpè confluunt hi, vel similes alii humores in artuum confinia, at Arthritidem non pariunt. Sic qui abscessus circa eas partes experiuntur, & qui tumores, ut cachectici, & hydropici, propriè Arthritici non sunt. Dolore igitur internoscere oportebit Arthritidem à cæteris tumoribus Articulorum: is enim præ primis patientes torquet; tumor verò si accedat, & partium rubor, dolorem subsequetur; at in cæteris, à tumore potiùs partes dolebunt, vel illarum motus impedietur; cùm tamen in Arthritide non rarò acerrimè partes doleant citra tumorem manifestum à solo vapore acido per articulos diffuso, mox fermentationem allaturo.

Neque insuper de loco, undè serosi isti humores in Artus defluant, valdè dubitandum, quin glandulæ omnes, & adenosa corpora statuenda non sint, quippè quæ facilè lympham admittunt, & aquæductus corporis excipiunt. Quare arbitratus est Deleboe Sylvius etiam glandulas pancreatis conglomeratas in id mali genus convenire, præsertim quia paroxysmus articularius cum febre, quæ catharrhos comitari solet, rigorifica ferè semper invadit. Hinc & ab hypochondriis vehementer perturbatis quandoque vidimus immanes articulorum dolores successisse. Acidæ etiam lymphæ, Arthritidem vagam scorbuticam, primordia sua debere, suademur conjecturis sanè non improbabilibus. Quæ de Arthritide universim dicta sunt facilè Podagræ, Chiragræ, Ischiadi, cæterisque particularibus Artuum doloribus aptabuntur. Porrò hi variant sola partium affectarum diversitate, cæterùm in reliquis conveniunt.

Analogus Arthritidi morbus est Rheumatismus, quo Articuli pariter dolent, sed magis in partibus circumjacentibus; præsertim in finibus musculorum, qua parte ligamenta, & tendones ossa amplexantur, ipsique musculi mutuo nexu fulciuntur. Est quoque Rheumatismus dolor vagus universum ferè corpus pererrans, immò etiam interna viscera, ac ferè momento temporis ab una in aliam partem transiliens; quamobrem à plerisque Arthritis vaga appellatur. Pendere videtur à vitio sanguinis, ob lympham abundantiorem simul, & acriorem, vel acidiorem, illi suggestam. Experiri enim aliquandò contigit venas in his aliquantulum turgere, & arterias pulsationes suas edere elatiores, & vibratas. Et quamvis à sola lympha vitiata, nec adjecta sanguini idipsum esse possit, quia tamen Rheumatismum plerùmque febris comitatur, videtur sanguis quoque in fermentationem adactus unà simul cum lympha vitiari. Atque hinc etiam differt Rheumatismus ab Arthritide: cum illo enim ferè semper febris jungitur; cum hac vel nunquam, vel rarissimè, nisi solùm cùm primùm Artus adoritur. Præterea cùm in Rheumatismo dolor desinit, par-

VVillis. de Arthr. c.14. p.2. de Ar. Brut. cõtra Sennert. & Horl.

partes ad motum faciles remanent; secùs in Arthritide, quæ postquam desierit, articulos deserit tam graviter affectos, atque imbecilles, ut ægrè motum ferant. Rarò denique Rheumatismus repetit; at verò Arthritis nedum per certa tempora reddit, sed suos invehit paroxysmos subindè atrociores.

Sæpissimè hi morbi victus intemperantiam sequuntur, vitam otiosam, immodicam venerem, suppressas evacuationes præsertim per cutim, vias urinæ, & menstruorum. Unde Hipp. *6. Aphor.* 29. fœminas dixit podagra non laborare, nisi menstrua defecerint. Vehementes item, ac diuturnas animi perturbationes, constitutiones aeris Austrinas, inæquales, & æstuosas, quandoque etiam Aquilonares, & frigidas; ex quibus, illæ sanguinem attenuando, hæ verò cutis poros constipando, atque perspirationem impediendo Arthritidis causam promovere possunt. Ab hæreditaria contagione Podagram, Chiragram, cæterosque Articulares dolores in posteros transfundi res est notissima; quamvis non rarò visi sunt à parentibus ejusmodi morbo affectis processisse, qui fuerint omni dolore articulario immunes. Multùm quippe hic valet ratio servata in cibo, potu, Venere, & exercitiis opportunis: quo profectò fit, ut numquam, vel rarò extrà Urbes, & Principum aulas Podagra spatietur. Neque verò Eunuchis, fœminis, & pueris parcit, si otio, luxui, & voluptatibus indulgeant, ut docet Galenus *6. Aphor. comm.* 28. 29. *&* 30.

V. 6. Epidem. f. 8. t. 55. de Pytheæ, & Georgippi cōjugibus.

V. Senec. epist. 95. de Fœminar. intēper.

Quamquàm autem Podagra, Chiragra, Gonagra, Ischias, aliique dolores particulares, ob adjunctam vigiliam, ciborum nauseam, virium dejectionem, aliaque symptomata graves sint, & atroces, longè tamen pejor Arthritis universalis, quæ corpus reddit semianime, & in longum tempus protracta fit immedicabilis, atque febri sociata periculo non vacat. Ischiade etiam laborantes summis, assiduisque doloribus cruciantur, & quidem altiùs à summa nate interdùm per totum crus adusque genu, & in extremum pedem. Pars illa pariter universa contabescit, & sæpe sæpius decurtatur, luxato articulo, femoreque à suo sinu dimoto. Ex Podagra, & Chiragra potissimùm diuturniori, adeò pedum, & manuum digiti contorquentur, ut immobiles, & tabidi remaneant; quin & tuberculos tophaceos exserant planè irresolubiles. Et licèt ab Hipp. proditum sit ex varicibus supervenientibus averti ab articulis fluentes humores: id tamen vel numquam visum, vel rarenter admodùm.

Hippoc. à præ-dict.

V. Hippoc. 6. Aph. 60.

Værumtamen à Podagra, & Chiragra per certa intervalla recurrente plerique à gravissimis ægritudinibus fuere præservati. Neque desunt, qui tot, & tanta beneficia è Podagra proficisci autument, ut ex multigena illorum varietate encomium Podagræ concinnaverint, ac illam ferè optabilem effinxerint, eleganter magis, & facundè, quàm verè.

Quandoquidem diuturna, & inveterata Podagra medicamentis non cedit, immò ab illorum usu præsertim importuno, gravior, & periculosior sæpissimè evadit, ut propterea, in proverbium jam transierit Ovidii carmen.

Tollere nodosam nescit Medicina Podagram.

Et vulgò opprobrium Medicorum dici soleat: omnis proindè industria adhibenda est, ut cùm recens invaserit, profligetur, ne deinceps altas radices figens, omnem Medicinæ operam eludat. Illi igitur protinùs occur-

currendum, nec tàm multis, variisque medicamentorum generibus, quàm exacta victus ratione. Primùm autem paroxysmum Arthriticum retundere, atque dolorem, tumoremque inductum demulcere, & minuere opertebit; mox verò alios imminentes, & futuros antevertere, & præcavere.

At de victu præcipua ratio habenda est, cùm per hanc plurimi incolumes evaserint, & à Podagræ tyrannide prærepti, scilicet repudiatis, crudis, fæculentis, acidis, multis, variis, & difficilis dissolutionis alimentis. Hinc Crato: *Ego*, inquit, *in recta victus ratione, & abstinentia, totam rationem præcautionis positam existimo*. Sunt qui neque carnes admittunt, quæque in sanguinem converti apta sunt; licèt ista moderatè sumpta vix nocere possint, cùm tanta abstinentia sufferri nequeat, quantam morbus exposcit, & Veteres præcepere. Minimè verò præscribenda videntur contusa, consumpta, aliaque hujus generis fercula, quæ plerùmque corrupta, vel indigesta, nihilque mutata egeruntur, aut alvo gravamen, & partibus, affectis excrementorum aggeriem afferunt. Cùm verò vires constantes sunt, commendabilem quarundam Regionum morem arbitrarer, ubi ægrotantibus extrema fermè inedia indicitur in his, aliisque ægritudinibus articulorum, veluti ex Venerea contagione, & quidem summo cum emolumento, atque ægrotantium valetudine.

Brassicã Podagricis utilẽ scribit Plin. l. 10 cap. 9. Epist. 52.

Vinum adeò nocuum in Arthritide nonnulli putant, ut toto corpore contractos referant, qui illo usi sint; ab aquæ verò potu pristinæ sanitati restitutos. Id autem licèt quibusdam expertum referatur, non tamen crediderim tanta mala ab usu vini proficisci, ut plerosque etiam non juverit; neque secùs aqua ita salutaris est, ut aliquandò non noceat. Novi enim aliquos non minùs ab aquæ, quàm à vini usu crudeliter afflictos Podagra, & quod gravius longè diuturniori, ac penè irresolubili: quin immò crediderim à vino potissimùm albo, non tamen acido, & austero, diuresi promota, vel etiam diaphoresi, Podagricos, & Chiragricos in melius abituros. Experiri namque contigit breviores paroxysmos à vino, longiores, difficilioresque ab aqua successisse. Quòd si præterea vinum comparetur medicatum, quale est antipodagricum Paracelsi, vel ex melissa, rore marino, salvia, betonica, aliisque compositum, certiùs proderit. Verùm in his peculiares corporum constitutiones spectandæ sunt, ex quibus coniicere licebit vinum nè potiùs, an aqua sit profutura; quamquàm mediocritas semper est tutior, & salubrior in utrisque. De alvo tamen lubriciori sollicitos oportere esse Podagricos, nemo unquam dubitavit.

V. Paul. Ægin. l. 3 c. 78.

Si Podagricis statim à principio vena fuerit secta, mira vulgò prædicantur: quibusdam scilicet illicò desiisse dolorem; aliis numquàm ampliùs rediisse; nonnullos protinùs ambulasse. Nos verò compertum habemus à venarum sectione plerosque toto corpore convulsos, atque omninò motu privatos remansisse, vel etiam extremum obiisse diem. Neque verò solùm his, quibus à principio sanguis detrahitur, damna ejusmodi imminent, sed etiam aliis, qui per annum, vere, & autumno, aliquoties permiserunt sibi venas aperiri. Scribit enim Crato, istos languidos nimis, miserosque factos observasse; indeque violentiorem novi humoris affluxum, vehementioremque paroxysmum consequutum adiicit Hoeferus *in Hercul.*

V. Solenand. l. 4. consi. 24.

Lib. 4. consil.

Lib. 4. cap. 1.

cul.Med. confirmatque Ballonius, qui à sanguinis detractione corpus refrigescere, nervos debilitari, & facultatem retentricem infirmari subdit. Nec præterea ulla ratio suppetit, cur illa conferre possit. Sed & contrà situs doloris, vitiosorum humorum conditio, partium affectarum natura, plerùmque etiam ætas, anni tempus, stomachi languor, & alia plura prorsùs refragantur.

Lib. 2. epid. & ephem.

Saluberrimum autem foret instante paroxysmo, irruentes humores, vomitu, vel dejectione, ad os, aut alvum allicere, pro varia ægrorum habitudine: prævertitur siquidem impetus humorum in articulos, atque extra corpus avocatur, attestantibus idipsum Sylvio Deleboe, Riverio, Hildano, cæterisque. At laxantia inutilia, immò etiam nocua observantur, ut de cassia præsertim notat Heurnius. Suum Caryocostinum commendat Bayrus. Alii pilulas ex Hermodactylis. Alii resinam jalapæ. Alii pulverem Arthriticum, & specificum purgans Paracelsi apud Crollium, atque arcanum corallinum dictum. Laudat Hartmannus essentiam hellebori nigri sæpius repetitam. At Pachequus apud Riverium Arthritidem universalem refert usu croci metallorum.

Append. tr.8. cap. de Arthritide Cent. 6. obs.84. Bayr. Sennert. Mayer VVillis. M.M.l.2. c.22.

Obs.31.

Sunt qui magnoperè salutaria etiam dicant diuretica, & sudorifica medicamenta confluentes humores ab articulis avertentia; præsertim quia Hipp. 4.*Aph.*74. scribit: *Quibus timetur futurus abscessus ad Articulos, hos urina multa, & alba liberat ab abscessu:* quod etiam edocet *lib. de Humor. in fine*.

Per solius Lactis usum continuatum Podagrici sanati referuntur. At valdè de illo dubitat Fr. Ignatius Thiermair, & quòd Catarrhis, ac defluxionibus obnoxiis non prosit, ex Matthiolo: & quòd calculosis obsit, ex Galeno *3. de alim. fac.* 15. & quòd in nervorum vitiis nocuum sit ex Dioscoride *lib. 2. cap. 64.* & quòd obstructiones afferat ex eodem. Undè idem Author illius usum in Podagra suadere non audet, cùm neminem illo sublevatum viderit. Fatetur quoque ingenuè VVillisius quosdam à lacte insigne juvamentum accepisse; alios verò multò deteriùs habuisse, & Arthritide nullatenùs curata, viscerum obstructiones, & cacochymiam contraxisse. Sed & infelices ex lactis usu in Podagra eventus aliquot refert pariter Jo: Fortis *in suis consultationibus*.

V. Hipp. l. de affect. de lactis usu in Podagr. consil. l.1.c.4.

Cent. 4. 73.

Vigente præterea paroxysmo, ad doloris ferociam leniendam Anodyna commendantur; & internè Narcotica exhibere non veretur Th. de Mayerne, ipsumque etiam laudanum; quo pariter feliciter se usum testatur Hildanus, & Riverius non dissentitur. Neque motum humorum ab illo impediri putandum, cùm opium inter sudorifera referatur. Compertum autem est in ipsa doloris vehementia lanuginem verbasco nigro adnatam, aut, verbascum ipsum arefactum, in frustula discissum; & instar ellychnii contortum, mox incensum, atque urentem parti dolenti admotum Podagricis mirè profuisse, non solùm ad citam Arthritidis solutionem, verùm etiam ad ejusdem in posterum præcautionem. In ejus locum suffecta salvia idem præstare posset.

Tract. de Arthrit.

Cent. 6. 85. Prax. l. 16. c. 1.

V. Vvall. Meth. Med.

A F. Hofmanno summè commendatur spiritus salis ammoniaci salsus, cum spiritu liliorum convallium, pari quantitate, & spiritu Arthritico mistus, addito parum camphoræ loco dolenti aliquoties illinendus. Hunc eumdem spiritum laudat Hartmann. *in sua praxi chymiatr.* Alii juvare experti sunt aquam florum sambuci,

Clav. Schrod.

sper-

spermatis ranarum, & antipodagricam Rulandi, & Hartmanni; itemque folia hyoscyami, cicutæ, mandragoræ, necnon lac recens mulctum, oleum amygdalarum, & vitellorum ovorum, carnem bubulam recentem, cataplasma è mica panis, lacte, vitellis ovorum, & modico croci apud Hartmannum, emplastrum Arthriticum Mynsichti. Verùm non omnibus omnia juvamen afferunt, cùm & aliquandò viderim spiritum vini ardentissimum profuisse, aut lixivium acre ex cineribus sarmentorum; aquam calcis, salis, aut nitri, & phlegma vitrioli. Tam varia quippè sunt, quæ ex humore, dolore, parte affecta, tempore afflictionis, cæterisque momento ferè accidunt, ut vel accuratissimum, oculatissimumque decipiant.

V. Vvill. de Arthr.

At verò declinante podagra, & dolore prorsùs ablegato, si tumor in parte restiterit, atque ad motum ineptitudo, discutientia, ac dissolventia convenient, qualia præsertim recensentur lixivia è cineribus sarmentorum, caulium, quercus, & similium, adjectis quoque medicamentis ex vitriolo, in quo latet anodynum sal, & sulphur; undè vitriolum album in aqua stillatitia caulium dissolutum efficax dicitur Th. de Mayerne. Galenus, Aetius, & Ægineta articulos podagricorum perfricandos jubent linimento ex sale, & oleo mistis. Idem Mayerne commendat emplastra ex hermodactylis, minio, gummi caranna, tacamahaca, quibus articuli affecti etiam roborentur. Ab oleo ex violis luteis, & floribus verbasci firmari eos pariter mirificè, testatur. In idem conferre inquit VVillisius emplastrum ex minio, cerusa, & sapone cum oleo coctis; vel quod habet, emplastri de minio part. ij. Paracelsi part. iij. Et Hartmannus aliud describit ex vitriolo, alumine, & nitro, atque aliud ad tophos extrahendos, dissolvendosque. Vituperatur tamen à nonnullis Alumen, quod constipando poros claudat, & impedita diaphoresi dolorem augeat. Neque solùm emplastra istiusmodi admovenda monet citatus Th. de Mayerne; sed etiam ad tophorum dissolutionem celebrat sal ammoniacum, sal urinæ volatile crebris depuratum sublimationibus, & cum optimo vini spiritu mistum, quo deindè artus foveantur, reseratis primùm poris ope balnei, vel vaporis lixivii ex fæcibus, aut scoriis flavis reguli Antimon. Magnifacit quoque oleum arsenici cum butyro majali, vel alia pinguedine commistum, & artubus illitum.

2. de simpl. med. fac. 18. Tetrab. 3. s. 4. c. 21.

V. Hildan.

Antipodagrica denique plurima apud Auctores memorantur. Spigelius expertum ait pulverem foliorum cichorii sylvestris, mense Majo collectorum, & in umbra siccatorum ad scr. ij. vel dr. j. in jure pulli non salito manè quatuor horis ante prandium, & vespere cùm æger vadit dormitum. In Miscell. curios. ann. 1676. proponit speciale quoddam remedium Andreas Cnœffelius ex *cinnabaris nat. scr. ß. pulver. ocul. cancror. & conch. singul. gr. xv. laud. opiat. gr. iij. in pulver. red. aliquoties asß um.* Decoctum Cerevisiæ, in qua radix lappæ incocta sit epotum, mirabile fertur Foresto: ab illo enim lotium promoveri album instar lactis dicitur. A betonicæ usu familiari, vel in pulverem redactæ, vel in tabellas, aut electuarium; vel etiam in jusculis excoctæ magnam opem adfuturam in Arthritide scribit Hildanus: Et Capivacceus à foliis salviæ. Perutile dicit esse Poterius decoctum chinæ, visci quercici, ivæ arthriticæ, granorum acanth. glycyrrhizæ, & coriandrorum ad xv. dies sumptum. Electuarium granorum

V. Trallian. & Valeriã. de Podagr. Antid.

Obs. 84.

Lib. 29. obs. 7.

Cent. 6. obser. 32. l. 7. cons. 26. apud Scholz. Cent. 1. c. 92.

norum juniperi per bimestre tempus manè, & serò à cibo exhibitum etiam præcavet ex Paracelso. Et Horstius has pilulas præscribit in solstitiis ad semidrachmam sumendas per mensem integrum. Conficiuntur autem ex *pulver. chamæp. & chamædr. singul. dr. ij. centaur. minor. aristol. rotund. rhap. gent. sem. hyper. & cran. hum. præp. singul. dr. j. ß. rad. cichor. santal. rubr. singul. dr. j. cum succ. ivæ arthet. & par. terebinth. excip. in mass. pilul.* Decoctum chamædryos lx. diebus exhibitum penitus à podagra liberare testatur Solenander. Meminit Sennertus cujusdam aquæ vitæ à Gisberto Horstio ex pluribus simplicibus in spiritu vini primùm infusis, deindè in B. M. destillatis, elicitæ; quam nonnulli salutarem experti sunt. A Cratone etiam, & Donzellino pulveres quidam describuntur sanè præstantes, quos idem Sennertus refert, & commendat. Memoratur in *Ephem. Germ. ann. 4. obs.* 123. Antiarthriticum efficacissimum trifolium palustre Dodonæi incoctum Cerevisia, vel aqua, & sæpiùs assumptum.

Lib. 8. de morb. ext. obs. 3

S. 5. cons. 1.

Forinsecùs verò adhibita, sive ad sedandum dolorem, sive ad resolvendos humores artubus hærentes opportuna plura alia subiiciuntut: Heurnio usui fuere Ranæ vivæ in butyro insulso excoctæ, & applicitæ; sicut pariter fotus aquæ spermatis ranarum, cùm ardor nimius urgeret. Platero Nix dicitur aliquibus profuisse, ut & acetum frigidum, suasu Hipp. 5. *Aph.* 25. qui aqua frigida dolentem locum perfundendum docet. At Ballonius vult illinendas esse partes dolentes oleo catellorum, easque deindè integendas pelle arietina recens detracta. Et Reusnerus, pinguedine Herinacei, quam in doloribus podagricis arcanum esse refert. Sennertus laudat ex Spigelio aquam ulmariæ, cum radicibus, & floribus destillatam. Et Riverius liquorem limacum à seipso descriptum. Nonnulli ex Andernaco lixivium parant ex cineribus fagi, cui tantundem vini adiiciunt, cum portione aluminis crudi; atque eo pedum lavacrum manè, & vesperè repetunt, etiamsi subindè illi tumidi, rubentesque fiant. Apud Cratonem memoratur balneum, quod in usu est in Silesia, ex ovis formicarum. Et à VVolfango Hoefero, nedum ex his, sed ex integro illarum globo cum ovis, & parte terræ collecto conficitur. Idem præstare fertur decoctum ligni juniperi. Dolorem quoque citissimè sedari scribit Formius, fotis partibus affectis aqua foliorum fraxini destillata in alembico plumbeo. Alias aquas antipodagricas describit Quercetanus, easque dolenti parti admotas magnoperè conferre ait, si plures ex illis lotiones iterentur. Reusnerus narrat vetulam quandam Ulmensem omnis generis Arthriticos dolores miro effectu hac ratione curare consuevisse. Primùm ex senecione, agrimonia, artemisia, scolopendrio, summitatibus juniperi, hederæ, & filicis in aqua fontis simul incoctis fomentum parabat, ægro undique circumtecto; mox verò affectas partes inungebat pinguedine canis, oleo lini, & lauri cum medulla cervi simul mistis. Lotionem à senecione per xv. dies, dimidiam ferè horam ante cœnam, sicut etiam è ligno juniperi, alii quoque commendarunt; recensetque etiam Crato, qui usum pariter vinaceorum ad roborandos artus prædicat utilissimum. Describitur à Foresto unguentum, quo multi sanati perhibentur articulis illito. Fit autem ex stipitibus sambuci (è quibus medulla interior sit extracta, atque in ejus

Aph. 16. f. 3. & Aph. 25. f. 5.

Prax. t. 2. c. 16.

V. Rondel. l. 3. Prax. cap. 81.

Obs. 115.

Pract. l. 16 c. 1.

L. 2. epist

Hercul. med. l. 4.

Apud River. obs. 39.

Pharmac. rest. c. 7.

V. Crat. l. 2. cons. 26.

L. 7. cons. 34. L. 19. obs. 10.

ejus locum ſal intruſum, occluſis utrinque luto foraminibus, ne illud excidat) combuſtis, atque in pulverem redactis, ac unà cum oleo lavendulæ, & roſ. commiſtis. Apud Hartmannum extollitur Balſamum Podagricum, ſpiritus ſalis ammoniaci ab eodem deſcriptus, aqua antipodagrica ejuſdem, & altera Rulandi, atque Petroleum, in quo radices hellebori incoctæ ſint. Ad tophos autem diſſolvendos, ſedandumque dolorem unicè commendatur emplaſtrum ex vitriolo Romano, alumine, & nitro in calcem ſimul ſolutis, atque cum farina hordei, & fæcibus vini commiſtis. Tophos articulorum emolliri, ac tandem diſcuti ſcribit Rulandus balſamo ſulphuris calidè illito manè, meridie, & veſpere, admoto deſuper emplaſtro diaſulphuris excalefacto. In nodoſa denique podagra cauſticum ex Mercurio ſublimato primùm adhibendum; deindè emplaſtrum attractivum dictum ab eodem Auctore deſcriptum.

Cent. 2. obſ. 10. Radix ſigilli B. Mariæ exactè contuſa genuum tumoribus, & doloribus mirè conferre dicitur à Borello. Ab aliis magnifit decoctum radicis, & foliorum urticæ in lixivio. Liquor radicis vitis nigræ, dum adhuc viret, aliquantulum digeſtus, ſicut etiam tapſi barbati, menthaſtri, parietariȩ, cicutæ. Verùm hæc non temerè adhibenda, cùm oporteat omninò, pro opportuno illorum uſu, tempora Arthritidis internoſſe.

Radix tormentillæ Mōtanæ frōde 1otūda alligata tibiis præſervare à podagra, & alligata brachiis à chiragra nōnullis dicitur.

Cent. 3. obſ. 28. Nonnulla hìc poſtremò de Podagræ tranſplantatione pro coronide memorabimus, omiſſis tamen quæ fuſiùs retulere Jo: Loſelius, Salmuthius, Fluddius, Th. Bartolinus, aliique, ſolùm referam, quod in hanc rem tradit Borellus, Podagram mirè levari, ſi catelli cum Podagrico recumbant, & ciborum reliquias, ac ſputa deglutiant: futurum enim, ut morbum illi contrahant, æger verò convaleſcat; pari modo ac pueri cum ſenibus dormientes, halitu ſeniles morbos concipiunt. At longè admirabiliùs eſt, quod narrat Reinerus Solenander, ſe propriis oculis vidiſſe in quodam Epiſcopo Arthritide graviter laborante. Amputata crura Teſtudini maſculæ vivæ priuſquam Luna cum Sole congrederetur, & conſuta ſacculis ex pelle hędina æquè pro illorum magnitudine capacibus, ſingulis membris patientibus reſpondentia, dextrum dextro, ſiniſtrum ſiniſtro, anterius antico, & poſtico poſterius, alligata, tantam opem attulere, ut ſenſim tumidi articuli detumere cœperint, & agiliores evaſerint. Cumque hujus experimenti Author nil quicquam de Teſtudinum differentiis tradiderit, arbitratur Solenander, in podagra frigida putata, eſſe in uſum adhibendas teſtudines terreſtres; in calida verò aquaticas. Neque iſtiuſmodi remedium vult parvifaciendum, quòd ab uſu communi, aut à ratione alienum videatur; nam multa, inquit, ſunt in rerum natura, quæ experientia talia comprobat, licèt ratio nihil inveniat, quo illa dijudicet. Meminit etiam Helmontius magneticæ curationis Podagræ, aliarumque ægritudinum ex Paracelſo, quam haberi inquit per ſanguinem calentem ægri in ovi putamine fotum, mox cani, vel ſui in cibum exhibitum commiſtum carnibus: futurum enim ait, ut ægritudo in canem, vel ſuem tranſiliat.

S. 1. conſ. 20.

Ad Iſchiadem ſpecialiùs conferre conſueverunt clyſteres injecti ex decocto centaurii minoris, ut Fernelius teſtatur, vel ex decocto bryoniæ, aut colocynthidis; necnon rutæ, ſalviæ, ſtæchados, betonicæ, hyperici, roriſmarini, baccarum juniperi, lauri,

ivæ artheticæ, meliloti, chamæmeli; itemque ex vino albo veteri, sapa, urina pueri, quousque sanguis cum mucosis excrementis egeratur. Ex Catharticis potiùs commendantur quæ vomitum, quàm quæ dejectionem moliuntur, tanquàm à parte affecta commotos ex pharmaco humores removentia. At verò omninò discernere oportebit, an non tenuibus humoribus in coxam confluentibus Ischias debeatur, ut notat Hippoc. *lib. de affect.* Undè monet Prosp. Martianus; aliam exigere curationem dolores ad Ischium attinentes, qui huc, illùcque vagantur, ab his, qui fixi, stabilesque sunt: proptereàque Hippocratem, advertit, diversam in utrisque medendi rationem instituisse: Fixos enim dolores abigere ille conatur clysteribus acerrimis; mobiles verò mollientibus; in illis motum, ustionemque adhibet; at neutrum in his approbat.

In com.

Cùm cætera non profecerint, consueverunt Antiquiores documento Hippoc. Celsi, Æginetæ, & aliorum ferro candenti partem inurere: quod ex Recentioribus multi quoque salutare se expertos confitentur. At Nostrates nunquam id tentare sunt ausi, sed ejus loco emplastrum admovere solent ex pice, sulphure, & sinapi. Quibusdam efficax dicitur, quod ex iberide, piperite, & nasturtio conficitur, describiturque præsertim à Sennerto hoc loco. Aliis Lacunæ unguentum ex ebulo commendatur. Ceratum oxycroceum etiam prodest, cui præterea addit Forestus subduplam picis portionem cum sulphure, & oleo lumbricorum. Ex urtica cocta cum cerevisia, & in modum cataplasmatis applicata quosdam curatos etiam narrat; refertque Guainerium expertum pluries ab urticis mordentibus tam manè, quàm vespere, coxam adusque pustulas verberatam in pristinum restitutam esse. Idque remedii genus admittit pariter VVolfangus Hoeferus; at vero partem cæsam spiritu vini abluendam deindè jubet. Verùm Rhasis cum allio, & cœpa locum affectum perfricat, postmodum aqua salsa lavat. Cæterùm apud Nostrates in usu sunt Vinacea, atque hypocausta, & balnea Puteolana, præcipuèque illud, quod est ad Lacum, qui Agnanus dicitur, ac sulphuris fumum exhibet vehementissimum. At admirabilem hic non reticebo pilularum ex Mercurio diaphoretico efficaciam, quarum non solùm in his, verùm etiam in cæteris omnibus Articulorum doloribus, etiam ex venerea lue progenitis, utilitas singularis observatur. At verò si fortè ab unctionibus, aut suffumigiis relictus in articulis, & nervis Mercurius Arthritidis causa putetur, efficax medicamentum, & expertum plerisque dicitur sequens decoctum: *Radicis enulæ campanæ unc. ij. & corticis radicis fæniculi sylvestris unc. j. ß. bullian in libris v. aquæ, & vini veteris usque ad consumptionem medietatis*, & de colatura exhibeatur lib. ß. pro qualibet vice manè calida, antequam æger ingrediatur Laconicum naturale ad sudorem excitandum: idque iteretur septies, vel prout necessitas expostulaverit.

6. Aph. 60. l. 4. c. 22. l. 6. cap. 76.

L. 29. obs. 20.

Lib. 29. obs. 22.

Hercul. med. l. 4. c. 1.

Ad Arthritidem denique vagam scorbuticam facient quæcumq; scorbuto prodesse alibi dicta sunt: cùmque apud Nos non adeò frequens sit, consultò illam omittimus. Legi autem præ cęteris poterit Andreas Mollenbrocius *de Arthritide vaga scorbutica*, ubi fusè nimis, & eruditè ex compluribus aliis Authoribus Naturam, causas, signa, & curationem ejus proponit, & examinat.

DE

DE ERYSIPELATE.

A Crebra nimis, nec absque periculo, Erysipelatis in hisce Regionibus observatione, specialem de illo sermonē inire cogimur, eòq; magis, quia partes ad Artus sæpiùs, plerumque etiam ad caput, & faciem spectantes invadit: neque cæteræ aliæ ab ipso immunes sunt, cùm indiscriminatim, & superæ, & inferæ, itemque extimæ, & intimæ Erysipelate affici possint.

Ejus autem nomine intelligunt Medici tumorem illum in partibus cutaneum, tubentem, æqualem, cum ardore conjunctum, tactu dolentem, ac veluti refugientem, mox atque redeuntem, febre plerumque præeunte, vel subsequente, cum aliis symptomatibus cum illo copulari solitis.

De ejusdem causa non benè convenit inter Authores. Quamvis enim vulgò sit creditum à bile, & quidem acriori, calidiorique pendere; Galenus tamen pluribus in locis potiùs sanguini tenuissimo, ac ferventi illam adsciscit; à bile verò Herpetem excitari ait. In quam eandem sententiam complures alii concesserunt, & præ cæteris Sennertus, considerato nimirùm colore partis Erysipelate affectæ, roseo, non flavo, cum quo nec acritudo, nec calor, nec dolor vehemens jungitur, qui à bile induci deberet.

2. Ad Glauc. c. 1. & l. de tumor. c. 9.

Pract. l. 5 p. 1. c. 7. & de febr. l. 2. c. 16.

At neque à sanguine tenujori solùm Erysipelas fieri, nisi ab acido quodam vapore, vel humore in motum adigatur, & fermentescat, existimat Helmontius, qui pariter observat, liquorem ex Erysipelate manantem non esse amarum, sed planè ex acido salsum.

Pass. humor. decept. c. 1. & 2.

Quoniam autem Erysipelas non rarò exhibet roseum, rubeumque colorem, aliquandò etiam album, pallidumque cum modico ardore, nulloque ferè dolore: unde Medici phlegmonoden, & œdematoden appellant; immò etiam & scirrhoden, si ad fuscum vergere videatur. Hinc crediderim, ejusmodi varietatem haberi à vario humore cum sanguine commisto, cui acidum inexistens expulsionem in cutim promoverit. Lymphæ etiam hujusmodi vitium aliquando debetur, cùm experiamur à detentis sudoribus sæpenumerò Erysipelata suboriri, præsertim si obesiora corpora ad sudorem jam disposita frigido ambienti se exposuerint, unde salsum lymphæ frigore aeris acorem contrahat, & irritamentum. Idipsum accidere poterit, cùm acidum succi Pancreatici à debili fermento felleo non sufficienter temperatum in chylum, & sanguinem irrepserit; quare fermentationem in corde, & sanguine promovet vehementiorem, itemque parit nedum Erysipelata, sed etiam febres urentissimas, aliasque ægritudines propemodum acutissimas. Quòd si præterea ab acido isto retardetur quadantenùs sanguis in apicibus arteriolarum, vel in poris carnium; ille in grumulos coactus, Erysipelas ingenerabit, in gangrænam, vel in suppurationem terminandum.

Solet febris sæpiùs præcedere, nonnumquam etiam subsequi: immò aliquandò, eo apparente, desinit, frequentiùs verò ad finem usque comitatur. Quamobrem & morbi, & symptomatis vicem gerit; vel ex adverso criticam, & salutarem depositionem causæ morbificæ ad cutim promovet. Hinc licèt vitium in sanguine, vel in lympha designet, quia tamen, propulsa ad cutim materia, sanguis ipse, & viscera interna subindè repurgantur, proindè scribit Hippoc. Erysipelas ab interioribus ad ex- 6. Aph. 25.

teriora verti bonum;contrà verò malum: quandoquidem & pulmonem,& pleuram, & diaphragma, & jecur, & alia quæcumque viſcera Eryſipelate affici ſæpiùs ex anatome compertum
5. Aph. 43. eſt; & Hipp. de utero ſpeciatim meminit, cùm inquit: *ſi prægnanti in utero fiat Eryſipelas; lethale*. At verò etiam ab hoc externas partes occupante, periclitantur ægrotantes, ſi exindè interiora non leventur, nec febris remittatur, aut deſinat; itemque ſi putredo, vel ſuppuratio contingat. Hæc autem ſæpiſſimè ſupervenire viſa ſunt à refrigerantibus temerè adhibitis. Deniquè Eryſipelas vulneribus, fracturis, luxationibus denudationibus oſſium ſi accidat, ſemper eſt periculoſum; nam etſi nil aliud mali accedat, ſanationem ſaltem turbat, & impedit.

7. Aph. 20.

7. Aph. 19.

Meminit de quodam Eryſipelate M. Aurel. Severinus, Zona Herpetis appellato. Differt autem ab Eryſipelate, quòd hoc uni tantùm loco hæreat, ibique perſiſtat; In Zona verò rubor priorem locum deſerens, alium invadit, ac perpetim excurrit, & ſerpit, immò hinc inde multoties vagatur, quale aliquando obſervavimus in nobili quodam Duce, ac nuperrimè in Epidemica conſtitutione Autumni 1700. & ſequentis Hyemis 1701. hìc Neapoli, qua plurimi periere. Volaticam nonnulli appellant.

4. de novif. obſ. Abſceſſuum c.9

V. obſ.4. Eph.German. Ann.3.

Curationem explendam putant in praxi evacuatione humoris bilioſi, neque ſolùm per cholagoga medicamenta, verùm etiam per iteratas ſanguinis miſſiones, quibus ejus fervorem, & febrim ipſam comitem obtundi, & extingui arbitrantur; exhibitis pariter ſumme refrigerantibus, & humectantibus, itemque acidis cujuſvis generis.

At iſta maximè nocent, aut vehementiori motu in ſanguine concitato, aut impedita illius reſolutione, ab infractis per phlebotomiam viribus, aut ob languentem in parte affecta vigorem, deducto in ſuppurationem, & non rarò etiam in gangrænam Eryſipelate: quæ ſanè potiſſimùm accidiſſe viſa ſunt, cùm poſt febrim Eryſipelas irrupit, ſi non extincta, ſaltem magna ex parte remiſſa febre. Quare prudenter quidem Galenus 14. *meth.* 3. *&* 2. *ad Glauc.* 2. à Phlebotomia abſtinet. Neque minora mala conſequi ſolent à medicamentis purgantibus: ea enim humores plurimùm agitando in partes affectas adigunt, febrim exaſperant, ſitim augent, & interdum etiam phrenitidem, aut internam inflammationem inducunt. Hinc nonnulli nonniſi in declinatione ſolùm purgantibus blandioribus licere uti pluribus contendunt. V. Fort. conſult. 95. c. 1.

De noxa ab adhibitis refrigerantibus, tam clara, & cunctis obvia res eſt, ut nemo uſpiam ambigat. Galenus ab horum uſu in ſcirrhum Eryſipelas abire docet: conſtipatis namque poris, humoris difflatio impeditur, immò & pars ipſa inſigniter refrigerata ſtupet, & gangrænam incurrit. Longè majus damnum ſequitur, ſi oleoſa, & pinguia admoveantur, atteſtante quoque Sennerto, qui gangrænam, aut ſuppurationem ſubindè futuram ſcribit, ac potiùs more ambuſtarum partium tractandum eſſe Eryſipelas ſuadet, admotis nimirùm calidis, quæ cutim laxent, poros reſerent, ſeroſos humores in puſtulas erupturos reſolvant. Quamobrem tantùm adeſt, ut refrigerantia iſta conſentanea ſint, ut maximè repugnent; & contrà applicito ſpiritu vini inter initia, Eryſipelas illicò tolli fateantur plurimi, idque in praxi ſæpiſſimè ſimus experti. Narrat prætereà Riverius juvenem Eryſipelati fre-

2. Ad Glauc.c. 4.

V. Thom Barth. c. 6.

Lib.2.de febr.c.16

V. Sanct. meth.vit err. l.8.c. 15.

V Val. meth. med.

Helm. nat.cōtri neſc.

Du-Hamel. de Corp. affect. &c. Cent. 2. obſ.41.

frequenter obnoxium ab uſu vini meracioris prorsùs immunem evaſiſſe.

Quæ igitur tutò Eryſipelata curare, immò & alia inflammationum genera diſſolvere, & citrà ſuppurationem ſæpiſſimè depellere viſa ſunt, multo alkali ſunt prædita, atque, præ primis ex vegetalibus, Taraxacum, ſylveſtre cichorium, ſemina cardui benedicti, radix tormentillæ, abſinthium, centaurium, gentiana, naſturtium aquaticum, pulvis ſorborum ſylveſtrium villoſorum cum maturuerint, & in furno leni calore exaruerint. Ex animalibus verò Cornu C. mumia, ſperma ceti, coagulum hædi, oculi cancrorum, pulvis, & ſal viperarum, ſanguis leporinus, & hircinus. Atque ex foſſilibus cujuſvis generis bezoardica, præſertim ex Marte; Mercurius, & ſtibium diaphoreticum, teſtacea quævis, atque in calcis formam redacta. Ab his enim omnem in ſanguine malitiam ab acido inductam certò corrigi, & emendari ſæpiùs obſervatum.

At pleraque etiam externè adhibita acidum frænando, & abſumendo Eryſipelati tutiſſimè medentur. Ex Helmontio cruor leporis admotus certò ſanat; immò & linteum leporino cruore intinctum, etiamſi ſiccum alligetur. Novimus etiam ſanguinem calentem felium, canum, ſimiliumque animalium ferè momento juvare; quare vulgò quoque ſolitum ſanguinem exceptum è cauda felis, vel canis reciſa, in ejuſmodi uſus adhiberi; Et Lotichius affirmat idipſum præſtari per ſanguinem ex auricula vulnerata ſtillantem. Ab eodem Helmontio proditum eſt Eryſipelatis curationem ſitam eſſe in ſapone, & lixivio, aliiſque analogis, indeque dependentibus, quoniam hæc acidum combibunt, & extinguunt. Stercus item humanum calidè applicatum una nocte omne acidum extrahere, & abolere dicitur. Præclarum etiam remedium eſſe ſcribit Heurnius ſtercus recens bubulum in ſartagine coctum cum aceto; adjectis floribus chamæmeli, & ſambuci, ſi inſtar cataplaſmatis tepidum admoveatur. Aquam hujus ſtillatitiam menſe Majo elicit Solenander. Probatiſſimum refert Bartholinus vulgi remedium eſſe, & nunquàm fallere viſum, urinam propriam melle ſubactam, ſummo mane, tribus diebus continuis, aſſumptam; externè verò lithargyrium tritum tela linea exceptum, & parti laboranti impoſitum. Saponem album Venetum in aqua ſcabioſæ calente diſſolvit Solenander, eaque imbuit pannos lineos mundos, mox ſiccatos admovet. Apud Jo: VVierum plura referuntur Eryſipelati conferentia ex cortice ſambuci abraſo, & membro patienti obvoluto; vel ex interno cortice tiliæ macerato in aqua florum ſambuci; pariterque ex vitellis ovorum, ſale, & bolo Armenia commiſtis: quod remedii genus approbat quoque Foreſtus. Suffitus ex foliis, & ramuſculis ſabinæ in pulverem craſſiuſculum contritis ſalubriter adhibitos memorat Reuſnerus; & cum ulceratio adfuiſſet, emplaſtrum ex cera fulva aqua calida manibus ſubacta. Sedatum dolorem, & curatum Eryſipelas narrat idem Foreſtus admoto malagmate ex lacte, pane ſiligineo contrito, & pulvere terræ Cimoliæ, quæ exteriùs furfuris circumducitur. Verùm cum hæc miſcet Lotichius micam panis albi cum pauco croco, & vitello ovi, vultque incoquendam in ſ. q. lactis vaccini quouſque ſpiſſeſcat: At aliis ſatis eſt admovere farinam è ſecale ſacculo incluſam. Arcanum etiam Foreſto eſt aqua ſpermatis ranarum, cum linteis applicita. At hanc periculo non va-

Marginal notes: Tr. Imag Ferm. — Obſ. 9. c. 6. lib. 1. — De febr. cap. 9. — 6. Aph. 25. — Centur. 6 hiſt. — Sect. 5. conſ. 12. & 13. — Lib. 2. obſ. — L. 2. obſ Chirurg. 2. — Obſ. 124. — Obſ. 9. 11. c. 6.

care affirmat Hartmannus, qui potiùs commendat decoctum myrrhæ, & olibani in vino, & aceto calidum. Decoctum quoque parat Heurn. Myrrhæ, thuris sing. ad unc. j. in aquæ solani cyathis duobus, & aceti cyatho uno additis caphuræ, & croci singul. dr. j. idque adhibet parti rubenti. Pulverem quendam Erysipelatodem conficit Mynsicht, & pannum lineum Crocatum dictum, & utrumque mirabilem prædicat, si parti affectæ admoveatur. P. Barbette cretam in pulverem redactam cum charta emporetica adhibet, ac citò, & tutò sanare dicit: laudat quoque fomenta ex myrrha, saccharo Saturni camphora, & opio in vino, vel ex trochiscis albis Rhasis, camphora, spiritu vini, & aqua sambuci. Apud Philippum Grulingium, inter alia plura, describitur lac aureum ex lixivio, & oleo sambuceo paratum instar lactis, quo Erysipelata non solùm feliciter curantur, sed etiam adversùs corruptionem, & gangrænam muniuntur. Multa alia ex cortice, baccis, & floribus sambuci conficiuntur medicamenta, tam interna, quàm externa, usu, atque experimento comprobata, ut potissimùm est illud, etiam ad Erysipelatis præcautionem, ex decocto florum sambuci recentium in lacte vaccino; cujus meminere Solenander, Sennertus, idemque Grulingius, aliique.

In chirurg.

Floril. p. 29. c. 17.

Postremò victus ratio sit temperata. A carnibus utile erit abstinere. Corporis, & animi motus nocui, præsertim ira, & mœstitia consuetæ evacuationes salutares, & si spontè non cesserint, arte promoveri blandè poterunt.

Centur. 1. cur. 43. V. Hartman. in prax.

Gangrænæ, & ulceri ex Erysipelate occurrent diasulphur Rulandi, Balsamum sulphuris, lixivium acre è cineribus quernis, in quo ebullierint scordium, nasturtium aquaticum, vincetoxicum, absinthium, scabiosa, filix: Spiritus vini camphora imbutus, linimentum à Barbette descriptum, aliaque plura passim Chirurgis consueta.

Ad contusiones, tumoresque à restagnante, concretoque sanguine, mirificè valet emplastrum de spermate ceti descriptum ab Adriano à Minsicht; itemque cataplasma ex bryonia minutim derasa, mox contusa, & simul cum farina hordei subacta instar pultis. Plura alia videsis apud Grulingium in suo Florilegio.

DE FEBRIBUS.

FEbrium naturam Neoterici inquirentes, congruentiora argumenta deduxerunt à fermento, & fermentatione, potissimùm in vino, cæterisque liquoribus habita. Videntur enim illa eadem sanguini in febrientibus accidere, quæ musto, vinoque doliis concluso experimur: equidem, ut vinum fermentatione subactum disjungitur à partibus fæculentis subsidentibus in ima, ni tamen fermentatio interturbetur; ità sanguis heterogenea mistura vitiatus in motum fermentationis adigitur, quousque inutilia, & impura secernantur, & repurgentur, remanentibus utilibus, & salubribus: quamobrem non incongruè febrim plerique sanguipurgium appellarunt, illamque non à ferveo, sed à februo, quod est expurgo, & sejungo dictam maluerunt, aptissima planè etymologia.

Perperam autem nonnulli fermentationem cum ebullitione, & fervore confundunt. Quamquam etenim aliquandò soleant res calore citiùs, vehementiùsque fermentescere; non tamen illum omninò exigunt, cùm plurima

rima sponte sua, sine ullo caloris adminiculo fermentationem contrahant. Nec insuper cùm fermentescunt, perpetuò etiam incalescunt, & fervent saltem sensibiliter: succi namque plantarum, uti & fructuum, ac seminum fermentescentes nullum caloris sensum exhibent; sicut nec massa farinacea fermento subacta; neque vinum ipsum fugiens, aut acescens. Motum quidem, & actionem inter sese partes heterogeneę subeunt, at non semper nostris sensibus obviàm; unde non raro pro calore frigus potiùs persentitur.

Hinc itaque non benè per sanguinis fervorem, caloremque corporis adauctum, Febris quæcumque internosci poterit: quippe Febres malignæ, & pestilentes, quæque Flandricæ, & Castrenses vocantur, cum syncope conjunctæ, Horrificæ, Rigorificæ, aliæque similes, ut & Epialæ Galeni, tantùm abest, ut calorem excedentem præseferant, ut potiùs ingenti frigore sint stipatæ: neque solùm inter initia, sed etiam per universam ferè accessionem. Argumentum prętereà à Vvalæo, & Sylvio promotum, quo urgent calorem auctum nec omni, nec soli, nec semper Febri competere, idipsum satis manifestè evincere videtur: quod latiùs est prosequutus Thomas Bartholinus *in epistolis ad Holstium* datis, quibus etiam ex pluribus ostendit Rigorem, atque Horrorem in Febribus intermittentibus ad ipsas revera pertinere, esseque verissimam paroxysmorum partem; præter alia quamplurima, quæ in eandem rem collegit Franciscus Piens. *de febribus*, c. 2.

V. etiam Helm. de febr. c. 3. de febr. disquis. med. 1. de febr.

Centur. 3 epist. 71. & 73. & Cent. 4. epist. 47.

Videtur ergo Febris affectus corporis, in quo ob indebitam fermentationem in sanguine inductam, motus ejusdem, & cordis perturbatur: afficitur equidem per ejusmodi fermentationem nedum cor, sed corpus universum quousque repurgetur coinquinatus sanguis; undè Campanella vocavit Febrim Bellum Naturæ adversùs causam morbificam: & certum quidem est, cùm vires illam ferunt, prodesse; pari modo ac fermentatio in musto utilis observatur. Ea enim quidquid in sanguine heterogeneum, & pravæ conditionis, admistum est, salubriter plerumque secernitur. Hinc experimur plerosque jam diù malè affectos, ferèque à nativitate morbosos per Febrim salubriores evadere, atque meliori in posterùm frui cùm corporis, tum animi constitutione, ut adhuc in vulgi adagium abierit, Febres per tempora pueritiæ contingentes vegetationi, & speciositati maximoperè conferre. Qua etiam ratione à nonnullis proditum est; quosdam ad extremum senium perductos ex gravi deindè Febre refloruisse, & veluti repuerascere visos; quandoquidem per Febrim, repurgato sanguine, veterem, & laxam habitudinem corpora exuta, novam, solidioremque induunt. Morbos insuper curatu difficiles, vel etiam insanabiles superveniente Febre curari testatur Hippocrates: Sic Epilepsiam, Apoplexiam, Convulsionem, Tetanum, Aphoniam, Hypochondriorum dolores, similesque ægritudines ex Febre solvi, & desinere pluries edocet: ut hìc sileam catarrhos, dolores articulorum, ventris cruditates, tumores, à Febribus citiùs, faciliùsque terminari; adeòut idem Hipp. & Galenus scripserint in affectibus capitis, & nervorum, cùm torpore, & motus impotentia à crassis, lentisque humoribus ortis, Febrim esse excitandam.

De loc. in hom. 6. epidem. 5. 6. 4. Aph. 57. 5. Aph. 5. & 70. 6. Aph. 40. 44. & 51. 6. Aph. 52 de judic. in fine epist. ad Demetr. 6. epidē. comm. 2. prorh. comm. 2.

Non igitur Fermentatio, & Febris morbus est, sed causa, quæ fermentationis indebitæ in sanguine origo fuit,

fuit, plures, diversasque ęgritudines affert; ut propterea cum sanguine circumflua ęstum, atque orgasmum universalem pariat; alicui verò parti infixa, & hærens, inflammationes, erysipelata, & pro partis affectæ varietate pleuritidem, anginam, hepatidem.

4.Aph.55 Veteres Medici Febres aliarum ægritudinum symptomata appellarũt, cùm illæ has consequuntur. Hippocrates ex inguinum tumoribus Febres malas fieri, aliisque affectibus illas supervenire scribit, ut carbunculis, apostematibus, abscessibus: sic quoque à vulneribus, contusionibus, & spina digito infixa ortæ Febres symptomatum vices gerere videntur; quamobrem illæ spontè desinunt detracta spina, eductoque stagnante sanguine, atque ad cicatricem perductis partibus vulneratis. Hinc

2.Aph.47. V.Gal.in comm. Hipp. inquit: *Dum pus conficitur, dolores, ac Febres accidunt magis, quàm jam confecto.* Verumtamen si quis eas cum Platero Concomitatas appellaverit, per me planè licebit, cum non rarò fiat, quòd illa eadem causa, quæ in sanguine permista Febrim excitavit, alicubi etiam hęrens, aut humorem figens, alium morbum pariat, ut in inflammationibus.

Quandoquidem Febris à sanguinis indebita fermentatione est, causæ ejus innumeræ penè erunt; excedens cùm animi, tum corporis motus: res in cibum assumptæ, si consuetum, cui Natura assuefacta est, modum excedant; undè non solùm ab usu rerum, quas vulgò calidas putant, sed etiam sæpissimè à nimia quiete, & ab otio, atque ab alimentis, sive medicamentis frigefacientibus Febres exoriuntur gravissimæ, periculosissimæque. At verò putredo, quæ humoribus affingitur, præcipuaque fertur Febrium causa, si tam familiaris sanguini foret, quàm vulgò creditur, certè nulla Febris in salutem desineret, cùm animalium vita, putrefacto sanguine, non possit esse superstes.

Indebita autem in sanguine Fermentatio erit à succis non benè à sanguine secretis, vel eidem, præter id, quod deceat, communicatis. Hi autem plures, & varii esse possunt: ex cibo, potuque, adeòque ex chylo, lympha, succo pancreatico, felleo humore, cutaneis recrementis, aliisque ex alvo, renibus, & vesica, propriisque viscerum fermentis. Sanguis ipse si fortasse ab aere, & halitibus per aera dispersis inficiatur, acescat, acrior, salsior, serosior, crassior, aut aliter vitiosus evadat: si impetuosiùs irruat, vel aliquatenùs moretur, & subsistat in apicibus arteriarum, vel poris partium, aut in ventribus cordis, pulmonumque vasculis, ac cerebri plexibus hęreat, ut in malignis, ac mortiferis Febribus sępenumero observatum est, malę fermentationis causa fit. Itaque quęcumque sanguini dissentanea consociantur, sicuti indebitam motionem in illo excitant, ita & cordis, arteriarumque motum turbant, & depravant, magis tamen, aut minùs, prout magis, vel minùs fuerint ad fermentationem promovendam idonea.

Quamvis verò differentię Febrium innumerę dicantur, pręcipuę tamen revocantur ad continuas, & intermittentes, prout fermentum fuerit in ipso sanguine, aut aliunde suggestum, & per singulas accessiones repurgatum. A duratione etiam breves, & longę appellari solent; atque à modo, increscentes, decrescentes, & in eodem semper vigore perseverantes. Insuper ab adjunctis symptomatis, frigorificę, calorificę, assodes, helo-

hectodes, marasmodes, lipyriæ; nec non cum syncope, delirio, sopore, exanthematibus, inquietudine, lassitudine, alvi fluxu, hæmorrhagia, & consimilibus conjunctæ. A periodis, quotidianæ, tertianæ, quartanæ, quintanæ. A causis pariter dici solent lymphicæ, biliosæ, glandulares, hypochondriacæ, epidemicæ, malignæ, pestilentes, legitimæ, aut nothæ, aliæque.

Illas à solo pulsu celeri, & frequenti, ut plerisquecreditur, tuto conjicere non licet: nam non omnibus febrientibus commune est, ut celer, & frequens pulsus fiat, nisi simul inæqualis, irregularis, inordinatusque sit, vel alia adjungantur symptomata fermentationem indebitam in sanguine attestantia, adeòque reliquas corporis operationes subindè læsas, & à consueto naturali statu recedentes, ostendentia. Plerisque pulsus sunt natura celeres, & frequentes, vel etiam à quacumque levi animi perturbatione concitantur, quin & cunctis à pastu, atque ab haustu vini meracioris, ab aromatibus, à medicamentis, à motu, agitantur, & tument, citra Febrim. At contra in Febribus malignis, & pestilentibus, ac non rarò etiam in hecticis cum marasmo, aliisque vix à consuetis, & salubribus descíscunt, vel parvissimi, & tardissimi persentiuntur. Id autem fit, quia Fermentatio, vel in coagulationem, vel in resolutionem tendit; unde partes sanguinis vividæ, & tenues figuntur, aut dissolvuntur, & avolant: quare concrescente sanguine, vel effœto remanente, motus ejusdem, & cordis, unde vita, & calor, sensim elanguet, & deficit.

De offi-cin. Chi-rurg. Hippocratis igitur vestigiis inhærendo, pluribus signis observatis de febrientis corporis statu conjecturam faciemus. Et quidem febrire illud dignoscemus per mutationem coloris potissimùm faciei, quæ in principiis paroxysmorum plerumque pallet; in augmento verò rubet, lingua arida observatur, aspera, siticulosa; & si mali moris febris fuerit, etiam nigra, & fissa. Nares, & aures albicant, vel rubent; ungues livescunt, & in febribus hecticis incurvantur. Arteriæ circa jugulum, cervicem, & tempora vehementer, & crebrò pulsare conspiciuntur; rubent, & inflantur oculi. Aderunt præterea vomitus aliquandò amari, acidi; interdum flavi, aut nigri; urinæ vel tenues, vel confusæ, & insigniter coloratæ. Universum corpus horrore, rigore, algore corripitur, vel contra ingenti ardore, & æstu. Cutis nonnunquam arida, interdum etiam madida apparebit. Demùm de Febre judicium feremus examinatis primùm causis, quæ valuerint malam in sanguine fermentationem excitare; mox verò consideratis symptomatis ægrotum infestantibus, cujusmodi sunt crebra respiratio, dolor capitis, delirium, pervigilium, ciborum fastidium, oris amarities, ingens sitis, faucium ardor, alvi durities, emaciatio, inquietudo, aliaque hujus generis plura.

Febrium verò tempora tum universalia, tum particularia pari modo internoscere poterimus: etenim in principio symptomata sunt leviora, & vires validæ observantur, nondum scilicet diuturnitate ægritudinis infractæ. Augmentum autem accessisse indicio erit symptomatum incrementum, vitiosorum succorum inchoata secretio, (si tamen Febris in salutem sit desitura) & salutarium evacuationum apparitio, viribus parumper infractis: At contra omnia in deterius abibunt si æger ad interitum festinet. In melius autem in dies

2. Aph 30.

pro-

procedent, cùm ad statum Febris devenerit: quippè salutares egestiones, aut per sudorem, aut per alvum, aut per vias urinæ sensim causam morbificam diminuent citra virium jacturam, undè symptomata mitescent, aut desinent. Tandem Febrim declinasse dicemus, cùm hęc omnia ita in meliùs processerint, ut causa morbifica jam evicta extra corpus expellatur, aut saltem alicubi deposita à visceribus abscesserit, undè ęger in pristinum sanitatis statum rediens convalescere manifestò videatur.

Non dissimiliter singulorum paroxysmorum particulare principium indicabitur ex invadente rigore, horrore, aut ubi extremæ partes membrorum inalgescunt post frequentes, & iteratas oscitationes. Nasus, aures, labia pallescunt, ungues livescunt, pulsus contrahuntur, & inæquales redditi vix tactu percipiuntur: in lumbis, & circa intestina dolebit æger, & genua quasi fatigata sentiet; nonnunquam etiam in soporem delapsus difficulter excitabitur, aut de dolore capitis conqueretur. Aliquandò etiam vomitus, alvi dejectio, stillę sanguinis, inutilis sudor, tussicula, & non rarò animi defectio, dolor stomachi, & præcordiorum anxietas initium accessionis comitabuntur. Augmentum verò, & statum designabunt dolor capitis vehementior, faciei, & oculorum rubor, linguæ ariditas, & scabrities, ingens sitis, inquietudo, æstuatio. Pulsus fient elatiores, celeriores, & frequentiores, respiratio crebra, & symptomata universa erunt urgentiora: Quæ tamen prorsùs desinent à superveniente sudore, aliave critica evacuatione, si Febris intermiserit; vel plurimùm minuuntur, si illa in declinationem deducta mox alteram accessionem excipiat, & admittat sine ulla intermissione. Verùm hęc indicia licèt plerumque per febricitantium corpora vagentur, non tamen cum omnibus febrium generibus junguntur: variant enim pro illarum varietate, peculiaribus causis, propriisque ægrotantium constitutionibus.

A symptomatum etiam Febres comitantium diversitate, & vehementia majori, minorive, non vanæ conjecturæ desumi poterunt salutaris, vel lethalis eorundem exitus. Quamquàm enim, ut loquitur Celsus, spes interdum frustratur, & moritur aliquis, de quo Medicus securus primò fuit; neque ignorare oportet in acutis morbis (quales plerumque febres sunt) fallaces magis notas esse, & salutis, & mortis: sæpesępiùs tamen respondere consueverunt. Febres siquidem intermittentes periculo vacare in dies experimur (quicquid alii se contrarium expertos autument) si præsertim cum rigore incipiant, & cum aliqua evacuatione in singulis accessionibus finiantur. Item nullis, vel levibus symptomatis stipatæ securæ sunt, atque eo breviores, quo statim à quarta die prævalens natura coctionem in excrementis demonstraverit: etenim ex Hippoc. Coctiones judicii securitatem, & morbi brevitatem denunciant. Quamobrem à viribus constantibus præcipuum salutis indicium petendum est. At contra verendum nimis de malo eventu, si Febris continua sit, atque in dies ingravescens gravibus symptomatis comitata videatur: si æger viribus deficiat: si nausea teneatur: si exteriùs algeat, interiùs uratur: si sudorem à principio subeat, qui non levet, vel invadentem accessionem comitetur non declinantem, vel frigidus emanet, aut non ex toto corpore: si paroxysmus cum rigore adoria-

[Margin notes: Lib.2.c.6 — 2.Aph.19 — 4.Aph.43 — 4.Aph.59 — 4.Aph.63 — 4.Aph.58 — 1. Epidē.]

riatur citra intermissionem: si cum delirio, sopore, caligatione, squalore, & oculorum fulgore; surditate, respiratione offendente, deglutitione impedita; stomachi ardore, ac dolore, hypochondriorum inflatione, aliisque symptomatibus in suis circuitibus repetat. Ista enim ęgrum in vitæ periculum deducunt.

Generalem postremò Febrium curationem expleri arbitrantur Veteres ex Galeno per frigefacientia, & humectantia: quamquam is indicatione à causis desumpta nonnumquàm etiam calefacientia adhibuerit, absinthium, theriacam, & hujus generis alia. Et Hippoc. 2. *de Morb.* aqua mulsa in febre continua ex bile utitur cum vino albo; & decocto milii, & 4. *de morb.* aqua ex favo mellis etiam in ardente.

9. M. M. c. 14.

V. Gal. 2. de fract. 29. & 4. de san. tuend. & P. Salius in Hipp.

At verò si à Fermentatione sanguinis varia, variæ Febres oriuntur, atque illa à diversi generis fermento, certè curatio Febrium universè perficietur, aut remediis, quæ fermentum ipsum moderentur, & compescant; aut iis, quæ Fermentationem ocyus promoveant, & fermentantem succum veluti à sanguine alienum repurgent, secretumque per consentaneos naturæ ductus depellant, pręsertim verò per sudorem, qui videtur in febrientibus frequentior, & salubrior. Cùmque primus modus non adeò tutus quibusdam visus sit, cùm subindè Febres à fermento deinceps excitato reviviscere soleant, ac vehementiùs invadere, factum est ut potior Medentum pars posteriori methodo inhæserit: Immò Helmontius propria, & specialia Febrium remedia inquit esse diaphoretica, præcipuè verò suum Mercurium. Verùm tamen est quandoque sudorifica parum, aut nihil profuisse, præsertim cùm fermentum Febris alicubi in primis ductibus hæsit; vomitum autem momento temporis abstulisse ex vino emetico, aliove promotum. Hinc animadversione dignum censeo, an Febres à fermento aliundè sanguini suggesto, vel à restagnante humore circa pylorum in pancreate, ipsoque ventriculo originem ducant: illæ enim desinent ab assumpto vomitorio, quod una simul blandè alvum movebit, ut pluries experimento confirmatum. In idipsum convenire video Thomam Sydenham *in methodo curandarum Febrium*, qui ex infuso croci metallorum, oxymelle scillitico, & syr. scabiosæ emeticum conficit, atque in ipso Febris initio exhibet.

At in ratione victus febrientium nostra ætate longè admodùm à Veterum præceptis Medici recedunt. Et quidem sive Febres acutæ sint, sive chronicæ, & sive intermittentes, sive continuæ, eadem prorsùs & invariata ciborum conditio, & quantitas apud illos semper est, cùm manè contusæ, vesperè verò consumptæ, & expressę carnes pullorum indiscriminatim offerantur. Neque istę solùm, sed & elixę cum oleribus, quę calorem infringere creduntur; itemque assæ, & multifariam conditę, pręter bellaria omnis generis. Verùm hęc cibandi norma his summoperè nocua est, cùm exindè gravetur potiùs Natura, quàm juvetur, excrementa plurima cumulentur, & Febris ipsa saltem protrahitur, nisi etiam deterior fiat. Si quis etenim, inquit Hippoc. cibum febricitanti dederit, sicut sano robur, ita laboranti morbus fit. 7. Aph. 67

Tametsi tam larga cibandi ęgrotos ratio perperam nostratibus instituta videatur; non tamen illos laudandos arbitror, qui indifferenter febricitantibus omnibus extremam inediam pręscribunt. Porrò observanda est

cor-

corporum affectorum varietas, num pueri, graciles, imbecilles, senes; an adulti, succi pleni, robusti sint ęgrotantes, & pro eorumdem ratione, nunc pauló plenior, nunc parcior offeratur. Gracilibus enim, & Picrocholis adhuc instante paroxysmo, & inter ipsius Febris initia cibum in gratiam virium, & languentis stomachi, exhibendum esse suadet Galenus; quamquam Hippocrati per id temporis nocuus videatur. A viribus itaque victus ratio mensuranda: *Unum quippè illud est*, inquit Celsus, *quod semper ubique servandum, ut ægri vires subindè assidens Medicus inspiciat, & quandiù supererunt abstinentia pugnet, si imbecillitatem vereri cæperit, cibo subveniat: id enim ejus officium est, ut ægrum neque supervacua materia oneret, neque imbecillitatem fame prodat*. Nec insuper statim victum permutare conveniet, documento ejusdem Hippoc. nisi tamen pręcedens illius ratio morbi causa extiterit.

L.8. met. c.2. & l. 10. c.3.4. & 5.

L.3. c.4.

2. Acut. 22. L. de nat. hum. 18. 19.

Mirum verò, quàm plerique nostratium vini usum damnent, ut nec illud gustare permittant; hinc factum est, ut adhuc ab ejus nomine vulgus hominum deterreatur. Verùm Hippocrates innumeris ferè in locis vinum febricitantibus commendat, & exhibendum esse præcipit similiter, & Galenus. Neque de illius calore verendum: nam præterquam quòd in horum corpore calor exoptatur, ultroque exquiritur, præsertim si syncope copuletur, ex documento ejusdem Galeni, qui vino utendum docet adhuc in febre ardente, quàm syncope comitatur, ex bile amara progenita; ab ejus usu moderato diuresis, & diaphoresis sollicitatur, & præterea stomacho succurritur.

V. Cels. l. 3. cap. 9. 3. Acut. 1 40. & 2. de morb. 7. meth. c.6. & l. 8. c.3. 1. ad Glauc. c. de tertiana, & quartana & 11. meth. c.9 11. meth. cap.4.

Quod denique plerique putant præcipuum, & præsentaneum Febriū omnium remedium esse sanguinis missionem, authoritate Galeni dicentis, saluberrimum esse in omnibus putridis Febribus sanguinem mittere: tam est ab Hipp. mente alienum, ut potiùs in quolibet affectu, cui Febris juncta foret, à venæ sectione is abstinendum esse voluerit; Ut notat etiam Prosper Martianus *comm. in Coac. 79. sect. 3.* A sanguinis etiam detractione abstinendum docent Zacutus, Paschalius, aliique licèt Hispani, quibus cæteroqui sanguinis missio familiaris admodùm esse consuevit. Atqui longè graviora obstant argumenta, aliàs à nobis recensita.

11. meth. c.15. V.2. epid. s. 5. v. 10. & 18. s. 2. coac. 72. Avic. de Ardent. Tert. Primer. l. 2. de feb. cap. 9. apud Pered. cap. de Ard. Fort. centur. 2. cons. 51. V. Helm. l. de febr. cap. 4. & comm. nostr. sup 3. 1. aph. Hippoc.

DE FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

QUandoquidem Febres omnes à mala, atque indebita sanguinis Fermentatione, sive mavis dicere, commotione, exoriuntur, atque ideò Ephemeræ, seu Diariæ, immò etiam Hecticæ ab eodem fonte manant, eam solùm Febrium differentiam retinebimus, per quam, vel intermittenter, vel continuè affligere observantur. Ad has verò facilè etiam revocabimus, quæ ex periodis, symptomatis, fine, atque agendi modo fermentationis desumuntur. At primùm Intermittentes prosequemur cognitu, & solutu faciliores.

Illud equidem cunctis perspectum est Intermittentes à Continuis Febribus differre, quòd hæ sic remissiones, seù declinationes succedentibus aliorum paroxysmorum initiis adnexas habeant, ut numquam ægrum liberum deserant, & sæpenumero perpetim affligant, ut unicam referant accessionem, illamque aut semper crescendo ad plures dies protrahant, ut sunt Febres Græcis Anabaticæ, atque Epacmasticæ dictæ; aut semper de-

V. Gal. 2. de differ. feb. 2. & 9. Meth. c.4.

decrescendo ut Paracmasticæ; aut uniformem, continentemque noxam servando, ut Homotonæ, atque Acmasticæ. Illæ verò suas sortiantur repetentes accessiones, quarum inter declinationem unius, & sequentis alterius principium, tempus aliquod intersit, quo æger omninò Febre vacet; quemadmodùm sunt Tertianæ, & Quartanæ simplices, & legitimæ dictæ.

Præterea sicut Continuæ à causa morbifica sanguini juncta, aut perenniter eidem suggesta exoriuntur; ita ab eadem per intervalla accedente,& recedente, Intermittentes Febres. Quamobrem si fermentum febrile sanguini communicatum tenaciùs hæreat, ut ad longius tempus accessionem protrahat, quæ novum paroxysmum, antequam precedens desierit, excipiat, Febris Continua fiet; immò aliquando statum unius, subingreditur altera accessio, cùm fortasse illud citiùs, quàm consueverit, cumulatur,& sanguini adiicitur; At verò si febrile fermentum post aliquot horas à sanguine secernatur, & per consueta corporis emunctoria expurgetur, vel etiam insensibiliter per cutis spiramenta effluxerit; particulares accessiones nedum intermittent, sed breves quoque erunt,ut in Tertianis intermittentibus,Exquisitis dictis, experimur, quarum paroxysmi octo horis terminari solent, & vix ad duodecim, cùm longissimi sunt, extenduntur, neque repetunt, priusquam humor certa quantitate cumulatus, & cum sanguine permistus fermentationem denuo excitaverit. Evenire etiam potest,ut humor aliquis vitiosus sanguini permisceatur, illumque simili planè vitio infectum reddat; undè quæ Febris primò visa est intermittens, progressu temporis continua fiat; sicut etiam cùm ejusmodi vitium jamdudum in sanguinis particulis contractum spontè fermentescendi causam attulerit, ut sæpissimè accidit iis, qui ex mala corporis habitudine, vitiatoque sanguine facilè in Febres incidunt, & ex quacumque levi causa morbos incurrunt ab eodem sanguine oriundos. Hinc autem fit, cur Quartana diuturniori laborantes sensim atrum cutis colorem induant, & lienis obstructione afficiantur; quia scilicet acido succo jugiter sanguis inficitur, nec deinceps convenienter repurgatur; unde habitus corporis melancholicus evadit. Nec dissimiliter accidit,cùm aliter sanguis inquinatur in cæteris Febribus chronicis.

Intermittentes autem Febres Quotidianæ, Tertianæ, aut Quartanæ, quæ quotidiè, vel alternis diebus, aut de quarto in quartum diem redeunt, vel sunt simplices, vel compositæ, vel una, vel plures, ut sunt duplices, triplicesque Tertianæ, aut Quartanæ, cùm duo, vel tres paroxysmi uno die contingunt, vel cùm singulis diebus singuli respondent. De Quintanis, Sextanis, Septimanis, Nonanis, licèt expressè meminerit Hippoc. tamen Galenus illi contradixit, inde motus, quòd alios humores præter pituitam, bilem, ac melancholiam, ex quibus Quotidianas, Tertianas, & Quartanas pendere arbitratus est, in venis minimè reperiri existimaverit: At fallaci planè conjectura, cùm omnes febres à quolibet vitioso humore fieri possint, si modò is tanta quantitate cumuletur, ut in dies singulos, vel alternos, vel etiam intervallo duorum dierum fermentationem promoveat sanguini inconvenientem. Quare si ea alicujus corporis habitudo sit, ut humorem progignat sanguini dissentaneum, cum quo permistus Fermentationem ma-

1. Epid. s. 3. V. Avi. l. 4. f. 1. tr. 2. c. 68.

malam inducat, nonnisi quinto quoque die, vel etiam sexto, septimo, aliove, proculdubiò is erit Febrem Quintanam, Sextanam, Septimanam, similemve excitaturus. Parùm autem refert, an humor hic biliosus, pancreaticus, aqueus, aliusve sit.

Et sanè haudquaquam Quotidianæ, Tertianæ, & Quartanæ Febres à certis, & peculiaribus humoribus deducendæ: quasi quòd quotidiè repetentes nonnisi pituitam, aut ejus loco lympham, pro fomite recognoscant, & tertio, aut quarto die redeuntes solam bilem, aut melancholiam, ut vulgò creditur, ex peculiari uniuscujusq; enarratorum humorum proprietate. Quandoquidem Quotidianæ, Tertianæ, & Quartanæ Febres à periodis, quas referunt, ita dicuntur: & plerumque symptomata bilem attestantia in quotidianis Febribus observantur; & pituitosi humoris indicia sæpesæpiùs sunt in quartanis, & è converso. Non semel contingit experiri Quartanas, & quidem diuturniores in hominibus, qui habitu obesi, ac phlegmatici erant; aut etiam sanguineo, roseoque colore præditi. Plerique etiam sunt, qui à Tertianis longissimis, inveteratisque Quartanis, incolumes evasere, vomitu crudorum, tenaciumque succorum, sicut contra, à Quotidianis, egesto acido, aut amaro, flavoque humore. Porrò vulgarium iste Medicorum error non aliundè prodiit, quàm à coloribus, quibus excreti in ejuscemodi Febrium generibus succi intincti videntur, unde decepti Tertianas dixere à bile progenitas, à phlegmate Quotidianas, & Quartanas à melancholia. Verùm humores isti revera nulli sunt in sanguine; & colores in excretis apparentes à varia succorum mistura, & fermentatione fiunt, potissimùm verò ejus, quæ ex succo pancreatis, & cystis felleæ, unà cum illabente chylo in tenui intestino peragitur; ideòque pro varia eorumdem succorum, aliorumque fortassis è glandulis intestinorum extillantium affectione, admistione, atque agendi vi, modò flavus, & croceus, si bilis; modò viridis, aquilus, & niger, si pancreaticus liquor; modò albicans, & cineraceus, si crudus, & indigestus chylus; aut alius succus in commistione præcellat. Pari ratione tenues, & crassi, fluentes, & tenaces, mordicantes, & inertes, aliique similes egeruntur, pro diversa eorumdem vi, & conditione, in acrem, acidum, austerum, salsum, aliumve saporem inclinante, sicuti cuilibet Chymi ægnaro, qui varios liquores miscuerit, notum esse potest.

V. Averr 4.coll.28. Hipp. 2. de morb. Sibile, inquit, infestatur homo, febris ipsũ corripit quotidie ac dimit. V. Rhod. obs. med. Cent. 2. obs. 11. de quartana ex pituita; idipsum observatum à me in Duce S. Mauri Pignatello

Hinc Febrium Intermittentium fomitem è primis ductibus in imò ventre suppeditari, potissimùm verò ex pancreate, cysti fellea, mesenterio, ejusque glandulis, & intestinorum, aliarumque partium adjacentium, primus omnium suspicatus est Fernelius, ac post ipsum ex anatome deduxerunt Sylvius Deleboe, Regnerus Graaffius, aliique. Et quidem rigores, horrores, lancinantes dolores in lumbis, & intestinis, vomitus, dejectionesque, oscitationes, anhelitus, pulsuum contractiones, & alia, quæ Febres intermittentes inter initia comitantur, idipsum ostendunt. Nam quæ de fuliginibus, de effusa è venis per habitum corporis bile, de retracto in cor calore, & spiritu finguntur, tam vana, & futilia sunt, ut examinari non mereantur. Neque insuper plenè satisfacit Vvillisius, qui in succum alibilem è cibis suggestum, & sanguini jam vitiato commistum, adeòque depravatum, hujus rei causam refert: Hac enim

enim ratione cibo prorsùs abstinendum esset, ut Febrium repetentes accessiones desinerent; cùm tamen extrema servata inedia adhuc ingruant; & aliquàndo desierint cùm graviter in victus genere ægrotantes erraverint. Attamen eidem plurimùm quoque negotii facessit multiplex per unicum diem febrilium accessionum repetitio, & intermissio, in cujusvis generis Febribus periodicis.

Itaque ab incongrua mistura succi pancreatici, & biliosi cum chylo, aliisque succis in tenuia intestina confluentibus potior videtur Intermittentium Febrium petenda causa: & quidem si exindè acritudo sanguini accedat ex excedente, vitiataque portione biliosa, una cum acriori succo pancreatico, Febres consequentur cum rigore, quem mox sequetur ingens calor, sitis, inquietudo, si verò potiùs acidum exorbitet, Febris erit cum horrore; si denique crassitudo, & glutinamentum prævaleat, cum sola extimarum partium refrigeratione. Hinc quoque Febres biliosæ dictæ, cæteris breviores, pituitosæ longiores, & melancholicæ nuncupatæ mediæ inter utrasque in suis accessionibus esse solent. Ab hac autem succorum æquabili compage Febres orientur heterogeneæ multigenam varietatem referentes, cum difformibus symptomatis, varioque procedendi modo, quæ proptereà vocari solent spuriæ, & illegitimæ. Quòd si bilis iners sit, aut glutinosa reddita concrescat, ut acidum succum pancreatis moderari minimè possit, sicuti chylum in salsum liquorem non commutat, & crassum, compactumque alibilem succum efficit, ita crassioris humoris naturam adepta Febres parere poterit, quæ à pituita progigni putantur; sicut è converso lympha acrior, aut salsior facta, Febres aliquando exhibebit, veluti à bile progenitas; itemque si consistentior evaserit, acorem nacta, etiam referre poterit eas, quæ vulgò melancholiæ tribuuntur.

Unde verò citiùs, aut tardiùs, semel, aut pluries repetant singulo quoque die, tertio, aut quarto, itemque quinto, sexto, septimo, & in suis circuitibus brevius, aut diutiùs perdurare soleant; Causa deducenda videtur à citiori, vel tardiori fermentorum conventu, & cum sanguine mistura; necnon ab eorumdem conditione varia, per quam fermentationem subitò excitent, & absolvant, an potiùs in longius tempus differant, modo, quo experimur quædam vina brevi fermentescere, alia perdiù: nonnulla faciliùs, alia difficilius. Plurimùm quoque ad id conducit loci, unde fermentum promovetur, habitudo, & cum ductibus chyli, aut sanguinis communio, & societas; robur pariter, & sensus, quo partes affectæ præditæ sunt: quamobrem à fermentante succo tenui, vel crasso, inerti, aut vegeto, pauco, vel multo, à vasis chyliferis, & sanguineis remoto, vel proximo, atque à partibus imbecillis, & insensibilibus, validis, exquisitèque sentientibus, variæ admodùm contingunt, & quidem tardæ, vel celeres, breves, vel longæ, quæ facilè, vel difficilè resolvuntur. V. Gal. 2. de diff. febr. c. 11

Accidit autem non solùm in confluxu tenuium intestinorum depravatos succos pancreaticum, & felleum indebitam fermentationem excitare; verùm etiam in vasis lacteis, Receptaculo Pecqueti, ipsoque transitu ductus Thoracis: quo fit, ut aliquando inæquales rigores, dolores, & inter Febrium æstus varias subeant concussiones, commotionesque cum frigore,

re, & oscitatione ægrotantes; vel etiam inter horrores, algoresque veluti evaporationes calorificas cum rubore faciei: Quamquam hæc non rarò à vaporibus ipsorum fermentescentium humorum oriantur. Repetunt verò plerumque paroxysmi statis horis, & temporum intervallis, quoniam succi isti febrile fermentum sanguini subministrantes æquabili mensura ab indicto motu, & circuitu, in certum tempus secernuntur, & cumulantur, ut repetitis observationibus deprehendit de succo pancreatico, & biliofo in vivis canibus Graaffius, deque sanguine ipso jam cunctis notissimum, atque pari ratione de lympha, cæterisque judicandum: quæ si fortasse prævertantur, & à consueto declinent; Erraticæ proculdubio Febres prodibunt, licèt istæ adhuc in vago suo reditu ordinem quoquo modo servare soleant.

Non rarò etiam Febres consequuntur unius solùm humoris vitium, si modò is cum sanguine commisceatur. Sic namque Febres à lympha, biliofo, aut pancreatico liquore sejunctim vitiatis, atque in vasa sanguinea traductis, passim observantur; aut quia illi non bene à sanguine secernuntur, & in sua conceptacula percolantur; aut quia denuò ope circumeuntis sanguinis à venis resorbentur. Verùm istæ Febres plerumq; synochæ esse consueverunt, nec si semel desierint, ampliùs repetunt, repurgato scilicet sanguine per crisim.

Redeuntes, & Periodicæ febres sive intermittentes, sive continuæ illæ sint, ejusdem generis, & naturæ tunc dicuntur, cùm repetentes paroxysmi sibi invicem respondent in modo invasionis, tempore durationis, & in adjunctis symptomatis; unde si quotidie sibi mutuò in his respondeant, Quotidiana; si alternis tantùm diebus, Tertiana Febris dicitur. At si una uno die invadens secum ferat symptomata alteri non respondentia, hæ profectò duæ Tertianæ dicentur: Sic & Quartanę duplices, triplicesque appellantur, cùm per binos dies accessiones redeunt, sequenti tertio die vacuo; vel singulis quibusq; diebus novi semper ingruunt paroxysmi. At verò nil equidem vetat, quin & quotidie repetentes dici queant Quotidiani, si scilicet singuli in dies comparentur; pariterque Tertiani, si alternatim solùm; & sic porrò de aliis.

Quoniam autem Intermittentium periodicarum Febrium comes indissolubilis est Rigor, Horror, vel levis extimarum partium Refrigeratio, aut mistum quidpiam uni, aut alteri magis analogum in spuriis, confusisque febribus; Verisimile admodùm existimamus Rigorem à fermento acriori, Horrorem ab acidiori, & levem Refrigerationem à viscosiori pendere. Id autem haberi poterit à solo succo pancreatico, vel etiam à congressu cum aliis; si nimirùm inde acrior, acidior, vel consistentior mistura fiat; quæ ductus chyli, & sanguinis pervadens, eam excitet fermentationem, ut referat symptomata Quotidianis, Tertianis, aut Quartanis respondentia. Si bilis pręterea acorem succi pancreatici temperare nequeat, hic chylo commistus, & in cor delatus sanguinem reddet glutinosiorem, & acescentem; unde Febres difformes periodos referentes cum symptomatis dissimilibus. Neque rationi, & experimento dissentaneum, posse etiam fermentum febrile cordi, & sanguini communicari à glandulis lumbaribus, & mesentericis, cùm jam apud plerosque constet, in his, sicut & in reliquis visce-

De Rigor. V. Hippoc. 1. de morbis: ibi Rigor quidem in morbis fit.

visceribus, propria, & peculiaria inesse fermenta, quibus succos illuc confluentes, chylum, lympham, sanguinem ipsum diluant, purificent, transmutent. Observatum quoque aliquando est, chylum per lactea vasa in eas glandulas deductum, vitio earumdem in humorem degenerasse fœtidum puri non dissimilem, cordi, & sanguini quammaximè infensum, qui cùm post aliquot horas à pastu ductum Thoracicum transiliret, febres, anxietates, dolores, rigores, syncopas, aliaque graviora symptomata afferret; ut & in quodam Monacho interdum Nos observavimus. Itaque fermenta Febrium non solùm suggeri possunt ab his, quæ nuper memoratæ sunt, partibus, sed ab innumeris penè aliis.

V. Ephē. Germ. ann.70. obser. Elisneri.

At verò licet Intermittentes Febres cum signis plerumque manifestis, rigoris, horroris, & frigoris invadant, non tamen hoc perpetuum, & inseparabile signum censendum est: etenim Continuas adhuc febres rigore, & frigore comitari sæpe contingit: quod etiam observavit Hipp. 4. *Aphor. 46.* inquiens, *si Rigor incidat. Febre non intermittente, ægro iam debili, lethale.* Sicut enim retuso acido acri succo pancreatis Rigor, vel non fit, vel levissimus, ita eodem acriori reddito vehementior ille fieri solet, qui si unà simul acrior, & multus sit, ut proindè accessionem in longius tempus protrahat, quàm mox altera excipiat, ob citam prædicti succi congestionem, & cum bile repetentem fermentationem, certè continuam quoque Febrem pariet. Cæterùm quousque fermentum cum sanguine commistum repetitis circuitibus in sua conceptacula secernatur, aut per alvum, urinam, sudorem expurgetur, eo usque Febris perdurabit. Quamobrem pro varietate fermentantium humorum, qui citiùs, vel tardiùs, facilius, vel difficilius à sanguine repurgantur, breviores, aut longiores accessiones oriuntur.

Sicuti fermenta febrilia, seù humores præter naturam geniti indebitam fermentationem, & Febrim inferre valentes, varii, diversique esse possunt; ita causæ procatarcticę non unius generis erunt, neque semper eodem modo ejuscemodi perturbationem in sanguine excitabunt. Aer quippè non semper calore, sed plerumque etiam frigore Febris occasio fiet; immò etiam ob varios, diversosque halitus, & vapores per ipsum dispersos. Cibi pariter, & Potus diversimodè idem præstabunt, præsertim verò quantitate, qualitate, & tempore nocui. Motus item immodicus, & Otium. Somnus, atque Vigilia si modum excesserint; necnon Evacuationes consuetæ retentæ, & Animi pathemata vehementia, ac diuturna, de quibus alibi dictum. Hæc autem pro varia in corporibus impressione, eorumque habitudine; modò Intermittentium, modò Continuarum Febrium occasiones erunt, prout in sanguine diathesim leviorem, gravioremque induxerint.

Intermittentes à Continuis Febribus internoscere, quamvis facillimum videatur, non raro tamen seniores rei Medicæ Professores in hoc falsi sunt. Siquidem Febres aliquando declinationem adeptæ, plurimùm planè remittuntur, at neutiquam omninò intermittunt. Neque solùm à pulsu tardiori, & rariori tutò licebit de intermissione febrium coniicere, sed potissimùm à recessu symptomatum, quæ Febrim comitantur. Quare fucata dicenda erit illa intermissio, cùm licèt calor temperatior appareat, & laxior pulsus, capitis tamen, vel lumborum dolor, sitis,

vigilia, aliudque symptoma adhuc perseveret. Debent itaque Febres adeò per intermissionem desinere, ut nullum sui vestigium relinquant, & ægroti omni noxa vacantes, veluti in salutis statum videantur reverti. Sæpesæpiùs etiam Febres cum manifestis signis rigoris, aut horroris invadentes, sudore, dejectione, vomitu promptè terminantur, & intermittunt; aitque Hipp. *quibus in Febribus quotidiè rigores fiunt, quotidiè Febres solvuntur.* Quotidianæ verò, Tertianæ, & Quartanæ non solùm periodis distinguuntur, sed etiam quia Tertianarum comes solet esse Rigor, sicuti Quartanarum Horror, qui ex Galeno interse invicem differunt duratione, & sensu illato: Rigor enim vix horam attingit; at Horror, etiam duas, tres, aut quatuor transcendit. Rigor sensum incutit punctionis, & acritudinis; Horror verò congelantis frigoris; in utrisque autem patientis corpus insigniter intremit, & concutitur. Hinc ait Galenus, rigentes veluti spinis pungi videntur; horrentes verò veluti glacie perfundi. Paroxysmi duodecim horas non excedunt; ultra hoc tempus protracti, spurias, & illegitimas Febres denunciant.

4. Aph.63

Febres verè Intermittentes periculo vacare scribit Hipp. atque ex his Tertianam exquisitam septem circuitibus terminari. A rigore etiam superveniente continuis febribus eas solutum iri admonet, nisi tamen sexto die accidat, aut æger post ipsũ non facilè recalescat, aut sopore corripiatur, cum levi sudore, torpore, ac vocis defectione, cervicis dolore, refrigeratione que, aut citrà sensibilem succedentem evacuationem. De Quartanis autem ait, æstivas breviores, autumnales longiores, & præsertim quæ hyemem attingunt; easq; nisi Vere, raro solvi subdit Celsus, diutiusque protrahi, quæ cum obstructione, aut lienis scirrho conjunguntur: & quamvis convulsis auxiliari dicantur; visum tamen aliquando contrarium est. Cæterùm Quotidianæ reliquis semper periculosiores sunt ob afflictiones quotidie repetentes, & longas satis accessiones, quæ vix immunem ægrum à Febre relinquunt, cum & xviii. xx. & ampliùs horas perdurent. Quòd si statis horis redeant, per diem ingruant, & noctu deindè exacerbentur, longè graviores erunt.

4. Aph. 43. Eod. 59. Ibid. 58. Ibid. 29. & 1. prorrh. 2. In Coac. prænor. 2. Aph. 25 L. 3. cap. 16. 1. epid. 5. 5. Aph. 70. 4. Aph. 30

Pleræque hujus generis Febres non raro certis tempestatibus contingũt, quæ sponte sua absque ullo medicamentorum usu sensim remittuntur, ac tandem salubriter desinunt, sudore, dejectione, vomitu, aut urina copiosiori; ab adhibitis verò remediis potissimùm evacuantibus, in longius tempus protrahuntur aut in pejores commutantur, impedito nimirùm fermentationis, & secretionis motu. Aliquando verò omninò expediet congruum propinare medicamentũ, quod febrile fermentum aut exturbet, aut corrigat, & refrænet; immò & sanguinem ipsum à contracto vitio depuret, repurgetque. Inter ea, quę febrile fermentum, seù degenerem à sanguine humorem extra corpus eliminant, tutiora plerumque sunt Vomitoria ex infuso croci metallorum, Reguli Antimonii, aliusve similis. Jucundum autem, & perquàm accommodum experti sumus aliquoties oxysaccharum emeticum Angeli Salæ. Post finitam Emetici operationem, exhibendam suadet Thomas Sydenham paulò ante paroxysmum largam diascordii quantitatem, ut ejus impetus infringatur; si tamen Febres istiusmodi vere, & æstate contingant. Neque solùm inter initia, & in

Moth. cur. febr. s. 3.

in Febribus acutis, sed etiam in chronicis, & contumacibus unicè prodesse vomitum testatur Galenus *lib.1.ad Glauc.* ipsumque alii plurimi salutarem se expertos confitentur. Quòd si alicui vomitus insuetus sit, aut non ferendo videatur, maximè utilis erit pulvis Comitis de Vvarvich qui solus plurimas Intermittentes, immò & Continuas Febres, adhuc in principio solvit per æstatem, & autumnum. Cavendum autem, ne ab intempestivo, & inconvenienti medicamento purgante vires deiiciantur, agitentur magis humores, aut alii, quàm qui peccant, inutiliter educantur, succedente etiam hypercatharsi. Nec præterea fidendum iis, quæ vulgò benedicta appellantur, quasi quòd solùm leniant alvum, & primos, ut ipsi dicunt, ductus abstergant, ideòque innocue sumi possint, ut Manna, Viola, Rosa: Hæc enim tam nocua sunt in Febribus, quàm quæ alia, cùm facilè corrumpantur, stomachum relaxent, & febrile fermentum augeant; unde diarrhœa, cardialgia, cibi fastidium, & ingens sitis, præter alia, sæpissimè suboriuntur. Quare Riverius in his Febribus, etiam diuturnis, ipsaque Quartana usus est Mercurio dulci sexies sublimato cum resina jalapæ, vel scammonio vapore sulphuris correcto, seque optatum ex hoc remedio eventum, ac propositum assequutum innumeris planè exemplis testatur, [*in centuriis Observationum Medicarum*.

Cùm à glutinosis, crassisque succis foveri Febres videbuntur, Diæta attenuans sit; & medicamenta quæcumque diuresim, aut diaphoresim quoque moveant, unaque simul stomacho opitulentur. Verumtamen non statim à principio sudorifica exhibeantur præsertim potentiora, cùm non facilè crassi humores sudore possint educi; juvabit propterea primùm illos sensim attenuare, deindè per cutim educere, nisi tamen à vomitu fuerint magna ex parte discussi, & excreti. Si verò humores acres sint, illos temperabunt partim alimenta molliora, partim etiam medicamenta humectantia levioribus acidis commista, ut etiam anodyna, & narcotica blandiora: quæ etiam acidum infringent, si id præcellere videatur, preter ea, quæ sale volatili sunt prædita, minimè verò oleosa, ne inde æstus, & sitis inducatur. Quibus verò signis ejusmodi humorum vitia dignoscantur, alibi dictum.

De usu Narcoticorum. V. Hipp. 2. de Morb.

A sanguinis missione nil quidquam juvaminis unquam sperare licebit in Febribus Intermittentibus, cùm hæ fomitem extra venas, & arterias habeant in imo ventre. Nec insuper illa videtur Galeno commendata, nec minùs Aetio, Æginetæ, aliisque Græcis Authoribus; sed nec Arabibus plerisque, præsertim Avicennæ, & Averroi, cæterisque ex Latinis Scriptoribus innumeris. Indè enim nullum febrientibus juvamen evenire, ratio, & experimentum pluries evicit, infracto scilicet robore vitali, quo Natura causam morbificam debellat. Notissima est Historia Cardinalis Toletani ab Helmontio memorata, cui sanguis licèt ad omnem venarum depletionem fuisset exhaustus, nunquam tamen potuit Tertiana Febris adimi, ut tandem infeliciter perierit.

Quoniam verò sæpesæpiùs spontè naturæ solent Febres copioso sudore desinere, postquàm illæ aliquatenùs deflagraverint, sudorificis sine ullo metu utendum; attento autem præ primis motu naturæ. Inter varia tamen, & innumera, ex carduo benedicto, dictamno, scordio, contra-

yerva, angelica, carlina, ſcorzonera, vipera, cornu cervi, camphora, ſuccino, nitro, ſale ammoniaco, vitriolo, tartaro, ſtibio, mercurio, parata, ſalia, pulveres, electuaria, ſpiritus, elixires, tincturas, aquas, magiſteria, tutiora, jucundiora, & efficaciora fuere hæc hactenùs obſervata: ſal cardui benedicti, abſinthii, & prunellæ, tartarum vitriolatum, ſal volatile ſuccini, & viperinum, ſpiritus ſalis ammoniaci dulcis redditus, ſtibium diaphoreticum, & omnia Bezoardica, & Mercurialia fixa, ritè præparata. Summis laudibus extollitur ab Helmontio Mercurius diaphoreticus; at ejus præparatio inter arcana reſervatur; decoctum tamen aſari ad Febres chronicas, & ad Quartanam ſpiritus ſalis marini commendatur. Ex ſale polychreſto è fuligine camini elicito, ſale prunellæ, & ſtibio diaphoretico pulvis efficaciſſimus conficitur, quo non ſolùm Febres Intermittentes, ſed etiam Continuæ mirabiliter curantur, promoto ſudore, aut diureſi. Febrifugum Riverii creditur Rolfinchio componi ex Sole, Mercurio, & vitro Antimonii ſolutis, cohobatione iterata deſtillatis, & in pulverem redactis, cui additur diagridium, cùm alvi ſolutio deſideratur. Apud Grulingium deſcribitur ſal quoddam antifebrile, cujus uſu ad dr.j. duabus, vel tribus horis ante acceſſionem in aqua centaurii minoris, vel ſimili ſudor ſub declinatione paroxyſmi manare dicitur, & Febris aboleri. Conficitur id ex ſale ammoniaco ſublimato, nitro præparato, ſale cardui benedicti, abſinthii, & centaurii minoris in aqua cichorii ſolutis, atque in ſalem cryſtallinum ſecundùm artem commutatis. Proponitur quoq; ab eodem pulvis ad Febres omnis generis ex ſeptem rebus compoſitus, qui

Chym. in ar. for. red. l. 5. f. 6. c. 12. Gruling. Flor. Med. p. 23.

valdè utilis obſervatus eſt. Jam nunc frequentiſſimus eſt apud omnes uſus pulveris corticis Peruviani in vino primùm infuſi, mox antè acceſſionem exhibiti, quo ingruens paroxyſmus coercetur, & fermentatio impeditur, licèt poſt aliquot dies redire ſoleat. Tanta autem nonnullis in hoc pulvere fiducia eſt, ut etiam in Continuis Febribus illum offerre non dubitent: at non ſemper res ex voto ſuccedit, ut ſubindè Febris, quæ continua eſt intermittat, quamquam his temporibus genuinus cortex vix inveniatur. Quare in ejus locum ſuffectus eſt in publico Noſocomio D. Virginis M. Annunciatæ alius ex corticibus cupreſſi, & malorum aureorum dulcium, cum radice gentianæ, cui prout neceſſitas poſtulaverit, etiam addere ſolemus tartarum vitriolatum, & ſtibium diaphoreticum: eo autem ter exhibito Febris deſinere ſolet. Idipſum etiam experti ſumus ex pulvere corticum radicis arboris Perſicæ pari modo in vino albo veteri exhibito cum ſale abſinthii, vel centaurii minoris; pariterque ex nitro fixo in aqua calenti ſoluto, & dum hæc evaporat, in tenuem pulverem redacto, ad ſcr.j. cum ſcr. ſſ. pulv. Coffe ante acceſſionem. Aliam ex nitro miſturam, & ſingularem præparationem Ausfeldianam recenſent *Eph. German. annot. ad obſ. 196. Ann. 2.* adversùs Febres Intermittentes efficaciſſimam. Meminit alterius pulveris Bartholinus de ganaperide dicti, ad eundem uſum. Commendatur etiam à Friderico Deckers pulvis alius ex corticibus ligni guajaci, & fraxini, extracto radicis gentianæ, & angelicæ, ſtibio diaphoretico, ſale volatili ammoniaco, ſeù floribus ejuſdem cum myrrha. Franciſcus Piens multos à Tertiana liberaſſe fatetur hauſtu febrifugo

Cent. 2. epiſt. 42.

Crol-

Crolliano aquæ cichorii ad unc.ij. ſalis abſinthii ad dr.ſſ.& ſpiritus ſulphuris ad ſcr.j. Ad Quartanam verò memorat medicamentum ſibi à Jacobo Cochio communicatum, quod habet: *Aq. card bened. unc. iij. alum. crud. pulv. dr. i. olei ſulphur per campanam eliciti ſcr. i. ſal. centaur. minor. dr. ſſ.* fiat hauſtus calidus. Hoc & ipſe ſæpiùs feliciter uſus ſum, etiam ſi Quartana hyemem attigiſſet. Hydrodiaphoreticum, & Hydrocatharticum Turqueti, quo nil præſtantius ad ejuſmodi Febres debellandas inveniri idem Piens teſtatur, voluit, ut alios lateret. Alia plurima proponuntur ab aliis, quæ conſultò omittere viſum eſt, ſicut & externa medicamenta carpis manuum applicanda, ut eſt emplaſtrum Strobelbergeri deſcriptum à Schrodero in *ſua Pharmacopœa*, & à Grulingio *in ſuo Florilegio*; itemque cataplaſma febrifugum Principis Anhaltini: Fotus à Lotichio relatus; & oleum febrifugum ejuſdem Strobelbergeri. Refert ſe à duplici Tertiana curatum Boyle circa manuum carpos appoſita miſtura ex ſale, lupulo, & reſinis corinthiacis. A ſpinæ inunctione cum oleo ſeminum colocynthidis Tertianam aliquando curatam vidi; ſicut etiam à cataplaſmate lumbis admoto ex albumine ovi, croco, & mirrha, cum modico camphoræ. Quo autem pacto iſta Febrim tollant explicare conatus eſt Th. Vvilliſius *de Febribus Intermittentibus cap. 7.*

DE FEBRIBVS CONTINVIS.

Continuæ Febres ſunt, quibus ægroti uſque laborant, nec intermittere obſervantur, niſi morbus omninò ſolvatur, quamvis remiſſionis, & exacerbationis tempora quoque habeant, cùm nunquam, vel rarenter admodùm videantur, ſingulis, vel alternis diebus, paroxyſmis certa hora repetentibus deſtitui. Ad has reduci poſſunt Diariæ tum legitimæ, tum nothæ, itemque ſingulo die, vel etiam alternis, citra ἀπυρεξίαν invaleſcentes, uti præ cæteris eſt, quæ Græcis Tritæophyes, ac Tritæus nominatur, nimirùm quia tertio quoque die exacerbatur, ſed unius Tertianæ naturam refert: necnon Febris Ardens, & Lipyria, quæque Maligna, atque etiam Peſtilens dici ſolet.

Tribus autem modis putat Vvilliſius Febres continuas fieri; videlicet à tenui ſanguinis fervefacti portione, ſeù ſpirituum ebullitione; unde Ephemera, & Synochus unius, aut plurium dierum: à ſulphurea, ſeù oleoſa ejuſdem ſanguinis parte nimis excalefacta, & accenſa; unde Febris Putrida dicta: & demùm à miaſmate venenato ſanguinem inficiente, ejuſq; liquorem congelante; undè Febres Malignæ, Variolæ, Morbilli, Peſtis ipſa. Paroxyſmos autem, inæqualitates, & motus criticos varios, cum his jungi ſolitos, oriri arbitratur à ſucci alibilis recens in ſanguinem congeſti depravatione, ſeù potiùs corruptione, ut fuſiùs apud eundem. De febr. c. 7. & ſeq.

Verùm Deleboe Sylvius, Continuas Febres quolibet, tertio, vel quarto quoque die exacerbationes, mox etiam remiſſiones habentes, non ſimplices, ſed compoſitas exiſtimat, ex Synocho æquabiliter procedente, & ex Tertiana frequentiùs, rariùs ex Quotidiana, rariſſimè ex Quartana Intermittente; more quo Galenus Hemitritæum ex Hippocrate deſcripſit Quotidiana Continua, & Tertiana Intermittente conſtantem. L. 1. prax. cap. 27. & 31.

Non prætereundum tamen, Continuas fieri poſſe dupliciter: primò à fermento ſanguini intraneo; ſive à

propriis ejusdem particulis disparibus in fermentationis motum actis; puta cum portio sanguinis glutinosa, & alibilis non benè à tenuiori subigitur; vel contra, tenuior hæc illam indebitè exagitat, & perturbat; vel cùm partes chyli impuriores iteratis circuitibus à sanguine secernendæ non repurgantur, sed detentæ illius naturam vitiant, & inquinant. Secundò à fermento sanguini extraneo, sed assiduo eidem, & cordi suggesto, ut est chylus, lympha, succus pancreaticus, & felleus, aliusque, si fortasse in sanguinis ductus feratur. Ad primam classem videntur revocari posse Ephemeræ, seù Diariæ Febres, & quæ Synochi, Continentesque Febres appellantur. Ad secundam verò Synochæ, & Continuæ, quas vulgò Quotidianas, Tertianas, & Quartanas continuas nuncupare solent.

Et quidem Diariæ Febres levem in sanguine fermentationem designant promotam à particulis ejusdem tenuioribus aliquantulùm exaltatis, potissimùm à causis externis, æstu aeris, insolatu, motu immodico, potu vini meracioris, crapula, animi pathematis, præsertim ira, & similibus. Cùmque suaptè natura, commotus sine sui vitio sanguis, post aliquod tempus consistat, atque in suum statum remittatur, solent propterea Febres istæ sponte terminari post unum, duos, vel tres dies, nisi aliud accesserit, quod in longius fermentationem protrahat. At si ejusmodi in sanguine exagitatio, & partium tenuiorum exaltatio, acrem, sulphuream, vel biliosam conditionem consequatur, talem certè orgasmum, & æstum afferet, ut præter Febrim exurentissimam, ingentem quoque sitim, inquietudinem, vigiliam, dolorem, anxietatem, & alia graviora symptomata arcessat: id quod plerumque fieri solet, cùm in sanguine acres partes adaugentur, nec pro ratione secernuntur; quamobrem duratura Febris tamdiù erit, & planè continenter, quamdiù partes ejuscemodi acriores fuerint in cystim percolatæ, aut etiam per reliqua corporis emunctoria foras expulsæ. Contingit pariter, Ardentes Febres referre typum Continuarum repetitas accessiones, & tempora sensibilis exacerbationis habentium, cùm novæ portiones ex cibo, & chylo suggeruntur, vel etiam ipse sanguis in citiorem motum adigitur; itemq; lympha acrior, vel felleus humor compari vitio affectus sanguini refluenti commiscetur, & per venam cavam in cor defertur, aliusve succus acer, tenuis, salsus, aliterve vitiatus è visceribus communicatur. Quòd si fortasse fermentum ejusmodi à sanguine deinceps secernatur, atque in sua conceptacula vi quadam irritante deponatur, quæ primùm Continens, vel Continua fuit, Intermittens Febris evadet, aut omninò desinet, ut dicitur 4. *Aph.*58. A detentis etiam partium recrementis sudore, sero urinario, sanguinis ichore, pure, diversisque halitibus, & vaporibus, itemque veneno, vel epoto, vel inflicto, medicamentis præsertim catharticis, & similibus Continuæ Febres sæpesæpiùs oriuntur. Sed & hæ Synochorum naturam referentes accidunt, cùm in finibus Arteriarum, ubi pulsus, vel nullus, vel inconspicuus fit, hæret sanguis, & concrescit in grumos, pariterque in Jecinore, Liene, Mesenterio, Pancreate, Pulmone, cæterisque visceribus; quin & aliquoties compertum est Febres Malignas, Pestilentesque subortas à concreto, grumefactoque sanguine in Arteria pulmoniaca, immò etiam in cordis ven-

V. Gal. 2. de cris. c. 6.

ventribus, & auriculis ex pravis halitibus per aera disperfis sanguinem figentibus; unde syncopæ, pulsuum languores, corporis refrigerationes, & interitus.

Ab internis præterea inflammationibus, si potissimùm illæ Erysipelatodes sint, Febres Continuas, & acutas progigni apud omnes in confesso est, cùm adhuc à spina digito infixa vehementissimas, continentesque Febres oriri experiamur, quamquàm nullum sensibile vitium in sanguine præextitisse constiterit. Neque sunt raræ ejusmodi Febres ab inflammationibus, & abscessibus internis inductæ; immò pleræque ab internorum viscerum affectionibus proveniunt, & sæpissimè in lethum desinunt, ut passim cadaverum dissectionibus innotuit. Quin Erasistratus Febrem nullam sine inflammatione esse dixit: quod saltem in continuis verum existimat VVepferus. Hæ verò inflammationes, & abscessus non tam facilè sensibus patefiunt, vel quia exiguæ molis, & erysipelatis conditionem referunt; vel quia glandulas, aliasque insensiles, aut profundiores corporis partes occupant; vel quia demùm in gangrænam, & sphacelum deducuntur, proptereàque sensum doloris adimunt. Porrò hæc quamvis exigua videantur, infensissima tamen sunt, & Malignas Febres arcessunt propemodùm immedicabiles, cùm symptomatis veneni notas referentibus.

V. Vallef. in pr. epidem. ægr. 1. & River. l. 17. prax. c. 2.

Cæteræ verò febres continuæ, Synechæ Græcis dictæ, suis peculiaribus accessionibus, cum manifesta exacerbatione, & succedente remissione repetentes plerumque à fermento sanguini extraneo, & aliundè suggesto pendere solent, præsertim autem succo pancreatico, & felleo, lympha, chylo, ciboque in ventriculo, intestinis tenuibus, ductibus chyliferis, glandulis, pulmone, corde ipso degeneratis, depravatisque. Quoniam enim hi humores statis temporibus secerni, repurgari, & in suis conceptaculis colligi solent; cibus verò, peculiaribus fermentis confectus, distributus, & secretus in suos ductus traducitur, & in alibilem succum commutatur, fit propterea, ut per certa tempora paroxysmos moveant & incrementa, ac decrementa febrilia disponant, & moderentur. Antequam autem una accessio desinat, altera subingreditur, quoniam priusquàm iteratis circuitibus sanguis à fermento depuretur, illudque extra se in emunctoria corporis amandet, novum certa quantitate coadunatum denuò cum eodem commiscetur, & in novam fermentationem priori non dissimilem illum excitat, qui rursùs, pari recursu, & percolatione iterata, ab illo seipsum extricat, quod iterùm collectum, & sanguini commistum aliam fermentationem, & febrim parit, sicque deinceps, quousque fermentum febrile omninò absumptum, expulsum, vel coercitum fuerit. Hæc autem certa lege, & ordine, statutoque tempore plerumque contingunt, ut ferè admirationi sint, sed tamen normam, & moderamen capiunt à circulante sanguine, & subindè à collectione ejus humoris, qui fermentationem in sanguine promovet; unde fit, ut aliquandò novus paroxysmus priorem insequatur in statu, quandoque in principio, vel fine declinationis, cùm vix febrire ægrum dicas; prout citiùs, vel tardiùs febrile fermentum fuerit cumulatum, paucioribus scilicet, aut pluribus sanguinis circuitibus, & secretionibus.

Accidit autem aliquandò, ut recurrentes febres alternis solùm accessioni-

sionibus sibi invicem respondeant, videlicet tertia primæ, & quinta tertiæ; quarta secundæ, & sexta quartæ; idque vel ex fermento dissimili, ac heterogeneo, eoque duplici, quorum unum per dies impares, alterum per pares colligatur; & cum sanguine commistum fermentationem excitet; vel quòd unum, idemque fermentum diversimodè in memoratis diebus afficiatur ex accessu, & commistione alterius succi stato quoque tempore remeantis à circulante sanguine depositi. Fieri etiam potest, ut impuritates à sanguine secretæ alicubi, & præsertim in glandulis Mesenterii, aliisque deponantur, ac subsistant circa remissionem primæ accessionis, ibique novam levem fermentationem excitent, breviori adhuc tempore duraturam; sicque pariter in declinatione tertiæ, quintæ, septimæ; cùm tamen istæ accessiones longè graviores fiant, veluti inductæ à succo pancreatico, & bilioso vitiatis, & cum sanguine commistis. Peculiares autem ejusmodi partes, ubi humores in febribus recolligantur, & adunentur, Focos, & Mineras Veteres appellarunt, ex quorum multiplicitate, multiplices accessiones provenirent.

A Fermentorum itaque, seu succorum, qui cum sanguine miscentur, varietate, oriuntur febres diversæ conditionis, & naturæ, uti sunt quæ vulgò appellari solent Biliosæ, Melancholicæ, Pituitosæ; & à Sylvio Pancreaticæ, Lymphaticæ, Glandulares, Salivares; atque à symptomatis adjunctis Æstuosæ, Lipyriæ, Colliquantes, Siticulosæ, Syncopales, Anhelosæ, Helodes, Assodes, Phricodes, Algidæ, Epialæ, Lentæ, Ureticæ, Arthriticæ, & similes, quas longo ordine idem Auctor memorat, & examinat. L. 1. prax. cap. 30.

Speciatim verò Epialam febrim (qua ægrotantes simul rigere, & æstuare dicuntur) putat idem Sylvius esse duplicem intermittentem, & utramque à succo pancreatico acriore, bileque itidem acri inductam, itaut continuò frigus unius concurrat cum alterius ardore: atque prioris paroxysmus novus, & frigus revertatur, quando posterioris calor incipit increscere, & ægrum affligere. V. Gal. 2. de diff. Febr. 6.

De Hæmitritæo autem sentit Franciscus Piens malè referri à Galeno ad compositas ex Quotidiana continua, & Tertiana intermittente; sed potiùs revocari debere ad febrem Horrificam (quæ Græcis Φρικώδης, & Τριταιοφύης dicitur) seu Continuam cum multis rigoribus ingruentem; vel ad plures intermittentes sibi invicem succedentes. At verò A. Spigelius *l. de Semitert.* pluribus contendit non sine inflammatione ventriculi, vel saltem hærentis ibidem sanguinis illam accidere.

Falsum quoque existimat Piens Ardentem spuriam, cum ardore invadentem, sed absque siti, oriri, ut vulgò creditur, à pituita salsa putrescente. Inquit enim fieri non posse, ut pituita salsa putrescat, & febrim afferat, quia salsa, tantùm abest, ut putredinem contrahant, ut etiam procul arceant: ità muriam numquam putrescere videmus; At verò si fieret Ardens à pituita salsa dum putrescit, sequeretur omnem febrim à pituita putrescente Ardentem fieri; quoniam si pituita, cùm putrescit, salsa evadit, & putrescens febrim efficit; omnis pituita putrescens febrem induceret Ardentem, cùm ex vi putredinis salsedinem conciperet. Verisimiliùs igitur nothæ istæ Ardentes febres (si ità illas appellare fas est), à lympha acriori inferentur, vel à sero sanguinis non benè percolato, atque in fluorem nimium adducto, ut adhuc L. 2. de Febr. Interm. in genere.

salsi-

falſilaginem cruoris diluat, exagitet, & depravet.

Nec inſuper certò de Ardentibus legitimis coniicere licebit à nimio ardore, æſtuationeque ægrotantis, & ab ingenti ſiti. In febribus namque Lipyriis dictis calor tactu vix ſentitur; atque ſitis etiam deeſt, cùm ſiccæ tuſſes febrientes irritant, quemadmodùm contigit filiæ Euryanactis 3. *Epidem.* Quare potiùs à reliquis ſymptomatis, à pulſu celerrimo, & inæquali, ab ægrotantis inquietudine, à vigiliis, cæteriſque illæ erunt internoſcendæ.

4. Aph. 48.

Eod. Aph. 54.

Sicuti intermittentes plerumque ſecuriores obſervantur, ita continuę, & continentes febres periculoſæ ſunt, potiſſimùm ſi gravibus ſymptomatis ſtipentur, delirio, aut ſopore, reſpiratione crebra, interrupta, aut difficili, nauſea, ſingultu, ſtomachi morſu, ſudore frigido, vel nimiùm fluente, ſine febris levamine, rigore præſertim ſexta die ſuperveniente, motibus convulſivis, ictero ante ſeptimum, viſcerum dolore, ex ſomno pavoribus, extremorum refrigeratione, & ſimilibus.

At verò hæ febres ut ſalutarem nanciſcantur eventum, fermentum febrile removendum, corrigendumque eſt. Hinc plerique diaphoreticis inſiſtunt, quibus poſſint illud diſſolvere, & repurgare, unàque ſimul per diaphoreſim protrudere, quæ ſanè in febribus univerſis familiaris Naturæ eſſe conſuevit; intereà nec oppreſſis, nec exſolutis ægri viribus per pharmaca, phlebotomias, cæteraſque ſimiles evacuationes Naturæ motum, vel impedientes, vel diſtrahentes. Utile tamen fuerit, ſi ductu ſymptomatum, præſertim in excretis, aut retentis, & in qualitatibus mutatis, quænam ſit cauſa febrilis fermentationis coniici poſſit, ut in eam exhibenda remedia colliment.

Verumtamen in curandis febribus Ephemeris, ſeu Diariis hæc notitia contemni ſolet, cùm illæ ſuapte natura ſæpiſſimè, unica die ſalubriter terminentur, & ſatis ſit aerem temperatum quærere, ſi fortaſsè ab illo febris ortum duxerit; moderatam diætam, ſi à crapula, & cruditatibus; quietem, ac ſomnum, ſi diuturna vigilia, & immoderatum exercitium præceſſerit; itemque conſuetas evacuationes promovere, ſi ex iiſdem ſuppreſſis, vel retardatis proficiſcatur.

Protractas autem Diarias, Synochos, & ardentes febres retundere, ac tollere oportebit, vel compeſcendo fermentationem in ſanguine inductam, vel particulas ejuſdem acriores fermentum excitantes in præcipitationem diſponendo per diaphoreſim, aut diureſim. Et ſanè cùm videbitur vehemens in ſanguine commotio à partibus ejuſdem mobilibus nimiùm exaltatis, ea, quæ diluunt, & acido moderato temperant, peropportuna ſunt, ut potiones ex aquis diaphoreticis, vel diureticis, ſpeciatim verò cardui benedicti, ſcorzoneræ, vincetoxici, cornu cervi, rutæ caprariæ, cum ſpiritu ſalis dulci, vitrioli, ſulphuris; itemque expreſſiones ex ſeminibus peponum, papaverum, cydoniorum; ſales quoque nitri in cryſtallos redacti, tartari, prunellæ, atque ex lotionibus ceruſſæ ſtibii eliciti, aliive. Ab his enim ſæpè Febres, cæteroqui exurentiſſimæ ſtatim deſiere, partibus in ſanguine fermenteſcentibus coercitis, aut per ſudorem, & urinam propulſis, aut etiam inſenſibiliter difflatis; atque hac ratione, quia nitro ſunt ſaturatæ, gelidæ aquæ, largiùs epotæ, non raro ardenter febrientibus proſunt. Neque verò acida moderatè ſumpta ſemper ſunt fugien-

V. Barthol. de Nivis uſu in Medic.

gienda, cùm sæpenumerò etiam contulerint, cùm scilicet tenujores sanguinis partes in motum nimium concitæ quodammodò coerceri debent, & cum crassioribus, & glutinosis consociari, pari modo ac Helmontius ab acido mali citrii minimè cavet in lithiasi; nec acida in febribus reformidant Sylvius Deleboe, Paulus Barbette, Piens, aliique, si præsertim cum potionibus commista, & temperata fuerint.

A recrementis verò cum sanguine mistis inducta fermentatio sedabitur, iisdem secretis, & in sua conceptacula, vel extra corpus expulsis. Fæces blandè clysteribus subducentur: urina per diuretica alibi tradita promovebitur; sicut pariter sudor. Detenti halitus, & vapores cute rarefacta frictionibus, atque diaphoresi excitata, aere calido, integumentis, & attenuantibus medicamentis sale volatili præditis elicientur. Venena assumpta, per alexipharmaca, & antidota propria. Concretus, restagnansque sanguis ope dissolventium multo alkali abundantium, sanguinis hircini, C.C. dictamni, scordii, contrayervæ, angelicæ, carlinæ, stibii diaphoretici, oculorum cancrorum, salis absinthii, volatilis succini, cornu C. & viperarum, quorumcumque bezoardicorum, spirituum theriacalium, & similium. At verò in pus conversus sanguis purgabitur potionibus vulnerariis cum balsamo sulphuris, atque remediis ex Mercurio paratis.

Si prætereà fermentescat sanguis fermentis aliundè suggestis potissimùm è pancreate, cysti fellea, aquæ, & chyli ductibus, aliisque, eadem ferè Methodus servanda erit, quam superiùs in intermittentibus proposuimus, educto primùm, si licuerit, degenere illo humore, unde fermentationem promoveri conjectabimus; mox verò repurgato sanguine à consimili succo in eundem inserto usu remediorum sudorem moventium, & impuritates secernentium in consueta corporis emunctoria.

Peculiaris autem ratio habenda semper erit de ventriculo, ejusque succis cibum conficientibus, ut exindè chylus progignatur sedans, & obtundens fermentationem à confluxu succorum in intestinis tenuibus excitatam. Siquidem eludetur omnis opera in usu cæterorum medicamentorum, nisi ventriculus suo munere fungatur: eo namque languido, cruditates cumulantur, quæ febri fomitem addunt, vel saltem ejus resolutionem impediunt, & retardant.

Providendum quoque symptomatis febres hasce comitantibus, cùm illa plerumque his longè graviora esse soleant; quin & ab illis ritè perspectis in causæ morbi conjecturam adducimur.

Cæterùm in reliquis febribus continuis scire refert, num vitiosus humor fermentationem indebitam in sanguine promovens, acer, acidus, austerus, salsus, tenuis, crassus, volatilis, fixus, aquosus, tartareus, aliusque sit; itemque an multus, vel paucus, an unus, & simplex, aut multiplex, & implexus, an hærens, aut fluens, & vagus, an alicubi stagnet, aut cum sanguine circumeat; an partes ventriculo proximiores, aut potiùs remotiores occupet, & an prætereà solidarum partium vitium, affectionemque consequatur, præsertim in ductibus obstructis, aut compressis, relaxatis, aut erosis. Ab his enim variant plurimùm indicationes, exhibitionesque remediorum.

Verùm enim verò feliciùs, & faciliùs febribus ferè omnibus prodesse in dies experimur salem polychrestum, stibium diaphoreticum, & mercurium

curium præcipitatum fixum, qui vomitum non movet, nec dejectionem, nisi cum catharticis jungatur, illamque blandam nimis, & moderatam. Colore is rubet, ut coralliorum pulverem æmuletur, comminuitur in pollinem, & instar cinnabaris tingit, igni resistit, neque à lixivio reviviscit, aut permutatur; levis est, nec temporis diuturnitate quidquam aut mole, aut virtute diminuitur. Mirabiliter autem operatur per diaphoresim in dosi trium, aut quatuor granorum cum aliquo electuario commistus; vel cum modico extracti catholici, si exindè alvi subductio desideretur. Luem etiam Veneream, quamvis diuturnam, & inveteratam, doloribus articulariis, ulceribus, tumoribus, cæterisque symptomatis comitatam brevi depellit, & curat, nec unquam memini septies ejus dosim repetiisse; quin certò morbum hunc funditùs debellaverit. Qualis autem sit, facilè his innotescet. Exactè priùs sublimatus, omnique prorsùs impuritate exutus, mox super laminam ferream stamno illitam expansus, sub terram eousque declivis detineatur, quousque totus fuerit in suppositam phialam exsolutus, atque in viridem, ponderosumque liquorem conversus. In vitreo deinde vase justo capaciori, & patentioris oris, ab infuso per vices spiritu N. erodente deflagrari permittatur, ac præcipitari in rubentem pulverem. Evaporato postmodùm super cineres calidos spiritu, qui subsidet, iteratis ablutionibus, suo convenienti liquore, omni prorsùs acritate spolietur, ut nec linguæ sensum faciat. Tandem siccatus servetur ad usum. Dos. gr. j. ij. vel iij. ad summum.

DE FEBRIBUS MALIGNIS, & Pestilentibus.

QUæ febres reverà dicendæ sint malignæ, non apud omnes convenit. Quibusdam placuit malignam febrim vocare, quæ statim vires deiicit. Aliis, quæ gravioribus, & mortiferis symptomatis, aut etiam intersese dissimilibus, ac disparibus consociatur. Maluerunt alii eam malignam dicere, quæ congruis adhibitis remediis non cedit, & in necem terminatur. Verùm multæ febres periculosæ, immò lethales esse consueverunt, etiamsi malignitatis nota caruerint; & contrà malignæ non rarò in salutem desinunt; quocirca Galenus inquit malignos morbos vitæ periculum minari, sed spem salutis non adimere. Vires pariter momento temporis labascunt in leipothymiis, cardialgiis, cardiacis affectionibus, choleris, hæmorrhagiis, & similibus, cùm tamen ejuscemodi ægritudines malignæ minimè dicantur. Febris ardens sæpissimè stipatur gravissimis symptomatis, delirio, inquietudine, nausea, singultu, vomitu, diarrhœa; at verò longè admodùm à maligna differre dicitur, quin & ipsam dispariа symptomata aliquandò comitantur, ardor nimius cum nulla siti, internorum viscerum æstus cum extimarum partium algore, urina tenuis, & pellucida, cum lingua arida, & scabra, ac eadem mollis, multoque salivario rore perfusa, cum siti. Sic quoque Lethargus, Apoplexia, suffocans Angina, Peripneumonia, Phthisis, Hydrops, rarò medicamentis licèt exquisitis cedunt, sed fermè certam mortem afferunt, quamquàm nemo hosce morbos malignos nuncupet: Ità enim morbus malignus dicen-

1. prorrhet. 14.

cendus foret quicumque ægrum subinde periturum invadit.

At verò illas nos malignas febres appellamus, quæ dolosè, ac fraudulenter adoriuntur, & quales Græci Παλίμβολας dixere, quòd speciem quidem, & spem levationis faciant, sed tamen in vitæ periculum ægrotantes coniiciunt, & nisi opportunè succurratur, etiam necem afferunt. De his extat effatum illud Arabum: *Pulsus bonus, urina bona, & æger tendit ad interitum*. In his pariter videntur ægri in melius abire, & penè febre vacare, qui paulò post succumbunt, & pereunt. Quare Hippocrates scriptum reliquit: *Qui morbi in malis signis levantur, & qui in bonis non remittunt, difficiles sunt*: immò & plerumque mali moris.

In Coac. pranot.

Et quidem in Fermenti febrilis conditionem coagulantem, aut nimis dissolventem hæc referenda sunt. Anatome enim, ex febribus malignis, sanguis concretus inventus est; ex pestilentibus verò adeò dissolutus, attenuatusque, ut nullo modo concresceret. Id itaque sanguini accidit in malignis febribus, quod experimur à veneno Viperæ, & ab infusione olei vitrioli in venas; in pestilentibus verò quod ab olei tartari, aut peti. Hinc febres istiusmodi quandoque sopori, sensuum hebetudini, linguæ nigrori, exanthematibus, maculis, frigidisque sudoribus conjunguntur; aliquandò verò delirio, stillicidio sanguinis è naribus, pustulis, dissolutioni, marcori, diarrhϾ.

V. Riol. Antrop. & Enchir. Anat. l. 2. c. 27. Fernel. 6. Phys. c. 7. Consentit his etiam Carolus de la Font, de veneno pestilenti.

2. Aph. 25. & 35.

Norunt equidem in his febribus virulentam vim inesse Veteres Medici, at illam non benè posteris explicarunt. Et quidem è venenis, quædam partibus solidis corporis infensa sunt, ut Cantharides Vesicæ, Solanum Faucibus, Lepus marinus Pulmoni, Auripigmentum, & sublimatum ventriculo, Colocynthis intestinis. Quædam verò nisi sanguinem inficiant, nullam noxam inferunt. Rursùs hæc sanguinem vel extenuant, dissolvuntque, quemadmodùm oleum Tartari, & Peti, ac virus Canis rabidi; vel figunt, & in grumos convertunt, ut oleum vitrioli, Viperæ, & Scorpii venenum, compluraque ex vegetalibus, præsertim succus Nappelli, Cicutæ, Mandragoræ, Papaveris albi: quamvis & ista adhuc ore mansa, & deglutita nocua fiant, obtundendo, atque hebetando partium vigorem. Quoties igitur accidit, ut vel halitibus per aerem dispersis pulmo, & sanguis indè præterfluens inficiatur; vel etiam à contactu rei venenatæ; itemque à cibo, potuve, medicamentis, venenisque assumptis, vel inflictis, sanguis à sua crasi perturbatus exolvatur, aut concrescat, & viscera ejus labe infecta flaccescant, febres malignæ, pestilentesque exorientur à venenoso miasmate progenitæ, ideòque virulentæ dictæ.

Animadversione autem dignum est, quòd in febribus malignis plerumque, saltem inter initia, vel etiam in ipso augmento universali, contingunt symptomata valde disparia, æstus, & frigoris notas referentia, quia partes volatiles, sive spiritus in sanguine, & succo nerveo delitescentes, à veneno coagulante irretiti, internam, ingentemque excitant commotionem, quippe qui implexi, se extricare nequeuntes, tumultuariè commoventur: unde orgasmum, inquietudinem, & affectus spasmodicos pariunt cum sensuum hebetudine, & virium languore, propter vim veneni coagulantis: Hinc etiam delirium, & sopor; tactus frigidus, & ardor internus; pulsus languidus, & urina flammea, cum lingua arida, & scabra, atque alia hujusmodi.

Itaque

Itaque à Fermento Febrili acidiori, ideòque coagulante, inductas febres, malignas appellamus; atque ab acriori, sale volatili prædito, ac propterea dissolvente, pestilentes, easque etiam Epidemias, si à communi, & generali causa, præsertim cibo, aut aere, originem sumpserint. Tanta quippe aeris vis est, atque halituum, sive vaporum per aerem diffusorum efficacia, ut hinc potissimùm populares, pestilentesque morbos manare comperiamus. Quo etiam fit, cur tam facilè in Italia, & præsertim in Tractu Romano, & Neapolitano, febres ejusmodi per æstatem, & autumnum contingant iis, qui itinera per eadem tempora aggrediuntur, audentque de una in aliam Regionem transmigrare. Abundant siquidem nostræ Regiones, tot tantisque fodinis, iisque variis, & multigenis, ferri, mercurii, æris, vitrioli, sulphuris, bituminis, salis, aluminis, quin & eructat undique pessimos, heterogeneosque halitus terra, non ubique similis, quibus aer diversimodè inficitur; ut nunc sileam stagnantes aquas, lacus, paludes, mephites sulphurarias, aquasque thermales innumeras, unde varii, diversique vapores exhalant, & per aerem diffunduntur; quamobrem is dissimilis omninò est, & alicubi nitri, aut salis refertus est halitibus, alibi sulphuris, aut bituminis, ideòque varié inspiratus pulmones, & sanguinem non æquabiliter afficit, illumque modò coarctat, modò diluit, talemque fermentationem excitat, ut præter febrim, etiam veneno similes pariat effectus, ut passim ex misturis diversorum liquorum experimur.

V. Hipp. l. de flatib. & Lucret. lib. 6. de Nat. rer.

Pestilentes autem febres non rarò fiunt etiam contagiosæ, quoties venenati halitus è corpore in corpus trasmissi pari modo inficiunt, atque alios, & alios eodem ægritudinis genere corripiunt, & quidem vel per contactum, vel per fomitem, præsertim mediis utensilibus communicatum, vel ad distans halitibus per aerem diffusis. Hinc Epidemii, & populariter grassantes morbi sequuntur plerumque vitium aeris, aut cibi, & potus; & sæpè observantur varii pro varia corporum habitudine. Testatur etiam P. Kircher. *in scrut. Pestis*, exiguos vermiculos ex infectis corporibus in alia exiliisse, qui cuti infixi, contagium communicarent: De Contagio Scabiei idipsum refert Cosimus Bonomus *peculiari Epist. ad Franc. Redium data* 18. *Julii* 1687. *& typis impressa Florentiæ*.

Ex his nunc facilè erit colligere causas Procatarcticas, tum malignarum, tum pestilentium febrium. Quæcumque etenim sanguinem ita afficiunt, ut vel ad coagulationem, vel ad exsolutionem deducant, viscera verò labefactent, ejusmodi febres inducent. Præsertim autem id mali genus intulit aer variis halitibus, & vaporibus inquinatus è fodinis, & voraginibus erumpentibus, ab aquis stagnantibus, ab insepultis cadaveribus, aliisque. Neque minoris damni consuevit esse Cibus, & Potus vitiosus; quamobrem in annonæ caritatibus sæpissimè febres malignas, pestilentesque grassantes observamus; undè Hesiodo λοιμὸς μετὰ λιμόν, idest pestis post Famem, dicitur; manusque sibi mutuò dant Bellum, Fames, Pestis. Præterea diuturna Animi pathemata solent etiam ejusmodi febres promovere, quandoquidem ab illis sanguis, cor, cerebrum, ac penè universum corpus violenter exagitatur. A timore potissimùm pestem contrahi arbitratur Helmontius. Tumul. Pest.

Ab adjunctis symptomatis has febres cognoscemus. Et sanè cum illa con-

concrescentis sanguinis notas referunt, malignam judicabimus febrim: ea verò esse consueverunt calor infractus, pulsus languidi, & inæquales, torpor in motu, & sensu, leves eruptiones humorum per cutim efflorescentium, tenues urinæ, alvus styptica, lingua nigra. At contrà pestilentes potiùs appellabimus si exanthemata, & pustulæ latæ compareant, parotides, bubones, stillæ sanguinis è naribus, colliquationes, inquietudines, anxietates, ac post æstuationem laxitas, & virium jactura, cum squalore faciei, & oculorum: quamquàm sæpenumerò ista vicissim permutentur, & ancipitem conjecturam faciant, ut etiam accuratissimos Medicos decipiant: Cùm autem eadem febris specie corripi contingat eos, qui familiariter cum febrientibus usi sunt, vel utensilia tractarunt, nedùm pestilentes, sed etiam contagiosæ dicendæ erunt, atque eò magis si externis notis, putà pustulis, maculis lividis, aut nigris, ulceribus, bubonibus, aliisque assidentes inficiant.

Quanti igitur sint periculi febres istiusmodi, quisque nullo negotio conjectabitur. In cæteris enim à concepta fermentatione sanguis repurgatur, ac deinceps corpus reflorescit; in his verò corrumpitur, & fatiscit, veluti à veneno infectum. Jure igitur optimo Galenus scripsit generari non rarò in humano corpore humores veneno similes, qui solo vapore, aut halitu partes inficiant, gignantque symptomata deleteria, & violentissima, quæ aliquandò brevissimè interimant, exsoluto scilicet, aut coagulato sanguine vitæ fomite.

3. De loc. aff. cap. 7. & 6. ejusd. oper. c. 5.

Quoniam verò dissolvens, aut coagulans venenum tam potens, & efficax gigni potest, ut ferè momento cor inficiat, & sanguinem velocissimè coagulet, aut dissolvat, idcircò fit, ut interdum homines repentè vita privet. Sic etiam fieri potest ut à conditione coagulantis, vel dissolventis veneni sanguis non ita interturbetur, & fermentescat, ut febrem sensibiliter ostentet, cùm plerique referant contigisse aliquando pestilentias sine ulla febre, atque ii præsertim, qui hanc ex signis adaucti caloris, & pulsu celeriori dignoscendam autumant.

Quandoquidem ergo sanguis in his febribus veneno inficitur, aut coagulante, aut exolvente, certè Medela omnis ad illius correctionem dirigenda erit per ea, quæ Alexipharmaca, & Alexiteria dicuntur, dummodò coagulans, aut exolvens fermentum evertant, ac præcipitent, sanguinem concrescentem solvant, avolantem verò frænent, & in sua naturali compage detineant.

Quamquàm autem coagulans, acidumque fermentum emendari, & repurgari potest diluentibus aqueis, obtundentibus alkalicis, & opiatis: congruentiora tamen, & potiora semper erunt, quæ sale volatili sunt prædita, quæque sua energia valent floridum, vegetumque sanguinem reddere, ac vitale robur adaugere, unàque simul alexiteria vi veneno resistere, & fermentum febrile præcipitare; ac secernere. Cujus generis sunt omnia Theriacalia dicta, Bezoardica, & Diaphoretica, Diascordium Fracastorii, & Sylvii, Theriaca vetus, & Germanorum. Antidotus Orvietani, & Matthioli, spiritus Theriacalis, aqua Salii, Stapedii, & Riverii, aqua vitæ Matthioli, & Magnanimitatis, Bezoardicum Minerale, Joviale, Martiale, Solare dictum, lapis Bezaar, sal volatile succini, cornu cervi, & viperarum, extractum ligni aloes, hyperici, juniperi, oleum cinnamomi, & ambari, tinctura tartari

V. Gal. de Ther. ad Pisonem.

tari essentialis dicta, flores salis ammoniaci, ejusque spiritus, camphora, idque genus alia; ex quibus componi poterunt potiones, pilulæ, conditus, pro libitu ægrotantium, & symptomatum varietate. Fotus etiam externi ejusdem census erunt. Margaritæ, Smaragdi, Corallia, & gemmæ quæcumque, eatenùs convenire poterunt, quatenùs alkali fixo præditæ acidum, quod exorbitat in ventriculo, adjunctisque partibus, absorbere valent; quamobrem satius erit in illorum locum pulverem cornu cervi, oculorum cancrorum, boli Armeniæ, terræ sigillatæ, terræ Samiæ, & Melitensis subrogare; sicut etiam contrayervam, scordium, dictamnum, carlinam, angelicam, rutam caprariam, carduum, vincetoxicum, veronicam, valerianam.

Epithemata adeò vulgò commendata in malignis febribus cavenda suadent Mercatus, & VVedelius, ne scilicet ab illis diaphoresis impediatur, eòque magis si frigida adhibeantur. Verùm si quandoque applicanda videntur, calida sint, ex spiritibus, tenuibusque liquoribus concinnata. Idipsum admonet Riverius in usu oxyrhodinorum. Multò autem utiliora sunt calida epithemata, & balnea plantis pedum, & pudendis admota ex vino calenti, ejusque spiritu, elixire quolibet, & similibus: ab his enim universum corpus roboratur, sanguinis motus promovetur, futuri abscessus, delirium, aut sopor imminens præcaventur: quod etiam adnotavit Hofmannus in Schroderum.

Tr. 4. de cur. febr. malign. De med. comp. ext.

Clav. Schroder. §. 62.

Frictiones utiles erunt, si præsertim adhibeantur, cùm cutis laxanda est, ad faciliorem halituum perspirationem, atque ad promovendam exanthematum eruptionem, quæ sæpæsæpiùs febres istas salubriter comitantur.

Diætam denique quod spectat, illam quàm optimè institutam esse oportet, perpurgato inprimis aere à cujusvis generis inquinamentis, adhibito quoque, si fuerit opus, igne ex plantis odoriferis. Cibus laudabilis sit, facilis digestionis, & mediocris quantitatis. Vinum perquàm optimum, sed modicum, & dilutum; vel ejus loco, si æger sit abstemius, aqua C.C. in balneo Roris parata, scorzoneræ, vel cardui benedicti. Solo quippè vini usu plerique à febribus Malignis liberati referuntur: est enim cardiacum, simulque alexiterium, & sudorificum. Cætera prout prudenti, ac sagaci Medico visum fuerit, resque ipsa tulerit, opportunè præscribantur, ut in cæteris febribus dictum est.

In dissolvente fermento febrili alexipharmaca temperatè acidis jungantur. Acria enim, & salia volatila nocua sunt, nisi aceto, aut acidis temperentur, & commisceantur: expertum autem in his febribus sanguinem eductum minimè concrescere, sed liquatum, fluidumque diutiùs perseverare. Utilis idcircò est aqua prophylactica Sylvii, & Barbettæ, atque extractum ex relictis fæcibus ejusdem; itemque spiritus vitrioli volatilis, & antiepilecticus Hartmanni, arcanum duplicatum Mynsichti, tinctura violarum, aut rosarum cum spiritu vitrioli, vel sulphuris parata, addita confectione alkermes, vel de hyacinthis. In pestilenti, & contagiosa febre efficacissimum dicitur hoc Acetum, quod ex his fit: *Summitatum scordii cum floribus m.ß. verbenæ, & galegæ singul. m.j. rutæ unc. ß. corticum mali citrii unc.iij. malorum aureorum dr.ij. ligni aloes optimi, macis, & caryophyllorum singul. scr.iv. santalorum rubrorum dr.iij. radicis zedoariæ unc.j. petasitidos,* car-

V. Graaff de Nat. & usu succ. pancr.

carlinæ, & angelicæ singul. dr. vj. meuolsenicii, scorzoneræ, dictamni albi, & imperatoriæ singul. unc. ʃʃ. enulæ dr. ij. ʃʃ. myrrha rubræ electæ dr. ij. theriacæ, mithridatii, & diascordii Fracastorii singul. dr. vj. camphoræ dr. j. ʃʃ. baccarum juniperi unc. ʃʃ. auri dr. j. ß. croci scr. j. Hæc incisa, & contusa in aceti vini acerrimi canthar. ij. & vaso clauso, detineantur in loco tepido. Sumitur ad cochleare unum.

Describitur etiam à Crollio, & Hartmanno elixir adversùs pestem, atque aliud à Tychone Brahe summo sui temporis Astronomo, cujus meminit Thomas Bartholinus *in Cista Medica*. Apud Isbrandum Diemerbroeck notatur & aqua Theriacalis, quæ mirabilis dicitur simul cum extracto quodam magistrali. Aliæ referuntur à Cratone, & Sennerto. Inquit Helmontius, Hippocratem Pestis antidotum habuisse vinum fumo sulphuris suffitum, vel vinum salsum fervidum cum sulphure; sal etenim abstergit, & à putredine tutatur; sulphur verò venenum cohibet. Promoto deindè sudore patientes alebat cremore hordei, & pro potu exhibebat vinum græcum picatum, cui inerant aliquot grana salis, & sulphuris: folia autem Asari aceto macerata calida superponebat bubonibus, itemque plantis pedum, & manuum, quæ post singulas horas duodecim humo contegendas præcipiebat. Ab usu quoque vini picati, subdit, Hispaniam raro peste affici, cùm ibi vina coriis picatis conserventur. Ad stigmata admovebat lintea calida generoso vino intincta, cui sulphur incoxerat. Postremò exhibebat electuarium viperinum ex carne, & corde, & hepate compositum; ut latiùs apud eumdem Helmontium. Insignes pariter vires ad pellendam pestem tribuit Mindererus sulphuri ac vitriolo: nullam enim putredinem, nullam infectionem, nullam humorum depravationem ab his non corrigi fatetur. A vitriolo etiam præstantissimum remedium deduxerunt alii teste Roderico à Fonseca. Vitriolum album in pulverem conteritur, & ter infunditur in aqua rosarum, totiesque siccatur ad solem, adjecto modico camphoræ; deindè cum æquis portionibus dictamni albi, & radicis tormentillæ commiscetur, & in tenuissimum pulverem redigitur. Datur ad dr. j. cum unc. ij. aquæ plantaginis, rosarum, vel acetosellæ, manè, & vespere. Commendatur à nonnullis veluti summum remedium Muria carnis porcinæ despumata; & à Paræo Muria Encrasicholorum piscium. At Crato certissimo experimento sibi constare ait, ad præcautionem, tincturam succini; ipsumque succinum, si eo tempora, carpi, malleoli, & sinistra mamma ad ruborem usque confricentur, unicum fuisse amuletum cuidam Chirurgo Hispano testatur Helmontius. Hartmannus electuarium ex saccharo candido cum spiritu salis per spiritum vini dulci reddito conficit, & commendat. D. le Fevre succum Calendulæ cum vino albo propinabat felici cum successu. Idipsum Arcanum fuit Veslingio.

Plerique Arsenicum, aut Sublimatum linteolo inclusum, & sub sinistra mamma appensum, homines à Peste tueri affirmant. Addunt alii pulverem Bufonum, cujus præparationem memorat Helmontius: Et refert quoque Camer. *cent. 9. memorab. p. 27.* A pellibus quoque Bufonum siccatis, & ulceribus pestilentibus applicatis venenum extrahi scribit Kircherius; idque in communem usum verti apud Germanos. Includunt alii Mercurium crudum in cortice avellanæ, & col-

Marginal notes: L. 3. de peste. L. 5. cons. 28. hoc l. Tumul. pest. — Lib. de pestil. c. 20. — T. 2. consult. 10. — Camphora Alexiterium est efficacissimum in Peste. — Tumul. pest. — De pest.

& collo suspendunt, ut cordis regionem tangat, ex Marsilio Ficino. Et alii radicem plantaginis majoris sacculo contentam gestandam suadent. At quis unquàm his solùm fidet? Sicut neque fumo tabaci ab Isbrando Diemerbroek plurimùm commendato, aut olenti urinæ hirci, quam magnifacit Avenzoar.

Apud Scholz. ep.248.

Postremò bubonibus, anthracibus, pustulis, ulceribus, maculis, aliisque symptomatis, notisque pestilentibus, quæ in cute erumpunt, specialibus quoq; medicamentis occurrere consueverunt emplastris, cerotis, lituris, oleis, quæ multa præsertim referuntur à Sennerto, & Hartmanno. Illud verò potissimùm videtur adnotandum non statim ulcera ista ad cicatricem esse perducenda, nisi postquàm pestilens virus omninò fuerit resolutum, & expurgatum.

Cæterùm ad præcautionem contagiosarum febrium nil conducibilius, quàm citò abscedere, ac longè admodùm ab infectis locis secedere, & nonnisi tardissimè ad eadem redire; vel si id peragi nequeat, procul saltem ab aliis versari, nec penitùs illorum utensilibus uti.

DE FEBRE HECTICA.

Hectica febris quotidianæ Diariæ morem imitatur; pusilla, & lenta est, sed continua; paulo post cibum exacerbatur, cum pulsu crebriori, absque manifesto signo rigoris, horroris, refrigerationis, oscitationis, doloris: & quamvis aliquandò genæ rubere soleant, in cæteris æquabilis perpetuò observatur. Temporis autem progressu tantam maciem affert, ut tempora collabantur, nares acuantur, oculi squaleant, collum producatur, ungues incurventur, & totum corpus adeò macrescat, ut ossa sola pellis contegat.

Illam aliis febribus, & ægritudinibus succedere testatur Galenus 2. *de crisib. cap. ult. in fine*, ubi postquàm de dignoscendis Ephemeris edisseruerit, tandem hæc subdit: *De Hecticis autem non est præsentis temporis sermo: nulla enim earum in primis diebus, sed in progressu temporis fit, postquàm scilicet aliæ febres diutusculè durarunt*: Scribit etiam 1. *de febr. differ. cap.* 8. Hecticas febres magna quidem ex parte, ex Ardentibus, quæ multùm protrahuntur, oriri, nonnullas verò post Ephemeras subsequi. Galeni sententiam probant experimenta: quotquot enim Febre-Hectica obiere, sectis cadaveribus, alias ægritudines subiisse inventi sunt.

V. Bonetum in Sepulcr.

Quod Galenus putat 1. *de diff. febr. cap.* 7. à calore febrili per modum habitus cordis solidæ substantiæ hærenti consumi primò roridam, deinde adiposam, postremò fibrosam corporis substantiam, falsum evincitur ex eo, quia Hecticorum calor tenuis, & pusillus est, qui nullatenùs potest ejusmodi consumptionem inferre, cùm tamen ex adversò exurentissimus calor in ardente febre laborantibus nullam, vel insensibilem consumptionem inferat, etiamsi ad plures dies perduret: Sed & in hypochondriacis, scorbuticis, aliisque citrà febrilem calorem non dissimilis emaciatio observatur; qui verò salsas, & acres patiuntur destillationes, quique diabete affecti sunt, statim & intrà paucos dies manifestissimè contabescunt: igitur à sanguine dissoluto potiùs, causa fermenti acris, & dissolventis, Hectica febris accidit, cujus ratione illius glutinosa substantia diluitur, & eliquatur.

Pluribus autem ex causis Tabe confici, extenuari, atque omninò consumi contingit. Observamus si-

quidem plerosque extremo marcore affici ab obstructione venarum lactearum, ac ex tuberculis glandularum Mesenterii, & adjacentium viscerum, atque à turbato ventriculo, ejusque fermento vitiato, quorum causa alimentum partibus vel non suggeritur, vel vitiosum, & inutile. Nonnullos etiam à suppuratis apostematibus sensim tabescere experimur, si præsertim illa Renibus, Utero, Vesicæ, Ano, Thoraci, accidant. Cum his jungenda sunt ulcera interna, præsertim eorum viscerum, per quæ sanguis affluentiùs meare debet. Quosdam Tabidos quoque fieri ex assidua, & immodica evacuatione, putà sudoris, seminis, sanguinis, atque etiam urinæ, ut in Diabete. Sed & alii à salsa, & acri stillante in os, & guttur lympha, cum frequenti, & molesta tussi contabescunt; undè Pulmo sensim exhauriatur, & areat, vel multa seri acrioris, aut lymphæ salsæ copia gravetur, infarciatur, vel erodatur. Alios pariter à vehementibus, ac diuturnis cùm animi, tùm corporis motionibus, vigiliis, inedia, cæterisque similibus causis tabidos effectos vidimus, inducta nimirùm in sanguine dyscrasia tali, qua sensim ineptus nutricationi evaderet. A Vermibus quoque, præsertim Platiis, intestina ferè universa occupantibus, atque alimenta mox è ventriculo delabentia exhaurientibus, nonnulli marcorem contraxisse perhibentur. At hos Tabidos potiùs, vel Atrophos, quàm Hectica febre affectos, licebit appellare, facta nimirùm contradistinctione Hecticæ febris à Phthisi, & ab his, quæ Schecticæ Febres Græcis appellantur.

V. Fernel. h. l. & Vallesf. in 5. Epid.

Præterea ad sanguinis vitium hujus morbi causa referri debet. Is enim ex mala fermentatione acrem, & salsam conditionem nactus sensim in Hecticis diluitur; quamobrem neque partes reficit, aut congruenter irrorat; sed potiùs infensa acritudine muriatica eliquat, pari modo ac à pure in Empyicis experimur: pus autem acritudinem salsam contrahere patet, cùm & erodens, & ulcerans evadat. Verumtamen malam hanc conditionem subit sanguis à sero, atque ab intermista lympha, quæ plerumque in Hecticis acris, & salsa est, ut ostendunt urinæ copiosæ, flavescentes, & acres, mordax, & salsa saliva cum siti, sudores valdè faciles, cutim tamen asperam, & aridam reddentes. Hinc quoque fit, ut salsæ distillationi, & salivario rheumatismo obnoxii Hectici, Tabidique fiant.

Cur autem invalescat, & exacerbetur febris hæc post unam, aut alteram horam à pastu, causam retulit Galenus in irriguam, tenujoremque chyli portionem statim è cibo delapsam, atque à partibus hectico calore affectis attractam; undè quo pacto aqua calci vivæ superaffusa calorem ingentem excitat, & halitus; sic partes cibi humidiores solidis corporis partibus applicitæ consimilem calorem promovent, & vapores quoquo versùm effundunt. At illi obiicit Helmontius, non posse tàm citò post unam, aut alteram horam cibum in Hecticis confici, qui in sanis multas horas exigit, ut digeratur, cedatque in partium nutrimentum. Nec præterea congruè comparari possunt calci vivæ solidæ partes corporis, quæ instar illius, humore aspergi, & accendi queant, cùm non aliundè calx viva per aquam soluta fervorem, motionemque concipiat, nisi quia duplici sale potita est lixivio, & acido, ex quorum mutua actione motus, & fervor exurgit, pari modo, ac si sali tartari spiritus vitrioli acidus superaffundatur. Quid insuper, inquit, in

1. de diff. febr. 9.

De Febr. cap. 9.

in vivis eſt, quod calcis ſiccitatem æmuletur, & non quotidiano rore, continuòque permadeat? Nec quod Piens ex VValæo in gratiam Galeni affert, oleum vitrioli manu detentum, & modico aquæ inſperſum ingentem calorem excitare, ut ferri nequeat, quidquam ſuffragatur.

Med. pract. c. 11.

Judicare autem non abſre fuerit, ſimili vitio infici fermenta viſcerum, & glandularum in Hecticis, quo ſanguis ipſe febrim fovens depravatur: præſertim verò ventriculi, inteſtinorum, & glandularum Meſenterii, contagione affici acrem ſalſam conditionem redolente, coniicere licet ex eo, quòd fæces plerumque laxiores, & alvus ipſa lubricior in ipſis obſervetur. Cùm igitur fluidior chyli portio cum fermentis iſtiuſmodi vitiatis commiſcetur, fervorem concitat, immò in cor per tubulum Thoracis delata pulſus crebriores efficit: diluitur autem exindè multò citiùs chylus, & venas lacteas ſtatim ſubit, undè non mirum ſi poſt horam unam, aut alteram moleſtiam cum ardore Hectici patiantur, quam Galenus *Annotationem incompreſſam* appellavit. Hinc non immeritò arbitratur Helmontius Hecticam à corrupta cibi parte in ſtomacho relicta pendere, ideoque à paſtu exacerbari.

Quam verò Deleboe Sylvius cauſam Hecticæ febris adſcripſit viſcoſæ tenacitati omnium humorum, præprimis verò ſalivæ, ſuccique Pancreatici ſanguinem ineptum nutricationi reddenti, fortè veriùs Hecticæ per conſenſum, ſeu ſymptomaticæ dictæ, tribueretur, cùm ſcilicet ab illa venæ lacteæ, tubuli Thoracis, glandulæ Meſenterii, & lumbares, intimiùs obſitæ neque confectum chylum admittere, neque ad cor, aliaſque partes traducere valent; unde corpus alimento deſtitutum macreſcit, & ſenſim elanguet. Simili vitio affici quoque ſolent non rarò pulmones, vel cùm lympha glutinoſiori opplentur, vel cùm pure ſuffunduntur, tuberculis gravantur, aut in vena, & arteria pneumatica infarciuntur, ut ſanguinis trajectioni impedimento ſint; quod & aliquando accidiſſe venæ cavæ aſcendenti obſervationes Anatomicorum plurimę confirmarunt. Equidem ſanguis ab Hecticis eductus plus juſto fluitat, atque difficulter, vel nullo modo concreſcit. Quin etiam Senibus Maraſmo, ut vocant frigido, affectis, cunctiſque Animantibus macilentam naturam, habitudinemque ſortitis fluentior ſanguis ineſt. Unde veriſimiliùs videtur maciem in Hecticis à diſſoluto, ſuoque glutine privato, quàm à glutinoſo ſanguine provenire. Accedit quòd in his pulſus crebrior fit, qui ſanè tardus eſſet, ſi glutinoſus ſanguis foret, ut in Cachecticis, & Hydropicis obſervatur.

A Macie, quæ ſubindè Hecticis accidit, ſenſim accreſcente, licebit gradus, quos Medici illis attribuunt, internoſcere. Quò enim febris hæc diutiùs protrahitur, eò marcor ſenſibilior apparebit, quamobrem à principio vix ſpectabitur; at verò confirmata Maraſmodes cuilibet nota fiet. Hinc dici vulgò ſolet, primum gradum facilis eſſe curationis, ſed difficilis cognitionis; facillimæ verò cognitionis poſtremum, ſed curationis difficillimæ. Confirmatum inſuper Maraſmum comitantur vigiliæ immodicæ, urinæ colliquatæ, ſudores noctu repetentes, vox rauca, & ſubmiſſa, ac fames immoderata, ex quibus mortem præſto eſſe conjectandum.

In Curatione diſtinguendi ſunt ejus ſtatus varii. Etenim primis diebus tractanda eſt febris hæc more fe-

brium Diariarum protractarum, remotis tamen primùm causis externis, undè ipsa originem ducit; mox verò adhibitis iis, quæ sanguinem fermento febrili infectum repurgare valent. Cumque sæpissimè febris hæc ardentes, & acutas consequatur, sanè illa eadem erunt exhibenda, quæ in ardentibus sunt memorata, consideratis tamen viribus, & propria ægrotantis constitutione. Tunc enim sicuti marcor nullus, vel insensibilis est, ita febris ipsa vix Hecticæ nomen meretur, nisi tantùm ex suspicione habitudinis patientis, & febris æquabilitate. At verò quoniam ex acritate muriatica in sanguine inducta pendere speciatim illa dicta est, erit primùm ab eadem sanguis specialibus præsidiis repurgandus, non neglectis intereà iis, quæ eundem unà simul secundum partem glutinosam restaurare valent. Et quidem ad consumpti corporis refectionem commendant potissimùm Medici congruam Victus rationem, Aeris mutationem, & Lactis usum. Et primò Victus rationem ejus generis instituunt, ut modicè refrigeret, valenter verò humectet, & efficaciùs impinguet; undè jura, & contusa testudinum, limacum, & ranarum à plerisque præscribuntur; itemque aquæ ex his medicatæ, electuaria, & similia. At congruentiora sunt jura ex carnibus viperarum, & cancrorum fluviatilium. Cerebella quoque, & interanea animalium, carnes hædinæ, vitulinæ, gallinaceæ. Etsi namque ab illis glutinosior chylus exoriatur, vegetior tamen ventriculus in ipsis conficiendis exquiritur; quamobrem satius erit delicatioribus alimentis Hecticorum corpora alere, iisque nec immodicis, sed per intervalla assumptis: nam quæ longo tempore extenuata sunt corpora, lentè reficere oportet ex Hipp. 2. *Aphor.* 7.

Pro potu utile erit vinum stomacho gratum congruenter dilutum, & temperatè epotum. Saluberrima erit quies cum somno; neque multùm de evacuationibus adhuc consuetis sollicitum esse decet, cùm satis sit alternis diebus ventris onera deponere: alvus quippè lubrica nocua est in ejuscemodi ægritudinibus.

Aeris mutationem, si præsertim in cœlum patrium fiat, vel in salubrius, maximèque purum, omnes in hoc affectu commendarunt. Cavendum autem ab eo, qui subindè variat, ac ventis plurimùm agitatur: sive enim austrini illi sint, sive borei, mali sunt, ægrèque feruntur ab Hecticis. In nostris Regionibus præ cæteris magnifit Aer Stabiensis in Agro Pompejano ad radices montis Vesevi, & littus maris, quò Galenus suos ægros mittere consuevit. 5. Meth. c. 12.

A Lacte plerique Tabidi convaluere, illo usi pro cibo, potuque, sine alterius alimenti mistura. Præcellere dicitur Humanum, succedit Asininum, tertiò Caprillum, postremo loco habetur Ovinum, vel Vaccinum. Statim ac è mammis fuerit expressum potari debet, ne coaguletur, & acescat; quare stomacho vacuo, & omni humore repurgato sumendum est, aliter acorem contrahit, & concrescit in caseum, vel etiam corrumpitur, & ventrem solvit, non sine vitæ periculo. Docet prætereà Hippocr. 5. *Aph.* 64. abstinere illo oportere capitis doloribus obnoxios, insigniter febricitantes, & siticulosos, murmura, dolores, tumores, obstructiones, aliasque ægritudinus in alterutro hypochondrio patientes, eosque omnes, quibus multa sanguinis dejectio facta est. Quantum enim utilitatis ex ejus usu sperare licet, cùm benè cedit, tantundem & irreparabilis nocumenti accidet, si acescat, & corrumpatur in ventricu-

triculo; quamobrem ex Galeno admiscent practici mel, saccharum, vel sal. Cautè igitur illo utendum erit, etenim res est solliciti plena timoris; quamvis plerique nil mali ab illo vereantur, ac temerè adhuc Empyicis, & Phthisicis exhibeant. Pro eo nonnulli lacte amygdalarum dulcium, nucleorum pineorum, & seminum melopeponum utuntur eventu feliciori. Et alii aquis ex carnibus vituli, capi, aut viperarum; itemque ex pulmone vervecis recenter exempto; sicut etiam ex serpentibus, quos nostrates Cervones vocant, per alembicum elicitis, qualis præcipuè est aqua illa, quæ ab Authore suo Capocefali dicitur; pariterque sanguinis lactentis vituli, vel agni, ex B. M. Ptisana etiam hordeacea in frequenti usu est, necnon syrupus ex cancris fluviatilibus concinnatus. Fertur Zacuto summè profuisse cuidam Tabido, cui nec balneum, nec lac, nec aliud quidpiam humectans, & reficiens contulerat, Aqua Ranarum per B. M. elicita, & cum syrupo violaceo permista, atque in potum quotidianum exhibita; iisque elixis cum oleo, sale, saccharo, & salsamentis in cœna, & prandio, unà simul assumptis, ac prætereà interdiù jure ex illarum carne contusa parato, cum amygdalis, lacte, butyro, farina hordei, saccharo, & vitellis ovorum, ac denique cinnamomo, & aqua rosacea irroratis, lenique igne unà decoctis. A Balneis etiam aquarum dulcium, & ab inunctionibus butyri Saturni cum sanguine testudinis, aliusve, aliqui etiam convaluere.

l. 3. prax. adm. obs. 36.

Verùm præter ea, quæ humectant, & alunt, glutinosamque sanguinis portionem restaurant in usum ducenda quoque sunt, quæ acritudinem ejusdem muriaticam corrigere, & emendare possunt. Et quidem ex Hartmanno efficax proponitur sal coralliorum, & unionum ritè præparatus; itemque pulvis cachecticus Quercetani, (si Cachexia conjungatur) saccharum è margaritis in condituram redactis cum ebore, & oculis cancrorum. Cerussa etiam stibii in aqua plantaginis, vel rhapontici mira quoque præstat, si tamen opportunè detur saltem per mensem. Ejusdem quoque efficaciæ est Antihecticum P. Poterii ad plures dies exhibitum, itemque sal Jovis, & Saturni dulce redditum. Lixivium quoque è calce viva concharum, tellinarum, & silicum fluviatilium, paratum efficacissimum est ad corrigendam acritudinem salsam muriaticam: de quo Sylvio Deleboe *Prax. lib. 1. c. 6. nu.* 14. Ejus loco suffici potest aqua calcis clarificata: Aqua pariter sanguinis suilli destillata cum succo expresso gammarorum fluviatilium, adjecto saccharo clarificato, summè etiam prodest Marasmo affectis ex Prævotio. Nitrum fixum mirabiliter quoque sanguinis acritudinem retundit in Hecticis; unde Panacea confici poterit ex æquis partibus istius, & cerussæ stibii: quinimmò adjecto sale volatili Tartari, nedū Hecticis, sed aliis quoq; morbosis corporibus conferet. Cæterum pulvis Haly, decoctum Cacao, ejusq; pars butyrosa, lac amyli ex tritico, avena, & hordeo; aqua stillatitia ex pulpa, & seminibus cucurbitæ; summitatibus tenerioribus salicis, hisque similia, non raro etiam conferre consueverunt.

Tabes demùm à reliquis causis inductas, obstructione, apostemate, ulcere, evacuatione, pervigilio, vermibus, pathematis animi, cæterisq; curare oportebit remediis ad hæc congruenter cōparatis, de quibus alibi dictum est.

F I N I S.

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

Animi

Ar-

B

Bilis

Ca-

Diar-

E

Em-

F

Fę-

G

I

L

M

N

Potus

Q

R

Sce-

Stil-

T

V

FINIS.

LUCÆ TOZZI NEAPOLITANI IN HIPPOCRATIS APHORISMOS COMMENTARIA.

PARS PRIMA:

UBI UNIVERSÆ MEDICINÆ,

tum Theoreticæ, tum Practicæ celebriores Quæstiones perpenduntur, atque nedùm Recentiorum inventis, ſed & genuinæ ejuſdem Hippocratis menti congruentes, quàm dilucidè explicantur.

TOMUS SECUNDUS.



VENETIIS, MDCCXI.
Apud Nicolaum Pezzana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

AD LECTOREM.

Uæ nunc habes, Amice Lector, in Hippocratis Aphorismos Commentaria, fuere à me jam pridem meis Auditoribus publicis lectionibus ore tradita; cùmque per aliquorum dumtaxat manus versarentur, essentque à plerisque aliis expetita, in animum induxi, ut illa publici juris facerem, ac typis evulgarem, daturus brevi, Deo favente, reliqua, in totius Operis complementum. Intereà his fruere, & Vale.



IN LIBROS APHORISMORUM
HIPPOCRATIS
PRÆFATIO.



UI primus de Re Medica scripserit, atque medendi præcepta literis, consignaverit, communi voto fertur Hippocrates, patria Cous, ex familia Asclepiadeorum oriundus, vigesimus à Jove, decimus octavus ab Æsculapio, & nonus à Chrysamide Rege.

Fuit in Rhetorica Gorgiæ Leontini, sui temporis celeberrimi, atque in Philosophia, eximii Viri Democriti Abderitæ, Auditoris in Medicina verò à Patre suo Heraclide, & ab Herodico Selybriano edoctus: sed tam posteà in illa profecit, ac tantam apud omnes adeptus est venerationem, ut nedum Veteribus, immò & Principibus maximo tum sit habitus in honore, ac Deitatis simulacrum promeruerit, sed & nec in posterum nemo uspiam ausus sit, illum vel leviter lacessere, aut ejusdem dictatis, ne verbo quidem, contradicere. Quin & Paracelsus ipse, Priscorum omnium Censor cæteroqui severissimus, eumdem ultro reveretur, & commendat, ejusque sententias, præsertim aphoristicas, recipit, & interpretari non dedignatur: Quod & Helmontius quoque passim facit, illumque rarissimi doni Virum appellat. At magnificentiora de ipso loquutus Macrobius, scribit, tam fallere, quàm falli nescivisse; ut propterea non mirum, si Galenus pluries veritus non sit illius sententias Dei vocibus æquiparare.

Sed si in reliquis suis operibus Divinus planè videtur Hippocrates, procul dubio in libris Aphorismorum maximus omninò est, & supra humanæ mentis aciem se extulit; unde non defuere, qui illos, veluti decreta ex Oraculis deprompta, etiam ad res Theologicas, Morales, ac Politicas, non incongruenter retulerint.

Livore itaque, & malignitate non caret, quod vulgò ex Plinio circumfertur, sententias has in Aphorismis exaratas, ex Tabulis in Æsculapii, Apollinis, cæterorumque Deorum ædibus, affixis, vel ex Bibliotheca Cnidia, illum excerpsisse: etenim haudquaquam continent Aphorismi nudas, simplicesque Morborum observationes, sed documenta, ac præcepta sanè firmissima, quæ sparsim relata inveniuntur in cæteris ejusdem voluminibus, in quibus summum planè ipsius Auctoris ingenium, maximumque optimarum Artium studium apertissimè relucet, ut etiam ex observationibus longo usu, atque experientia comprobatis, utilissimas, præclarissimasque sententias generales colligere sciverit.

Inscribitur Opus hoc Aphorismorum, seu Selectarum Sententiarum: id enim sonat græcè Aphorismus, quod latinè Oratio Selecta. Unde Galenus comm. 1. pr. Aphor., *&* comm.28. secundi, *& alibi*, Aphorismum, *inquit*, esse sermonem, qui brevissimis verbis omnes rei proprietates explicat, ac circumscribit. *Et Philotheus antiquissimus Aphorismorum Interpres subdit*, Aphorismum esse sermonem verborum quidem inopem, sensibus autem locupletem. *Hinc quanta sit hujus operis præstantia, atque utilitas, quisque facilè coniiciet, cùm in eo summa Medicinæ Capita comprehendantur, & quæ graviora sparsim alibi Hippocrates edocuit, in hoc uno Opere colligantur, veluti generaliora, ac principaliora Medicinæ Theoremata: quippè satis is putavit in Arte planè admodùm longa, vitaque brevi, utilitatem quærere, tradereque ea, quæ necessaria forent ad Rem Medicam faciendam, non disputandam. Eos igitur ad genuinam ejusdem Auctoris mentem explicare conabimur, potissimùm cohærenter his, quæ accurata Seculi nostri diligentia detexit, atque in lucem protulit, sectantes interea vulgatam Leoniceni è græco Codice versionem, ni tamen alicubi Ratio aliter suaserit.*

L U-



LUCÆ TOZZI

In Primum Aphorismorum

HIPPOCRATIS COMMENTARIA.

APHORISMUS I.

Vita brevis, Ars longa, Occasio præceps, Experimentum periculosum, Judicium difficile. Non solùm autem seipsum præstare oportet opportuna facientem, sed & Ægrum, & Assidentes, & Exteriora.



Ubitat in ipso limine Galenus, an hic unus sit, an plures aphorismi; sed istius tamen hæsitantiæ illum increpat Cardanus: *hoc enim esset*, inquit, *ipsum Hippocratem accusare, qui duo diversa in unum compegerit.* Conveniunt ea propter cum eodem Salvus Sclanus, Fuchsius, Argenterius, Heurnius, Moralis, & Sanctorius, unicum hunc esse aphorismum duas tamen partes comprehendentem, & quidem primam Aphoristicæ doctrinæ necessitudinem continere, quoniam Vita humana brevis est ad tàm arduam, & longam Artem addiscendam; alteram verò, requisita, ad intenti operis consequutionem; scilicèt obtemperationem Ægri, Assistentium diligentiam, & externorum debitam præparationem, administrationemque. Quamobrem videtur hic aphorismus universi operis prodromus, atque procemium.

Quoniam vero Artem longam dixit, & Vitam brevem, videtur subinde Hippocrates nedùm Auditores dehortari, sed etiam ab omni Medicinæ studio homines avocare. Verum his potius perbellè suadet, & adhortatur: *extrema enim*, inquit Galenus, *dementia foret, simul scribere commentationes, & tradere posteritati ad Vitæ utilitatem, & simul ab initio non solùm à legendo, atque discendo ea, quæ scripseris, dehortari; sed ab Arte universa, cujus doctrinam profitearis, abalienare.* Id

igitur potiùs summo judicio videtur ab Hippocrate notatum, ut ratio inde pateret, cur doctrinam aphoristicam ad Medicinam tradendam selegerit, hoc quodammodo usus ratiocinio, ut interpretatur Cardanus: *Curatio Ægri perficitur ex Medico præcipiente opportuna, & ut talia adhibeantur; sed ut adhibeantur, oportet, ut sit Causa efficiens, & sunt Adstantes: Materia, idest Æger, qui consentiat: Forma, & sunt res externæ, quæ adhibentur. Igitur ad consequendum finem, seu sanitatem, præter Medici officium, illa tria quoque sunt necessaria. Verùm cum illa ad opus ipsum sint directa, non ad Artem, non est necesse ut doceantur hic; at ut Medicus in Arte sit instructus, necessarium est, ut possit præcipere, quæ conveniunt; minimè verò poterit, nisi sit instructus aphoristica doctrina; igitur doctrina aphoristica in Arte Medica necessaria est, adeòque necessarium componere, & conscribere aphorismos*. Hæc Cardanus. Addit præterea Argenterius hac oratione Hippocratem Medicinę studiosos hortari ad rem hanc diligentius capessendam; alios vero negligentiores, hebetiorisque ingenii admonere, ne rem tot, tantisque difficultatibus implicitam aggrediantur.

Ob maximas autem, innumerabilesque, quibus Medica facultas implicatur, arduitates, atque ob longum tempus, quod ad illam addiscendam exquiritur, Vita humana brevis dicitur. Et quamvis prisci homines ad centenos annos vixisse ferantur, & jam adhùc de plerisque perhibeatur quod ultrà centesimum vitam protraxerint, illa tamen si comparetur ad Medicinæ difficultatem, ac multigenam, quæ pro ipsa expostulatur, rerum cognitionem, sanè brevis dicenda est. Atqui non solùm unius hominis ætas, sed & multorum seculorum, vix hactenus sufficere potuit. Quot, & quanta in usum Medicum nostris temporibus invecta, atque industria Anatomicorum detecta sunt, quæ Veteres latuere! utquè omittam, quæ à Paracelso, atque Helmontio sunt prodita, præclara quotidiè inventa medendi notitiam mirum quantum amplificaverint, cujusmodi sunt, quæ de motu Cordis, & sanguinis, nec non de Animalium generatione non ita pridem pervulgavit Harveus, quæque de Venis lacteis, seu chyliferis Asellius, quæ de Chyli conceptaculo, ejusque ductibus per Thoracem serpentibus Pecquetus, quæ de vasis aqueis, lymphaticis dictis, patefecit Bartholinus, & quæ de structura, usu, connexione, & fermentis viscerum observarunt Malpigheus, Glissonius, VVarrhonus, Lovverius, Sylvius, Graeffius, aliique de Re Medica Viri optimè meriti. Nec dum verò finis videtur impositus, sed & post mille secula neque prę cludetur occasio aliquid adhùc adiiciendi; quamobrem sicut hactenùs medendi Ars non benè patuit, nec profectò in posterum omninò patebit, cum circumfusa tenebris alia maneant innumera, tùm ex corporum constitutionibus, & usibus partium, tùm ex morborum, & causarum, atque Medicamentorum notitia, & proprietate. Difficilis præterea, & longa nimis censenda est Medendi scientia ob multarum, variarumque rerum discendarum, quæ ad illam ritè faciendam requiruntur, copiam, ut scitè ostendit Galenus pluribus in locis, præsertim verò *lib. quod Optimus Medicus debeat esse Philosophus*.

At verò animadversione dignum est, quod in hanc rem innuit idem

Gale-

Galenus *in Commentario*, promoveri quàm maximè posse Medicinæ studium, si Veterum excogitatis Recentiorum inventa adiiciantur, ut hac ratione quæ à principio imperfecta erant, progressu saltem temporis perficiantur. *Etsi* (is inquit) *nemo nostrum sufficiat ad Artem simul constituendam, & absolvendam, satis tamen videri debet, si quæ multorum annorum spatio priores invenerint, posteri accipientes, atque his addentes aliquid, illam aliquando compleant, atquè perficiant*. Hinc discant à Galeno, qui se Galenicos appellant, Medicinam eo tempore valdè mutilam, maximè nunc locupletem, Recentiorum Anatomicorum inventis, & spargiricæ Artis remediis evasisse.

Augent præterea Medicæ facultatis difficultatem occasio præceps, experimentum periculosum, seu fallax, Judicium difficile. Pro occasione intelligenda Temporis opportunitas in exhibendis medicamentis: etenim Corpus humanum labile admodum est, innumerisque obnoxium mutationibus, ut propterea quæ nunc exposcit, mox jam non admittet, agendi opportunitate præterlabente; quamobrem rectè comparavit Oribasius occasionis præcipitem lapsum fluenti aquæ Fluvii, ut quemadmodum quis digitum in fluvium immergens, mox elevans, ac subindè denuò immergens non eandem tangit aquam, ita singulis horarum momentis corpus ægrotantis variat, & agendorum occasio præterit. Ægritudines etiam cum plerumque oriantur, foveanturque ab humoribus, velut à Causis, & isti sensim mutentur, fit propterea ut agendi occasio, atque eorumdem fugandorum, aut corrigendorum opportunitas facillimè effugiat; unde haud immeritò Antiqui occasionem descripsere occipitio calvam, fronte vero capillatam, & Galenus *primo prognost. Ita volat*, inquit, *Occasio, ut aliqui moriantur, priusquàm vocetur Medicus*. Illam equidem tanti fecit Hippocrates, ut *libro de Arte* doceat, *omnem morbum curari posse, si Medicus occasionem opportunam agendorum non omittat*.

Experimentum insuper periculosum dicitur, tum propter Humani Corporis dignitatem, tum ob variam ægrotantium habitudinem, & symptomatum conditionem; unde fit, ut quod uni aliquando profuit, alii obsit. Experientia enim definitur à Galeno *lib. de opt. sect. ad Trasyb. Memoria ejus, quod sæpiùs, & eodem modo visum est*. Hinc subdit idem Auctor *in Commentario hujus aphorismi. In Corpore humano illa experiri, quæ non sunt experientia comprobata, non est citrà periculum, cùm mala experientia ad totius animalis interitum terminetur*, & eleganter dixit Plinius *lib. 29. cap. 1.* Medicos insectatus: *Negotiantur animas nostras, & experimenta per mortes agunt*.

Nedùm autem experimentum periculosum dicitur, sed & fallax, etenim variant sæpè numero causæ morborum, habitudines corporum, temporum constitutiones, ægrotantium ætates, etsi morbus, quem probato alias medicamento pepulimus, idem vel valdè similis videatur. Sed plura in hanc rem fuere alibi à nobis recensita.

Denique Judicium difficile est, quoniam, ut Galenus subdit, *Vera Ratio non facilè invenitur, quod multitudo sectarum, & opinionum in Arte ostendit medicinali: neque enim si veritas esset inventu facilis, tot, ac tanti viri, qui illam perqui-*

fierunt, unquam fuissent in tam contrarias sectas dispertiti; nam, ut verum fatear, hæc difficilis est, & fermè inexplorata. Quare esto remedium profecerit, ambigendum adhuc, quomodò, quibus viis, quave efficacitate contulerit.

Neque solùm difficultates contingunt in Re Medica ex longitudine Artis, occasione præcipiti, experimento periculoso, atque ratione fallaci, quæ ad Medicum pertinere videntur, sed supersunt aliæ spectantes ægrotum, adstantes, & exteriora. Id enim designant verba illa: *non solum autem seipsum præstare oportet opportuna facientem &c.* Siquidem etsi Medicus suo munere fungatur, atque opportunam agendi occasionem non prætereat, nec in experimentis, aut ratione decipiatur, adhuc tamen poterit suo fine frustrari, si nimirum Æger non fuerit obtemperans, nec adstantes sint diligentes, nec exteriora ritè comparata, & exhibita. *Ars*, dicebat Hippocrates, *primo epidem. sect. 2. t. 51. tribus constat, Morbo, Ægro, & Medico Artis ministro: Ægri autem est unà cum Medico morbo reluctari*, in cujus Commentario Gal. hæc habet. *Oppugnant sese mutuò, &, ut ita dicam, inter sese depugnant, ac dimicant Medicus, & morbus: Morbum enim studet Medicus evertere, illi contra, ne sit inferior, propositum est. Tertius est præter illos Æger, qui, si quidem Medico sit obtemperans, & faciat imperata, socius in certamine efficitur huic, morbo hostis; si autem ab eo desciverit, ac quæ dictat morbus exequatur, duobus nominibus Medico facit injuriam, uno quidem, quòd destituerit solum, altero, quòd duos fecerit, qui erat antè unus*. Idemque confirmans 6. *epidem. comm.* 4. *t.* 9. repetit. *Adversari morbo ægrotum unà cum Medico oportet, cùmque tres sint, Medicus, Morbus, & Ægrotus, si Medicum solum cum morbo pugnantem ægrotus deserat, vel etiam ad Morbum transfugiens Medico repugnet, Medicum à morbo superari continget*. *Secundo* etiam *prognost.* 43. & 6. *epidem.* 5. ait, *paucos morbos esse mortiferos, si neque Medici errent, neque ægri, neque ministri, neque aliquod noxium extrinsecùs accidat*. Confidentiam pariter ægroti in Medicum valdè conferre ad morborum curationem docuit idem Galenus 6. *epidem. comm.* 4. *t.* 8. & Conciliator *diff.* 135. Unde Paracelsus adeò characteribus, imaginibus, & periaptis incubuit, ut nimirùm vim Imaginatricis in ægrotantibus vehementer commoveret, & spem recuperandæ salutis sublevaret. Quamobrem refert idem Galenus quosdam Pergami pro deploratis habitos, à Præstigiatoribus sanatos fuisse, quoniam horum præceptis propter confidentiam obsequebantur, cum Medicis non paruissent. Quare nec ægroti se curari permittant à Medicis, quibus non fidunt, nec Medici curandos suscipiant diffidentes. 4. in 6. Epid. 8.

Assidentium præterea curam, ac diligentiam qualem esse oporteat perbellè notat Hippocrates *lib. de decenti ornatu prope finem* his verbis: *oportet ut eligatur unus ex discipulis, qui diù sit exercitatus, & patienter ægro serviat, & quod mandatum est, faciat*. Et Galenus *primo de diebus decretoriis cap.* 11. *Oportet ut adstantes sint prudentes, periti, patientes, diligentes, hilares, & ægrotantibus grati*.

Quod ad exteriora denique, illa, inquit Galenus *tùm hìc, tùm primo de diebus decretoriis*, esse, quæ ægrotum turbare possunt, & crisim impedire,

dire, ut habitationes inidoneas, turbarum plenas, vicinorum tumultus, strepitum curruum, canum latratus, & quæcumque nocturnum somnum, aut quietem abrumpunt: quiete siquidem; ac somno ne dum vires consistunt, & conservantur, sed & sudores potissimùm in febribus salutares, blandè admodùm promoventur. Impediunt quoque crisim importunæ medicamentorum exhibitiones ab imperitis Medicis in improbum morem inductæ, qui cùm se credant magna præstare, ægrotantibus summoperè officiunt. In hos acriter invehitur Hippocrates *lib. de alimento*, *&* Galenus 11. *meth. cap.* 15. *&* 1. *de diebus decretor.* 11. unde ejus verba transcribere non gravabor: *Quædam peccata*, inquit, *à Medicis his admirandis committuntur, putantibus, nisi quis ingressus ad ægrotum, deindè succingens se, vel cataplasma imposuerit, vel perfuderit, adusserit, vel clysterem indiderit, vel venam inciderit, vel cucurbitulas adjunxerit, vel confricuerit, vel nutriverit, aut hujusmodi aliud factitaverit, nihil ab ipso gestum esse artificiosum: hi enim quoties ad ægrum accedunt, toties peccant. An hi Medici sint, vel potius Carnifices, cæteri judicent*, subdit Sanctorius.

Ad exteriora potissimùm revocanda sunt Pharmacopæorum opera, Electuaria, Syrupi, Catapotia, Cerota, Emplastra, idque genus alia, quæ non rarò adulterina, rancida, malèque præparata esse solent, cùm tamen his adversùs morbos, eorumque causas pugnandum sit; undè non mirum, si frequenter Medici suo fine frustrentur. *Si igitur hæc omnia benè, & rectè se habuerint, nihil eorum, quæ in hoc libro scribuntur, falsum esse invenietur*, concludit tandem Galenus.

APHORISMUS II.

In perturbationibus ventris, & vomitibus spontinis, si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leviter ferunt; sin minus, contrà. Sic & vasorum inanitio, si talis fiat, qualis fieri debet, confert, & benè tolerant; sin minùs, contrà. Inspicere itaque oportet & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos, in quibus conveniat, aut non.

DEfinierat Medicinam Hippocrates *libro de flatibus* Adjectionem eorum, quæ deficiunt, & Detractionem eorum, quæ excedunt: ut autem suæ Medicinæ per doctrinam aphoristicam tradendæ initium faceret, quæ detractione, per evacuationes, quæque adjectione, per victus rationem observanda forent, primùm recenset, exordiumque facit ab evacuationibus; cùmque istæ vel qualitatem, vel quantitatem evacuandorum respiciant, propterea hìc qualitatem potissimùm considerat, relaturus speciatim in sequenti quantitatem. At quoniam evacuationes in universum, vel sponte Naturæ, vel Artis adminiculo contingunt, ac priores, vel Criticæ, vel Symptomaticæ, de iis primùm sermonem habens, inquit; si in illis talia purgentur, qualia purgari oportet, & conferre simul, & tolerari, documentum exindè tradens generale cujuscumque evacuationis, ut illa salutaris, & critica reputetur. Sed sigillatim dictiones explicemus.

Primùm inquit *in Perturbationibus ventris*. Vertunt alii in ventris commotionibus, & profluviis, ut Heurnius; clariùs verò Fuchsius, in dejectionibus per inferiora; undè pro *Ventre* alvi regionem intelligit, non au-

autem ventrem superiorem, seu thoracem, neque ventriculum. Addit, *& Vomitibus*, idest evacuationibus per superiora: Neque verò de arte promotis, sed sponte exortis, seu à sola Natura excitatis. Num autem sub spontaneis evacuationibus hoc loco comprehendantur egestiones etiam symptomaticæ, quæ fiunt quidem à Natura, sed irritata, vel gravata, dubium esse potest, præsertim quia Galenus *lib. de differ. symptom.* illas ad naturales revocavit, immò quandoque perutiles esse dixit, diminuta nimirùm causa morbifica. Et quamvis negare videatur Sanctorius, asserens eas fieri vi morbi; dicendum tamen cohærenter sententiæ Hippocratis, sub evacuationibus spontinis, etiam symptomaticas hoc loco intelligi; siquidem dicitur in textu: *sin minùs, contrà*. Modò per hæc verba designatur excretio quoque nocens, & symptomatica, quæ nimirùm nec confert, nec toleratur:

Si, præterea subdit, *talia purgentur, qualia purgari oportet*. Quibus verbis manifestè declarat, se vitia purgandorum humorum commemorare, atque adeò de eorum qualitate, non quantitate agere. At quænam sint ejusmodi qualitates designatæ sub his verbis, *qualia, & talia?* Qui omnia qualitatibus metiuntur, de calore, frigore, humiditate, & siccitate, illa facilè interpretantur. Verùm qualitates istæ, si unquam in humoribus considerandæ sunt, haud quaquam evacuatione tolluntur, sed potiùs alteratione, correctioneque, ut passim docet Galenus *in libris Meth. M. & de causis morborum*; quin & Hippocrates ipse *lib. de Vet. M.* expressè notat, *non calidum, non frigidum, non humidum, non siccum, magnam vim habere in morbis inferendis*. Quid igitur pro qualitate intelligendum sit, exponit idem Galenus 4. *aphor. comm.* 2. significari superabundantiam superfluitatum sua qualitate infestantium ægrotantem; & clariùs *lib.* 1. *aphor. comm.* 23. humorem noxium interpretatur, qui cacochymiam constituit; unde definit purgationem, *evacuationem esse humorum sua qualitate molestantium, seu noxiorum*. Itaque speciem potiùs vitiosi humoris, putà acrioris, vulgò biliosi, crassioris, seu pituitosi, aliusvè, quàm nudas qualitates per *qualia*, & *talia* Hippocrates intellexit; itaut sensus fiat, tunc alvi dejectiones, ac vomitus sponte naturæ habitos salutares esse, cùm illi humores educuntur, qui morbum faciebant, vel fovebant, sive multi, sive pauci illi sint, etenim hoc loco nullam quantitatis rationem habendam voluit, sed solùm cacochymiam consideravit; ejusmodi autem evacuationis genus, talis nimirùm humoris, qui nocet, necessariò conferet, & tolerabitur, quoniam morbus cum symptomatis aut desinet, aut intermittet, & vires vel nullam, vel levem jacturam patientur; secùs verò, si alterius ab eo, qui noxius est, evacuatio contingat.

Sed gravior difficultas viget in sensu Aphorismi, attenta sententiæ phrasi, & serie verborum. Etenim videtur Hippocrates inutilem, immò ridiculum concinnasse aphorismum, qui prognosim contineat pendentem à successu ipsius evacuationis; nam quis unquàm potuisset addubitare de eventu salutari ex evacuatione spontina, si ejus humoris facta sit, qui purgari debuerit? quamobrem post egestionem noxii humoris, ejusdem utilitatem determinare, veluti rem cunctis obviam, vanum omninò existimandum est. Arduam hanc difficultatem solus, quod sciam, inter Expositi-

pofitores fubodoravit Sanctorius, illamque folvere conatus eft, vertendo ex græco codice *Qualia* in *qualiter* adverbium, ut exindè fenfus fiat, illam evacuationem effe bonam, quæ fit qualiter oportet, nimirùm fervatis debitis conditionibus Crifis, putà concocta materia, in die critico, cum debita quantitate, & qualitate. Poft hanc folùm inquit fieri, ut conferat, & ægri ferant verè, & falutariter. Verùm enim verò voluit Hippocrates Medicos admonere, ut exindè difcant effe imitatores Naturæ, quæ tunc falubriter evacuat, cùm ea educit, quæ vitiofa funt, & morbum faciunt, vel fovent, haudquaquam infpecta quantitate humoris excreti, de qua *aph.* 23. hujus dicitur: *Dejectiones non funt multitudine æftimandæ, fed fi talia eiiciantur, qualia conveniunt*; quamobrem videntur hìc recenfitæ conditiones requifitæ ad bonam evacuationem fponte habitam, five fecùm adjunctam habeat excreti humoris copiam, vel inopiam, undè Medicus de ea, quæ Artis ope promovenda eft, judicium ferre valeat.

Sicut autem evacuatio, fi ejus humoris fiat, qui morbum fovet, confert, & leviter fertur; ita viciffim fi facilè feratur, & conferat, ejus humoris itidem erit, qui nocebat; videtur enim ex uno in alterum neceffaria illatio, veluti à caufa ad effectum, & vice verfa; ut propterea nullum fit certius falutaris egeftionis indicium, quàm fubindè ægrotum morbo, & fymptomatis levari citrà virium exfolutionem. Quod fi aliquando vitiofi humores egerantur, videaturque æger exindè exonerari, nec tamen ad morbum conferat, ut in vomitionibus ex calculo Renum, aut ex veneno affumpto, vel inflicto; id accidit, quia neutiquam excernitur ille humor, qui morbum facit, vel fovet, fed alius, qui à vifceribus præter naturam affectis ingeneratus, vel à vitiatis fermentis corruptus, velut ex accidenti cum principali caufa morbi jungitur, ut cùm E.G. ex fpina digito infixa tumor, dolor, & febris accidit, quam vigilia confequitur, undè ventris cruditas, & ex cruditate vomitus, vel alvi fluxus, qui etfi ægrotum allevet, & conferat, non tamen dolorem, & febrim à fpina inductam removet, quia non eft ejus humoris, qui principalem morbum fovet, qualis effet purulentus fanguis, fi ex digito dolente, & tumefacto prodiret; hic enim propriè eft, qualis educi debet, ut omninò conferat, & toleretur; quamquàm & is, qui per alvum egeritur vitio ventriculi, depravatus, & corruptus, fuo quoque modo conducat, quemadmodùm de Symptomaticis excretionibus fuperiùs eft notatum; fi namque is detineretur, majus procul dubio damnum inferret.

Emolumentum præterea hìc notatum ab Hippocrate, firmum, ftabile, & perfeverans effe debet, fi namque fugax, & momentaneum fit, timendum, relabente mox in pejus ægroto; nulla enim evacuatio tàm mala eft, quæ faltem ipfo eodem die, ægro contuliffe non videatur. Hinc monendi funt, qui ftatim ab egeftionibus quodammodò relevantibus certam infirmis falutem pollicentur, ne tàm faciles fint in ferendis ejufmodi præfagiis, nifi de firmitate conftiterit.

At quoniam falutaris evacuationis indicium defumptum ab ægri levamine, & virium conftantia fequitur, non præcedit excreta, quæret aliquis, quibus fignis manuduci poffit ad prænofcendam futuram evacuationem falutarem. Idem Hippocrates 6. *epidem. f.* 2. *t.* 33. ibiquè Galenus hæc præ

oculis habenda proponit: *Quid*, *quantum*, *quando*, *quomodò*, *& ubi*. *Quid*, ideſt morbus, ejuſque cauſa, nùm ſcilicet egeſtione, an correctione egeat; ſiquidem nonnulli morbi, veluti à corpulenta materia pendentes, ejuſdem evacuatione conquieſcent; alii, ſola correctione. *Quantum* ſit evacuandum coniicere licebit à copia noxiorum humorum; hi etenim, ſi multi ſint, copioſiorem egeſtionem expoſtulabunt, modò vires permiſerint; quemadmodum enim conferens evacuatio parca, & diminuta eſſe non debet, ita nec excedat, oportet. *Tempus* evacuandorum humorum opportunum judicabitur à præſentia, & promptitudine eorumdem, qui ab utilibus, & ſalutaribus ſecreti, in conſueta, & naturalia emiſſaria deponuntur. *Modus* colligitur ab eorundem humorum diſpoſitione, ſi nimirùm faciles ſint ad exitum, per patentes, reſeratoſque ductus deducti, citrà moleſtiam, aut eroſionem. *Locus* denique conſiderandus, num per alvum, aut os, vias urinæ, aut poros cutis noxius humor commodè educi queat. His perpenſis, Medicus futuram evacuationem prænoſcet, nùm ſit collatura ſine virium detrimento, atque illam importunis medicamentis non diſtrahet: quod plerumque fit magno ægrotantium periculo; cùm non ſemel viderim ab impedita, vel promota nimiùm, aliterve turbata criſi, illos periiſſe, etiam in ipſa ægritudinis declinatione.

Quod hucuſque Hippocrates in ultroneis egeſtionibus, ut conferant, & tolerentur, adnotavit, non diſſimili ratione in 2. *hujus aph. par.* de evacuationibus arte promovendis admonet, aitque veluti per comparationem vaſorum inanitiones tunc utiles fore, unàque ſimul ſufferri, & conferre, cùm tales ſiunt, quales fieri debent. Medicus enim, ut imitator Naturæ, debet medicamentorum uſu eos humores, & per illos ductus educere, quos Natura tentaret, ſi ſponte ſua ageret.

At verò quid per vaſorum inanitionem intelligat, controvertitur ab Interpretibus. Galenus *in comm.* de omni evacuatione exponit, cui aſſentitur Fuchſius. Oribaſius verò ſolùm de ſanguinis miſſione. At Heurnius cibi abſtinentiam, & eam evacuationem, quæ medicamentis purgantibus peragitur, memoratam hìc ab Hippocrate putat. Verùm cum vaſorum inanitio non minùs dici debeat, quæ per venæ ſectionem, & cathartici exhibitionem fit, quam quæ per ſudorem, urinam, aliaſve, haud quaquam contrahenda videtur Hippocratis ſententia ad hanc, vel illam ſolummodò; ut propterea crediderim illum voluiſſe Medicos Naturæ miniſtros admonere, ut in cujuſcumque generis evacuationibus perficiendis, eos conentur humores educere, qui morborum fomites ſunt, & per illa vaſa, quæ ſunt congruentiora: futurum enim, ut exindè promota evacuatio feratur, & conferat. Itaque Vaſorum inanitiones quæcumque Arte faciendæ, Naturæ operibus, quoad fieri poterit, conformentur, ut ſalutares evadant; unde quemadmodùm naturales, & ſpontaneæ evacuationes ſalubriter contingunt, cum coctionem, ſecretionemque convenientem ſequuntur, cum anteà recenſitis conditionibus; ſic & Vaſorum inanitiones artis auxilio promovendas, cum iiſdem conditionibus fieri neceſſum eſt; ut latiùs in methodo medendi dictum.

Cæterùm poſtremo loco docet Hippocrates, habendam eſſe, in ejuſmodi egeſtionibus perficiendis, rationem

nem

nem Regionis, Temporis, Ætatis, & Morborum, in quibus talia vacuari conveniat, ut indè manuducamur in cognitionem quarundam circumstantiarum, quæ, sive intrinsecùs, sive extrinsecùs, evacuationes impedire, aut turbare possunt.

Primò quidem Regionem considerandam esse præcipit; quoniam ex Galeno *lib.de sect.c.*8. nec in valdè calidis, nec in valdè frigidis Regionibus evacuatio multa, aut affatim facta convenit. Sic pariter quædam Regiones largam sanguinis missionem facilè tolerant, quædam verò ægrè admodùm, præsertim quæ ventis australibus sunt expositæ, undè membra delaxantur, vitale robur infringitur, & sanguis redditur effœtus. Fatetur quoque Galenus 3. *epidem.* Venæ Sectionem Romæ, & Athenis non valdè pleuriticis convenire, quia utraque Civitas ventis Australibus, adeòque fluxionibus obnoxia est, ut speciatim de Roma refert 5. *meth.cap.*8. idemque ait observatum ab Asclepiade. Atqui compertum habemus hìc Neapoli, Austro perpetim agitata, nedum ęgreferri sanguinis missionem, sed malè omninò cedere ægrotantibus, & sæpissimè in perniciem. In locis etiam supra modum calidis, aut frigidis, sanguinem mittere non audemus, inquit idem Galenus 1. *de Arte Cur. ad Glauc.cap.*14. quoniam quemadmodùm multum variat corporum habitudines, & animi mores, Regionum incolatus varius, ita & variæ, differentesque ægritudines in illis observantur, quæ diversis medicamentorum generibus tractandæ sunt, ut de Scorbuto, Plica Polona, Sudore Anglico, cuique perspectum.

Habenda præterea est Ratio Anni temporis; undè idem Hippocrates 4.*aph.*5. dixit, sub cane, & ante canem difficiles, & molestas evadere purgationes; & Galenus *ibidèm* subdit, plures sub cane purgatos incidere in acutas febres, & naturam ex æstu imbecillam, magis ex purgatione dissolvi; quod pariter confirmat 10.*meth.ult.* quoniam ex eodem 2.*aph. comm.*16. duæ evacuationes simul tolerari nequeunt. De Temporibus nimiùm frigidis par ratio militat, ut propterea dixerit idem Auctor *comm.*47.6.*aphor.* & *lib. Quos, Quibus, & Quando*, tempus opportunum esse Vernum, & Autumnale. Cavendum etiam esse præcipit à purgantibus medicamentis Hippocrates, in utroque Solstitio, & Æquinoctio, *lib.de Aer.Aq. & loc.* atque in subitis Aeris mutationibus, ac vicissitudinibus. Adhuc autem urgente necessitate, temporis ratio habenda est, cùm nonnisi in his leviori cathartico uti liceat, ut commodè feratur. De venæ sectione verò importuno tempore indicta hæc habet 1.*de Arte Cur.ad Glauc.cap.*14. *Quibus Medici nihil omninò de temporum statu cogitantes, sanguinem abstulerunt, interierunt; quamobrem ambientis aeris temperatura loco accidentis cujusdam habenda.*

Similiter ad ætatem ægrotantis respicere oportebit; siquidem ex Gal. *comm.*4. *de rat.vict.*19. neque Puer, neque Senex, sanguinis sustinent detractionem, etiamsi morbus, quo ipsi laboraverint, magnus fuerit. Et 11.*meth.cap.*14. agens de sanguinis mittendi ratione in febre synocha putri, excipit à phlebotomia pueritiam, inquiens: *At si in puerum incidat, qui quartumdecimum annum hactenus non attigit, mitti illi sanguis non debebit.* Et mox subdit: *Si corpus decimumquartum annum excesserit, æstimandum est, qualisnam ejus sit habitudo, num gra-*

gracilis, spißa, & dura, & copiosi sanguinis; an contra; atque ita in priori missionem sanguinis adhibebis, in secunda nequaquam. Si insuper, cui sanguis mittitur, 30. annos natus sit, sed laxus, & mollis, & pinguis, & albus, ac gracilibus venis, huic aut planè sanguinem non mittes, aut parum detrahes; & omninò quidem non mittes in tempore æstatis, & regione æstuosa, & cœli statu calido, & sicco; parum detrahes in reliquis tum anni temporibus, tum regione, tum cœli statu. Et 8. *meth. cap.* 4. etiam de curandis febribus loquens, ait. *At si quidem vel puer, vel senex sit, sanguinem detrahere non licet.* Idem repetit 1. *de Art. Curat. ad Glauc. cap.* 14. *& lib. de Cur. rat. per sang. miß. cap.* 6. 9. *&* 13. Eximit etiam à purgatione puerilem ætatem 9. *meth. cap. ult. quoniam*, inquit, *puerorum substantia omnium facillimè digeritur, ac dissipatur, quominùs vacuantis præsidii eget, cùm habeat ex seipsa, undè naturaliter vacuetur.* Cautè etiam in senibus agendum est, nè à purgatione langueant, cùm vires illis admodùm labiles insint, atque ab alvi fluxu plurimùm lædantur, ut deducitur ex eodem *Gal.* 5. *de san. tuend. cap.* 6. *&* 9. Vides igitur, quàm longè à Galeni mente nostrates Medici recedant, tam facili purgantium medicamentorum, & phlebotomiæ usu, in omni indiscriminatim ætate, cùm tamen se Galenicos jactent. Ut verò se tueatur, Celsum appellant, *lib.* 2. *cap.* 10. dicentem: *Interest enim, non quæ ætas sit, neque quid in Corpore intus geratur, sed quæ vires sint: Firmus puer, robustus senex, & gravida mulier valens, tuto curantur.* At verò minimè animadverterunt, quod idem Author subjungit: *Maximè tamen in his Medicus imperitus falli potest, quia ferè minus roboris illis ætatibus subest, mulierique prægnanti post curationem quoque viribus opus est, non tantùm ad se, sed etiam ad partum sustinendum; non autem protinùs faciendum est, quicquid intentionem animi, aut prudentiam exigit.*

Denique perpendendos quoque morbos esse docet, antequam evacuatio tentetur. Tabes enim, Hydrops, Syncope, Cardialgia, alvi fluxus, aliique plures morbi, sanguinis detractionem minimè admittunt. Febres ardentes, inflammationes internæ, dolores vehementes, & similes, usum purgantium medicamentorùm recusant, ex Hippocrate 4. *de rat. victus*, & Gal. 1. *de Art. Cur. ad Glauc.* 14. Ab accidentibus etiam, seù symptomatis adjunctis, utraque evacuatio plerumque impeditur, ut si conjungatur cum vomitu sitis, cum dolore vigilia, cum febre syncope, cum hydrope pulsuum exilitas. De obstructione etiam, & putredine habet expresse Galenus 11. *Meth. c.* 14. illas phlebotomia non tolli: inquit enim: *neque obstructio, nec putredo curari per sanguinis missionem potest.* Viscera pariter digestioni ciborum dicata si langueant, quodcumq; evacuationis genus interdicitur, documento ejusdem Gal. 13. *meth. cap.* 15. *&* 16. quoniam illa omninò roborari expostulant. Morborum prætereà tempora internoscenda sunt, nam multa inter initia utiliter adhiberi possunt, quæ in augmento, & statu nocent; & alia opportuna sunt in declinatione, secùs verò in cæteris temporibus. Sic Hippocrates 2. *aph.* 29. scribit: *cùm morbi incoant, si quid videtur movendum, move; cùm verò consistunt, ac vigent, melius est quietem habere.* Sed de hac re alibi fusiùs.

Quæ

Quæ hucusque exposita sunt, satis manifestè declarant, cur Hippocrates voluerit inspiciendas esse Regionem, ætatem, Anni tempestates, & ægritudines. At non defuere, (ut præ cæteris est Sclanus) qui pro dignoscendis solùm vitiosis humoribus salubriter expurgandis, isthæc in aphorismo adjecta fuisse opinantur. Equidem ex Regione coniici posse ajunt humores purgandos, cùm in Regionibus calidis, & siccis, bilis; in frigidis, & humidis, pituita; in frigidis siccis, melancholia; & in calidis, humidisque sanguis prævaleat; adeòque pro illarum varietate congeneres humores educendi sint. Ita quoque Tempore calido, & æstivo calidos, & biliosos humores vacuare expediet, quia hos morbum gignere, vel fovere, probabiliter conjecturant; pituitosos verò, & melancholicos, Hyeme, & Autumno; sanguineos denique Vere, ob conformem temperierum habitudinem. Sic pariter ex ætatibus varietatem humorum deducunt: nam voraces Pueri, ob nimiam ciborum ingluviem, crudis, pituitosisque humoribus scatere solent; Juvenes verò biliosis; Viri melancholicis; & Senes phlegmaticis. Ex morbis denique eosdem humores dignosci posse opinantur; etenim tertianas febres bilem indicare, quotidianas pituitam, quartanas melancholiam, & sanguinem excedentem synochas. Sed & potuissent isti adiicere colores Cutis, & capillorum, habitum corporis, vitæ conditionem, suetam victus rationem, cęli statum, insomnia, aliaque plura, quæ Galenus proponere consuevit, veluti indicia generalia prædominantes humores attestantia, ut *lib. de humoribus*, *lib. 2. microtechni*, *2. de Art. Cur. ad Glauc.* *2. de naturalibus facult.* & alibi passim. At hęc, quàm absint ab Hippocratis mente, ex nuper dictis clarissimè patet.

APHORISMUS III.

Habitus Athletarum, qui ad summum bonitatis attingunt, periculosi, si in extremo constiterint: neque enim possunt in eodem permanere, neque quiescere; cùm verò non quiescant, neque possint proficere in melius, reliquum est igitur, ut decidant in deterius: His de causis bonum habitum statim solvere expedit, ut corpus rursùs nutriri incipiat. Neque Compressiones ad extremum ducendæ; (periculosum enim) Sed qualis natura fuerit ejus, qui debet perferre, ad hoc ducere convenit. Sic & evacuationes, quæ ad extremum deducunt, periculosæ; & rursùs refectiones, cùm extremæ fuerint, periculosæ.

NOtant hìc inprimis nonnulli Hippocratem prolixitatis, quòd orationem tam productam inter Aphorismos reposuerit, cùm cæteroqui Aphorismus sit oratio brevis, & selecta. Sed excusatione is dignus est: etenim cùm rem arduam, & vix fide dignam enarrare debuisset, qualis est, quæ de summo bonitatis gradu, & de extrema sanguinis, & carnium plenitudine, hoc loco memoratur: initium propterea facit huic aphorismo ab exemplo, ut nimirùm tacitè quærenti respondeat, quorum unquam esse possit ejusmodi habitus ad extremum bonitatis perductus, cùm tamen apud cordatiores Medicos satis constet, vix inveniri in hominibus perfectam sanitatem, & habitum corporis adeò exquisitum, ut solutione, detractioneque opus habeat.

In-

Inquit ergo ejusmodi habitum inveniri posse in Athletis, quorum scilicet institutum erat luctari, & in palestris sese variis certaminum generibus exercere, quamobrem alimentis vescebantur multis, & optimis, ut specioso corpore jucundum Populo spectaculum exhiberent, & luctaturi, robore, viribusque præpollerent. Cùm igitur hi multa euchymorum ciborum copia sese ingurgitarent, tantam carnium, & sanguinis plenitudinem sępesępiùs adipiscebantur, ut non rarò subita, inopinataque morte succumberent.

Sumpto itaque ab his exemplo, Hippocrates ait, Athletarum habitum, cùm ad summum bonitatis pervenerit, solvendum statim esse: quoniam in extremo constituti, nec possunt in eodem statu permanere, atque quiescere, neque possunt in melius proficere, unde necesse est, ut decidant in deterius. Ne autem in deteriorem statum incidant, subdit, tantum sanguinis, & carnium excessum diminui oportere, ut rursùs corpus nutriri incipiat. Undè deducitur, memorari hoc aphorismo evacuationem illam, quæ à quantitate, seù plenitudine indicatur, quemadmodùm in præcedenti aliam à qualitate deduxerat. Summa autem aphoristicę sententię eo collimare videtur, ut repletiones, refectionesque, sicut & evacuationes, ad extremum ductas, periculosas esse decernat.

Sed quęnam sint pericula ex habitu athletico imminentia, inquiramus, cùm cęteroqui videatur ejuscemodi constitutio valdè salubris. Verùm ob id ipsum, quòd summum bonitatis gradum attigisse videntur Athletarum Corpora, periculosissima dicenda sunt. Primò ob assignatam in textu rationem, quia neque in eodem habitu subsistere, neque ultra progredi possunt; unde Celsus *lib.2.cap.2.* scribit: *Si plenior aliquis, & speciosior, & coloratior factus est, suspecta habere bona sua debet, quæ, quia neque in eodem habitu subsistere, neque ultra progredi possunt, ferè retrò, quasi ruina quadam, revolvuntur*. Et Galenus *in orat. suasoria ad bonas artes cap.6.* hoc genus hominum vocat miserrimum. Secundò quia Athletę in quatuor magni momenti pericula incidere solent ex Hippocrate, ejusque Commentatore Galeno 4. *de rat. vict.* 23. v.3. in venarum diruptionem, pręsertim verò thoracis, & pulmonis; in earumdem, & arteriarum interceptionem, unde Aphoniæ, Apoplexię, & similes perniciosæ ægritudines; in suffocationem, ab affluxu nimio irruentis sanguinis in cor; & denique in ejusdem sanguinis concretionem, putrefactionemque, ob impeditum illius motum, retardatamque perspirationem. Hæc autem facillimè Athleticis corporibus accidunt, quoniam sanguinea vasa ob nimiam plenitudinem summè turgent, adeòque vel dirumpi, vel comprimi necesse est, impedito intereà cordis, & sanguinis motu.

Sed hìc dubitare contingit ex Gal. in comm. cur Athletæ, quorum venæ adeò sanguine turgidæ putantur, ut diruptionem, & suffocationis periculum minentur, famescere possent, immò pluries in die cibum sumere, quemadmodùm de more illis erat? cùm tamen ex Gal. 1. *de symptomatum causis cap.7.* fames naturalis à privatione alimenti in partibus, è venarum suctione, atque ab oris ventriculi corrugatione proficisci dicatur: quæ sanè in Athleticis Corporibus deesse videntur.

Huic difficultati respondent nonnulli

nulli cum Brasavolo, famem in Athletis excitari à Melancholia è splene ad Ventriculum transmissa, citantes ad id Avicennam 1. *primi* dicentem, Melancholiam famem afferre. At ductus ille ex Anatome, non quidem è Splene ad Ventriculum, sed è Ventriculo in Splenem tendit, ut ostendit ligatura in vivis animantibus. Neque Avicenna ibidem statuit, à Melancholia famem naturalem excitari, sed morbosam, & quam caninam, aut lupinam appellant, cùm tamen Corpora Athletica sanguinea potiùs dicenda sint, quam melancholica, etiam ex testimonio Galenicorum, eaque famescant fame naturali, non morbosa. Argenterius famem in illis oriri inquit à calore interno, qui ambientem partium humorem dissolvendo, cogit extimas ab intimis nutrimentum trahere. Sed difficultati non satisfacit, cùm venæ omnes in Athletis sanguine turgeant, & Corpus undequaque pinguefactum existimetur, si ad summum bonitatis statum pervenerit. At verò quis non deridebit appetitum illum voluptuosum, quem in Athletis effinxit Marsilius Cagnatus, sequentem, ut ipse inquit, ciborum recordationem: Qua enim ratione voluptuosus hic appetitus, aut ciborum recordatio, haberi poterit absque sensu? Sensus autem undè erit ad famem excitandam? sanè ex Ventriculo. Quidpiam igitur ibi inesse dicendum, quod famem voluptuosam concitet. Adde, quòd plerique ægrotantium tametsi recordentur se cibis egere, haud nihilominùs famescunt, sed potiùs ad illorum memoriam stomachantur.

Verùm Recentioribus innotuit, famem in Viventibus oriri à succis quibusdam in Ventriculi cavum exudantibus, qui etiamsi venæ omninò turgeant, & Corpus undequaque pinguefiat, sensum tamen in ejus orificio superiori movent, & ad famescendum sollicitant; de qua re fusiùs alibi à Nobis actum est. Hinc cadit quoque Responsio Sanctorii, qui distinguit ex græco codice Athletas ad summum, græcè τὸ ἄκρον, plenitudinis perductos, ab his, qui sunt in extremo, græcè ἐν τῷ ἐσχάτῳ: nam inquit, eos, qui perveniunt ad summum, seù τὸ ἄκρον, adhuc esse in motu, adeòque famescere; qui verò sunt in extremo, veluti terminum adeptos, in quiete persistere, & fame destitui; quin immò, subdit, otiante anima vegetativa illos occumbere. Etenim parum, vel nihil interest, an summum, vel extremum attigerint Athletæ, cùm isti ex mente Hippocratis, neque quiescere, aut in eodem statu permanere, neque in melius proficere dicuntur, quandocumque ad summum bonitatis pervenerint.

Sed & ex verbis textus ulteriùs dubitare licebit, cur nequeant Athletę in eodem bonitatis statu permanere, & quiescere? Et quidem ad summum bonitatis evectos in melius proficere non posse, res est captu facilior; at verò non posse in eodem statu permanere, & quiescere, omninò inintelligibile videtur. Quid enim obstat, summum bonitatis statum adeptos, in eodem conservari non posse? Verùm responsio deducitur ex Gal. in *comm. hujus aph.* & *lib. de bono Corporis habitu*; siquidem in Athletis semper fit major sanguinis accretio, ex nova ab alimentis assumptis additione, undè postremò arteriæ, & venæ novi sanguinis incapaces, alterum ex duobus incurrent, discindi scilicet, vel intercipi; quamobrem sanguinis, & cordis motu interrupto, animal perit. Et sanè quosdam novi-

novimus, ex ejuſcemodi Vaſorum, & ſanguinis interceptione, veluti repentè ſuffocatos occubuiſſe. Cęterùm nutricationis opus abſque ingenti vitæ incommodo diutiùs feriari, omninò eſt impoſſibile.

Quid autem agendum ſit, nè ejuſmodi damna Athleticis Corporibus eveniant, docet in ſecunda Aphoriſmi parte Hippocrates. Et quidem bonum habitum ſolvendum ſtatim admonet, ut Corpus rursùs nutriri incipiat. At quo pacto, quove evacuationis genere, non explicat. Verùm ſi Athletarum Corpora carnium, & ſanguinis incrementum extremum nacta ſunt, ea erunt adhibenda, quæ maximam minuere valent plethoriam, quam ad vaſa Galenus appellavit *lib. de plenitudine*. Sunt autem hæc ex documento ejuſdem Diæta, & ſanguinis Miſſio. Miſſione quidem ſanguinis, venæ inaniuntur; Diæta verò carnes macreſcunt: utrumque in illis optandum; atque eo magis, ſi ex interceptione vaſorum in plexibus Cerebri, Aphoni, vel Apoplectici jam evaſerint, promoto nimirum per phlebotomiam ſanguinis circuitu, ſubindè impedito, de quibus idem Hippocrates 4. *de rat. victus in Acutis*, & Celſus *lib.3. cap.27*.

At verò haſce evacuationes conſulit ad extremum ducendas non eſſe; *periculoſum enim*: ſed faciendas, prout natura fuerit ejus, qui debet perferre, ideſt ſecundùm, quod vires tulerint, nam omne nimium Naturæ inimicum 2. *aphor.51*. Verùm quid per *Compreſſiones* intellexerit? cùm inquit: *neque Compreſſiones ad extremum ducendæ ſunt*. In textu græco ſcribitur τὰς ξυμπτώσιας, quod licèt Leonicenus vertat Compreſſionem; Fuchſius tamen Extenuationem exponit, & Heurnius Inanitionem talem, ac tantam, ut ex ea Vaſa concidant: nam ſi evacuatio immodica fieret, & ad extremum, Vaſa procul dubio inanita conciderent; immò & ipſa moles Corporis labaſceret, non ſine vitæ periculo: ſubindè enim Syncope, àut Apoplexia certò immineret.

Sed undè eſt, quòd hoc loco Hippocrates extremas evacuationes caveat; *Aph. verò 23. bujus Libri* illas commendet, inquiens: *Atque ubi uſque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum*. Ubi Galenus ſubdit, *in maximis doloribus, & vehementiſſimis febribus, nullum majus inveniri remedium, quàm uſque ad animi defectionem evacuare*.

Et licèt Braſavolus, Hippocratem, & Galenum commendaſſe dicat evacuationes ſanguinis ad animi deliquium uſque *excluſivè*, non *incluſivè*; id tamen alienum omninò eſt à Galeni mente; is enim *citato loco*, & *9. Meth. cap.4.* & *lib. de cur. rat. per Sang. miſſ. cap.12.* Sanguinis detractionem adhortatur animi deliquium includere; ſiquidem deſcribens ibidem deficientis animi ex Venæ ſectione accidentia, memorat totius Corporis refrigerationem, ſudorem, vomitum, dejectionem, & ſimilia, quæ ſanè Syncopem pręſentem atteſtantur. Hinc aliter Sanctorius Hippocratem interpretatus, illum vituperaſſe, inquit, extremas evacuationes, non quidem in Corporibus quadratis, & abſolutè robuſtis, ſed in Athletis tantùm, qui non omninò boni, perfectique corporis habitus erant, quoniam ſanguis in iis ſuperabat aliorum humorum proportionem; cùm tamen Virtus vitalis ſolùm in illis robuſta ſit, quibus ineſt quatuor humorum Symetria, & optima partium commenſuratio, quam

quam in Athletis defuisse idem Auctor arbitratur, eo quòd pars sanguinea, & carnosa, præcelleret aliorum humorum, reliquarumque partium proportionem. At quàm absurda sit hæc Sanctorii expositio, non est, quòd multis suadeam, quippè qui multa fingit, multa supponit de quaternario humorum numero, jam satis reprobata, & à Peritioribus manifestæ falsitatis redarguta. Præterquàm quòd Hippocrates nomine Athletarum intelligit, qui ad summum bonitatis pervenerint; undè igitur habet Sanctorius, ut mentem Hippocratis retorqueat ad Corpora Athletarum, quorum habitus absolutè bonus non sit?

Per easdem, immò & graviores ambages, versantur, qui Hippocratem interpretantur, caventem in hoc Aphorismo evacuationes, quæ eò deducunt Vasa, ut inanita subsidere cogantur, undè Syncopes, & repentini interitus; At verò *in Aph.23.* commendasse eas ad Lipothymiam usque, non ad Syncopem: differre autem dicunt Syncopem, & Lipothymiam, quòd illa sit præceps virium lapsus, ex pulsu deficiente indicatus; hæc verò sit quidem casus virium, sed pulsu superstite. At omni crimine, supplicioque dignus foret Hippocrates, si vires, & hominum vitam, in tam ancipiti periculo per ejuscemodi evacuationes, libratas voluisset, qui in suo Jurejurando spoponderat, se dubia quæque, & periculosa vitaturum, qualia planè sunt cujusvis animi defectiones, undè difficilis admodùm est reditus in Vitam; atqui ex Lipothymia in Syncopem, ac deniquè in Mortem, facillimè transitur, nullis ex adverso suffragantibus auxiliis.

Melius dicendum eapropter, nuspiam sua sententia commendasse Hippocratem cujusvis generis evacuationes, ad animi defectionem usque, sed loquutum esse dumtaxat sub conditione: etenim *c. aphor. 23. primi* hæc habet: *Atque ubi ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, si æger possit tolerare.* Cùmque rarissimè, vel numquam ægri tolerent ejusmodi evacuationes, idcircò numquam pariter tentandæ illæ erunt. Adde, quòd eo loco non agit Hippocrates de Venæ sectione, & sanguinis detractione, sed de dejectionibus multitudine haudquaquàm existimandis, quæ cacochymiam humorum respiciunt, neque tantam virium dissolutionem minantur, quanta ex sanguinis missione timetur. Verùm de hac re longior sermo redibit in prædicti Aphorismi expositione.

Quandoquidem videtur Hippocrates sumere prętereà indicationem detrahendi sanguinem, atque ad præfinitam quandam quantitatem evacuandi, ex Viribus solummodò; dum inquit: *sed qualis natura fuerit ejus, &c.* cùm tamen indicationes istæ sumi debeant vel à Morbo, vel à causa Morbi, juxta ea, quæ fusè traduntur in Methodo medendi; idcircò de ejus mente hìc ulteriùs addubitandum. Et communis responsio est cum Galeno *lib. de opt. sect. ad Trasybul. cap.* 22. robur non indicare remedium, sed tantummodò tolerare, ac permittere: cùmque remedium, ut ritè administretur, sit à viribus tolerandum, proptereà Hippocrates tantam inquit faciendam esse evacuationem, quantam Vires tulerint: quod etiam pluries edocuit Galenus *9. Meth. cap.* 12. & 13. & *lib. de cur. rat. per sang. miss. cap.* 14.

At hìc controverti potest, quidnam illud sit, quod principaliter Venæ sectionem indicet? Etsi enim non desint,

desint, qui sanguinem in cunctis ferè morbis educendum jubeant; non tamen adhuc inter eos benè convenit, quodnam sit primùm, præcipuum, atque immediatum indicans missionis sanguinis.

Putarunt aliqui cum Massaria *lib. de scopis mittendi sanguinem*, proprium, & adæquatum indicans Missionis sanguinis esse morbi magnitudinem, moti authoritate Hippocratis *4. de rat. vict. t.* 19. dicentis: *In acutis sanguinem detrahas, si Morbus vehemens sit, ætasque floruerit, & virium robur adsit*. Cui consentit etiam Galenus *4. meth. cap. 6.* At verò morbum magnum exponit idem Auctor ibidem, tripliciter intelligi, *vel ob afflictæ partis præstantiam, vel ob cacoethiam, malumve morem, aut propter affectus magnitudinem, & læsæ partis expansionem*. Quare perperam confundunt nonnulli magnum cum acuto; nam etiam in chronicis misit sanguinem Galenus, videlicet in febre Quartana, in Anasarca, in Arthritide, Sputo sanguinis, aliisque chronicis ægritudinibus. Hisce authoritatibus efficacissimum se putant isti addere argumentum, quòd scilicet magnis morbis magna conveniant remedia: Atqui sanguinis missio magnum remedium est; Igitur illa magnis morbis omninò convenire dicenda videtur.

Verùm quàm longè isti aberrent à vero, ex eo potissimùm deducitur, quia plerique morbi magni, acuti, & vehementes sunt, venæ tamen sectionem nedum non admittunt, sed respuunt: cujusmodi sunt, etiam ex Galenicorum sententia, Apoplexia, Vertigo, Syncope, Cholera, Volvulus, Lienteria. Neque verò omninò verum est Axioma illud: magnis morbis magna remedia convenire, præsertim si ea vocemus magna, quæ magnam in visceribus, humoribus, & Vita, commotionem pariunt, non sine ingenti discrimine: hæc enim tantùm abest, ut magna remedia, quin potiùs perniciosissima pharmaca sint appellanda. Immò sæpè numero usu venit, ut maximos, & gravissimos morbos, levissimis remediis arceamus: sic Alysson, & pulvis Cancrorum fluviatilium, sanat morsum canis rabidi, & hydrophobiam præcavet: sic à sanguine hirci Pleuritidem, à subere Dysenteriam, à gummi arabico Dysuriam, à nitro Nephritidem, à cortice peruviano Febres, ab Opio dolores, sæpissimè fugari videmus. Quamobrem, cùm verissimum sit, Naturam esse morborum medicatricem, ea dumtaxat magna remedia appellare licebit, quæ illi haudquaquam infensa, atque molesta sunt, nec vitale robur infringunt; sed potiùs, quæ grata, atque amica, ejusdem vim, facultatemque promovent, ad superandam, propulsandamque morbificam causam. Hinc illud remedium magnum appellabitur, quod ad morbi curationem efficacius conducit, quamvis sine violentia operetur. Accedit, quòd non valet illatio ab indicante generali ad indicatum speciale; undè non rectè infertur: est morbus magnus, ergo indicatur phlebotomia.

Arbitrati sunt alii cum Capivacceo, vehemens peccatum sanguinis indicare *primò*, & *per se* phlebotomiam: vehemens autem peccatum sanguinis, inquiunt, considerari posse trifariam: aut secundùm formam, cùm scilicet putrescit, & corrumpitur: aut secundùm quantitatem, cùm excedit: aut secundùm motum, cùm de parte in partem fluit, quò fluere non debet. Hinc subdunt, vitium sanguinis secundùm formam indicare evacuationem illius *eradicativam*; vi-

vitium verò quantitatis indicare evacuationem *minorativam*; ſecundùm motum denique indicare evacuationem *revulſivam*.

Sed & hi ſuis quoque implicantur difficultatibus. Et quidem cùm ſanguis peccat ſecundùm formam, degenerat in alios humores, qui cacochymiam conſtituentes, purgatione potiùs, quàm ſanguinis miſſione egebunt; quin & vires languentes admodùm ex ejuſmodi ſanguinis mutatione, corruptioneque, procul dubio miſſionem minimè tolerabunt. Attamen ſi hæc unquam in corrupto ſanguine foret admittenda, ut vult Capivacceus, *eradicativa*, deberet planè univerſum ſanguinem exhaurire ad Viventis internecionem. Excedens præterea quantitate ſanguis in venis, & arteriis, ut evacuatione egeat, nuſpiam viſus eſt; nam quemadmodùm Natura in neceſſariis non deficit, ſic in ſuperfluis non abundat; & ſi quandoque à copia ciborum abundantior fortaſsè ſanguis progigni videatur, moles indè potiùs corporis, & carnium incrementum habebitur, chyloſa ſcilicet Sanguinis portione in alimentum partium cedente, cui ſola frugalitas medebitur. Vitium denique in motu omninò commentitium eſt, & falsò Veteribus creditum, qui putabant ſanguinem in venis contineri, ſicut vinum in utre: perenniter quippè ille circumit, & ſi fortaſsè aliquando remoretur, aut alicubi reſtagnet, graves excitat ægritudines, febres, inflammationes, aliaſve, aliter omninò ſubigendas.

Exiſtimarunt alii cum Valleſio 7. *controv.cap.*2. venæ ſectionem non eſſe unicum remedium, ſeù indicatum, ſed multiplex, immò multorum remediorum aggregatum, adeòque indicari ab aggregato multorum indicantium; Quinimmò addit Sanctorius, huic inſiſtens opinioni, verum, propriumque indicans venæ ſectionis eſſe *innominatum*, atque *ineffabile*, eò quòd ab unico denominari non poſſit: Octo autem ipſe enumerat indicata, ſeù remedia, ex phlebotomia provenientia. Primùm vocat *Eradicans*. Secundùm *tollens plenitudinem*. Tertium *auferens malignam qualitatem*. Quartum *temperans calorem*. Quintum *revellens*. Sextum *derivans*. Septimum *præbens motum ſanguini, quiete peccanti*. Octavum denique *deobſtruens*. Concludit eapropter, phlebotomiam humores peccantes *eradicare*, abundantes *minuere*, putridos *corrigere*, fluentes *revellere*, ſtagnantes *derivare*; itemque *aperire*, *refrigerare*, *ventilare*, *deobſtruere*, & mille alias utilitates afferre.

At ſi hæc bona omnia ex unica provenirent phlebotomia; ſanè nullus foret morbus, cui illa non eſſet profutura: cùm nullus morbus ſit, in quo, vel eradicandum, vel minuendum, vel corrigendum, vel revellendum, vel derivandum, vel refrigerandum, vel deobſtruendum, vel aperiendum, aliterve operandum, alterandumve non ſit. Atqui nec ipſi, quibus tam cordi illa eſt, audent eandem Vertiginoſis, Epilepticis, Empyicis, Tabidis, Aſciticis, Obſtructis, Aſthmaticis, œdemate, & ſcirrho affectis, aliiſque præſcribere; in quibus eradicare, minuere, corrigere, revellere, derivare, aperire, deobſtruere, aut aliter alterare expedit.

Utcumque præterea conſideretur Phlebotomia, numquam utiliter poterit, & ſine ingenti periculo, in ægrorum auxilium duci: etenim, ut præſidium eradicans, deberet univerſum vitio affectum ſanguinem è ve-

nis, & arteriis exhaurire, ut omnem illius labem, si præsertim in totum Corpus irrepserit, eradicaret; & si alicubi tantùm lateat, divinandum priùs foret, unde is extrahendus, citrà alius dispendium, aut infectionem. Sed & ejusmodi putrefactiones in sanguine, superstite vita, quis unquam rationabiliter admiserit?

Ut præsidium, plenitudinem diminuens, in sanis potiùs, quàm in morbosis corporibus, locum habere potest, ut hic Hippocrates de Athletis innuit, cùm ad extremum bonitatis devenerint; at verò in morbosis omnia aliter prorsùs se habent, cùm & sanguis, & reliqui humores multùm evarient, atque in alios, aliosq; degenerent, minimè per phlebotomiam educibiles, per quam non tam mali, quàm boni plerumque, non sine gravi vitæ incommodo, educuntur; unde Hippocrates solùm commendare visus est evacuationes in Athletis, cùm intra limites sanitatis versantur: nec solùm eductione, sed potiùs diæta, solvendos illos esse præcepit, detractione procul dubio tutiori, magisque Veteribus commendata. Cæterùm plethoriam in ægris, & potissimùm febrientibus, haudquaquam inveniri, ex eo speciatim satis, superque evincit Helmontius, quia Cauteria in iis spontè exiccantur, nullumque sanguinem fundunt.

Quòd insuper possit per phlebotomiam maligna qualitas ex humoribus abscindi, incredibile omninò est: Maligna enim qualitas haud evacuantibus, sed corrigentibus, subigitur; ut propterea solùm alexipharmaca, & antidota, à Cordatioribus commendentur, quibus illius vis immanis infringatur. In malignis autem ægritudinibus bonus sanguis paucus esse solet, isque sæpissimè effœtus, ut testantur pulsus debiles, tactus frigidus, propensio ad somnum, & totius corporis languor; unde Galenus 4. *de san. tuenda cap.* 4. agens de dignotione, & Curatione vitiosorum succorum, ait: *si bonus sanguis modicus sit, reliquus verò succus plurimus; utique in his abstinendum à detractione sanguinis est.* Ampliùs, cùm dicatur maligna qualitas ab ingenti humorum putrefactione pendere, sanè repugnabit omnis sanguinis detractio, tum quia per illam putredo minimè curatur, documento Galeni 11. *meth. cap.* 14. tùm quia educto tenuiori, floridiorique, qui remanet, fit magis obnoxius corruptioni; quare idem Galenus 9. *meth. cap.* 10. inquit: *In morbis maximè est periculosa evacuatio, veluti si ea fortè incidit ex corruptela humorum*. Si præterea ingens hæc putredo in venas, & arterias nondum irrepserit, ut cùm pulsus est bonus, & urina, ex Rhasi; sed vel in glandulis Corporis, vel in exilibus vasis, & apicibus arteriarum hæreat, ab educto sanguine illa interius protrusa, cominùs cor adoritur, & necem infert. In hanc rem Sennertus *cap. de febribus malignis, & pestilentibus*, conferens quotquot ante sua tempora rem Medicam sunt professi, & malignas, pestilentesque febres curare aggressi sunt; longa seriè memorat, testatos, extremum obiisse diem ægrotos omnes, quibus in pestilentiis sanguis detractus fuerat; quibus verò secùs, feliciter convaluisse; quin & Galenus ipse *lib. de cibis boni, & mali succi*, idipsum, expresse fatetur, suo tempore accidisse in quadam pestilenti constitutione, ex ciborum vitio. Vires enim plerumque in his extremè languent, quibus cæteroqui, oppugnandæ malignitatis gratia, validissimis opus esset,

ſet, haudquaquam venæ ſectione diſſipandis.

Quàm prætereà perperam agatur in mittendo ſanguine, ut exindè calor adimatur, & vita refrigeſcat; notius eſt, quàm ut hìc fuſa oratione oſtendi poſſit. Vita noſtra calore eget, & calore conſervatur: frigore verò languet, & fatiſcit; unde ex utriuſque exceſſu, ſanè gravior, periculoſiorque cenſendus eſt, qui ex frigore, quàm qui ex calore: cùm, quoad uſque calor vigeat, vita perſeveret. Neque verò perpetuò, ex miſſione ſanguinis, calor, qui febrilis dicitur, remittitur: cum & aliquando, immò ſæpeſæpiùs, augeatur, ut experimur in febribus, quæ non raro ab ejus detractione ingraveſcunt, & exacerbantur. Refert quippè Helmontius *lib. de febribus cap.* 4. Cardinalem Toletanum ab iteratis phlebotomiis, univerſo penè ſanguine exhauſto, priùs vita defunctum, quàm febre. At verò, ſi phlebotomia ejus virtutis eſſet, ut calorem excedentem, ad naturalem, & vitæ conſentaneum reduceret, eſſet procul dubio remedium febrientibus omninò præſentaneum; cùm tamen plerique in pejus ruant, atque ab illa intenſiùs excandeſcant. Porrò ſcitè admodùm inquit Helmontius: *tantùm ſanguinis miſſio refrigerat, quantum de calido vitali furatur*. Et Galenus 12.*meth.cap.*1. multò anteà admonuit, *non rarò ab ejuſmodi evacuatione, priorem quidem morbum deſinere: ſed ægrum remanere decolorem, viribus imbecillum, exilem, ut vix priſtinum habitum in poſterum recuperet*. Quemadmodùm igitur dubius eſt eventus, in curandis febribus, à largo potu aquæ gelidæ, quæ ſpecialiùs æſtum febrilem temperare valet: cùm ſubindè plurimi ab illa perierint, ad extremum frigefacti; ſic, & longè gravius periculum timetur à venæ ſectione, ſedandi fervoris cauſa, indicta, per quam nedum excedens, & qui febrilis putatur, adimitur: ſed &, qui ſalutaris eſt, à ſanguine oriundus, quique vitam tutatur, & fovet. Sed Ecquis unquam ſciverit, quantum ſanguinis ſit educendum, quod æſtui ſolùm temperando ſine vitæ jactura ſatis ſit? Verùm & hæc, quæ de caloribus ſunt à Veteribus conficta, alibi latiùs examinabuntur.

Quòd ulteriùs creditur, poſſe per Venæ ſectionem fluentem ſanguinem retrahi, atque in contrarium curſum diſtrahi, ac derivari; vanum omninò eſt: is etenim, continenter excurrens per arterias, & venas, indeque rediens in Cor, perenni circuitu vitam promovet, nec ſine gravi ejuſdem incommodo retardari poteſt; undè ſi fortaſsè alicubi hæreat, febres, & inflammationes parit, quę potiùs diſſolventibus medicamentis, quàm ſanguinis detractione curantur; cùm ſtagnans extra propria vaſa ſanguis, venæ inciſione neutiquam educi, aut alio diſtrahi queat: immò potiùs ex diſpendio vividioris portionis faciliùs concreſcit, & difficiliùs diſſolvitur, aut ſuppuratur: quibus ſanè modis vitæ incolumitati conſulitur.

Denique quòd obſtructioni minimè poſſit venæ inciſio opitulari, docemur ab eodem Galeno *cit.*11. *meth. cap.*14. dicente: *Nec obſtructio, nec putredo curari poteſt per ſanguinis miſſionem*. Et quidem ſi unquam à ſanguine obſtructio fit, certè in apicibus arteriarum contingit, quæ nimia exilitate nequeunt tam facilè impulſum à corde ſanguinem excipere; idque potiſſimum, ſi à contracto acore facilè concreſcat, aut glutinoſior evaſerit; modò per venæ ſectio-

nem nulla ratione ejuſcemodi arteriolarum obſtructiones removentur, ſed magis, ac magis à concreſcente ſanguine increſcunt: ut propterea rarò illa contingat, quin comitem non habeat febrem acutiſſimam, & mali moris, ſi præſertim præcordia occupet.

En igitur quàm debili fundamento innituntur, quæ tot, tantæque ex ſanguinis miſſione memorantur utilitates; & ſi aliquando referatur illa juviſſe, indeque convaluiſſe ægrotantes: certè, quos illa non peremit, ſortem ſervaſſe dicendum. Quibus autem rationibus plerique inducantur, ut obfirmato animo huic magno putato remedio emancipentur, hactenùs mente concipere non potui. Excuſandi planè ſunt Veteres, quos nova Medicinæ inventa, quibus jam locupletata eſt, latuere; at non video, quam veniam Recentiores unquam ſint promerituri. Si experientiam appellent, qua plurimos per phlebotomiam ſanatos fateantur; teſtor ex adverſo ipſe, multos me annos Medicinam factitaſſe, & in Xenodochio Parthenopæo Divę Mariæ Annunciatæ centenos, & millenos brevi curaſſe, ſine ulla ſanguinis evacuatione; licèt phreneſi, pleuritide, angina, hepatide, hæmoptoe, eryſipelate, omniſque generis febribus, fuerint correpti; ut proindè jam in propatulo ſit, quamlibet poſſe ægritudinem citò, tutoque curari, abſque ulla ſanguinis effuſione; & ſi aliquando illa locum habeat, in ſanis potiùs, & in Athleticis, plethoriciſque Corporibus, ad plenitudinem minuendam, juxta mentem Hippocratis, commendanda, nè in immedicabiles ægritudines incidant, & ſuffocationis periculum incurrant. Undè Galenus 2.*aph.comm.*8. cohærenter Hippocratis ſententiæ, hæc habet: *Hippocrates non hìc tantùm, ſed etiam in aliis ſuis commentariis, quando invicem proportione ſervata humores omnes augentur, miſſione ſanguinis auxiliatur; ubi verò unus aliquis ex ipſis ſuperabundat, illi purgatorium dat medicamen*. Et eodem 2.*aph.comment.*17. *Evacuatio autem omnium humorum æqualiter (quæ quidem exquiſitiſſima eſt) fit per venæ ſectionem*. His inhæret Avicenna *ſen.*4.*primi cap.*20. ubi definit phlebotomiam, *evacuationem eſſe multitudinis detractivam*: multitudinem autem humorum, ſubdit, *augmentum eſſe ſuper æqualitate ipſorum in venis*. Cùm itaque ejuſmodi plethoria, atque humorum in venis plenitudo, nonniſi in ſanis haberi poſſit, cùm ægra Corpora per hoc ipſum, quòd ægra ſunt, ſanguinis, & carnium incrementum nequeant adipiſci; fit ea propter, ut venarum ſectiones ſanis, & plethoricis tantùm conveniant, ne in ægritudines labantur, aut ſuffocationis periculum incurrant, ſi id quoque verum ſit, ut de Athletis conſulit hìc Hippocrates.

Claudit denique Aphoriſmum Hippocrates, inquiens: *Et rursùs refectiones, cùm extremæ fuerint, periculoſæ*. Quibus verbis admonet, quòd ſicuti evacuationes ad extremum ducendæ non ſunt, nè vaſa exindè comprimantur, & concidant; ſic & refectiones extremæ eſſe non debent, quemadmodùm 2.*aph.*51.ſcribitur: *Plurimùm, atque repentè evacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, ſive quovis alio modo Corpus movere, periculoſum: omne enim nimium naturæ inimicum, ſed, quòd paulatim fit, tutum eſt*. Per extremas autem refectiones, non ſolùm intelligi poſſunt, quæ ad extremum ducuntur, adeòque illicò, & in-

ingenti copia ciborum à plerisque tentari solent: sed etiam, quæ adeò diminutæ sunt, ut vix reficere valeant, ac propterea sub tenui victu comprehenduntur, quippè Natura nostra mediocritate semper gaudet; de quo tenui victu mox.

APHORISMUS IV.

Victus tenuis, atque exquisitus, in morbis quidem longis semper; in acutis verò, in quibus non convenit, periculosus. Et rursùs, qui ad extremum devenit tenuitatis, gravis est; nam & repletiones, quæ ad extremum deveniunt; graves sunt.

DE victu ægrotantibus exhibendo verba facturus Hippocrates, considerat primùm detrimenta victus tenuis, tam in morbis acutis, quàm in chronicis; atque ait, tenuem, & exquisitum victum in morbis longis semper esse periculosum, adeòque damnandum; in acutis verò, in quibus, ex aliquo accidenti, non convenit, adhuc periculosum existimari: idque magis, quo ratio victus ad extremum tenuitatis devenerit; & rationem assignans, subdit, quoniam repletiones, quæ ad extremum deveniunt, periculosæ etiam sunt.

Verùm ad horum notitiam præscire decet, Victum apud Veteres fuisse distinctum in Plenum, Tenuem, & Mediocrem. Rursùs tenuem, in exactè tenuissimum, in tenuissimum, in exactè tenuem, & in tenuem non exactè: ut meminit Galenus *in comm. hujus aph.* & super libros *de ratione victus in morbis acutis*. Plenus victus intelligitur, qui sanorum est, & viribus, ac carnibus augmentum præstat: licèt majori, vel minori quantitate sumptus, magis quoque, aut minùs pro corporum, & ætatis diversitate nutriat: puta, qui ex carnibus, ovis, cæterisque usualibus alimentis frequentior esse solet. Mediocris est, qui vires quidem tuetur, sed non multùm auget, quinimmò ex rebus labilibus, quæ citam in Ventriculo dissolutionem subeunt, paratur: ut sunt ova recentia, panis elixus, pastilli è mica triticei panis edules. Tenuis denique, vires potiùs minuit, quàm augeat, vel servet. Hic præterea denuò dividitur in victum extremè tenuissimum, qui proximè accedit ad jejunium: ut, cùm spiritus tantùm, elixires, confectionesq; restaurantes, commistæ liquoribus, ad cochlear unum, vel alterum, exhibentur: quemadmodùm fieri solet in morbis vehementioribus, qui citò in salutem, vel mortem desinunt. In victum simpliciter tenuissimum, ut erat aqua mulsa, & melicraton temporibus Hippocratis. In cibum exquisitè tenuem, ut cremor ptisanæ. Et demùm in tenuem non exquisitè, ut erat tota ptisana.

Sed, & præscire juvat, apud vetustiores Medicos variè victus rationem fuisse institutam. Quorumdam mos fuit extremam inediam, saltem per triduum, ægrotantibus imperare, uti erant Diatritarii, quorum Princeps Thessalus 4.*meth.cap.*4. Aliis erat in usu victus plenissimus, ut fuit Petronas, cujus meminit Galenus *comment.*1.*de ratione victus t.*13. Alii aliter, pro Sectarum varietate. At Hippocrates victus rationem sic instituit, ut in acutis morbis tenuem: in longis verò pleniorem præscriberet. Neque ante illius tempora inter medicinalia præsidia Diæta fuit: etenim, referente Galeno *lib. de Arte tuendæ sanitatis ad Trasybul.cap.* 33. Plato, antiquos Asclepiadas, idest

idest *Medicos*, hac medicinæ parte non admodùm usos esse, asseverat. Et Hippocrates *primo de ratione victus in acutis t.6.* ait: *de Diæta, idest victus ratione, nihil, quod effatu dignum sit, conscripserunt Veteres: quamquam id magnum esset.* Hippocrates ergo ejusmodi auxilio Medicinam locupletavit, quo congrua victus ratio ægrotantibus præscribatur, & quidem summo cum emolumento.

Quamquam autem Diætæ nomine apud Hippocratem, & Galenum *comment.3. in 3.epidem.t.9.* & 1. *de rat. vict. in acut.* & *citato lib. ad Trasybul.* & alibi, sex causæ, seù res nonnaturales dictæ, intelligantur; hoc tamen loco propriè sumitur Victus, græcè ἡ Δίαιτα, pro cibo, ut explicat idem Galenus *in comm. hujus Aphorismi*; ut propterea eidem adiiciat tenuem, atque exquisitum, sicut pariter in sequenti illum discriminat à pleniori.

Nec est insuper prætereundum, duas præcipuè conditiones exigi à Galeno 2.*aphor.comm.*23. ad acutam ægritudinem, symptomatum scilicet incrementum, & ipsius ægritudinis brevitatem; unde acuti morbi ab eodem, & magni dicuntur, &, qui ad suum vigorem celerrimè properant. Ex defectu primæ conditionis, febres diariæ acuti morbi non sunt: quamvis enim brevissime terminentur, puta intra spatium ad summum trium dierum; vehementibus tamen symptomatibus carent. Ex defectu secundæ conditionis, Hecticę febres, Hydrops, Empyema, aliique, neque acuti appellantur: quia, licèt gravibus symptomatis ægros affligant, adjunctam tamen brevitatem non habent.

At verò potissima Causa chronicarum ægritudinum ex Galeno 2. *de diff. febrium cap.ult.* triplex recensetur, humorum scilicet multitudo, crassities, & viscositas: in his enim multum temporis consumitur, ut multi diminuantur, crassi attenuentur, & viscosi humores incidantur, adeòque ægritudo longa evadit, ut tandem, evicta, expulsaque causa, desinat. His addidere nonnulli vitiosorum succorum ab excrementorum viis distantiam, & altiùs infixam in Visceribus discrasiam; Unde Morbi articulares, & ægritudines nervorum, solent esse diuturniores: sicut pariter Viscerum obstructiones, & tumores Splenis, Mesenterii, & Uteri, indeque quartanæ febres, scirrhi, affectiones hypochondriacæ, & similes. Contrà verò, breves ægritudines ab humoribus plerumque oriuntur paucis, tenuibus, & fluxilibus. Cæterùm ad morbos contrahendos conferet indiscriminatim virium robur, & ductuum corporis laxitas: à robore etenim vitiosi humores citiùs evincuntur, & debellantur, atque è ductibus liberis, & expeditis, promptius perspirant, & facilius expurgantur; unde est, quòd quartanę febres æstivæ ab Hippocrate dicantur breviores: longiores verò autumnales, & potissimùm, quæ hyemem attingunt 2. *aph. t.*25.

His modò præmonitis, damnat Hippocrates victum tenuem, atque exquisitum (qui scilicet vires non auget, sed minuit, cujusmodi erat suo tempore ptisanæ cremor) in omnibus morbis longis; & meritò, quoniam in his, præ temporis diuturnitate, ad causam morbificam evincendam, vires validæ exquiruntur; atqui hę nonnisi pleniori victu foventur. In acutis verò, licèt videatur victus tenuis commendandus, cùm ob brevitatem vigor statim immineat, in quo frugalitas conducibilior

est:

est: ut propterea doceat *in comm.* Galenus, quòd *in omnibus morbis, quibus maximus vigor, & judicatio primis quatuor diebus futura est, modò Natura sit fortior, integram inediam servare debemus, quæ est victus extremè tenuis; in quibus verò non ultra primam septimanam protrahitur, forti existente natura, solo utendum est melicrato, qui fuerit & ipse victus tenuissimus, non tamen in extremo*; nihilominùs, si cum acutis morbis aliquid conjungatur, quod ejusmodi extremam diętam ferre non possit; plenior victus est concedendus: quare subdit idem Galenus: *si Naturæ robori non satis fidamus, ptisanæ utemur succo.* Hinc nocuus semper est victus exquisitè tenuis in chronicis, & quandoque etiam in acutis.

At quinam sint acuti morbi, in quibus tenuis victus non convenit, jure dubitare licet hoc loco. Et quidem negat Galenus, haudquaquam propter peracutos adjectas esse has particulas; nam de illis infrà scribitur: *ubi Morbus peracutus est, victu extremè tenuissimo utendum.* Sed pro his intelligendi sunt, qui cum ingenti evacuatione junguntur, & à principio vires atterunt: ut sunt febres cum alvi fluxu, animi deliquio, hæmorrhagiis, in quibus ab exactè tenui victu vires prorsùs conciderent, & ægri ad interitum festinarent. Quamobrem idem Hippocrates 2. *aphor.*7. admonuit: *quæ longo tempore extenuata sunt Corpora, lentè reficere oportere; quæ verò brevi, breviter.* Id ipsum etiam confirmat Celsus *lib.* 1.*cap.*3. inquiens: *In morbis, in quibus initium est ab evacuatione, sicut nullum majus remedium veloci refectione; ita nullum majus damnum jejunio, aut parco cibo.*

Verùm obstare his videtur, quòd in morbis à maxima evacuatione pendentibus, summè quoque Vires langueant, quæ, licet exigant pleniorem victum, quo refici possint; illum tamen non sufferunt, quoniam nequit imbecilla virtus largiorem cibum conficere. Verumtamen, esto vires brevi extenuentur, solidæ partes vigent, à quibus plenior cibus conficiatur: etenim ciborum digestio potiùs ad solidas partes, earumque fermenta, pertinet, quàm ad spiritus. Accedit, quòd hìc damnatur solùm victus tenuis exquisitus, idest exactè talis, qualis erat cremor ptisanæ, unde vires multùm deficerent; at ex Galeno in acutis, tantam diætam non admittentibus, concedi debet plenior victus, qui scilicet vires, quas invenit, tueatur. Itaque in prędictis morbis acutis, licèt concedendus non sit victus plenus simpliciter ob virium languorem; non tamen exhibendus erit tenuissimus, qui magis illas infirmet, sed medius inter utrosque, vires servans, ne magis infringantur.

Dubitare insuper contingit ex Galeno *in comm.* quare dicat, in acutis morbis cibum oportere esse minuentem vires; etenim, si vires minuet, quomodo istæ morbum superabunt? At cibus, vires minuens, morbum, & causam morbi multò magis diminuit, & extenuat; nam modica cibi quantitate nec Natura distrahitur à digestione causæ morbificæ, nec copiosiora excrementa cumulantur: cùm ex Hippocrate: *non pura Corpora, quanto plus nutris, tanto magis lędis* 2. *aphor.*10. Hinc cibus vires minuens dicitur relatus ad sanam corporis constitutionem, à qua certe plenior expostularetur, si omninò bene valeret; in adversa verò valetudine multus cibus confici nequit, infractis, mutatisque fermentis viscerum huic muneri destinatorum;

quamobrem jure optimo diminuitur.

Quamquam autem Hippocratis ętate, cibus adeò parcus acutè ęgrotantibus exhiberetur, ut etiam extremam inediam interdum attingeret; nostra tamen tempestate plenior semper in acutissimis adhuc ægritudinibus permittitur: aut quia robustiora tunc Corpora tantam potuerint inediam tolerare, assueta frugalitati; nunc verò debiliora, & molliora evaserint, & largiori cibo uti consueverint; aut quia, ut notavit Montanus *hoc eod. Aphor. primo comm. 5.* generalia Hippocratis pręcepta diversimodè intelligi debent, pro diversitate regionum, & consuetudinum: cùm ipsemet dixerit, condonandum aliquid esse Regioni, Anni tempori, Ætati, Consuetudini; idque potissimùm, cùm in morbis de Virium lapsu timetur. Sed tamen, quamvis paulò plenior victus tuto nostratibus in gratiam virium conservandarum concedi possit, liberalior permittendus non est, ut à plerisque fieri solet; siquidem non exindè vires, sed morbus increscit, aut producitur, vel saltem illius Curatio retardatur, ut advertit etiam Galenus *3. de crisibus*, & 1. *de diebus decretoriis*.

Est autem distinguendum inter victum tenuem, & attenuantem. Tenuis enim, nedum parcum, sed & nullius substantiæ alibilis cibum significat; attenuans verò substantiæ nutribilis est, sed virtutis attenuantis, & aperientis. Sic vinum album, fœniculus, siler, petroselinum, cinnamomum, crocus, aves montanæ, attenuare dicuntur, quamvis liberaliùs assumantur; unde Avicenna in Ascite, Ischiade, Arthritide, & similibus, attenuantem, non tenuem victum commendavit. Sic quoque Venerea lues, hydrops pulmonis, & paralysis, morbi chronici, nec pleniori, nec valdè tenui victu tractandi sunt, sed attenuante: ni aliud à viribus, ætate, aut peculiari Corporis constitutione, expostuletur.

Quoniam verò parcior, vel plenior victus, ut in morbis præscribi possit, illorum brevitatem, & longitudinem prænoscere opus est; operæ pretium existimavi, breviter hoc loco referre signa, quibus prudens Medicus statim inter initia exactam, congruentemque victus rationem ægrotantibus definire sciat: quod tanti sanè momenti existimandum, ut, si fortasse ignoretur, etiam ignorare contingat usum ciborum in morbis. Hinc Galenus *3. de crisibus cap. 5.* scripsit, Medicum in hac re potissimùm oportere esse versatum: tum, ne cibum cum detrimento virium importunè exhibeat, vel justo tenuiorem, vel pleniorem: tum, ne morbum protrahat, vel deteriorem faciat. Et quamvis idem Auctor *8. meth. cap. 3.* dicat: *Ego verò, nec in omnibus ægrotantibus, fateor, exactè me scire in primo die affectum*; poterit saltem futura morbi constitutio secundo, vel tertio die prævideri: notando scilicet morbi impetum, symptomatum vigorem, recurrentes accessiones, & exacerbationes, motum, & robur Naturæ, causam tum externam, tum internam, quæ morbum, vel efficit, vel fovet, anni tempestatem, & constitutionem, partem affectam, ęgrotantis ætatem, ac temperaturam. Cùm Morbus impetum facit statim prima, vel secunda die, & symptomata profert vehementia, accessiones exacerbantur, anni tempus est æstivum, ægri constitutio valida, & juvenilis; procul dubio morbus acutissimus erit, ante septimum terminandus. Si verò tertio, vel quarto

die

die contingant, ad ſeptimum protrahetur, ut deducitur ex hiſtoriis Philiſci, Uxoris Dromeadæ, & Adoleſcentis, qui decumbebat in foro Mendacium. In chronicis autem ægritudinibus, præter nuper memorata, obſervabitur ætas ſenilis, anni tempus hyemale, aer craſſus, pluvioſa tempeſtas, & hujus generis alia.

Et rursùs, pergit Hippocrates, *qui ad extremum devenit tenuitatis, gravis eſt*. Quibus verbis ſignificare videtur, non ſolùm victum exquiſitè tenuem, ſed etiam, qui ad extremum devenit tenuitatis, quique cum jejunio coincidit, in valdè acutis morbis, ſi non conveniat, maximè periculoſum eſſe, cùm Natura tantam inediam ferre nequeat. Et ſenſus eſt, quòd, licèt morbi acutiſſimi, ob extremam brevitatem, extrema inedia tractandi forent; quia tamen major ratio de viribus, quàm de morbo habenda eſt, periculo proinde minimè vacabit victus extremè tenuis, utpote qui vires tueri nequit. Hinc optimè advertit Sanctorius, Hippocratem hìc intelligendum de robuſtis, quibus jejunium nec grave, nec moleſtum eſt. Quare ſemper in ægrotis obſervanda erit propria conſtitutio, ætas, conſuetudo, regio, anni tempus, aliudve, an non poſſit ejuſmodi victus tenuis tolerari; etenim picrocholi, Pueri, helluones, ſiccas regiones incolentes, jejunium tàm facilè ferre nequeunt, ut obeſi, Senes, conſueti, & craſſum aerem habitantes.

Neque ſolùm victus extremè tenuis gravis, & periculoſus eſt: ſed etiam, qui maximè nutrit; unde concludit, repletiones quoque ad extremum deductas graves eſſe; igitur decernere videtur, moderatum cibum tutiorem ſemper eſſe. At quoniam poterat quis quærere, nùm majus damnum futurum ſit ægrotantibus acutè, à cibo tenui, an à paulò pleniori: proinde Hippocrates hæc mox ſubjungit.

APHORISMUS V.

In tenui victu ægri delinquunt, quo fit, ut magis lædantur. Quicumque enim error committitur magnus, major in hoc fit, quàm in paulò pleniori victu; propterea & ſanis periculoſus exiſtit valdè exquiſitus, & conſtitutus, quoniam errores graviùs ferunt. Ob hoc igitur tenuis victus, atque admodùm exquiſitus eo, qui ſit paulò plenior, magis periculoſus.

CUnctis ferè expoſitoribus viſus eſt Hippocrates, in hoc Aphoriſmo victum tenuem, & paulò pleniorem inter ſeſe comparare, adeòque aſſerere, majus damnum ægrotantibus futurum ex tenui, quàm ex paulò pleniori.

Sed his omninò adverſatur Sanctorius; qui ex eodem Hippocrate, atque ex Galeno, deducit, tenuem potiùs, quàm pleniorem in acutis exhibendum. Affert autem non leve argumentum ex 2. *de rat. victus t.* 37. ubi, ſemper in acutis *ſtudendum eſſe detractioni, & non adjectioni ciborum*, conſulit Hippocrates, *donec morbus matureſcat*. Cui inhærens Galenus *in comm.* ſubdit: *Victus, qui plus eſt, in acutis efficit noxas inemendabiles; qui verò minus eſt, emendari poteſt, cibi pauxillum præbendo*. Id ipſum etiam confirmat 10. *meth. cap.* 13. exemplo ejus, cui ob inediam à Theſſali Sectatoribus præſcriptam, tantus languor acciderat, ut vix oculos attollere poſſet; mox autem pauco cibo cum tenui vino refectus, oculos ſubſtulit, & vires recuperavit. At error ex victu pleniori com-

commiſſus nonniſi longa inedia, & iteratis evacuationibus emendari poteſt; undè facilis dicitur adjectiò, difficillima detractio. Idem etiam inquit edoceri ab eodem Hippocrate, & Galeno, 2. *de rat. vict.* 19. quòd *in acutis illi minùs lædantur, qui accipiunt potum ſolum, quàm qui ptiſanam*. Corpora prætereà acutè febricitantia, malis ſuccis plerumque referta ſunt, ideoque ex pleniori cibo magis inquinantur, ut dicitur 2. *aphor.* 10. cùm ex morbo illa malè digerant, undè poſtmodùm corruptiones.

Ut contradicentia hæc Hippocratis loca conciliarent, & ad rectum ſenſum revocarent Interpretes, multa, & varia commenti ſunt. Fuchſius, & Sclanus inquiunt, voluiſſe hìc Hippocratem illorum morem reprobare, qui ſtatim à principio ægros per triduum inedia macerabant, adeò ut apud Ægyptios (ut author eſt Ariſtoteles 3. *politic. cap.* 11.) cautum fuerit, gravi pęna mulctandos, qui antè tertium diem cibum cujuſvis generis ægrotantibus porrigerent. Sed quàm ſit hoc ab Hippocratis mente alienum, ex verbis Aphoriſmi apertiſſimè deducitur. Neque inſuper de victu tenui inter initia exhibendo meminit Hippocrates, ſed de tenui comparato ad pleniorem, quocumquè morbi tempore.

Triverius ſic ſe ſatisfeciſſe putat, ſcilicèt Hippocratem 2. *de rat. vict. cit.* de acutis ſermonem habuiſſe, hìc verò de morbis chronicis. Sed cùm textu præcedenti, aliiſque ſequentibus, verba faciat de victu tenui, qui ſuapte natura convenit in morbis acutis; ratio poſtulat, ut etiam de illis hìc loquatur, in quibus ejuſmodi victus convenire poſſit: modò convenit ille in acutis, non in chronicis.

In eiſdem quoque ambagibus verſantur Cardanus, & Capivacceus; Ille quidem, quia putat, Hippocratem in 2. *de rat. victus* loqui de cibi quantitate: in hoc autem Aphoriſmo de qualitate; Hic verò, quoniam arbitratur priorem locum intelligendum de ſtatu morbi, in quo victus tenuis expedit; at verò poſteriorem, de toto morbo, in quo victus tenuis periculoſior eſt. Hæc enim finguntur potiùs ab his, quàm revera menti Hippocratis cohæreant.

Galenus ſimili quodam modo ſenſum Aphoriſmi interpretatur, etenim inquit: *Quicumque error contingit ægrotantibus, qui tenui victu reguntur, hic profectò majus affert periculum*. At hìc ſubit equidem admirari, cur Hippocrates ſententiam, quam pauciſſimis verbis exprimere poterat, tàm prolixa oratione, contrà aphoriſticam brevitatem, & tot verborum ambagibus, reddiderit difficiliorem: cùm tamen Galenus Aſiatica ſua loquacitate illam breviſſimè complexus ſit.

Veriſimiliùs, & cohærentiùs Hippocratis menti exiſtimamus nos, contuliſſe reipſa Hippocratem in hoc Aphoriſmo damna victus tenuis, & plenioris, atque rationabiliter pronunciaſſe, periculoſiorem eſſe tenuem paulò pleniori, quia ille viribus detrimento eſt, hic autem prodeſt; adeòque perperam à Sanctorio oppugnari allatum ex 2. *de rat. vict. in acutis* textum 37. Siquidem ibi commendavit tenuem victum, exigitum ab acutie morborum, indicatione deſumpta ab ipſo morbo acuto, qui velociter ad ſtatum properat cum virium firmitudine; hìc verò, cùm earundem ſpecialiorem habuerit rationem, proindè periculoſiorem inquit tenujorem eſſe victum in acutis paulò pleniori. Atque hinc Galenus 8. *meth. cap. ult.* docet, magis incumbendum

dum viribus debilibus, quàm morbo, quia multò magis vires prevalent pro cibo pleniori, quàm morbi pro tenujori. Et in *comm. hujus Aph.* rationem reddens, ait, errata eſſe majora in tenui victu, quia ægri cum illo ob debilitatem ad ſtatum non perveniunt. Quare à viribus definienda eſt ciborum quantitas, & ſubſtantia. Senſus itaque Aphoriſmi erit: in acutis morbis; ſi ex æquo compararentur errata, & detrimenta, imminentia ex victu, ab acutè ægrotantibus aſſumendo: quia ex virium languore majus futurum eſſet damnum, idcirco in tenui victu magis ægri delinquere dicuntur. Notat etiam Valles. *epidem. 7. comm.* 4. quòd tenuior cibus, licèt interdùm ſit utilior, ſæpè tamen eſt minus ſecurus; at plenior, licèt Criſim differat, à morte tamen præcavet, quæ, ex tenujori victu priùs exhibito, ante Criſim inſequi potuiſſet. Et ratio indè deſumpta videtur, quia alimenta haud ſecùs exhibentur, quàm ad vires conſervandas, vel reficiendas; ergò ubi vel non adeſt, vel non imminet virium lapſus, copioſus cibus exhibendus non eſt; contrà verò, cùm de viribus ambigitur, an non perſiſtere poſſint, donec morbus matureſcat, in gratiam illarum victus plenior præſcribi debet: non enim victus reſpicit morbum, ſed vires, adeoque à viribus principaliter determinandus erit. Quare non immeritò Hippocrates indulgendum, ait, paulò pleniori, quoniam vires in morbis facilè labi poſſunt, quæ cæteroqui conſtantes eſſe debent, uſquè quo cauſa morbi evicta, & expulſa fuerit, & ſi unquam error aliquis committeretur in victu, major procul dubio foret in tenui, quàm in paulò pleniori: nam de pleno ſimpliciter, vel pleniſſimo victu, certè par error committeretur, quo

V. etiam Manardum lib. 4. epiſt. 2.

ſcilicet vires non reficerentur, ſed gravarentur, immo obruerentur.

Neque verò præter rem foret Hippocratis mentem explicare, talem illam fuiſſe, ut oſtenderet, tùm ægrotantes, tùm ſanos, qui tenui cibo utuntur, ægriùs ferre delicta, quæ non circà victum, ſed circà res alias committunt, quàm eos, qui pleniùs nutriuntur: putà ſi æger, vel ſanus, qui tenuiter cibatur, delinquat in Venere, ſimilive: hunc equidem, docet Hippocrates, graviùs lædi, quàm, qui uberiori alimento veſcatur. Multùm in id facere videtur Cornarii verſio, quæ græci Codicis fidem accuratiùs proſequitur. Illa enim ſic ſe habet: *In tenui victu delinquentes ægrotantes magis læduntur. Omne enim delictum, quod committitur, magis magnũ committitur in tenui, quàm in paulò pleniore victu; quapropter etiam in ſanis periculoſus eſt valdè tenuis, & conſtitutus, ac exactus victus, quoniam delicta graviùs ferunt. Ob hoc igitur tenuis, & exactus victus, periculoſus eſt magis, quàm paulò plenior.*

Nedùm autem victus tenuis periculoſus dicitur ægrotantibus, ſed, ſi fortaſsè valdè exquiſitus ſit, & conſtitutus, etiam ſanis nocet, quoniam hi errores graviùs ferunt. Ubi notandum, quòd ſanis periculoſus dicitur cibus, non quidem tenuis ſimpliciter, ſed exquiſitè tenuis, nam tenuis poſſet faciliùs à ſanis tolerari, cùm, ex dictis, vires quodammodò conſervet, vel non multùm minuat. Hinc poſſet argumentum à fortiori deduci, quòd, ſi tenuis exquiſitè à ſanis minimè toleratur, ideòque valdè periculoſus eſt, quanto magis ægris noxius judicandus erit, in quibus vires validæ expoſtulantur, quouſque Morbus, & Cauſa morbi maturuerit. Addit tamen, periculoſum eſſe ſanis tenuem

nuem victum exquisitè, si constitutus fuerit, ideft si illis diæta exacta, statuta, & continens, præscripta sit; etenim, si semel, aut bis, aut etiam alternis vicibus, sanum Corpus exacto, tenuique victu uteretur, nullum inde futurum esset grave detrimentum. Quapropter Celsus admonet: *sanum hominem nullis obligare se legibus debere, nec ullum cibi genus fugere, quo Populus utatur; interdùm in convictu esse, interdum ab eo se retrahere: modò plus justo, modò non ampliùs assumere; bis die potiùs, quàm semel cibum capere, & semper quamplurimùm, dummodò hunc concoquat.* Quin Avicenna sanis corporibus præcipit, ùt saltem in hebdomada jejunent, exactamque diætam servent, ad digerendas superfluitates, quæ ex præcedenti cibo fortè cumulatæ in Ventre fuerint.

Sed non levis difficultas emergit ex ratione, quam tradidit Hippocrates in hoc Aphorismo: *Quoniam errores graviùs ferunt.* Nam videtur falsum, quòd sani graviùs ferant errata ex victu exquisitè tenui: cùm enim illi benè valeant, & viribus præpolleant, sanè videntur meliùs inediam sufferre posse, quàm si ægrotaverint. Ad quam tamen dicendum, graviùs affici sanos, quàm ægros, à tenui victu: cùm sani, per hoc idem, quòd sani sunt, & benè valent, jejunio magis macerentur, undè solida etiam membra delaxantur, consumuntur, & elanguent: quod secùs ægrotis accidit, in quibus viscera alimentorum addicta digestioni plurimùm hebetantur, & à consuetis muneribus deficiunt. Hinc benè valentes, à longa inedia, bulimon incurrunt, & lipothymiam; ægrotantes verò ad dies integros citrà noxam à cibis abstinent.

Quemadmodùm tenuis victus periculosus est debilibus, etiamsi acutè febricitent; sic pariter plenior nocuus censendus est robustis, & succiplenis, licèt chronicis ægritudinibus laborent. Ratio deducitur ex mox dictis, quoniam cibus postulatur à viribus, non à morbo; nec aliundè pleniorem victum in chronicis morbis commendat Hippocrates, nisi, ut vires perdurent, quousque morbus, ejusque causa fuerit evicta. Cùm igitur vires constant, & cum tenui victu, vel mediocri, benè consistunt, non erit, cur plenior importunè exhibeatur.

Postremò inquit, tenuem idcircò victum, atque admodùm exquisitum, periculosiorem esse paulò pleniori, ut pro coronide decernat detrimenta ex illo imminentia: quasi dicat, si tenuis victus sanis, & robustis nocet, procul dubio nocebit etiam acuto morbo laborantibus, ac proindè longè periculosior erit paulò pleniori. Quænam autem inediæ damna sint, explicuit idem Hippocrates *lib. de veteri Medicina*, & 2. *de ratione vict. in acutis*.

At quamvis hæc in tenuem victum scripta sint, animadversione tamen dignum erit, longè utiliorem nostris temporibus esse tenuem cibum ægrotantibus quibuscumque, & potissimùm febrientibus: etenim plerumque infirmantur homines, ex crapulis, comessationibus, nimiaque esculentorum luxurie; unde venter universus ægrè admodùm multitudinem, & ciborum varietatem conficit, quinimmò excrementis, multisque cruditatibus onustus, eas excitat ægritudines, quæ exacta diæta egent, ut removeantur.

APHO-

APHORISMUS VI.

Extremis morbis extrema exquisitè remedia optima sunt.

HUnc Aphorismum imperfectum putat *in comm.* Cardanus; ideòque cum sequenti jungendum. Quod pariter visus est innuere Galenus hoc eodem loco. Quamobrem, si de tenuissimo victu in morbis peracutis exhibendo inferiùs agitur, quoniam hi extremos statim labores habent; profectò hìc etiam de extremo victu sermonem fieri dicere necessum erit: Cùm autem superiùs de victu exquisitè tenui in acutis morbis egisset Hippocrates, nunc qualisnam in peracutis, & acutissimis conveniat, decernit. Unde mens Auctoris hoc loco est, de Diæta solùm sermonem continuare, non autem de cæteris remediis, ut vulgò creditur, quemadmodum & Galenus ipse interpretatur. Quin Heurnius existimat, præsentem Aphorismum in correctionem, limitationemque præcedentis, scriptum esse: atque in eo exactam curationem comprehendi, designatam per dictionem græcam αἱ θεραπεῖαι, quæ curationes, non remedia significat.

Verùm quoniam plerique contendunt, præter victus rationem in morbis peracutis servandam, statui quoque hoc Aphorismo magnorum remediorum usum in morbis extremis; videamus, quid unquam ex hac aphoristica sententia possint isti prò reliquis medicamentis, ut vocant, magnis concludere.

Extremos appellant morbos, qui magni, & summi observantur, sive breves sint, sive diuturni, magnitudinem solummodò sumentes à symptomatibus, conjunctis cum vehementia, ex quibus Natura graviter afficiatur, cum manifesto vitæ periculo. Hos autem tanquàm summos, & extremos, subdunt, magnis, & extremis remediis debere curari. Atqui magna, & extrema remedia, ajunt, esse ex Galeno 2. *aphor. comm.* 29. Venæ sectionem, nonnunquam etiam & purgationem; undè concludunt, non solùm Hippocratem hoc Aphorismo extremam inediam designasse, sed etiam sanguinis missionem, & purgationem, veluti auxilia medica extrema, & præsentanea, quibus morbus quilibet gravissimus, momento ferè, abigi possit.

Sed difficile est coniicere, undè hi habeant, purgationem, & Venæ sectionem, extrema remedia esse. Si enim nomine extremorum intelligere velint contraria distantissima, ut usurpat cum Aristotele 10. *metaph.* Themistius 1. *physicorum tex.* 49. certè phlebotomia, & pharmacia, nullam habent cum morbis contrarietatem, cùm vera contrarietas solùm versari dicatur inter qualitates. Nec insuper, si ejusmodi forent, tutò possent adhiberi; nam præter alia alibi demonstrata, Galenus expresè docet 3. *simpl. medic.* 12. & 2. *de arte Cur. ad Glauc. cap.* 3. ab his omninò cavendum, nè morbus alter priore pejor insequatur. Si verò extrema remedia appellentur, quia extremam Corporibus commotionem inferunt, humores concitando, & educendo, sub quo sensu solertiores Medici illa exponere consueverunt; sanè non erit, ut à prudenti viro, sub ancipiti eventu, illa tam facilè possint commendari; cùm eadem celeritate, qua juvare possunt, soleant pariter, & frequentiùs irreparabiliter interimere. Quare, si periculis implicita sæpissimè fallant, rarissimè, & maxima cum præmeditatione administranda, ut

ut insinuavit Hippocrates *hoc eod. lib. t.*24. Neque verò Galenus *cit. loco* absolutè asseruit, venæ sectionem, & purgationem, extrema, seu magna esse remedia, sed solùm hæc esse præcipuè, & nonnunquam, atque in genere evacuantium, cùm ibi Hippocrates de evacuantibus, seu moventibus medicamentis meminerit, inquiens: *si quid videtur movendum, move*. Undè 5.*meth. cap.* 14. agens de sputo sanguinis, & ulcere pulmonis ab ipso inter morbos magnos, & extremos, recensito, extrema remedia pro curatione retulit Diaspermaton medicamentum, compositum ex seminibus papaveris, & Ceratum ex thapsia, syncipiti admovendum; & alibi extremum remedium febris ardentis dixit esse potum Aquæ frigidę; & in dolore colico, præsentaneum remedium, ac veluti incantamentum esse Cucurbitulam magnam, ventri, & umbilico adhibitam, 12.*meth. cap. ult*. Aliquandò etiam commendat balnea, tanquam exquisitissima medicamenta, ut præsertim *comm.*42. 7.*aph*. nonnunquàm etiam meri potionem, ac fomentum 6.*aphor.*31. & 7.*aphor.*46. Quamobrem sana ratione evincere quis poterit, quodcumque medicamentum, cùm juverit, extremum, & maximum dici posse. Potiùs ergò sanguinis missio, & purgatio extrema, & magna remedia dicentur, quia magnam, & ingentem in toto corpore commotionem excitant; aut quia generalia præsidia sunt, quamcumque partem respicientia; aut quia in reliquorum medicamentorum locum, cùm ignorantur, sufficiuntur: si enim unicuique morbo congruentia, propria, & specialia remedia, adhibere sciremus, minimè generalibus ejuscemodi medicamentis egeremus, phlebotomia, & pharmacia, nisi solùm illa ad venas deplendas, hac verò ad alvum laxandam. Atqui huc spectarunt, omnemque sollicitudinem, atque operam adhibuerunt tum Prisci, tùm Recentiores Medici, ut singulis morbis propria, & particularia remedia singillatim coaptarent, quæ extrema forent, & illicò conferrent, ut colligere est ex Galeno in libris *de composit. medic. per loca*, & *de medicinis facilè parabilibus*. Hippocratem præterea si consulamus, magnum, & extremum remedium, is constituit Ignem, 7. *aphor. ult*. *Quæ medicamentum non sanat, sanat ferrum: & quæ non ferrum, ignis: quæ non ignis, sunt insanabilia*. Sic in sphacelo, gangræna, cæterisque Ustio extremum remedium est, ut & in præduro Jecore 7. *aphor.*45. Sectio in Empyemate, & Hydrope, extremum, & magnum remedium est *lib. de internis affectionibus*. Nec dissimiliter Sternutamentum in retentis secundinis, & in extincto fœtu: Somnus in Delirio: Aquæ frigidæ profusio in Tetano: Timor vehemens, & repentinus, in Colica passione, & alia hujus generis innumera, extrema remedia dicuntur; ut propterea nequeat quis ex mente Hippocratis ad hæc duo dumtaxat, phlebotomiam, & pharmaciam, illa rationabiliter coarctare.

Quòd verò nec semper, nec ubique, his duobus medicamentorum generibus tanquàm extremis, adversùs extremos morbos pugnandum sit, patet in curatione quamplurium extremarum ægritudinum, præsertim verò Hecticæ febris, immodicè fluentis sanguinis, Cancri, & Scirrhi inveterati, confirmatæ Dysenteriæ, Diabetes, Lienteriæ, Volvuli, Syncopes, aliarumque similium, in quibus, tametsi extremis, & magnis, neque phlebotomia, neque pharmacia, locum habent. Igitur extrema, & magna

gna remedia intelligenda sunt, quæ statim prodesse possunt, cujusque generis illa sint, etiam citrà evacuationem; adeòque perperam à nonnullis ejusmodi dumtaxat dici, Venæ sectionem, & purgationem.

Quoniam autem superiùs de Ustione mentio facta est, posset hinc quis ansam arripere, inter magna præsidia jure collocandi Cauteria, & *Vesicantia*, quibus morbos, cæteroqui gravissimos curari posse contendat. Cùm enim Cauteria in musculorum finibus inflicta, vias aperiant præterfluentibus humoribus, verisimile admodùm videtur, posse ex illis vitiosos etiam succos è toto corpore educi: exemplo ab Arboribus desumpto, quæ in caudicibus incisæ, veluti cauterio notatæ, ubi primùm fructus, vel nullos, vel malos gignerent, mox plures, & sapidos afferant. De Vesicantibus deindè longè major ratio videtur habenda, quoniam ex rebus acribus, & causticis, composita, efficaciùs possunt è centro corporis, quæ interiùs latent, ad superficiem evocare, citrà virium dispendium; ut proindè perhibeatur, & calorem nativum ab illis excitari, & humores aliò decumbentes revelli, & ichores malignos educi, & quoscumque pestiferos, deleteriosque morbos tutò, jucundèque sanari; Hinc sacra salutis Anchora, & morborum deploratorum subsidium appellantur.

At si verum fateri licet, nil aliud à Cauteriis sperandum, quàm circumeunti sanguini aditum extrà Corpus aperire: sanguis etenim, qui ad musculos, adjacentesque partes nutriendas excurrit, ob inductum ulcus, exilit, & si fortasse ibidem aliquantulum detineatur, corrumpitur; undè quæ exindè profluunt, vel sanguinem, vel purulentum humorem, referunt, quemadmodùm in cæteris ulceribus experimur; cumque sæpissimè tractu temporis partes hoc malo affectæ languere soleant, magis proindè obnoxiæ fiunt suscipiendis humoribus, iisque corrumpendis. Hinc plurimùm decipiuntur, qui credunt, ulceratas ejusmodi partes ob dolorem, & calorem, aut etiam ob metum vacui, excrementa trahere; nam & Galenus ipse *lib. de causis morborum 6.* & 13. *meth. ultimo*, *naturam depellere id*, inquit, *quod abundat*, *in partes imbecilliores*; & antè ipsum Asclepiades edocuit, succos in partem dolore affectam confluere, non autem ab illa attrahi. Quare à Cauteriis sola sanguinis, aut lymphæ per suos ductus præterfluentis evacuatio haberi potest, ideoque in Corporibus succiplenis, edacibus, obesis, & sedentariam vitam ducentibus, toleranda; secùs verò in gracilibus, extenuatis, & morbo depressis, si potissimùm distillationibus molestentur: in his siquidem, promota perpetim per cauterio affectas partes sanguinis egestione, concitatur, celeraturque ejusdem motus, undè distillationes ingravescunt, macrescit corpus, & non rarò, languore nimio in partibus inducto, Erysipelas, & Gangræna succedit.

Quòd ad *Vesicantia* verò, non adeò illa magnifacienda sunt, ut magnum emolumentum ex illis sit sperandum in ægrotantibus, quin potiùs non leve detrimentum indè futurum timendum sit. Vim tractoriam, quam illis attribuunt, omninò vanam existimant, qui Philosophiæ fontes plusquàm leviter degustarunt, cùm jam compertum sit, tractionem nullam rebus inesse, sed omnia ad pulsionem reduci; undè & revellendi facultas obsolevit. Etiamsi prætereà traherent, procul dubio ab arteriis educere deberent, ut à centro ad corporis extre-

extremas partes humores evocarent, quoniam in venis valvulæ impediunt; cùmque vitiosi humores, ichoresque maligni vulgò intrà venas à Medicis collocentur, sanè, ut per arterias ad cutim ferri possent, Cor ipsum pervadere primùm deberent, damno longè graviori. Ampliùs, tenujores, acrioresque vesiculas in cute excitantium istiusmodi medicamentorum particulæ, cùm in sanguinem ferantur, & cum eodem circulent, ut patet ex pulsu citatiori, mictu sanguinolento, urinæ ardore, cum dolore Vesicæ urinariæ; potiùs ab his credere licet noxam sanguini, cunctisque Visceribus affuturam; undè vigilia, urentior calor, sitis molestior, solutior sanguis cum virium languore exoriuntur: ideò quia ejuscemodi medicamenti genus conficitur ex Euphorbio, Sinapi, Cantharidibus, aliisque acribus, & humano corpori infensis, nocuisque rebus. Atqui majus damnum procul dubio inferent, cùm vitiosos humores in alvum decumbere, aut per vias urinarias expurgari, aut alios patentiores aditus petere contingat, veluti per loca conferentiora, quemadmodùm ex Hippocrate edocet Galenus *primo aphor. comm.* 21. inquiens: *conferentia loca esse solere intestina, ventrem, vesicam, uterum, cutim, nares*. Mox subdit: *Medicum Naturæ imitatorem ejusdem inclinationem observare debere*. Si igitur Natura nihilum in cutim deponere videatur, &, ut loquitur Sanctorius, *nullam ad illam habeat inclinationem*, ad quid vesicantibus uti licebit? Sic apud Hippocratem *in lib. epidem.* Meton, sanguine è naribus fluente, quinta die judicatus est: Mulier morosa per menstruas purgationes à maligna febre convaluit; & alii plurimi sanati referuntur per urinas, sputa, parotidas,

M. Vit. Err. l. 13. c. 8.

in quibus cutim urentia ista medicamenta Naturæ crisim impediunt, ac distrahunt, adeòque deteriorem, & lethalem morbum reddunt. Ichor autem ille, qui nonnunquàm exsudare solet ab ulceratis partibus, portio lymphæ est, per glandulas subcutaneas excurrentis, vel etiam ejus humoris, qui in alimentum cutis cedere debuisset, quique cum liquato linimento commistus sæpenumero degenerat in fœtidam materiam, quæ pro maligno humore solet ostentari, cùm cæteroqui profuisset, si retenta, & partibus applicita, saltem irrorando, & humefaciendo, à suo munere non declinasset.

Sed & neque graviora, quæ imminent mala, ab illorum usu, omittenda sunt. Et quidem, præter dolorem, vigiliam, urinæ ardorem, ulcus, ex languore partis, non raro insanabile, solent ægrotantes exindè tàm graviter affici, ut motui inhabiles, & lecto decumbere coacti, longè pejus se habeant, quàm à morbo, quem evaserunt, & non sine mortiferæ plagæ periculo; quamobrem contulisset his plurimùm morbum morbo non curasse, nè in graviorem, molestioremque inciderent: nonnulli etiam periere à relictis ejuscemodi ulceribus in gangrænam versis; aliis necesse fuit sectioni, ustionique succumbere, ac mille alia incommoda pati, & cruciatus acerbissimos. Quæ denique ab illis beneficia efferuntur, nulla sunt: Etenim sponte sua plerumque exsiccantur, etiamsi iteratis vicibus affectæ partes proritentur. Grassante hìc Neapoli anno 1679. morbosa nimis, & pestilenti ferè constitutione, expertum est, eos, quibus partes Vesiculas excitantibus inustæ nihil profunderent, & spontè sanescerent, brevi convaluisse; periisse verò, qui benè ab illis haberi credebantur, plurimùm

rimùm ichoris effundentes; sic à Medicis decepti, qui salutaria putant, quæ madefacta comparent, ac multo ichore scatentia: quo sane factum, ut non infimæ notæ Viri, & præ cæteris solertiores agnoverint, ægrotantes, quos Sors per ulcerantia hæc medicamenta non sustulit, consanuisse quidem, at non ab illis. Jure igitur optimo vocat hoc medicamenti genus Helmontius *stulta subsidia circà Corporis superficiem, ubi centralia laborant, & obsessa sunt, à Spiritu nequam Moloch excogitata.*

Mirari autem hoc loco subit, plerosque Medicorum, qui commendare cùm non soleant, nisi quæ à Galeno, & Vetustioribus, memorata sunt, in hoc tamen negligunt Antiquiorum monumenta. Illi enim nec hujusmodi medicamenta habuere in usu, neque illorum unquam meminere. Primus fertur Oribasius (licèt Sinapismi ad Archigenem referantur) inter chirurgica præsidia illa retulisse, ad revellendum à capite, *lib.7.collect.cap.19.* his verbis: *Acria etiam medicamenta, brachiis, & cruribus imposita, succos ad caput, & viscera vergentes revellunt.* Et quamvis nonnulli contendant etiam Hippocrati, & Galeno innotuisse, falsi tamen isti sunt ex mala eorumdem interpretatione, qui haudquaquam de ulceribus arte promotis, sed dumtaxat de spontè enatis, in pestilentiis, verba faciunt. Sic namque Galenus de quadam pestilenti contagione agens, *lib. de cibis boni, & mali succi,* habet: *Qui servati sunt, id fuit factum, vel ob eruptiones in cutim, sive per sudorem, sive per erysipelata, ulcera, phlegmones, herpetes, impetigines, psoras, & lepras.* Et *5.Meth. cap.12. Qui evasuri erant, his pustulæ, quas exanthemata vocant, nigræ, toto corpore multæ, confestim apparuerunt, ulcerosæ quidem plurimis, omnibus certè siccæ.* Quod & contigisse notatur ab Hippocrate Simoni, Horophonti, & Sileno, in quibus papulæ ad cutim, & abscessus ad crura, eruperunt. At hæc ad Naturæ expellentis motum referenda sunt. Et licèt abscessus, & ulcera in cute erumpentia, potuerint postmodùm ope medica vel promoveri, vel diutiùs servari; nil tamen exindè pro hujus generis medicamentis rationabiliter deducere fas est; cùm Naturæ motum adjuvare, vel promovere, prudentis Medici sit, insulsi verò, & temerarii eamdem præpostere, aut importunè concitare. Hinc advertit in hanc rem *Septalius Animadvers. & Caution. Medic. lib. 5. n. 44. & 45.* neque Oribasium, Æginetam, & Aretæum, primos horum medicamentorum promotores, in omnibus indiscriminatim pestilentiis, nec semper in peste illis usos esse, sed solùm in soporosis affectibus, vel cùm externa algerent, & æstuarent interna; ea fortassis spe freti, ut ad dolentes, labefactasque partes externas, extremasque, qui humores internas obsiderent, decumberent, indeque ægrotantes fortè fortuna resipiscerent. Sed de his satis.

APHORISMUS VII.

Ubi Morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & extremè tenuissimo victu utendum est. Ubi verò non, sed pleniorem victum contingit adhibere, tantum cibi indulgendum est, quanto morbus extremis est mollior.

Cùm Hippocrates extremis morbis summam diætam convenire dixerit, nunc veluti rationem adiiciens, subdit, quoniam Morbus, ubi pera-

peracutus est, statim extremos labores affert, & ex cita ad augmentum, & statum festinatione, gravibus afflicta symptomatis Natura, conficiendis, dissolvendisque cibis vacare non potest; quamobrem his potiùs gravari, quàm refici contingit. Peracuti autem morbi haudquaquàm intelligendi, qui ad septimum usque diem protrahuntur, ut censuit Brasavolus, sed qui non prætergrediuntur quartum; nam hi statim extremos labores habent, ut exigit Hippocrates. Subdit insuper, extremè tenuissimo victu utendum esse: tenuissimus autem victus penè accedit ad inediam, quæ ad septimum sufferri nequiret; Unde Galenus *in comm.* ait: *cùm vires tolerant, vel inediam meram, vel solius melicrati exhibitionem, vel paucum omninò ptisanæ; talis quidem est tenuissimus victus*. Itaque de peracutis exactè, sive acutissimis, qui ad quartum, vel paulò ulteriùs, finiuntur, & quintum diem non transcendunt, intelligendus. Extremos denique labores vocat symptomata vehementia; etenim ab his morborum tempora internoscuntur, juxtà ac idem Hippocrates 2. *aphor. t.* 30. scribit: *Circa initia, & fines, omnia sunt imbecilliora; circà statum vehementiora.*

At cùm dicatur in textu: *extremè tenuissimo victu utendum*, qui, ex suprà traditis, coincidit cum jejunio; dubitandi occasio datur Expositoribus, an reverà in morbis acutissimis jejunio tractandi sint ægrotantes. Et sanè obstare videntur, quæ ex eodem Hippocrate refert Galenus 3. *epidem. comm.* 3. ex quadam pestilentia eos solùm evasisse, qui sibi ipsis vim inferentes, cibum assumpsissent. Et Avicenna 1. 4. *tr.* 4. *cap.* 4. docet, in febribus pestilentibus, quæ acutissimæ sunt, cogendos esse ægrotantes ad capiendum cibum, nam qui cibum sumunt in ejusmodi acutissimis morbis, sanantur.

V. etiam 1. 1. doct. 2. cap. 7.

Sunt, qui dicunt pestilentes affectiones inter acutissimas recensendas non esse. At hi falluntur, quoniam interdùm prima statim die perimunt, vel ad summum tertia, aut quarta finiuntur, intrà terminum scilicèt acutissimorum morborum; quare, qua ratione distrahenda Natura non est per cibum largiorem in acutissimis ægritudinibus, eadem omninò nec in pestilentiis cibus videtur plenior exhibendus.

Verùm ex superiùs traditis, indicatio cibandi ægrotantes tenujori, vel pleniori victu, à viribus sumenda, non à morbo; undè si illæ in peracutis consistant, tenujorem, vel etiam tenuissimum admittent, secùs si fatiscant, vel deficiant: cumque in pestilentibus febribus adhuc inter initia concidant, deleterio miasmate cor, & sanguinem invadente, fit propterea, ut in illis victus plenior commendabilis sit. Eo præterea retundi sæpissimè solet miasmatis immanitas, & pestilentis humoris acritudo, pari modo, quo experimur plurimùm à lacteis, glutinosisque cibariis infringi, & castigari erodentia, & exulcerantia venena, Arsenicum, Sublimatum, Auripigmentum, cujus fermè naturæ, & conditionis, seminia pestis esse consueverunt. Qua etiam arte se tuentur, qui ex Agyrtis, & Circumforaneis rubi plebeculæ imponunt, venena istiusmodi citrà noxam assumentes, postquàm benè his alimentorum generibus se impleverint.

Sicuti Morbus, cùm acutissimus est, statim extremos habet labores, & tenuissimo victu utendum; ità è converso victus plenior exhibendus, cùm ejusmodi non est. Hinc subiicitur in Aphorismo: *Ubi verò non*; videlicèt

cùm

cùm morbus non est peracutus, nec statim extremos labores habet, & pleniorem victum contingit adhibere. Ut autem determinet quantitatem lautioris victus in morbis nón adeò peracutis, subdit Hippocrates, id deducendum esse à majori, vel minori eorumdem acutie, & brevitate, ut propterea in ægritudinibus ultrà quartum duraturis, ad quintum, vel sextum diem, laxior diæta instituenda sit, & adhuc laxior, ac liberalior in his, quæ ad septimum protrahuntur, pro ratione. Quamquàm Galenus malit id intelligendum de recessu à vigore summo, de quo mox.

APHORISMUS VIII.

Quandò Morbus in suo vigore constiterit, tunc victu tenuissimo utendum est.

De quibus morbis hunc Aphorismum scripserit Hippocrates, non est adeò facilè divinare. Etenim si de omnibus sermo sit, planè errore non vacabit, quoniam in morbis longis vigor, aut status, ad plures dies sæpissimè protrahitur, ut potissimùm in Quartanis annuis, quarum vigor, aut status universalis menses complectitur: modò si per mensem victu tenuissimo uteremur in ejusmodi generibus morborum, procul dubio vires conciderent, & æger præ summa inedia periret. Nec insuper de solis peracutis intelligendus; is namque supervacaneus foret, cùm jam superiori Aphorismo dictum sit, in peracutis victum extremè tenuissimum exhibendum esse. Et quamvis dici possit, ibi de toto Morbo, hìc solùm de illius vigore sermonem haberi; quia tamen totus Morbus tempus etiam vigoris comprehendit, profectò si in toto modò præcipitur victus extremè tenuissimus, etiam in vigore, & statu, credendus erit imperatus. Probabiliùs ergo dicendum videtur, loquutum hoc loco Hippocratem de victu tenuissimo, exhibendo in vigore omnium acutorum, etiamsi ex aliquo accidenti commendabilis esset paulò plenior; ut propterea in omnibus Morbis acutis, licèt inter initia, & declinationis tempora, paulò plenior victus foret adhibendus, indicatione à viribus desumpta; cùm nihilominùs ad vigorem, & statum ii pervenerint, extremis laboribus stipati, nè ex pleniori cibo Natura distrahatur à concoctione, secretioneque causæ morbificæ, cui plurimùm tunc temporis vacare cogitur; tenuissimus victus præscribendus est. Voluit autem hìc primùm de Acutis tantùm ægritudinibus sermonem habere, in quibus majus vitæ periculum imminet, à symptomatibus eo tempore augescentibus, & citiori mutatione, quæ contingere solet, comprehensurus in sequenti etiam Chronicas.

Neque tamen de victu solùm in vigore morborum minuendo intelligendus est Aphorismus, sed etiam de medicamentorum propè omnium administratione, atque eorum potissimùm, quæ Naturam salubriter operantem avertere possunt: eo enim tempore omnia fere importunè exhibentur, nisi illius motum adjuvent, si fortasse deficere videatur.

Advertit autem, & prudenter Galenus *in comm.* hanc Hippocratis doctrinam iis dumtaxat morbis aptandam, quorum causas superare Natura, atque depellere possit, & in quibus post vigorem sequitur declinatio; nam in illis, quorum vigorem mors excipit, exactam hanc inediam nequaquam præscribemus, ne infaustus eventus nostro adscribatur errori. Quare in his casibus rem omnem solo

prognostico exequemur, memores illius enunciati Vallesiani, *quod ad Medici honorem, & Artis admirationem magis referat prædicere mortem in morituris, quàm salutem in convalituris*; cùm etiam doceamur ab eodem Galeno 11. *meth. cap.* 9. ubi omninò salus desperata est, imprudentis consilii esse apud vulgum infamare præsidia, quæ multis fuere saluti; & 2. *aphor. comm.* 29. deploratos attingere non oportere, sed magis abscedere, eventu morbi prænunciato.

Verùm quando, & unde vigor in Morbis habeatur, inquisitione dignum est. Et quidem, cùm symptomata increscunt, vel nova, & graviora superveniunt, vigere Morbus dicitur, juxtà id, quod scripsit Hippocrates 2. *aph.* 30. *Circà initia, & fines omnia imbecilliora; circà statum verò vehementiora*, idest symptomata, ut interpretatur Galenus. In Febribus autem potissimùm, & in morbis cum febre copulatis, hæc accidunt à commotione, fermentatione que vehementiori succorum, illos gignentium, & ab eorumdem inversione tunc temporis contingente; propterea fit, ut si secretis inutilibus, & pravis humoribus fermentatio in præcipitationem, quam coctionem appellant, desinat, Morbi, & Febris statum excipiet declinatio, cum pristino salutis statu; sin secùs, ingravescentibus symptomatis, à sanguine, cæterisque liquoribus, Vitæ tuendæ necessariis, in degenerem à naturali statum adactis, & aliquandò etiam corruptis, partes cunctæ corporis elanguent, sed præsertim Cor in suo motu fatiscit, & Vita desinit; cùmque inter initia febrium fermentatio indebita humorum nondùm commotionem talem, ac tantam in sanguine, & visceribus induxerit, ut extremam inversionem, in præcipitationem, dissolutionem, aut in coagulationem vergere videatur; proinde illis initiantibus, symptomata leviora comparent; atque hinc etiam signa coctionis, & crisium nonnisi circà statum comparent, quo tempore per fermentationem secerni incipiunt, ac repurgari inutiles ab utilibus humoribus, quemadmodùm in abscessibus, & inflammationibus quoque accidit, cùm ad suppurationem perducuntur. Contrà verò lethalia symptomata exorientur, concrescente, vel dissolutionem subeunte sanguine, aut si aliter vitietur, & invertatur, ut ad motum exercendum inefficax evadat.

APHORISMUS IX.

Conjectari autem oportet, an Æger cum victu sufficiat perdurare, donec Morbus consistat, & num priùs ille deficiat, nec possit cum victu perdurare, vel Morbus anteà deficiat, & obtundatur.

HActenus Hippocrates victus rationem in acutis præscripsit, desumpta indicatione ab ipsis Morbis, morborumque temporibus; nunc verò à viribus illam deducens, inquit, conjectari oportere, num illæ sufferre possint ejusmodi victus tenuitatem, quousque morbus constiterit, quo tempore, evicta causa morbifica, tutò, ac salubriter fugari queat; si enim ejus sit roboris æger, ut citrà cibi mutationem morbum sustinere valeat, diætæ innovatio nulla facienda est; sin secùs, pro illius varietate, variè quoque alendus erit.

At verò quamvis sensus hujus Aphorismi clarissimus videatur, adhuc tamen multa in illo animadvertenda supersunt. Et quidem primùm conii-

cien-

ciendum docet Hippocrates, num qui præscribitur cibus, ejusmodi sit, ut cum eo æger ad vigorem, statumque morbi usque perdurare possit, collatis nimirùm Morbi viribus cum viribus Ægrotantis: quod licèt perarduum planè sit, solent tamen Medici idipsum ex facultatum robore dimetiri; unde Galenus de triplici Virium genere agens *9. meth. cap. 10.* docet has omnes facultates (putà Vitales, Animales, & Naturales) servare, nihil planè aliud esse, quàm Vitam ipsam tueri, & qualibet earum amissa, necesse esse, reliquas quoque unà perire; atqui potior ratio habenda semper erit de vitali virtute, quippè quæ Vitam potissimùm sustinet; quamquam & Naturalem in Morbis materialibus principalem dixerit idem Galenus *4. de præsag. ex puls. cap. 12.* eo quòd in illis judicationes faciat. Vitalis autem facultatis vim ex pulsu speciatim conjectamus, perpendentes illius magnitudinem, æqualitatem, impetum, ac vehementiam; etenim pulsus vehemens, magnus, & æquabilis in suo motu, vigorem vitalis facultatis denunciat. Sed & non solùm vires per ea dumtaxat tempora constantes esse debent, sed etiam in posterùm valituræ, quousque tandem morbus omninò desierit; pervestigatis nimirùm habitu Corporis ægrotantis, temperamento, ætate, unà cum facili, vel difficili excrementorum egestione: siquidem, cùm elatum pulsum comitantur carnium firmitas, constitutio corporis sanguinea, ætas juvenilis, cum facili excrementorum evacuatione, planè virium perseverantiam probabiliter conjectabimus; secùs verò, si habitus Corporis sit picrocholus, ætas senilis, vel puerilis, stomachus elangueat, alvus laxiora deiiciat excrementa, & vehementibus animi pathematis æger afficiatur, de futura virium jactura plurimùm ambigendum, atque eo magis, si cum his conjungantur causæ longam ægritudinem designantes, superiùs recensitæ. Quamobrem tametsi morbus tenuem victum exigat, in his tamen paulò pleniori indulgendum.

Cùm igitur ægrotantis vires ejusmodi fuerint, ut spes sit, illas cum tenui victu usque ad summum morbi vigorem perduraturas, tali quidem victus forma utemur; At verò adiiciemus aliquid, si eousque ferendo non sint, atque imbecilliores extiterint: & quidem tantum, quantum imbecillitas ipsa videbitur expostulare; quocircà aliquando in ipso morbi vigore, ut notat Galenus, pleniùs nutrire cogemur, si casus ita ferat, ut intereà Naturæ robur dissolvatur.

Nedum autem conjecturam faciendam esse monet Hippocrates de Ægro, an cum victu tenui, vel tenuissimo, perdurare possit ad vigorem usque, & statum Morbi, viribus Naturæ cum illo comparatis; verùm etiam, si morbus ipse sensim mitescere, & per epicrasim, seu per evacuationes paulatim factas, tandem desinere debeat, ut dicitur *cit. 1. de rat. vict. t. 23.* & 25. in his namque casibus, quoniam evacuationes ante statum incipere solent, & quandoque inter initia, quibus vires non leviter infirmari contingit: procul dubio cibus plenior in vigore, & statu morbi expostulabitur, ut idem Hippocrates *ibidem* inquit; tales enim acuti morbi ante vigorem deficiunt, & hebescunt, quem sanè graviorem essent subituri, nisi, detracta causa materiali, hebetiores evasissent. Advertit pariter, & scitè Sanctorius, non abs re ab Hippocrate dictum, *an Æger*, & non *Virtus* cum victu sufficiat perdurare; quoniam in

ægro considerantur simul Vires, & Morbus: in virtute verò solùm vires; cùm tamen ad conjectandum, num æger possit perdurare, quousque morbus consistat, vires ex una, & ægritudo, ejusque causa ex altera parte sint perpendendæ. Quamobrem subditur in appendice Aphorismi, *conjectari etiam oportere, numquid priùs ille deficiat, atque obtundatur*, quàm Morbus ipse defecerit, atque desierit, nè Medicus in cibando decipiatur.

APHORISMUS X.

Quibus igitur statim morbus consistit; iis statim tenuis victus adhibendus est; quibus verò posteriùs debet consistere, iis & in ipso consistendi tempore, & parùm ante illud, cibus subtrahendus; priùs verò uberiùs agendum, ut æger sufficiat.

PErstringit tandem Hippocrates hoc Aphorismo congruam cibandi rationem in Morbis acutis, illorumque temporibus, atque generaliorem regulam describit à citiori, vel tardiori morbi vigore, & statu desumptam: ut propterea, si statim morbus ad statum sit perventurus, protinùs quoque tenuis Victus sit adhibendus; cùm verò vigoris, & status tempora longiùs distare videntur, non statim subtrahendus cibus est: sed priùs quidem uberiùs, posteà verò frugaliùs cibandum, instante morbi vigore, & adhuc parciùs in vigore ipso. Itaque à duobus videtur ejusmodi in cibis exhibendis rationem, indicationemque desumpsisse, nimirùm à virium constantia, & à morbi summo vigore: ut proinde, cùm Vires constant, & morbi status imminet, cibum subducendum velit; At verò imbecillis viribus, & fortè non duraturis ad Morbi usque vigorem, pleniorem exhibendum. Quæ cùm, ex superiùs traditis, clarissimè pateant, non est, cur fusiori oratione explicentur.

APHORISMUS XI.

In Accessionibus abstinere oportet; nam cibum dare nocuum est: & quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet.

HActenus de temporibus morborum universalibus, in quibus cibus vel parcior, vel plenior, est exhibendus, canones tradidit Hippocrates; nunc cibandi rationem examinat in temporibus eorumdem particularibus: atque primùm monet, à cibo abstinendum in ipso accessionis tempore; mox etiam cibi exhibitionem inhibet in ipsa accessione, cùm per circuitum redit.

At videtur Hippocrates idem prorsùs repetere in utraque Aphorismi parte: quare, nè ejusmodi notam eidem impingamus, explicare decet, quid per accessionem in prima, quidque per accessionem in secunda, intelligere voluerit. Philotheus illum exponendum inquit, in priori Aphorismi parte de paroxysmis febrium quarumcumque, in posteriori verò de paroxysmis morborum redeuntium per circuitus. Sed nulla in victu exhibendo differentia est inter paroxysmos Febrium, & Morborum, cùm eadem ratio militet in utrisque. Oribasius, & Sclanus, ut difficultatem dirimant, in secunda Aphorismi parte addendam volunt particulam *ante*, quamobrem textum ita legunt: *in ipsa accessione, & paulò ante abstinere oportet*. Verùm, præterquam

quòd

quòd id gratis fingant, neque tamen difficultatis nodum solvunt, cùm idipsum dici quoque possit de priori parte Aphorismi, quoniam par ratio viget in utrisque enim verò non modo in ipsa accessione à cibo est abstinendum, sed etiam aliquot horis ante illam; attamen non tàm facilè poterit id ad praxim deduci, nisi quandò accessionis tempus fuerit praecognitum.

Rationi autem, & menti Hippocratis, fortasse consentaneum magis videbitur, si dicatur, primam Aphorismi partem comprehendere accessiones febrium continuarum; quas Galenus non semel ex Veterum monumentis, cum principio, augmento, & statu particulari convenire fassus est; alteram verò partem invasiones dumtaxat continere febrium, & morborum intermittentium, qui per statutos circuitus redeunt: Et sanè idem Hippocrates 4. *de rat. vict. in acut.* 39. similem Sententiam protulit, inquiens: *Cibum neque tunc dandum, cùm accessiones adsunt: neque cùm jam illae instant, aut non multò post sunt invasurae; sed cùm declinant, aut cessant.* Et *primo ejusdem operis* 46. haec habet: *cùm frigidi fuerint pedes, non modò à sorbitione, sed etiam à potu est maximè temperandum; sed cùm caliditas ad pedes descenderit, & caput, cor, ac thoracem reliquerit, dandus est cibus.* Idipsum repetit Galenus in *comm. hujus aph.* asserens ex eodem Hippocrate, dandum esse cibum, cùm declinant, aut cùm cessant paroxysmi: cùm declinant quidem, veluti in horis quietioribus, si febres continuae sint; cùm cessant verò, idest in horis omninò à febre vacuis, si fuerint intermittentes.

Sed non inutile erit causam inquirere, cur tàm multùm noxia sit cibi exhibitio in paroxysmis, & praesertim inter initia. Et quidem multiplex ab Expositoribus affertur. Primò, quia initiantibus paroxysmis, frigus saepenumerò corpus aegrotantis excruciat, cum rigore, vel horrore, & cor sive humoribus, sive vaporibus infensis, adversisque, plurimùm gravatur, & angitur; unde, si cibus tunc temporis exhiberetur, graviora procul dubio haec omnia evaderent, cum majori febris incremento, & non sine manifesto vitae periculo; quamobrem 7. *aphor.* 67. dicitur, cibum febricitantibus morbum fieri; & Galenus 1. *ad Glaucon. cap.* 10. monet, in tertiana notha aegros non quotidie, sed alternis solùm diebus alendos esse; aliter virtus, quae in principio febris obruitur, multò magis à cibo suffocaretur, ut subdit 3. *progn.* 3. Secundò, quia tunc Natura symptomatis lacessita, non debet ingestis cibis opprimi, cùm utrisque aequè intenta esse non possit; eoque magis ingruente vigore, in quo omnia evadunt fortiora: & quemadmodùm in augmento universali summa diaeta expostulatur, ita in particulari inedia omninò commendabilis erit. Tertiò, quia accessionis tempore morbificam causam agitari contingit, omnemque naturae conatum adversùs eamdem promoveri, unde caeterae functiones quodammodò feriantur, ac deficiunt, praesertim verò ea, quae in ventriculo peragitur, cùm in unam ciborum confectionem complures causas concurrere necesse sit, quae per id tempus plurimùm immutantur, & languent; quamobrem facillimè evenit, eos corrumpi potiùs, & in alienam, dissentaneamque substantiam degenerare, quàm in alibilem humorem verti, & commutari, potissimùm in confluxu succorum è Pancreate, & Cysti fellea derivantium, qui in febribus ferè semper

depravantur, & à naturali, convenientique conditione plurimùm recedunt, ut aliàs ostendimus.

Quemadmodùm cibi prohibentur in principiis accessionum, immò in toto paroxysmo, comprehendente principium, augmentum, & statum; ita & cujusvis generis medicamenta, & longè magis, si ægrum exagitent, ac turbent: inde enim vires imminui, sanguinem liquari, viscera infici, aut proritari, facillimum. Quamobrem idem Hippocrates *cit.* 1. & 4. *de rat. vict.* consulit, nec sorbitionem, nec aliud quidpiam exhibendum, priusquàm calor ad pedes descenderit, & reliquerit cor. Neque alia de causa obiisse testatur Philonis filiam, & Ægrum innominatum, aliosque *in epidemiis*, nisi quia febricitantes intempestivè cœnarunt, aut medicamenta in paroxysmis assumpserunt; in his enim venter necessariò calet, fastiditque cibum, intenduntur hypochondria, lumbi, & caput dolent; æger lancinatur, vellicatur, & vomere affectat; unde sorbitio quæcumque evadit perniciosa, ut subdit *c. l. de rat. vict.*

Verùm hæc non tàm generaliter sunt servanda, ut saltem aliquando non fallant. Et quidem prudenter Galenus monet 10. *meth. cap.* 3. & 4. cibandos quandoque esse ægrotantes in ipso accessionis initio: memoratque Juvenem quemdam ab imminente marasmo præcautum, exhibita per recurrentes accessiones sorbitione. Jtaque generalis hæc Hippocratis Regula limitatur in Picrocholis, in stomacho debilibus, & in quibus, ex virium languore, syncope timetur; in pueris item, ac senibus, iisque omnibus, qui levi quacumque de causa dissolvuntur, & animo deficiunt, aut per intervalla refici consueverunt, vel etiam pluri, & frequentiori cibo vesci; ac denique in locis calidissimis, atque in pestilenti constitutione: in his namque, aliisque casibus consimilibus, nè vires infirmentur, aut omnino deficiant, etiam inter initia febrilium accessionum, levis saltem cibus exhiberi poterit, documento Galeni *cit. loco*: is autem ejus sit conditionis, ut facilè digeri, & vires statim restaurare valeat, juxtà id, quod Hippocrates ipse scribit 2. *aphor.* 11. *faciliùs est impleri potu*, idest *sorbitionibus*, *quàm cibis*. Sic pariter & medicamenta, quæ febrium periodicarum rigorem, vel horrorem retundunt, possunt, instante paroxysmo, tutissimè propinari, monitu ejusdem Galeni *lib. de præsagit. ad Posthumum*, qui adversùs quartanam febrim, ante paroxysmum, theriacam exhibuit. Et nostra ætate, ad retundendas quascumque febres per circuitum redeuntes, felicissimo cum successu, paulò ante futuram accessionem, potandum damus vinum cum infuso pulvere Corticis Peruviani, ut & pleraque alia febrifuga dicta; quin & Zacutus Lusitanus arbitratur, etiam in cæteris medicamentis administrandis, invasionis impetum esse expectandum, veluti tempus maximè opportunum ad causæ morbificæ correctionem, expulsionemque. Unde plerique ingruentem febrium paroxysmum adoriuntur medicamentis vomitum moventibus, ut quem vitiosum humorem, fermentumque febrile tunc temporis natura excutere solet, faciliùs extrahant, & educant.

Simile quid inter vetustiores Medicos factitatum in curatione Tertianæ febris à Cleophanto memorat Celsus *l.* 3. *c.* 14. eumque habuisse in usu multò ante accessionem Caput ægri aqua calida perfundere, deinde Vinum propinare. Sed & Celsus ipse V. Hipp. 7. Aph. 42.

eodem

eodem l.c.16. ad curationem duarum Quartanarum commendat calefacientia ante accessionem sorbere, vel aceti cyathos duos, vel unum sinapis, cum tribus græci vini salsi, vel mista paribus portionibus; & in aqua diluta, piper, castoreum, laser, myrrham. *Et cap.12.ejusdem lib.* ad Horrorem in febribus aquam tepidam exhibet, ut vomitum cieat; & sub expectatione proximæ accessionis, quæ instare tertia potest, ægrum in balneum deducendum jubet: idemq; repetendum sub expectatione quartę accessionis. Quòd si nec balneum profuit, ante accessionem allium edat, aut bibat calidam aquam cum pipere.. Si quid verò evomuit, danda aqua tepida, iterumque vomere cogendus æger est, eisdemque utendum, donec horror finiatur.

Cæterùm quando in febribus sit cibandum; paucis expressit Hippocrates 4. *de rat.vict.in acut.cit.* nimirùm cùm declinant, aut cessant; & quidem expectandam jubet declinationem in continuis, in intermittentibus verò cessationem, & vacuum tempus: tanto tamen intervallo à futura accessione, ut, ea adventante, Ventriculus inveniatur vacuus, documento Avicennæ 1.4. At verò distinctiorem cibandi rationem eleganter descripsit Celsus *lib.3.cap.5.* his verbis: *Cùm febris instet, incipiat, augeatur, consistat, decedat, deindè in decessione consistat, aut finiatur; scire licet, optimum cibo tempus esse, febre finita: deindè, cùm decessio ejus consistit: tertium, si necesse est, quandocumque decedit: cætera omnia periculosa esse. Si tamen propter infirmitatem necessitas urget, satius esse, consistente iam incremento febris, aliquid offerre, quàm increscente: & satius esse, instante, quàm incipiente: cum eo tamen, ut nullo tempore is, qui deficit, non sit sustinendus.* Hęc eadem prorsùs aptanda cæteris aliis ægritudinibus, quæ per circuitus exacerbari solent, ut sunt catarrhi, hemicraniæ, colici dolores, melancholiæ hypochondriacæ, calculorum affectiones, podagræ, vertigines, palpitationes, passiones hystericæ, & similes, ut advertunt cum Galeno Cardanus, Heurnius, aliique.

APHORISMUS XII.

Accessiones verò, & Constitutiones morbi indicabunt & anni tempora, & circuituum successiva incrementa, sive quotidie, sive alternis diebus, sive per majora intervalla fiant. Sed ex iis, quæ mox apparent, indicia sumuntur; quemadmodùm in morbo laterali, si circa initia statim sputum appareat, morbum breviat; si verò posteà appareat, producit. Et urinæ, & alvi excrementa, & sudores, quæcumque apparuerint, vel bonam morborum judicationem, vel malam, vel breves, vel longos fore morbos ostendunt.

NUnc ad signa progreditur Hippocrates, quibus Accessiones, & Constitutiones, sive futuros morborum vigores, liceat pręcognoscere. Cùm enim ex Galeno *in comm.* tria sint consideranda in victu rite exhibendo, Vires nimirùm, Accessiones, & Vigores morborum, vel citiùs, vel serius futuri; idcircò, omissis indiciis Virium, de quibus supra, reliquum erat, ut traderet signa pręnoscendarum Accessionum, & Constitutionum morborum; quæ hoc Aphorismo commemorans, ad quatuor classes revocat: atque alia desumit à Morbis ipsis, alia ab Anni tem-

temporibus, quædam ex Circuituum incrementis, inter se invicem collatis, & demum pleraque alia ab his, quæ mox apparent.

Primùm quidem proponit, observandos esse morbos: cùmque de febribus potissima ratio habeatur, idcircò Galenus juxta divisionem febrium intermittentium, & continuarum, illarum præsertim exempla profert: Tertiana enim intermittens exquisita, paroxysmos breves futuros indicat, atque vigorem citò adventurum, docente Hippocrate 4. *aph.*59. illam septem circuitibus ad summum terminari; Notha verò Tertiana, sicut etiam Quartana, & longos paroxysmos, & tardos vigores, prę nunciat. Inter continuas autem, quæ cum sudore à principio invadunt, ut sunt, quę à Græcis Elodes dicuntur, diuturnæ præsignantur: quæque pariter cum vomitu, nausea, aut ciborum fastidio, citra sitim, & absque carnium marcore, junguntur, ab obstructione, crudisque succis exortæ, longitudinem portendunt: quemadmodùm de Hemitritæo, de Quotidiana continua, aliisque in praxi est experiri.

Proponit deinde consideranda Anni tempora: etenim, pro eorumdem varietate, compertum est, accessiones, constitutionesque morborum breves, vel longas accidere, ac vigores citius, vel seriùs, adventare. Morbi Vere, aut Æstate contingentes, ut plurimùm breves sunt; qui verò Autumno, vel Hyeme vagantur, sępissime in longum protrahuntur, ut de Quartanis febribus ab Hippocrate est animadversum 2.*aph.*25. Ipsæ quoque Tertianæ suapte natura breves, si in Autumnum incidant, diutissimè prolongari solent. Non dissimili ratione conjectandum, subdit Galenus, de morbis omnibus, si hanc, vel illam ætatem, temperiemque invadant, aut sub una, vel alia tempestate, regioneve accidant, ut colligitur ex 3. *aph.*& *ex* 1. ac 3. *epidemiorum*.

Insuper observanda proponit circuituum inter se collata incrementa. Siquidem, cùm ægritudines in suis paroxysmis per circuitus increscunt, aut protinùs, cùm redeunt, exacerbantur, citò ad augmentum perveniunt, & finiuntur. At verò, quæ statas, & uniformes accessiones servant, statuto quodam tempore redeuntes, diuturniores esse solent, tardè admodùm vigorem subituræ, ut ex 4. *aph.* 30. Pari modo, quæ celerius revertuntur, anticipantes dictæ, breviores: quæ verò seriùs, longiores esse solent, præsertim si lentè procedant, & vix quidquam, aut nihil remittant. In his itaque conferantur inter se paroxysmi, num scilicet alter sit altero levior, vel gravior, mitioribus, vel violentis symptomatis stipatus, celerior, vel tardior, brevior, vel longior: inde enim facile coniiciemus Morbi durationem, ejusque vigorem universalem, vel propinquum, vel remotum. A periodis etiam accessiones febrium, & vigores futuri, citiùs, vel seriùs præsignantur; nam Tertianæ febres in accessionibus comitem habent Rigorem, Quartanæ Horrorem, & Quotidianæ partium extremarum algorem; vigores verò tardiores sunt in his, ocyores in illis; hinc addit Hippocrates: *sive quotidie, sive alternis diebus, sive per majora intervalla fiant*. Et quidem, ut comprehenderet nedum Quartanas febres, sed etiam Quintanas, Sextanas, & similes, de quibus meminit 1. *epidem. f.*3. *t.*2. 7. & 9. ubi Septimanam, & Nonanam longam esse scribit, verùm non lethalem: licèt Galenus illas admittere nolit, commen-

mendetque Dioclem, qui in hoc Hippocrati audacter contradixit.

Ampliùs spectanda proponit ea, quæ mox apparent. Dicuntur autem mox apparentia signa, quæ nequaquam à principio, sed vel in augmento, vel in statu comparent, ad differentiam assidentium signorum, quæ statim ab initio cum morbo conjunguntur. Exemplum dat Hippocrates in textu de sputo in morbo laterali: illud enim inter initia deesse solet, at verò in vigore comparet, & quò citius apparuerit, eo brevior morbus designabitur; cùmque Anaxion pleuriticus *Æger VIII.3.epidem.* nonnisi decimaseptima die cœpisset pauca expuere, trigesimaquarta copioso sudore liber evasit.

Ad hæc revocat sudores, aliaque hujus generis epiphænomena, seù mox apparentia signa; qualia quoq; sunt Criseos, desumpta ex coctionibus vitiosorum humorum, morbos foventium, de quibus idem Hippocrates hæc habet 1. *epidem.s.2.t.*45. *Coctiones Judicii celeritatem, & salutis securitatem indicant; Cruda verò, & incocta ostendunt futuros abscessus, vel morbi longitudinem, vel recidivas, vel mortem*; prout reliqua indicia mitiora, vel graviora fuerint.

Quæ verò de Urinis memorantur à Medicis, sæpissime fallunt, præsertim quia nuperis observationibus Anatomicis compertum est, non omnem urinæ materiam unà cum sanguine permanare, neque per venas emulgentes dictas in Renes corrivari, ibique secerni, ut à Veteribus proditum est, sed per compendiosiores vias, quas Pecquetus, & Bartholinus primi indicarunt, ad Renes, Ureteres, & Vesicam deferri; quod vel hinc etiam constare potest, quoniam ubi quis asparagos, aliaque olera, diuresim moventia, vel etiam terebinthinam, assumpserit, statim urinam egerat, peculiari odore, & colore inquinatam; quin & in potu quarumdam aquarum thermalium, mox statim mictum promoveri observamus, atque epotas aquas vix, ac ne vix quidem immutatas excerni. Unde conjecturæ ab urina, quæ venarum exploratrix fida antiquitus credebatur, desumptæ, fallacissimæ evadunt. Quæ à spurcioribus excrementis signa petuntur, idem judicium habent, ut aliàs in nostra Theoretice demonstravimus.

In calce demum hujus Aphorismi dubitare contingit, cur Hippocrates omiserit indicia ex virium robore desumpta, sicut etiam ab operationibus, tum vitalibus, tum animalibus, & naturalibus: cùm nullum fidelius signum peti possit pro dignotione, & præcognitione accessionum, ac vigorum in morbis, itemque salutis, aut mortis, coctionis, aut cruditatis, & crisium, quàm quod ab operationibus desumitur, authoritate Galeni, tum 2.*Artis Medicæ cap.*2.tum etiam 2.*de differ.febr.ult.* & alibi.

Sunt, qui dicant cum Galeno *in comm.* proposuisse hoc loco Hippocratem signa ex minùs obviis petita, atque adeò inquisitu difficiliora; Vires autem facilè dignosci posse ex pulsibus, patentibus unicuique. At qui Hippocratem ajunt, doctrinam de pulsibus ignorasse, vel saltem non magnifecisse, procul dubio allatæ responsioni haud quaquam acquiescunt. Quin Galenus ipse 3. *de crisibus cap.*11.scribit: *omnia ab Hippocrate, exceptis pulsibus, dicta sunt.* Et inferiùs: *signa ex pulsibus sumpta, Hippocrates, vel quia non noverat, vel quia non magni momenti existimavit, idcircò non est exequutus*. Verùm quidquid sit de hoc, sanè de

de viribus rationem tacitè habendam voluit superiori *Aph.IX.* ubi indicia ab illis desumenda, nos magna ex parte notavimus, ut proindè de iis denuò agere non sit opus.

APHORISMUS XIII.

Senes facillimè jejunium ferunt: secundo loco, qui ætatem consistentem habent: minùs Adolescentes: omnium minimè Pueri, præsertim, qui inter ipsos sunt vividiores.

Non inter omnes Expositores convenit, num de sanis, an de ægrotantibus, per ætatum differentias, scriptus sit hic Aporismus. Siquidem nonnulli existimant, Hippocratem hactenus loquutum de ratione victus ægrorum: in posterum de victu sanorum, ad Aphorismum usq; undevigesimum, sermonem instituere. Alii verò de victu, ægrotantibus solùm per ætates prescribendo, canones hic descripsisse contendunt, cùm non omnes æquè jejunium, summamque diætam sufferant propter virium, & corporis variam habitudinem; Adolescentium enim corpora robustissima sunt: debilissima verò Senum, & Puerorum.

At utralibet sit mens Hippocratis in hoc Aphorismo, id tamen certum erit, peculiarem ætatum rationem hic illum habere voluisse, in victus administratione. Quamobrem Senes, ait, facillimè jejunium tolerare, deinde in ætate consistenti constitutos, minùs Juvenes, & Adolescentes, minimè omnium Pueros, atque inter hos, qui vividiores, agilioresque sunt.

Nomine Senum intelligit, & quidem sanà ratione, Galenus, qui sunt in principio senilis ætatis, nam de iis, qui ad extremam pervenerunt senectutem, seù decrepitam, non rectè videtur pronunciatum, quòd jejunium ferant: quamvis enim modico cibo sustineri possint, non tamen summam inediam ferre valent, qua penitùs deficerent: *Tale quiddam isti patiuntur*, (inquit Galenus *in comm.*) *quale lucernis penè extinctis accidit, quæ continuam exigunt olei suffectionem, multam autem, & cumulatam nequeunt sustinere.* Hinc Celsus *lib.1.cap.3.* hunc Aphorismum ab Hippocrate resumens, aliquantulum ab illius mente deflectere videtur, nam inquit: *inediam facillimè sustinent mediæ ætates, minùs Juvenes, minimè Pueri, & senectute confecti*. Quare pro senibus, non decrepitos, ut Celsus, sed in prima, seu viridi senectute constitutos intellexit Hippocrates; quam à septimo annorum septennio ad nonum usque septenarium protendi communiter arbitrantur. Quòd si pro jejunio intelligere velimus cum eodem Galeno, non quidem inediam summam, & omnem à cibis abstinentiam, sed tantummodò parcitatem; profectò Aphorismus de quacumque senectute erit exponendus: cùm reverà etiam decrepiti, & extremo senio confecti, modico cibo sustineri debeant, quo scilicet salubriter conserventur; multo verò potiùs opprimuntur.

Triplici ex causa dicuntur Senes facilè jejunium ferre. Prima est, quia in illis naturalis calor elanguet, & levissimam consumptionem in partibus facit, propter quam communiter putatur restauratione ex alimentis corpus indigere. Secunda est, quia ipsi humoribus abundant phlegmaticis, nimiùm obsistentibus tenui calori concoquenti; quamobrem nec dissolutio, nec suctio, neque fames

mes iis admodùm molesta esse solet. Tertia demùm, quia senile Corpus densum, rugosumque, distributioni, adjectionique alibilis humoris, non adeò facilè patet. Verùm Ego existimarim, illos famem diutiùs pati, quia succi in ventriculum confluentes, atque ciborum dissolutioni destinati, per ætatem hebetes evadunt, veluti à sanguine, cæterisque liquoribus effœtis, provenientes; proindeque nec famem, nec chylosim potenter promovent. Carnes quoque per illam ætatem constipantur, atque Viscera universa indurantur, & obrigescunt, quinimmò sensu quodammodò obtunduntur. Duo quippè videntur in universum exigi ad famem excitandam, acrior quædam vis illorum succorum, qui è tunicis, ac lenticularibus glandulis Ventriculi sensim in ejus cavum extillant; atque exquisitus ejusdem stomachi sensus: utrumque autem in senio hebescit. Neque verò Animantium Corpora cibis idcircò egent, quia ab intrinseco difflantur, quemadmodùm opinatus est Galenus 1. *de rat. vict.* 44. & *comm.* 15. 1. *aph.* inquiens: *si nihil è nostro efflueret corpore, alimento opus non esset*; quia licèt nihilum è Viventibus efflueret, adhuc tamen pro rata nutriri, & crescere deberent. Verùm de hac re fusiùs infrà.]

Post Senes, jejunium ferre dicuntur, qui in ætate sunt consistenti, à trigesimo quinto nimirùm anno ad quinquagesimum; non tamen adeò, ut illi, quemadmodùm denotant adjecta in textu verba: *secundo loco*; & quidem pari ratione, ac de Senibus dictum est. Minùs adhuc Adolescentes, & Juvenes, summum corporis robur adepti: sanguis enim in utrisque vegetior est, & succi digestionem, dissolutionemque ciborum promoventes, atque aviditatem excitantes, acriores, acutioresque sunt, ipseque stomachus præcellentis sensus, proptereà & famescunt magis, & exactius cibos conficiunt.

Omnium minimè Pueri jejunium tolerant, quoniam præ cæteris maximè augescunt, adeòque multo alimento egent, ut conveniens incrementum adipiscantur: quamobrem & famescunt, & avidè comedunt, & assumptos cibos quammaximè conficiunt. Addit autem Hippocrates: *Et præsertim, qui inter ipsos sunt vividiores*: his namque sanguis floridior inest, & succi dissolvendis cibis necessarii, acutiores, efficacioresque sunt, atque ad Corporis motum agilior habitudo; quocirca pręter citam alimenti digestionem, facilis quoque accidit distributio, atque excrementorum cujusvis generis subita, ac prompta repurgatio. Porrò id sonat in græco Codice προθυμότερα, (quo vocabulo usus est Hippocrates) ætatis scilicet vivacitatem, & promptitudinem ad agendum, quę nonnisi à robore Viscerum, & sanguinis floriditate provenit, ex Galeno *lib. Artis medic. cap.* 29.

Non est denique prętereundum, fuisse hìc solùm ad faciliorem, difficilioremque jejunii tolerantiam, comparatas inter se invicem ætates, non homines singulatim consideratos: nempè quòd Sortes puer difficilius inediam patiatur, quàm cùm idem ad juventutem pervenerit, & facilius in Senio, quàm in ætate consistenti. Nam si comparatio fieret inter ætates differentium hominum, sive individuorum, vereri plurimùm liceret de veritate istius Aphorismi: quippè posset Sortes juvenis faciliùs sufferre jejunium, quàm Sophroniscus senex, ex peculiari corporis constitutione, quæ à varietate regionum, exercitiorum, ciborum, & simi-

similium potest plurimùm variari. Hinc Corpora jejunii patientiora solent esse obesa,& succiplena, sedentariam vitam ducentia, ferendis laboribus addicta, & cibis abstinere consueta, ac merobiba; secùs verò gracilia, picrochola, exercitata,& pluries intra diem cibum assumere solita.

APHORISMUS XIV.

Qui crescunt, plurimùm habent calidi innati; plurimo igitur egent alimento, alioquin corpus absumitur; Senibus verò parum calidi innati inest, paucis propterea fomitibus egent, quia à multis extinguuntur. Hanc etiam ob causam febres Senibus non similiter acutæ fiunt: frigidum enim eorum est corpus.

Reddit in hoc Aphorismo Hippocrates præcedentis rationem: cùm enim jam proximè scripsisset, Senes facilè inediam sustinere, Pueros autem difficulter, ejus rei rationem nunc subjungens, inquit: qui crescunt, nempè Pueros, plurimùm habere calidi nativi, parum verò Senes. Verùm difficultates tum ex dictionibus, tum ex ipso Aphorismi sensu exorientes singulatim enucleemus.

Primùm autem ait: *Qui crescunt.* Sub his procul dubio comprehenduntur Pueri, & Adolescentes, quòd in illis dumtaxat incrementum uniusf. cujusque partis habeatur, juxta triplicem corporis dimensionem, hoc est in longum, latum, & profundum; nam qui jam adulti sunt, alimentorum ope pinguiores tantùm fiunt, & carnibus magis, atque magis repleri possunt: non autem secundùm longitudinem augescere; unde Senes, quamvis nutriantur, minimè tamen incrementum capessunt. Sic pariter plerique, licèt in ætate consistenti obesiores fiant, re ipsa augeri minimè dicuntur; quin & non raro obesitas illa malè parta, & morbosa esse solet, & quandoque etiam particularis, puta solius imi Ventris.

At hinc non modica lis orta est inter Expositores. Nonnulli putant, Pueris, & Adolescentibus inesse quidem plurimùm calidi innati, quod ad substantiam, minimè verò, quod ad qualitatem, cùm calor, roburque Juvenum longè majus sit, quàm Puerorum. Lycus insuper Macedo, ut refert Galenus *lib. adversùs Lycum,* & *in comm. istius Aph.* pluribus etiam contendit, intensiorem esse Juvenum, quàm Puerorum nativum calorem, cui consentire videtur Cæsar Cremoninus. Is autem adversùs Hippocratem hoc protulit argumentum: Plurimum innati calidi, ex ejus mente, vel intelligendum secundùm substantiam, sive, ut ajunt, *extensivè*: vel secundùm qualitatem, & *intensivè*: vel secundùm robur, idest secundùm vires, & exercitium; at verò in pueris neque major, & extensior est substantia calidi innati: neque qualitas intensior: neque robur majus, quàm in juvenibus; ergo perperam ab Hippocrate videtur pronunciatum, pueros plurimùm habere calidi nativi. Extensior equidem substantia calidi innati in pueris, subdit Lycus, fingi non potest, quoniam in minori corpore, quale puerorum est, parcior procul dubio esse debet calidi innati substantia: abundantior verò in Corporibus juvenum, longè, latèque grandioribus. Nec insuper Puerorum, quàm Juvenum intensior calor esse potest, etenim Juvenes calidiores observantur, ad motum, cæterasque actiones obeundas agiliores, vege-

ge-

getioresque, & cibos adhuc duriores faciliùs, citiusque conficiunt, quàm Pueri. Accedit, quòd qualitatibus competit intensio, & remissio, non autem pluralitas, & paucitas, quæ sola debetur quantitati, ideòque perperam videtur dictum *plurimum calidi innati*; quinimmò, etsi propria significatione usus Hippocrates dixisset validum, & intensum calorem, neque tamen is in pueris constitui deberet, quoniam operationes salubriores, perfectioresque non à calore intenso, sed à moderato proficiscuntur, quippe sanitas in mediocritate consistit. Neque demum Pueri Juvenibus robore præstant, sed omninò hi sunt illis robustiores; Nihil est igitur, quamobrem Hippocrati concedendum sit, quòd Pueri ingenito calore Juvenibus præcellant. Verumtamen ejusmodi argumentationem satis diluisse visus est Galenus, proposita innati, atque ascititii caloris differentia. Siquidem fatetur, juvenes ascititio calore præpollere pueris, atque adeò illos, & ad tactum calidiores videri, & in motu agiliores, atque itidem robore præstare; sed esse tamen substantiam innati calidi copiosiorem in recens natis, quàm longo post ortum tempore in adultis, & senibus. Cæterùm, quamvis plurimùm calidi innati pueris inesse scribat Hippocrates, haud tamen immoderatum, & incongruens existimandum illud est, sed eidem ætati omninò consentaneum: at verò dicitur, magis vigere in pueris, quàm in juvenibus, & adultis, comparatè, quia in his sensim mutatione ætatum deficit.

Præterea valdè ambigitur apud Physiologos, quidnam sit calidum istud innatum, & unde originem sortiatur in Viventibus. Equidem nil frequentius audias in Scholis, quàm calidi innati exaggerationem, cujus præstantiam maximoperè extollunt: cùm tamen nemo ejusdem naturam hactenùs sit assequutus; credidit eapropter Petrus Garcias, fingi solùm illud à Medicis; & Montanus ingenuè fassus est *in hujus Aph. comm.* se ipsum jam senem factum nondum illius naturam percepisse. Galenus etiam anceps videtur in illo describendo: siquidem 5. *de simpl. med. fac. c.* 8. confundit calidum innatum cum spiritu: & *lib. adversùs Lycum*, atque *in hoc comm.* illud asserit oriri ex semine, & sanguine menstruo in Animantibus, in cæteris verò mistis ex eorumdem principiis, semini, & sanguini æquipollentibus; atque *in libris de usu partium*, & *de Placitis Hippocratis*, & *Platonis*, similaribus particulis corporum idem affingit. Insuper 1. *ad Glauconem cap.* 2. vocat calidum innatum substantiam, quod confirmans in *hoc comm.* & *lib.* 1. *de temper. cap.* 6. ait, calidum innatum significare non nudam qualitatem, sed subjectum, & qualitatem simul, puta substantiam calidam: at alibi, & præsertim *adversùs Lycum*, sumit illud aliquando sub nomine substantiæ, interdum etiam sub nomine qualitatis.

Si reliquos Authores tum Veteres, tum Recentiores consulamus, hi rem magis, magisque implicarunt. Siquidem Hippocrates *lib. de Carnibus*, vocat illud immortale. Plato in *Timæo* quasi igneum esse putavit: sive, ut Galenus explicat *in lib. de plac. Hipp. & Plat.* ignem refractum. Aristoteles 2. *de partib. Animal.* 7. & 2. *de generat. eorumdem cap.* 3. elemento stellarum illud respondere docet; unde plerique apud B. Albertum Magnum *lib.* 20. *de Animalib.* Cœli substantiam in corporibus Animalium reperiri crediderunt, eamque esse calidum

lidum nativum: cui opinioni inhærens Fernelius *lib.*4. *suæ physiologiæ cap.*1.& 1. *de abdit. rerum Causis c.*4. acriter contendit, calidum innatum haud quaquam elementaris, sed cœlestis originis esse. Dandinus *lib.*1. *de Hum.corp.temper.cap.*12. innatum calorem non omninò elementarem, nec tantùm cœlestem ait, sed igneo multò nobiliorem, superioremque. Averroes denique mistum ex ambobus putat, 12. *metaph.comm.*18.ideòque non abs re dixisse Aristotelem, Hominem genitum ex Sole, & Homine, quia calor vitalis, & insitus illius, pendet quidem ex Terra,& Aqua, cęterisque elementis, sed prætereà calorem Solis admittit admistum cum calore aliarum Stellarum.

Sed non facilè foret singula recensere, quæ de calido innato à Medicis, & Physiologis sunt conficta. Minimè verò præterire decet, quod Harvejus in hanc rem præclarissimis suis observationibus detexit, & in Exercitationibus de Generatione Animalium dilucidavit. Is enim,cùm iterata vivarum Animantium Anatome ostendisset, sanguinem esse primigeniam partem in illarum conformatione, & omnem Corporis calorem à sanguine proficisci; tandem statuit, dotes omnes illas, quas vulgò innato calido tribuunt, revera deberi sanguini, nec quidquàm in Animalium Corpore illo præstantius inveniri.

Et quidem alius calor in Animantibus nullus est præter eum, qui à Cordis, & sanguinis motu proficiscitur. Constat siquidem ex Anatome in primo Embryonis ortu vesiculam rubicundo liquore turgidam, micantem observari, indeque per tubulos consimilem humorem sensim adigi in corpus universum, quo statim incipiunt partes reliquæ vivere,& operari: & tandiù in vita perseverant, quandiù sanguis ipse per proprios ductus in ipsas diffunditur; cùmque vividior, plurimisque is fit halitibus acri salsilagine præditis, abundans in prima ætate: effœtus verò, & languidus evadat in postrema; idcircò vegetiores, agilioresque Pueri, & Adolescentes; debiliores verò, & tardi admodùm Senes. Et quamvis in juventute, & in consistenti ætate sanguis adhuc vegetus observetur; ille tamen insitus, atque à primordiis generationis oriundus, tum ciborum, tum exercitiorum, aliarumq; rerum externarum alteratione, plurimùm immutatur, coadjuvante pariter ea, quæ fit in textura partium per ætates, mutatione: cùm membra, & Corpus universum in pueritia laxius, molliusque, fiat in senectute rigidum, durumque adeò, ut pene in poris omnibus constipetur, ac exarescat. Hac autem membrorum firmitate, & constantia, itemq; summo incremento, quod ex alimentis in prioribus ætatibus Juvenes, & Viri adepti sunt, præcellunt, pręstantque Pueris,& Adolescentibus: non ita verò calore innato, & primigenio.

Calidum igitur innatum in sanguine residere Hippocratem quoque existimasse credendum, quoniam eo per arterias, & venas in totum Corpus diffuso, partes cunctæ vivificantur, & calent: frigescunt verò, & emoriuntur, cùm effœtus redditur, aut illius motus retardatur. Alium prætereà calorem ab isto distinctum, quem influentem vocant, in Animantibus effingere opus non est, cujus nec ipse Hippocrates unquam meminit, qui ingenitum dumtaxat tum hìc, tum alibi memoravit. Eget autem primævus ille, & ingenitus sanguis assiduo pabulo, quo foveatur, suique dispendium instauretur; unde ite-

iterata alimenta, & quidem majora, frequentioraque per eas ætates, in quibus incrementum secundùm triplicem dimensionem capessere contingit, natura exiguntur. Quòd si quis primævum, & ingenitum illum sanguinem in Embryonis micante bullula statim ab ortu conspicuum, Calidum innatum; à cibis verò perpetim suggestum, atque juxta variam ciborum conditionem, & exercitiorum, anni temporum, regionum, aliarumque rerum diversitatem, varium, influentem velit appellare, per me hoc illi absque controversia licebit.

Quoniam verò mutatione ætatum vividus, qui à primordiis vitæ erat, sanguis, spiritibus abundans, & vi, ac robore præcellens, sensim evanescit, & hebetatur; proindè fit, ut quo magis in senectutem tendimus, eo paucioribus alimentis indigeamus, sed melioribus, quæ nimirùm vivificam illius portionem reficiant, & balsamo vitali repleant, sine ullo inutilium succorum gravamine. At verò Adolescentium corpora copiosiori alimento sunt nutrienda, quippè quæ nutriri, & augescere simul debent; adeòque vivifica, & auctifica portione sanguis est reficiendus: aliter eo nimis dissoluto, & utraque portione depauperato, illa macrescerent, & consumerentur. Hinc Aristoteles *lib. de vita, & morte* docet, finiri Vitam aut resolutione, cùm alimenta deficiunt, suffocatione, cùm plus justo assumuntur, indeque excrementa cumulantur. Qua ratione Senibus servanda vita est paucis fomitibus, atque alimento spiritibus vegeto, ut idemmet Hippocrates hîc consulit. Nec abs re nomine fomitis usus ille est in Senibus; alimenti verò in Pueris: ut scilicet denotet, in adolescentia convenire cibum aptum nutritioni, accretionique, quæ per id tempus summopere exiguntur; at verò in senectute opus esse rebus omninò tenuibus, quæ spiritibus, non mole reficere queant. Hinc experimur, Senes vino, ejusque spiritu, elixire, cæterisque similibus, statim instaurari: atque in longiùs Vitam ducere salubriorem parco, & tenuiori victu, qui facilè conficiatur, & vertatur in halitus; multis autem alimentis utentes suffocari, & perire. *Sicuti enim*, inquit *in comm.* Galenus, *lucernarum flammæ, quarum tamen oleum est alimentum, si quis id totum simul superinfundat, extinguuntur potiùs, quàm nutriantur; eodem modo & in Senibus calidum sui fomentum quidem habet alimenta; sed si multis, & confertis cumuletur, ac quodammodò suffocetur, periculum est, ne extinguatur; non aliter, ac si parvæ scintillæ ignis lignorum multitudinem superacerves.*

Hanc postremò ob causam, concludit Hippocrates, febres Senibus non similiter acutas fieri: *frigidum enim eorum est Corpus.* Unde notare videtur, non eodem modo febres Senibus accidere, quo Juvenibus, & Adolescentibus; quippè febres Senum pusillæ esse solent, & vix conspicuæ; Juvenum verò vehementes, & æstuosæ. Ne autem quis hinc suspicetur, febres propterea omninò, & per se calorem præseferre, tametsi Hippocrates à frigido corpore Senum acutas febres excluserit: etenim frigus consideratur ab eodem, ut signum, non ut causa, cur Senes febribus acutis difficulter corripiantur; quandoquidem corpora Senum frigida observantur, quoniam sanguis in illis effœtus est, vivida, floridaque portione imminutus, ut vehementem commotionem, fermentationemque febrilem subire nequeat; unde, quemadmodùm oligopharum vinum, le-

vem nimis patitur fermentationem. Sed & hac de causa febres Senibus cùm accidunt, perniciosę fiunt, quia tenuis ille sanguinis spiritus fermentatione facilè dissipatur. Si verò à calore febris oriretur, sanè is Senibus prodesset, foto scilicet, roboratoque pusillo eorumdem ingenito calore, qui à febrili non differt, etiam ex mente Hippocratis hoc loco, nisi solùm intensione, per quam infensum illorum frigus, quo tandem ad interitum perducuntur, procul dubio retunderetur: atqui conservantur potiùs senilia corpora usu vini, aquæ ardentis, aromatum, quæ calorem excitare solent intensiorem iis febribus, quas in ipsis pusillas, frigidas, & sepultas Avicennas appellavit. Scitè igitur Galenus *comm.* 34.2. *Aph.* febres dixit Senibus periculosas fieri, ob virium imbecillitatem, quæ vappescentem sanguinem, fugientemque vitalem spiritum, consequitur.

Sed qui fit, ut quo innato calido Animantes cunctæ vivunt, eodem perire Hippocrati dicantur; unde ex eodem *lib. de alim.* effatum illud prodiit, quòd idem calor, qui omnia generat, omnia pariter consumat; & quòd principium omnium unum sit, & finis unus: Quamquàm contrarium tueatur Galenus *lib. de Marcore cap.* 3. ubi reprobat sententiam eorum, qui asserunt, nativum calorem causam esse consumptionis in Viventibus; cùm enim sit principium conservans, & augens, nequit ea ratione fieri consumens. Quamobrem censuit potiùs Avicenna *fen.* 1. *pr. doctr.* 3. *cap.* 3. consumentes Viventium causas esse circumambientem Aerem, corporales, & spiritales motiones, atque excrementorum congeriem. At Galenus ipse *lib.* 2. *de temper. cap.* 2. putavit, ex inæquali deperditæ substantiæ restauratione sensim vitam imminui, ac postremò extingui. Etquidem sanguis jugiter commotus sensim rarescit, extenuatur, & consumitur, nec unquàm ex ęquo potest, etiam optimorum alimentorum ope, refici, æqualitate exquisita, & exacta. Aptissimum exemplum affert ex Platone *in Athlantico* Ficinus: Si generosum è dolio merum in singulos dies ad certam mensuram exhauriatur, atque in ejus locum sufficiatur pejoris notæ vinum, aliusve liquor: certè diuturnitate temporis illud vapidum, nullarumque virium evadet. Sic sanguinem ad resolutionem vergentem, quamvis accurata victus ratione fovere, ac instaurare assiduo conemur, nunquam tamen possumus omni ex parte reficere; unde procedente ætate tandem hebescit. Sed de his alibi à Nobis est actum *in par. Medicinæ Theoreticæ.*

APHORISMUS XV.

Ventres Hyeme, & Vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi: quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda; etenim tunc calor innatus plurimus est; unde & pluribus egent alimentis: indicio sunt ætates, & Athletæ.

NEdum per ętates varias, varium cibum exhibendum docet Hippocrates, sed etiam propter Anni temporum diversitatem: quippè nemo est, qui nesciat, Homines potissimùm ita esse à Natura comparatos, ut hyberno, & vernali tempore plus cibi appetant, & ingesta alimenta faciliùs concoquant, quàm in Æstate. Cujus rei causam examinans idem Auctor, inquit, hyemali, & verno tempore Ventres fieri calidissimos, ac præterea somnos longissimos esse, inna-

innatumque calorem plurimùm vigere; quæ omnia confpirare videntur in ufum uberioris alituræ.

Ventres dixit fine ulla adjectione; unde propriè intelligit Ventriculum, & Inteftina, juxta morem, ut deducitur ex *6. Aph.*14. ubi dicitur: *Hydrope correpto, fi aqua è venis in ventrem defluxerit*, ideft in cavum Ventriculi, & Inteftinorum, *folvitur morbus*: educto nimirùm humore Hydropem faciente. At verò cavum Thoracis defignat 7. *Aphor.*38. cùm inquit: *deftillationes, in ventrem fuperiorem decidentes, fuppurantur intra viginti dies.*

Hyeme, & Vere calidiffimos illos effe docet. Hyems autem quamvis ab Aftronomis fpatium illud temporis intelligatur, quod comprehenditur inter Solftitium Hyemale, & Vernum Æquinoctium, luftrante Sole Signa Capricorni, Aquarii, & Pifcium: Atque Vernum tempus, quod interjacet inter illius Æquinoctium, & Solftitium æftivum, peragrante Sole reliqua tria Signa Arietis, Tauri, & Geminorum. Hippocrati tamen (cui Annum dividere aliter arrifit, & quidem in feptem tempora) ab occafu Vergiliarum, feù Plejadum, ufque ad adventum Hirundinum, nempè à fine Novembris, ufque ad medium Martii Hyems erat; Ver autem ab ingreffu Solis in Signum Arietis, ufque ad ortum Hyadum, qui contingit circa finem Maii, & initium Junii. Voluit itaque fub Hyeme, & Vere is comprehendere tempora Anni æqualia, & conftantia, magis, minufque calida, exclufis Æftate calidiffima, & Autumno inconftanti, & inæquali.

At unde calidiffimi tunc temporis Ventres evadant, non temerè dubitari poteft. Vulgò ex Ariftotele ad Antiperiftafim confugiunt, five ad contrarii circumobfiftentiam: quoniam inquiunt, calorem à circumobfidente frigore magis, magifque intendi, fuafque vires exerere fortiores, veluti adversùs hoftilem qualitatem dimicaturum. Hinc cryptas, puteos, & fubterranea quæque loca Hyeme calere teftantur, Æftate verò frigere; qua etiam ratione problema illud enucleavit Ariftoteles, cur Aquę puteales hyberno tempore incalefcerent, inalgerent autem Æftate.

Verùm non parum falfi funt, qui ejufmodi Antiperiftafis vim, & efficaciam funt commenti, ex fuperiùs memoratis experimentis: etenim cryptæ, & loca quæcumque fubterranea haudquaquam calida funt Hyeme, & per Æftatem frigida, fed potiùs frigidiora funt Hyeme, quàm Æftate, ut ope Thermofcopii eft animadvertere; quin & compactior Aer iis in locis hyberno tempore obfervatur; unde & aqua, cæterique liquores magis ibidem attolluntur. Verumtamen decepti ifti funt à fenfu ejus frigoris, quod æftivo tempore percipere folemus, cum ex externo Aere calidiffimo cryptas adimus longè minus calidas, in quibus fcilicet Aer à radiis folaribus æftivis remotior invenitur.

Sed etfi Antiperiftafis aliquam vim haberet; proculdubio non Vere, fed potiùs Autumno illa intenfior fieret, cùm noctes longiores, & Solis remotior difceffus à noftro vertice, frigidiorem aerem reddant; ut propterea frigidas quoque ægritudines per id tempus vagari fateatur Hippocrates, ejufque Commentator Galenus *3.aph.*22. & Quartanas evadere longiores *2.aph.*25. Atqui de Autumno hìc nihil meminit, fed folius Hyemis, & Veris; igitur non à frigore obfidente caloris incrementum in Ventribus fed aliundè deducendum erit.

Et quidem ejus incrementi ratio

apertiſſimè traditur ab eodem Hippocrate *in hoc Aph.* inquit enim: *quia tunc calor innatus plurimus eſt*. Plurimus quidem eſt in Hyeme, quia ſanguis, unde calor innatus provenit, minùs difflatur, conſtipata per externum frigus Cute: & quemadmodùm in Vino partes mobiliſſimæ, tenuiſſimæque, ſive ejuſdem ſpiritus, per hyemem meliùs conſervatur, & viget, qui ex calore ambientis æſtivo faciliimè perſpirat, & diſſipatur, quamobrem eo exhalante promptè illud aceſcit, aut vapidum fit; ſic pariter ſanguinis ſpiritus, ejuſque portio vivida, tenuis, & mobilis facilè per æſtatem exhalat, & diſperditur; colligitur verò, ac plurimùm viget in hyeme, undè calor internus vegetior evadit. Plurimus quoque eſt in Vere, ſed alia de cauſa: nimirùm quia eo tempore non modò in hominibus, ſed etiam in ſtirpibus nutritius abundat humor, qui tamen Æſtate, & Autumno magna ex parte imminuitur: porrò nutritius iſte ſuccus abundantior è ſanguine per id tempus vegetiori, puriorique, proficiſcitur, quamobrem dicitur Ver ab Hippocrate ſaluberrimum, ob ſalubrem, quam efficit in Viventibus conſtitutionem. Jure ergo excipiuntur Æſtas, & Autumnus; quoniam per illam ſanguis plurimus abſumitur, ejuſque ſpiritus, ſeù portio vivifica, per laxiores Cutis poros evaporat, & diſſipatur, unde Corpus univerſum languet; per hunc verò varium, & inæqualem, multifariam afficitur, ac pleriſque impuritatibus inquinatur, nec bene patent emunctoria Corporis; quo deindè fit, ut ægritudines Autumno contingentes, vel longæ, vel exitioſæ evadant. *3. aph.9.* Verumtamen comparate ſolùm ad cæteras Anni tempeſtates, & in corporibus bene valentibus, ac robuſtis, hæc ſunt intelligenda; cùm & non deſint, qui meliùs, & robuſtius ſe habeant nedum Ventriculo, ſed toto Corpore, Æſtate, aut Autumno, quàm Hyeme, & Vere. Unde idem Hippocrates *3. aphor.2.* animadvertit, Naturarum, alias ad Æſtatem, alias ad Hyemem bene, malève ſe habere; atque pluries obſervamus, fortitos imbecillas vires, languidoſque Ventres, in valdè frigida tempeſtate, vitali calore pene deficere, æſtivis verò temporibus fieri vividiores: quod & iis Animantibus quoque accidit, quæ hyemali tempore, vel in latibulis præ frigore immobiles jacent, vel omninò emoriuntur; at verò Æſtate viviſcunt, & vigent, ſummiſque viribus præpollent.

Fiunt etiam in hybernis, verniſque temporibus ſomni longiſſimi: Hyeme quidem, conferente plurimùm diuturna noctium quiete, cum alimentaria humiditate; & Vere, abundantiori ſucco ſanguinis nutritio, cum clementiori, ſalubriorique Aeris conſtitutione: ſicut enim calor ingens, ſive externus, ſive internus ille ſit, ſomnum perturbat, & corpori moleſtiam affert; ſic contra frigus condenſando, & comprimendo, humores interiùs propellit, & ſomnum conciliat: qua etiam ratione experimur, inter initia paroxyſmorum ſomnum ægrotantes opprimere, externis partibus non leviter refrigeratis. Contingit pariter ſomnus longior Hyeme, & Vere, quoniam, ut dictum, ſanguis per ea tempora glutinoſior evadit, quo partes Corporis ſenſibilius nutriuntur, & humeſcunt: modò ex alibi traditis ſomnus ſæpiſſimè accidit à Nervorum, & Cerebri madore, majoreque irroratione, ut potiſſimùm à paſtu licet obſervare.

Ab his ergo deducit Hippocrates, quòd per ea tempora ſint alimenta exhi-

exhibenda copiosiora, quoniam nativus Calor plurimus tunc est, à sanguine scilicet abundantiori, vegetiorique. Quòd autem de Calore à sanguine pendente explicandus sit hìc Hippocrates, suaderi potest ex eo, quia quamlibet ætatem, & unamquamque corporis constitutionem comprehendit, ex ingenito calore Hyeme, & Vere abundantiori. Modò si de eo, qui ex principiis seminalibus oriri vulgò creditur, exponatur, aptari haud sanè posset ætati senili, quæ cùm maximè omnium elongetur à primigenia seminum constitutione cum evidenti carnium marcore, ideòque pauxillo, vel minimo ejuscemodi innati calidi, quod solidis partibus inesse ponitur, freta, Ventres haudquaquam per ea tempora calidiores sortiretur, maximèque hyeme, qua calor potenter infrangitur, ac hebetatur à circumambiente frigore. Dixit insuper *Natura*, quoniam de naturali calore, non autem de eo, qui præter naturam est, & aliam causam habet, quàm ætatum mutationem, agit: hic namque indifferenter potest quocumque tempore Ventriculum alterare, & calefacere, sed ad exitium.

Quoniam verò subindè Hippocrates, inquit, alimenta copiosiora Hyeme, & Vere esse exhibenda, cùm nimirùm somni longissimi sunt; videtur tacitè insinuare, Somnum potiùs, quàm Vigiliam ad ciborum confectionem persolvendam proficere; opportunum fore existimavi, pauca de hac re in medium afferre. Galenus
V. Pancirol l. 1. tit. 51. *7. meth c 6.* morem fortasse sequutus Veterum, qui parce admodùm prandebant: cœnabant verò lautiùs, somnum, & quietem summopere conferre coctioni in Ventriculo peragendæ docet, cui ferè omnes antiquiores Medici consentiunt, moti potissimùm ex eo, quia per somnum calor cujusvis coctionis opifex intrò collectus roboratur, qui per vigiliam dissolvitur, & dissipatur. Ex adverso contendunt alii, quorum præcipuus est Laurentius Joubertus *decad. 1. paradox.* 8. vigilię potius coctionem promoveri, quoniam ex eodem Hippocrate, *6. epidem. f.* 4. Vigilia edax dicitur: ea etenim calor acuitur magis, ideòque efficaciùs in cibos agit. At cùm ciborum confectio, & concoctio dissolutionem ex fermentatione in Ventriculo habita, & secretionem, distributionemque in intestinis tenuibus, ex confluxu succi fellei, & pancreatici, complectatur, existimaverim Ego, & Somnum, ac Vigiliam, & Quietem, ac Motum perficiendæ coctioni omninò prodesse: Somnum quidem, ac Quietem ad eam, quæ in Ventriculo fit, persolvendam; at verò Vigiliam, ac Motum ad eam, quæ in Intestinis tenuibus peragitur, utilium ab inutilibus Chyli partibus secretionem, atque in lacteas venas protrusionem. Cùm enim cibus nondùm sit in chylum versus, quousque Ventriculi cavum occupat, nisi deinceps nova dissolutione in gracilibus Intestinis subactus à recrementis nutricationi ineptis penitùs, penitusque repurgetur, atque in albicantem liquorem convertatur, ut faciliùs oscilla venarum lactearum subeat, profectò chylosis utramque mutationem exposcit, & quæ in Ventriculo inchoatur sola dissolutione, & quæ in gracilibus Intestinis perficitur per integram, absolutamque cibi in chylum transmutationem: Atqui prior meliùs quiete, & somno, posterior citius motu, & vigilia peragitur, ut considеranti patet. Hinc modò notum fit, cur alterutrius vitio ciborum concoctio sæpesæpiùs interturbetur, & al-

& alvi dejectiones accidant, aut indigesti, necdùm bene secreti alimenti, aut etiam corrupti, & depravati, in Lienteriis, vel Diarrhœis, ut alibi est à Nobis explicatum. Verumtamen variant quidem non raró hæc ob variam Corporum habitudinem, itemque Regionum, Anni temporum, & assumptorum Ciborum conditionem.

Confirmat postremò aphoristicam hanc sententiam Hippocrates exemplo desumpto à Pueris, & Athletis; siquidem in his uberior exquiritur alimonia, quàm in cæteris, à vegetiori, plurimoque nativo Calore, ut jam anteà demonstratum est. Ipsum autem Athletarum habitum natura calidum esse manifestum est, nam multo, atque optimo sanguine abundant, Adiicit quoque Galenus exercitia, quibus nativus calor augescit, quemadmodùm latiùs ostendit 1. *de san.tuend.cap.*14. & 2. *ejusd. oper.cap.*2. At per exercitia sanguis solùm tenuior, & vividior fit, undè calor intensior; secus verò, qui in partibus solidis inhærescere fingitur: quippè is potiùs motu dissolveretur, & evanesceret.

APHORISMUS XVI.

Victus humidus febricitantibus omnibus confert, maximè verò Pueris, & aliis, qui tali victu uti consueverunt.

CIbi quantitatem in præcedentibus Aphorismis prescripsit Hippocrates variam, pro varietate Anni temporum, & Ætatum; nunc verò de ejusdem qualitate sententiam profert, potissimùm in febrientibus, quibus humidum convenire docet: cui inhærens Celsus *lib.3.cap.6.* inquit: *febricitantibus cibus humidus est aptissimus, aut humori certè quamproximus.*

Quid autem pro victu humido intelligere voluerit, non abs re dubitari potest. Et Expositores ferè omnes cum Galeno reipsa humidum arbitrantur, eumque convenire febricitantibus, propterea quòd febris affectio sit calida sicca, cui per contrariam cibi qualitatem obsistendum est. Sed cur non etiam frigidum victum commendavit? cùm febris ex eodem Galeno *in commentario istius aphor.* sit *conversio nativæ caliditatis ad igneam*, nihilque febricitantibus calore molestius. Sed & quamvis hoc loco febrim calidam siccam passionem appellet, alibi tamen sæpiùs calorem dumtaxat illam præseferre docet; Nam *lib.de differ.morbor.cap.*5. intemperiem calidam simplicem totum Corpus occupantem relaturus, exemplum dat febris, quę nimirū solo immoderato calore molestat, nulla de siccitate mentione facta: quod etiam confirmat *lib.de Causis morborum cap.*2. & *meth.in principio*, ubi febrim calorem immodicum nuncupat, ejusque solius vi operationes vitæ lædi testatur. Idipsum sentit etiam Avicenna *pr.*4. *cap.*1. definiens febrim, *calorem extraneum accemsum in corde.*

Qua præterea ratione si de curandis febribus per victum humidum sermonem facere voluisset Hippocrates, commendasset illum Pueris, qui humidi existimantur; ideòque conservandi potiùs gratia, quàm curandi? Plurimùm autem hallucinantur, qui putant, fuisse hìc præscriptum humidum cibum Pueris in statu sano, adeòque voluisse Hippocratem unico Aphorismo omnes simul indicationes à victu humente desumptas comprehendere, quasi verò Pueri eo cibi genere in salubri constitutio-

ne servandi, febrientes curandi, & consueti illo uti, muniendi sint, ne in calidas ęgritudines labantur. Nam ex contextu verborum clarè deducitur, Pueros hìc considerari non sanos, sed febrientes: quippè victus humidus febricitantibus omnibus conferre dicitur, *maximè verò Pueris*; undè iis febricitantibus potissimùm commendatur, itemque eo uti consuetis, si fortasse febribus laborent; quoniam his convenit ex peculiari puerilis corporis constitutione, atque ex veteri consuetudine; cùmque mutationes in universum subito inductæ periculosæ admodum sint, ex 1. *aphor.3.* & 2. *aphor.51.* & *lib.de vict.rat.in morbis acutis*, atque in iis præcipuè graviores; propterea consuetudo ipsa servanda est; Pueris verò, ne inemendabile detrimentum in nutricatione, & carnium laxitate patiantur, iidem, vel consimiles cibi, quibus per ætatum initia usi sunt, exhibendi erunt: primum autem illorum alimentum lac fuit; cibo itaque illi analogo, etiamsi febre corripiantur, erunt alendi.

Verum enim verò Hippocratis mentem rectius interpretatur Heurnius ex *lib.1.de diæta*, unde persimilem sententiam transcribit: *cibus humidus, imbecillis, sitis expers, coctu facilis, & liquidus febricitantibus convenit*; cujusmodi erat ptisana, ejusque cremor. Et quidem *humidus* esse debet, ideſt fluidus, & potabilis; *imbecillis*, qui scilicet non sit fortis, durus, aut solidus, quique nec acritudinem stomacho afferat, nec vapores ad caput attollat, nec Ventriculum plurimùm fatiget: *sitis expers*, puta qui sitim potiùs minuat: *coctu facilis*, ut citò in chylum commutari possit, atque in aliti substantiam converti: postremò sit *liquidus*, facilisque distributionis, nam hoc pacto promptè diluitur, & celerrimè in venas lacteas traiicitur. Quare idem Hippocrates inquit 2. *aphor.11. facilius est refici potu*, ideſt alimento liquido, *quàm cibo*: seù alimento duro, solidoque. Rectè igitur à Galeno *lib. de opt.sect. ad Trasybul.cap.4.* & 1. *de rat.vict. comm.18.* scriptum est, Hippocratem pro humido victu, liquidum intelligere, qui potest esse cujusvis conditionis, & qualitatis; ut propterea idemmet Galenus *eod.lib.1. de rat.victus c.* his, qui imbecilliorem sortiti sunt Ventriculi concoctionem, præscribit cibum liquidum, quoniam ejusmodi alimenta faciliùs peraguntur; quippè illud videtur esse præcipuum Ventriculi concoquentis opus, ingesta scilicet dissolvere, colliquare, & in substantiam fluidam redigere; quocirca cibus liquidus promptissimus est, ac ita præparatus ad concoctionem, ut nullo penè negotio conficiatur; cùmque in febricitantibus vis Ventriculi ad ciborum digestionem plerumque elangueat, exhibenda proindè erunt, quæ facilè concoquantur, qualia profectò sunt liquida, & in pultis veluti formam dissoluta: ut hac ratione promptissimè confecta faciliùs in venas, & arterias distribuantur.

Atque hinc etiam deducere licet, cur non frigidum cibum commendaverit Hippocrates: quoniam non ab indicatione curandi febrem per contrarias qualitates, sed à viribus reficiendis, & à facilitate, ac promptitudine coctionis, & distributionis, victus humidus præscribitur, veluti conducibilior febrientibus; eoque magis, quia superius dixerat, in accessionibus abstinere à cibo oportere, & præsertim si per iteratos paroxysmos febres redeant, ut subditur quoque *Aphorismo XIX.*

Qua ergo ratione victus humidus febricitantibus omnibus convenit, longè graviori videtur commendandus Pueris, si fortasse in febrem incidant: siquidem non aliundè probatum est, humidum victum febrientibus convenire, quàm ex eo quia faciliùs hic digeritur, citiùsque distribuitur, Ventriculum non fatigat, nec sitim præ cæteris molestissimam auget; atqui hæc in Pueris majus sanè negotium facessunt, quoniam tenerrimæ illorum carnes facilè per febrim extenuantur, & gluten sanguinis nutricationi, qua cæteroqui summè egent, omninò necessarium, diluitur, & liquatur, nec alioqui inediam sustinent, & alimenta duriora vix conficere queunt, quorum usu cruditates cumulantur; quamobrem humidus, liquidusque victus his videtur convenientissimus.

Similiter qui longo usu liquidis cibis fuerunt assueti, ægrè duriores conficient, qui suaptè natura laboriosius concoquuntur: vis autem Consuetudinis tanta est, ut etiam deteriora, si consueta sint, minùs mala evadant, immò faciliùs ferantur, quàm insueta, ut dicitur 2, *aph.* 50. & 2. *de rat. vict. in acut.* 33. 8. *meth. cap.* 9. & 6. *de loc. aff. cap.* 4.

Hinc modò patet, quàm malè sentiant, qui de victu omninò humido, frigidoque aphoristicam hanc doctrinam interpretantur, quippè qui generale hoc Hippocratis documentum omnibus febricitantibus conveniens, non admittunt, puta in febribus Ephemeris à cruditate, in Quotidianis, Quartanis, & Epialis, aliisque, cum ulceribus, tumoribus, alvi profluviis, catarrhis, & sopore copulatis; cùm tamen ille indiscriminatim cibum humidum omnibus febricitantibus commendet, & quidem prudentissimè, præsertim si pro humido, cibum liquidum, fluidum, facilisque coctionis, ac distributionis, intelligamus.

APHORISMUS XVII.

Et quibus semel, aut bis, & quibus plura nè, an pauciora, & particulatim oporteat offerre, considerandum. Condonandum autem aliquid Tempori, Regioni, Ætati, & Consuetudini.

A Quantitate, & Qualitate ciborum, pergit Hippocrates ad tempus, partitionemque eorumdem, cùm non satis sit, ad rectam Victus rationem præscribendam, nosse quid, & quantum cibi sit exhibendum, ni etiam, semel, an bis in die, & num parum, ac sæpè, an verò multùm, & raro cibare oporteat, prospiciatur. Quamobrem Medicos admonet, ut & id pariter advertant, ne in recta ciborum administratione fallantur.

Quoniam verò prima indicatio semper à Viribus sumenda est, pro illarum propterea ratione, cibi erunt offerendi. Et quidem parum alimenti, sed sæpiùs exhibendum, consulit Galenus *in comm.* cùm ægrotantis Vires imbecillæ fuerint, & ea, quæ in corpore est affectio, sit ex humorum corruptione, vel defectu: quippè languidæ vires, etsi restauratione egeant, multum tamen alimenti sufferre nequeunt, à quo potiùs obrutæ succumberent, quàm increscerent: alimentum autem parum, & sæpè exhibitum æquivalet multo. Parum, & raro cibandum subdit, si vires debiles sint, nullus tamen defectus adsit, neque corruptio; sed & humores naturales moderati fuerint, vel etiam superabundaverint, ut propterea coniicere possimus comprimi potiùs vires ab humorum copia, quàm

quàm reipsa deficere. Præterea multum, ac sæpiùs vult alendum, si cum humorum defectu, aut corruptione vires fuerint validæ; etenim multos cibos exigit ejusmodi dispositio, nè vigorem amittat, & hi benè confici possunt à constanti robore. Multùm denique, & rarò cibandum docet, cùm vires robustæ sunt, & plethorica adest dispositio; nam etsi hæc corporis constitutio potenter cibos conficere valeat, quia tamen multis, & frequentioribus non eget, rationabile est, ut rariùs alatur, nè ex plethorica dispositione in Athletarum discrimina incidat, si liberaliùs nutriatur.

At quamvis hæc in recta victus ratione à viribus, & à morbo desumpta, specialiùs considerare necesse sit, adiicit nihilominùs Hippocrates, indulgendum aliquid semper esse tempori, regioni, ætati, & consuetudini. Et quidem Hyeme uberiori utendum cibo, sed rariùs: quoniam tunc ex dictis ventres sunt validiores; unde homines magis appetunt, meliusque digerunt; at quoniam multam ciborum copiam nonnisi post longius tempus conficere possunt, propterea rariùs alendi sunt. Æstate verò ob virium, & ventriculi languorem ciborum multitudo minùs toleratur; idcircò parciùs, sed sæpiùs alendum, ne vires alimenti paucitate deficiant. Sic non dissimiliter Vere, ac in Hyeme, & Autumno, ac in Æstate cibi erunt assumendi; eo tamen discrimine, ut quo magis Ver ad Æstatem accesserit, frugaliùs; & quo magis Autumnus ad Hyemem inclinaverit, liberaliùs offerantur: sæpiùs autem, aut rariùs pro varia corporum habitudine, & conditione. In Regionibus quoque variis, Aeris, aut Aquarum ratione, cibi faciliùs, citiusque concoquuntur; vel contrà tardè admodùm, & difficulter; unde homines alicubi, vel multum, atque avidiùs appetunt, vel, modico licèt cibo, gravantur: quamquam & esculenta, ac potulenta magis, minusque nutricatui conferentia, plurimum in hoc valeant. Præterea qui adolescunt, sæpiùs, uberiusque sunt reficiendi; sicut etiam consueti frequentiores, abundantioresve cibos sumere; seriùs verò, & parciùs Senes, quique contrariæ consuetudini se addixerunt.

Sed & de corporibus quoque, eorumque constitutionibus, peculiaris ratio habenda est: quippè Gracilia copiosioribus, & humentibus alimentis: Obesa tenuioribus, ac extenuantibus: & carnosa solidioribus, ac moderatis nutrienda sunt; atque pro virium, & ventris robore, rariùs etiam, ac frequentiùs, his, aliisque ciborum generibus, prout humores, & fermenta viscerum multigena conditione variaverint.

Hinc deducere licebit, quòd tametsi Vires ægrotantis, Morbi, & causæ morbificæ, itemque illorum tempora, circuitus, incrementa, symptomata, & proprietates, statutam quamdam cibandi rationem exposcant, juxtà regulas superiùs traditas; illam tamen quodammodò laxare expediet Anni, Temporis, Regionis, Ætatis, Corporis constitutionis, & Consuetudinis ergo; adeòque paululùm inde in hanc, vel aliam declinandum, & semel, aut bis, & parciùs, aut uberiùs, & seriùs, aut citiùs, & sæpiùs, aut rariùs cibandum, prout ipsa expostulaverint.

APHORISMUS XVIII.

Æstate, & Autumno cibos difficillimè ferunt, Hyeme facillimè, secundum locum Ver habet.

CUm dixerit Hippocrates, condonandum aliquid esse Anni tempori, Regioni, Ætati, & Consuetudini, nunc docet, quibus in Anni Temporibus sit hoc agendum in usu ciborum. Nihil autem prætereà de regionibus, ætatibus, & consuetudine meminit; quoniam facile erat de his decernere, ubi ratio ab Anni tempore desumpta constitisset. Inquit ergo, Æstate, & Autumno, cibos difficillimè ferri; facillimè verò Hyeme, cujus causam Aphorismo XV. prodidit. Viget enim nativus, seu vitalis animalium Calor hyberno tempore; quamobrem tunc cibus plurimus exhibendus est: at verò Æstate, & Autumno, is languet; ideoque multo cibo abstinendum. Quare si in statu sano pluri alimento homines per ea tempora gravandi non sunt, languescente nimirùm ingenito, & naturali calore; profectò in statu morboso longè magis offenduntur, si multo cibo repleantur.

Verùm quamvis in Æstate, & Autumno indiscriminatim ab Hippocrate sit prolatum, multos cibos minimè sufferri, fortè quia, ex superiùs explicatis, Vitalis calor difflatur, & ventriculi Animalium tùm maximè in concoctione fatiscunt; adhuc aliæ per Autumnum vigent causæ, quibus corpora specialiùs afficiantur. Et quidem inæqualis ambientis Aeris habitudo Viventia plurimùm turbat, & veluti ad motus oppositos repentè exagitat, non sine gravi vitæ incommodo; unde Hippocrates *3. aphor.* 4. notavit, Autumnales morbos expectare oportere, quandò eadem die modò calor, modò frigus viget, illosque prætereà acutissimos, & exitiales dixit *t. 9. ejusdem libri*, eoque magis, quia halituum perspiratio per Cutim, tantoperè viventibus necessaria, plurimùm per id tempus interturbatur, quo circà sanguis non leviter inficitur; quin & detenti sudores, & cumulata ex intemperanti victu, & fructuum esu, excrementa, majora propemodum damna visceribus afferunt, ut etiam advertit Galenus *in comm. illius Aphorismi*.

Medium locum Ver habere inquit, inter difficillimam in Æstate, & Autumno, ac facillimam ciborum in Hyeme tolerantiam, atque hanc ab illo disjunxit Hippocrates, quamvis Aphorismo XV. per ea tempora scripsisset, alimenta exigi æquè copiosiora; quia ventris robur, & ingeniti caloris vis, atque efficacia, in utroque tempore, etsi non eadem ex causa, uberius alimentum exquirunt, & speciatim in sanis. Sed & ciborum gravamen faciliùs, vel difficiliùs tolerabile in diversis Anni temporibus considerans, ægrè admodùm illos sustineri inquit Æstate, & Autumno; Hyeme verò nullo penè labore. Neque prætereà in Medicina novum est, quòd medicamentum, sive alimentum alicui indicatum, aliundè non toleretur. Atqui non æquè ferendus videtur cibus Vere, & Hyeme: siquidem verno tempore turgent abundantiori sanguine Vasa, proindeque diruptioni, pressuræque faciliùs subiiciuntur, ex humorum, & carnium laxitate, ac plenitudine, ut de Athletis, qui ad summum bonitatis pervenere, jam anteà est demonstratum. Jure ergo medium locum verno tempori concessit Hippocrates, illudque ab hyberno disjunxit, comparata nimirùm facillima tolerantia ciborum in Hyeme

me cum ea, quæ minùs tuta videtur in Vere. Sed & hac de causa cibum partiri expedit, ut qui non sustinetur semel exhibitus, iteratò resumatur distributus, sæpiùs, & parce; quod edocere visus planè est Hippocrates hoc loco, intentus partitioni ciborum potiùs, quàm quantitati.

APHORISMUS XIX.

Iis, qui per circuitus accessiones habent, nihil dare oportet, neque cogere; sed subtrahere adjectioni ante judicationes.

Videtur hic Aphorismus omninò coincidere cum undecimo, in quo consimilis fermè sententia repetitur. Sunt verò, qui putant hunc esse epilogum præcedentium. Sed penitùs falluntur; quia sententiæ aphoristicæ epilogum non admittunt, neque hìc quidpiam eorum continetur, quæ superioribus Aphorismis memorata sunt, nisi solùm, quòd videantur resumpta documenta undecimi. Neque licet opinari, fuisse illum incautè repetitum, vel ab aliis imprudenter adjectum: Nam pleraque hìc notantur, quæ ibi nullatenus sunt recensita, ut est, quod speciatim dicitur de subtractione cibi ante judicationes. Satius igitur erit ita cum Sclano, & Sanctorio hunc Aphorismum interpretari, ut etiam cum præcedenti congruenter necti possit. Nuper scripserat Hippocrates, Æstate, & Autumno difficillimè cibos ferri, adeoque partiendos esse; excipit nunc Accessiones, & tempus paulò antè Judicationes morborum, ita ut in ipsis Accessionibus, etiamsi Hyems vigeat, nihil cibi exhibeatur, sicut pariter paulò antè Judicationes: quamobrem quod condonandum est Tempori, Regioni, Ætati, & Consuetudini, locum haudquaquam habebit in Accessione ipsa, & imminente Crisi.

Quamvis autem indefinitè scribat Hippocrates: *Iis, qui per circuitus accessiones habent*, adeòque videatur quamcumque morbi accessionem periodicam complecti, specialiùs tamen intelligit recurrentes febrium invasiones, quas Galenus *lib. de tempor. morbor cap. 6.* divisit in Accessiones, ac remissiones; & rursùs accessiones in principium, inæqualitatem, augmentum, & statum: Remissiones verò in declinationem, & intervallum. Modò cùm Hippocrates inquit, nil dandum in accessionibus, intelligendus in principio, inæqualitate, augmento, & statu; Sed tamen posse tutò exhiberi cibum in declinatione, vel intervallo. Et quidem non in principio, nè distrahatur, aut gravetur Natura, cibo intereà nihilum proficiente, immò potiùs lædente, ut contigit ægroto innominato, & filiæ Philonis, qui cùm febre calentes cœnassent, obierunt. Neque in inæqualitate, cùm scilicèt inæqualibus motibus caloris, & frigoris, corpus ægrotantis afficitur, & pulsus varii in systole, & diastole observantur: tunc enim graviùs lacessiti febricitantes rem quamlibet fastidiunt. Nec in augmento, in quo cerebrum, & cor increbrescentibus symptomatis afflicta, magis, magisque à cibo læderentur, non parùm promota febrilium fermentorum tumultuaria commotione. Nihil postremò exhibendum in statu, quo tempore particulares Crises disponuntur, præsertim verò sudores, qui à cibo impediti procul dubio nocumento forent. Hinc sana ratione Galenus ex documento Hippocratis 1. *de rat. vict. in ac. 46.* inculcat, cibum nullatenus prębendum, nisi calor thoracem dimiserit, & descen-

scen-

ſcenderit ad pedes: quod ſolùm in declinatione accidit, aut in intervallo, cùm ſymptomata deſunt, vel magna ex parte remittuntur. At verò ſi ſtomachi languor urgeat, vel ſyncope immineat, nonnihil pro viribus offerendum, inſtante adhuc paroxyſmo, ut jam anteà notavimus.

Addit Hippocrates, nec cogendos eſſe ægrotantes ad ſumendum cibum ante judicationem, ſeu criſim, nè impediatur; ſiquidem ex Galeno 3. *de Criſibus*, plerumque perturbantur motus Critici, vel cum interitu ægrotantis accidunt, ob errores in victu: cumque ex eodem Hippocrate 2. *Aphor.* 13. *Quibuſcumque Criſis fit, iis nox gravis ante acceſſionem*, ideoque nec cibus appetitur; nulla planè ratione cogendi ſunt, ut cibum ſumant; quemadmodùm imprudenter pleriſque fieri ſolet, qui ægros, vel invitos compellunt epulari, ut pugnam cum morbo, ut ipſi dicunt, ſtrenuè poſſint ſuſtinere. Porrò Hippocrates nedùm cogendos non eſſe ait, ſed detractioni potiùs incumbendum, ita ut ex priori, & conſueto cibo aliquid demendum ſit, proximè accedendo victui tenuiſſimo, nè futura Criſis impediatur, aut interturbetur.

Tempus hoc ante Judicationes, in quo cogere non oportet ægrotantes, ut cibum ſumant, Galenus exponit ante acceſſiones. Verùm reprehenditur à Triverio, & Montano, quòd Hippocratem nugatorium faciat, quippè qui ſuperiùs cibum in acceſſionibus non diſſimiliter inhibuerit; undè concludit Triverius, Judicationem hìc reverà intelligi Criſim, qua morbus in ſuo ſtatu judicantur. Hinc autem fit, ut per id tempus ſubtrahere adjectioni ille conſulat; & quidem ſive Criſes ſint univerſales, totique morbo finem imponant, ſive ſint particulares, & acceſſiones tantummodò ſingulatim removeant; ut dicitur 4. *Aphor.* 63. ne ſcilicèt Natura à ſuo munere diſtrahatur, & cauſa morbifica per Criſim expellenda, ciborum multitudine, retardetur, recrudeſcat, ac evicto morbo ſuppetias ferat.

Attamen adnotare decet, non dixiſſe Hippocratem nil cibi his dandum eſſe ante judicationes, præſertim univerſales, ſed ſubtrahendum adjectioni; ideſt demendum eſſe aliquid ex cibo anteà exhiberi ſolito; aliter ſi de integra ſubtractione, & inedia intelligeretur, maximum vitæ periculum ægrotantes ſubirent, eſſetque hoc Hippocratis documentum ad perniciem potiùs, quàm ad ſalutem indictum.

APHORISMUS XX.

Quæ judicantur, & judicata ſunt integrè, neque movere, neque novare aliquid, ſive medicamentis, ſive aliter irritando; ſed ſinere oportet.

QUoniam tribus præſidiorum generibus univerſa Medicina fulcitur, Diætetico, Pharmaceutico, & Chirurgico; Hippocrates poſtquàm de priori ſuperioribus Aphoriſmis fusè diſſeruit, pergit nunc canones quoſdam generales tradere, ſummopere conferentes ad uſum Chirurgicum, & Pharmaceuticum: atque primùm Medicos monet, nè quid eo tempore agant, quo Criſes perfectè accidunt, & Morbi omninò judicantur, ac deſinunt; unde nihil omninò tentare, aut aliqua ratione movere expedit, tùm medicamentis evacuationes promoventibus, tùm irritantibus, ac perturbantibus Criſis motum, ſed inchoatum opus, vel abſo-

lutum

lutum à Natura, Naturæ ipsi omninò committere.

Principiò inquit, *Quæ judicantur*: ideſt, quæ ſalubriter à Victrice Natura, convenienter morbificam cauſam expellente, peraguntur. Judicium enim, ſeu Criſis à Galeno *comm.* 13. 2. *lib. Aphor.* definitur ſubita in morbo, vel ad ſalutem, vel ad mortem, mutatio; ac fit Natura ſeparante à bonis mala, atque ad evacuationem diſponente. Subita quippè debet eſſe mutatio, nam mutationes in morbis ſenſim factę ſolutiones potiùs ab eodem Galeno appellantur: At verò Criſes accidunt, tota ſimul expulſa cauſa morbifica, vel ſaltem ad ignobiles corporis partes tranſlata. Cùm itaque ægritudines judicantur, vel etiam judicatæ, & finitæ ſunt, Medicus tamquam Naturæ miniſter aliud quid tentare, aut innovare non debet; etenim non minoris prudentiæ erit, tùm ceſſare, & ab omni opere quieſcere. cùm Natura ſatis perfectè ſuum opus explet, & morbum, morbique cauſam profligat, quàm ſubſidiarias eidem manus porrigere, quoties ope medica, atque externo auxilio indigere videtur. Quare Galenus comparat Medicum perito Nauclero, qui opportunis temporibus vela aptat, ac demittit: præpoſterus enim illorum uſus profectò naufragium pareret. Hinc patet, quàm longiſſimè à ratione, & recta Methodo medendi juxtà præſcriptum Hippocratis, & Galeni deflectant, qui, quo tempore Natura Criſim aggreditur, & labores ingentes ſubit in ipſo morbi vigore, ægrum importuna remediorum multitudine, ac varietate obruunt, & nè parùm ſolliciti, aut diligentes videantur, ipſam vexant, atque à proprio, ſalutarique munere diſtrahunt; nec ideò meminerunt, illam eſſe morborum medicatricem, neque indigere remediis, Medicique opera, niſi cùm impedita nequit opus abſolvere; quamobrem idem Galenus 9. *de plac. Hipp. & Plat. cap.* 8. ex mente ejuſdem Hippocratis hæc habet: *erudita Natura eſt, licèt rectè facere non didicerit*: & alibi: *Naturæ morborum Medici ſunt*. Eodem modo ſe habet & illud: *Natura ſufficiet prorsùs, &c.* Prudenter itaque conſulit Hippocrates, nihil penitùs movendum eſſe, ullo medicamentorum genere, quotieſcumque morbus integrè judicari videtur, ſed opus omne committendum Naturæ.

Nec ſolùm Hippocrates movendum inhibuit, verùm etiam nullatenùs innovandum; ut propterea velit, non modò abſtinere oportere ab his, quæ evacuandi, & quocumque modo alterandi, atque naturæ motum concitandi vim habent, ſed etiam à cujuſvis alterius generis medicamentis novam, atque ab inchoata differentem motionem inducentibus. Quare nec quæ promoveant, nec quæ turbent: nec quæ diſtrahant, aut impediant, adhibenda ſunt: ſed & nec ægrotantes ambienti frigido exponantur, ſi per ſudorem Criſis immineat; nec cibos conſtipantes aſſumant, ſi dejectiones futuræ conjiciantur; nec plurimis integumentis cooperiantur, ut æſtuent, ſi per vias urinæ ſperetur exitus cauſæ morboſæ; nec gelidam nimis potent aquam, ſi hæmorrhagia è naribus prænoſcatur; ideòque vitentur ea omnia, quæ ſalutarem Naturæ motum remorari, aut prævertere poſſunt; undè non abs re addidit Hippocrates: *ſed ſinere oportet*.

Integrè autem ægritudines judicari, ac deſinere debent, adeòque omninò cauſæ morbificæ depelli, ut opus univerſum ſoli Naturæ abſolvendum relin-

relinquatur. At secùs si imperfectæ motiones, evacuationesque contingerent; tunc enim, quia Natura quoquo modo deficit, auxiliis egebit, & ope medica, ut inchoatum opus perficiat, & compleat. Fiunt autem ejusmodi imperfectæ judicationes, seu crises, vel ob virium languorem, vel ob morbificæ Causæ repugnantiam, aut ob viarum, per quas motiones, evacuationesque tentantur, impedimenta; præter ea, quæ ex erroribus Medici, vel ægroti proficiscuntur. Unde prout hoc, vel illud noverit Naturæ impedimento esse, totis viribus per congruentia, & opportuna remedia prudens Medicus removere conetur.

Quoniam verò specialiùs Crises distrahi, aut impediri possunt usu medicamentorum, vel evacuantium, vel irritantium saltem, propterea dicitur in Aph. *sive medicamentis, sive aliter irritando*: atque hæc duo dumtaxat medicamentorum genera notantur. Excipiuntur autem, quæ Naturam non turbant, sed roborant, ut efficaciùs inchoatum opus perficiat. Sic in ipsa etiam Crisi ad reficiendas vires tutissimè exhibentur tinctura Alkermes, julapium vitale, omne genus Elixiris, aqua Cinnamomi, Ambra grisea, & his similia.

Verùm huic sententiæ obstare videtur sequens Aphorismus, quo admonet Hippocrates, eo ducere oportere vitiosos humores, *quò Natura vergit per loca conferentia*; Unde quis inferre posset, licere Medico congrua adhibere remedia, quæ crisim per loca conferentia adjuvent, ac promoveant. At nullam in Hippocrate contradictionem inveniet, quicumque consideraverit, hìc Crisim integram, perfectamque memorari, ut patet ex dictione illa *integrè*, quæ licèt in græco Codice exprimatur per ἀρτίως, quod plura solet significare, 2. tamen *de Humoribus t.* 13. unde transcriptus est hic Aphorismus, vice ἀρτίως scribitur ἀπαρτί, quod perfectè, & integrè sonat, ut notat etiam Galenus *in comm.* In sequenti autem Aphoris. agitur de Crisi imperfecta, qua non ex integro morbifica Causa depellitur, ut propterea opus medicum exquiratur. Quare Avicenna *prima* 4. in unum recolligens ambas has Hippocratis sententias dixit; *si Natura non movet, move tu motu ejus; at si ipsa movet, & actu movet, dimitte eam, & operationem ejus.*

Conditiones autem perfectè Crisis refert Galenus 1. *de diebus decret. cap.* 2. & *in comm. hujus aph.* easque ad sex revocat: primùm exigit, ut per evacuationem fiat potiùs, quàm per Abscessum, & per partes infernas meliùs, quàm per supernas: tùm ut noxius tantùm humor, isque omninò excernatur, minimè verò quivis alius: servetur deindè locorum necessitudo, ut per vasa consentientia, ac recto tramite, ejusmodi evacuatio fiat: post has, quæ facilè toleretur: & postremò, prævia coctione, atque in die decretorio. Cum his enim conditionibus Crisis contingens denotat, devictam fuisse causam morbificam, atque omninò extrà corpus eductam absque periculo Recidivæ, & sine ullo virium detrimento. Ex defectu primæ conditionis licèt abscessus inter Crises referantur, quia tamen vitiosus humor non evacuatur, nec extrà Corpus depellitur, facilè recrudescere potest, & denuò sanguinem, ac principalia viscera inquinare, ut accidit Critoni: sic pariter cùm fiunt per partes superas, inopinanter Cor, Pulmones, Cerebrum, & alia membra nobiliora infici possunt; unde ex Crisi per vomitum non

raro

raró accidit Cardialgia. Ex defectu secundæ conditionis perniciosæ sunt evacuationes diminutæ, vel immodicæ: etenim ob illas relabuntur ægrotantes; nam quæ relinquuntur in morbis post judicationem, redivas facere consueverunt 2. *Aph.* 12. ob has veró vitæ periculum imminet ex Virium languore. Cùm insuper alii humores, quàm vitiosi evacuantur, contingit planè ex una vires infirmari, & ex altera morbificam causam increscere, ac vehementiùs adoriri Naturam, quæ procul dubio ex inutili egestione languidior reddita tandem succumbet: atqui oportet post coctionem fieri discretionem, & postea evacuationem, ut bona sit Crisis 4. *Aphor.comm.*22. Ex defectu tertiæ conditionis damnantur evacuationes per eas partes habitæ, quæ cum affecto viscere non cōnsentiunt, per meatus sibi mutuò respondentes: sic in affectibus pectoris, vomitus, vel alvi profluvium, malum est. Ex defectu quartę conditionis pessimæ sunt Crises, vitale robur dissolventes, quippè ab his unà simul morbus desinit, & Vita; unde dicebat Hippocrates *in Coacis prænotionibus: aliquandò in optimis Crisibus ægri pereunt*; cùm scilicèt vires illas non sufferunt. Ex defectu quintę conditionis malæ sunt egestiones humorum inter morborum initia, nondùm concocta, nec secreta causa materiali eorumdem; quamobrem Galenus c. *comm.*22.4. *Aph.* inquit: *Quandò aliquis incipit Morbus, si quid excernitur, nihil tunc excernitur Naturæ ratione, sed sunt omnia symptomata earum, quæ præter Naturam sunt in corpore dispositionum: quo enim in tempore à causis morborum facientibus Natura gravatur, & adest cruditas humorum, tunc aliquid utiliter evacuari est impossibile: siquidem oportet coctionem præire, subsequi verò discretionem, & postea evacuationem, ut bona sit Crisis, sive Judicium.* Et *comm.*13. 2. *aphor. Fit autem judicatio, Natura separante à bonis mala, & ad excernendum præparante*. Ex defectu demùm sextæ conditionis suspectæ sunt Galeno Crises in diebus paribus contingentes; ut propterea miretur, cur citrà recidivam judicata fuerit Virgo Larissæa in sexta die, quandoquidem ex eodem 1. *de diebus decretor. c.*7. nullum signum futuræ recidivæ fortius est, quàm dùm Crisis fit in die non critico. Et Hippocrates 4. *aph. 36. Sudores*, docet, *febricitanti si incœperint, boni, tertia die, quinta, septima, octava, nona, undecima, decimaquarta, decimaseptima, vigesimaprima, vigesimaseptima, trigesimaprima, & trigesimaquarta. Hi enim sudores judicant morbos. Qui verò non ita fiunt, laborem significant, & morbi longitudinem, ac recidivam.*

Verùm adversùs hanc ultimam bonæ Crisis conditionem pugnare videntur plurima exempla ægrotantium, qui in libris Epidemiorum ab Hippocrate memorantur judicati aliis, quàm in diebus decretoriis; ut propterea Averroes 4. *collect.* 4. has easdem perfectæ Crisis conditiones referens, pro die critico habeat illum, in quo bona Crisis accidit, ex præcedente coctione, & succedente evacuatione conferente. Et Celsus *lib.3.c.*4. inhærens Asclepiadi hæc habet: *Id Asclepiades jure, ut vanum, repudiavit, neque in ullo die, quia par, imparve esset, his, vel majus, vel minus periculum esse dixit. Interdùm enim pejores dies pares fiunt, nonnunquam etiam in ipso morbo dierum ratio mutatur, fitque gravior, qui remissior esse consueverat,*

atque

atque ipse quartusdecimus par est, in quo esse magnam vim antiqui fatebantur, qui cùm octavum primi naturam habere contenderent, ut ab eo secundus septenarius numerus inciperet, ipsi sibi repugnabant, non octavum, neque decimum, neque duodecimum diem sumendum quasi potentiorem; plus enim tribuebant nono, & undecimo: quod cùm fecissent sine ulla probabili ratione, ab undecimo non ad tertiumdecimum, sed ad quartumdecimum transibant. Est etiam apud Hippocratem, ei, quem septimus dies liberaturus sit, quartum esse gravissimum, ita, illo quoque Authore, in die pari, & gravior febris esse potest, & certa futuri nota; atque idem alio loco quartum quemquè diem, ut in utrumque efficacissimum apprehendit, idest, quartum, septimum, undecimum, quartumdecimum, decimumseptimum, in quo & ab impari ad paris rationem transit, & nè hoc quidem propositum conservavit, cùm à septimo die undecimus, non quartus, sed quintus sit: adeò apparet, quacumque ratione ad numerum respexerimus, nihil rationis sub illo quidem Authore reperiri. Hactenus Celsus.

Hæc igitur cùm ita se habeant, facilè prudens Medicus coniicere poterit, quandonam operantem Naturam sinere debeat, & contra quando ejusdem diminutos motus adjuvare, vel excedentes cohibere oporteat. Et quidem in perfecta Crisi nil aliud tentandum præter id, quod Viribus instaurandis inservit; In Crisi verò imperfecta, cùm scilicèt Natura inchoatam evacuationem absolvere nequit, Medicus illius adjutor sit, & inchoatum motum perficiat, Viribus intereà refectis. Symptomaticæ demùm egestiones non impediendæ, si ferantur, & causam morbificam qua ratione diminuant, at si Vires infirment, & ad morbum, morbique causam nihilum conferant, cohibendæ sunt. Porrò in omnibus peculiaris ratio de Ægrotantis virtute habenda semper est.

APHORISMUS XXI.

Quæ ducere oportet, quò maximè Natura vergit per loca conferentia, eò ducere convenit.

Sicuti quæ judicantur, & judicata sunt integrè, neque movere, neque novare oportet, sed sinere; ita cùm imperfectè moventur, aut mota sunt, toto conatu adjuvare expediet, ut propterea hic Aphorismus sit veluti appendix antecedentis. Cùmque imperfectè judicata à Natura, sint Arte perficienda, ut omninò causa morbi depellatur, & morbus ipse planè desinat, docet nunc Hippocrates per eadem loca, quæ Natura ipsa indicaverit, esse promovendam totius causæ morbificæ evacuationem. Hinc tria potissimùm videntur hoc Aphorismo comprehensa: primùm oportere Medicum Arte perficere, quod Natura explere non potuit: tùm ut per loca conferentia, & quæ Natura ipsa in Crisi jam inchoata indigitaverit: deindè ut ex variis fortasse illius motionibus, ea speciatim seligatur, ad quam maximè vergere videtur, & humor ipse deponendus promptior, paratior, magisque dispositus est.

Quænam sint ista, quę ducere oportet, explicat Galenus *in comm.* quæ v3. neque judicantur, neque sunt integrè judicata, nempè causæ materiales ægritudinum, quoniam Crises non accidunt, nisi morbis pendentibus è materia, sive humoribus, qui degenerarunt: & nisi sensibili evacuatione hi tollantur, illi non desinunt:

modò si imperfectè contingant ejusmodi vitiosos humores morborum causas repurgari ope Naturæ, beneficio Artis oportebit diminutam eorumdem evacuationem absolvere, ut Æger in pristinum salutis statum reducatur, & non recidat.

At quoniam, quæ educenda sunt, per quas vias educi debeant, sæpissimè ignoramus, admonet Hippocrates, ut per ea loca promoveatur evacuatio, per quæ Natura illam inchoaverat; proindè subdit: *Quò Natura maximè vergit*. Naturæ verò nomine intelligitur hìc ab Hippocrate vis illa, internusque motus tàm partium fluidarum, quàm solidarum rectam Corporis œconomiam constituentium, unde fermentationibus, dissolutionibus, secretionibusque, coctiones, nutricationes, mutationes, atque salubrium ab insalubribus humoribus repurgationes absolvuntur, indeque Cordis, & Arteriarum motus, ac totius Animalis Vita persistit. Hunc ergo partium omnium mutuò cohærentium, atque in unum consentientium complexum, & structuram, meditatus aliquandò idem Hippocrates, dixit, esse in homine, ejusque partibus consensum unum, conspirationem unam, per quam sibi vicissim auxiliantur, diversis fermentorum proprietatibus, atque excedentium humorum propensionibus, viscerum secerniculis, mutuisque succorum actionibus, ac fermentationibus, ut exindè huc, aut illuc ferantur subacta, inversa, & mutata quæcumque morbosam fortasse corporis constitutionem reddiderant, pro varia partium affectarum habitudine, & vitiosorum succorum inclinatione; Unde observamus tenues, acres, sulphureos, seu biliosos appellatos humores, sponte sua stomachum, & partes supernas petere; crassos verò, seu phlegmaticos, potiùs alvum, & intestina, ex 4. *Aph.* 4. & 6. quamobrem eodem 4. *Aph.* 2. utile dicitur talia in medicationibus è corpore educere, qualia spontè prodeunt, putà humores vitiosi, cùm ultrò per Corporis emissaria defluunt. Hinc non semel etiam expertum in Cadaveribus, humores sponte sua per os, nares, vel per alvum prodiisse, nulla intereà vi illos intrinsecùs adigente.

Cùm aliquandò Sudores, Vomitus, & Dejectiones, aliæque evacuationes unà simul promoveantur, illa potissimùm ex ipsis adjuvanda, quæ convenientior, facilior, & securior visa fuerit. Si verò loca, per quæ humorum expulsiones inchoantur, idonea non sint, præsertim si gravia symptomata socientur, ut cùm per vomitum vitiosi humores educuntur, qui Cardialgiam, Singultum, aut Lipothymiam afferunt; vel cùm à cerebro deponuntur in aures, cum periculo surditatis; vel cùm per vias urinæ, dolorem, ardorem, ulcerationemve inducunt, eas sagax Medicus avertere, atque in alios ductus deducere poterit, præcavendo intereà mala subindè imminentia. Sic sudores diaphoreticos dictos, & frigidos, passim comprimere conamur, & sistere hæmorrhagias narium, ac hæmorrhoidum, si modum illæ non servent. Cùm igitur Natura per poros cutis morbi causam expellere nititur, apparentque signa sudoris imminentis, omni conatu studebit Medicus illum promovere; si verò alterius evacuationis signa præluceant, in illam, prout occasio feret, specialiùs incumbet, perpensis intereà propriis, peculiaribusque ægrotantium corporum constitutionibus, dispositionibus humorum, partium affectarum, & ductuum earumdem conditionibus, aliisque, quæ sanè plurima esse possunt,

possunt, cùm non omnibus æquè contingat pari evacuationis genere ab iisdem ægritudinibus vindicari. Hinc perperam agunt, qui morbos omnes, omnemque noxium humorem, per alvum dumtaxat conantur educere; putantes se hac sola ratione omnem medelam cunctis ægrotis afferre posse.

Loca insuper congruentia, per quæ noxii humores ducendi sint, recenset Galenus *in comm.* scilicèt illa sunt Os, nares, aures, ventriculus, intestina, uterus, vesica, & cutis universa, unde fit perspiratio, & sudor: itemque meatus omnes corporis insensibiles, quos idem Galenus *comm.* 54.7. *lib. aphor.* Naturam, ad depellendos vitiosos humores, sibi parare, & invenire dixit. Excipiuntur autem loca affecta, seu partes læsæ corporis, per quas nullo modo educere convenit, nè humores ad illas magis confluant, ex Galeno *f.2.in 6. epidem.29.* Hinc in Dysenteria per alvum evacuare, & per vias urinæ in Nephritide, & Diabete, nulla ratione expedit.

Ut autem convenientia illa existimentur, sex videntur exigere conditiones. Primò, ut sint illæsa, ex 13. *meth. cap.* 11. ubi inflammatis intestinis, vel aliter affectis, Galenus precipit per alvum non esse evacuandum, sed per ductus urinæ; & læsis Renibus, non per urinam, sed per alvum purgandum esse: quod pariter confirmat 2.*epidem. comm.* 7. & ante ipsum edocuit Hippocrates *6.epidem.* 2.29. inquiens: *Revellere oportet, si non qua oportet, repunt; si verò quà oportet, his oscula aperire oportet, qualiter singula repunt.* Secundò, ut nullum incommodum, ex evacuatione promovenda, loca ipsa patiantur, quemadmodùm rectè monet *in comm. huius aphor.* Galenus. Advertit tamen idem Auctor 1. *ad Glauc. c. de Quartana*, cùm per vomitum omninò ducendus humor est, nè ab illius acritudine, ac pravitate stomachus offendatur, cibum, vel jusculum pingue, aut aliud quid, quod retundere queat mordentis humoris acritatem, præsumere oportere. Quamobrem in urinæ vitiis exhibere solemus diuretica, illius acritudinem unà simul temperantia. Tertiò, ut nedùm damna partium affectarum, sed etiam cohærentium, & consentientium evitentur, nè scilicèt à promota per has egestione illæ quodammodò coafficiantur, & doleant. Hinc vomitus prohibetur in affectibus oculorum, & cerebri, quia hæ partes plurimùm compatiuntur à vomitu. Sic pariter affecto utero, alvus proritanda non est, nè ab intestinorum irritatione ille concutiatur, & furat. Quartò, loca, per quæ ducere expedit, proxima sint visceribus, unde humores sunt deducendi: hac enim ratione citò, tutò, & jucundè assumpta medicamenta conferent, quod summum est in Medicina facienda, documento Asclepiadis summoperè à Galeno hac de re commendati; unde idem Galenus 7.*meth. cap. ult.* affecta parte cava Hepatis, educit per alvum; laborante verò gibba, per renes. Hippocrates etiam 2. *epidem. f.*2.27. urinæ profluvio Lienis tumorem in Bione curatum refert, propter consensum Renum cum Liene per arterias splenicas, & emulgentes dictas. Quintò, ut tramite, quo fieri potest, compendiosiori, humores egerantur: nimirùm, citiùs vomitu, quàm dejectione ventriculus inanitur, & pectus faciliùs per tussim, quàm per urinam. Sextò demùm, ut loca, per quæ promovenda est evacuatio, communicent cum partibus affectis, & consueta emissaria illa sint, unde aliàs corpus fuerit repurgatum. Sive autem ductus isti paten- Ex Gal. 13.meth. cap. 11.

tes

tes sint, & Anatome cogniti, sive prorsus ignoti, & inconspicui, parum referet, modò in similibus contulerint: dicitur enim 4. *aphor.* 28. *Quibus biliosæ sunt dejectiones, hæ, superveniente surditate, cessant; & quibus surditas adest, supervenientibus biliosis dejectionibus, cessat.* Et 7. *apbor.* 54. *Quibus inter ventriculum, & Septum transversum pituita reposita est, & dolorem affert, non habens viam ad alterutrum ventrem, iis per venas in vesicam pituita versa, solvitur morbus.* Et *lib. de humoribus* refertur hæmorrhoidas pleuriticis prodesse; atque aliis alia: cùm tamen consensus per vasa nullus in his pateat.

Sed & non raro conferre solent evacuationes promotæ per speciales quosdam ductus, & magis uni, quàm alteri, ex habitu, & peculiari corporis constitutione, itemque à varia anni tempestate, & humorum copia. De habitu corporis scribit Hippocrates 4. *aph.* 6. & 7. Graciles per vomitum facilè purgari, Carnosos verò, & Pingues potiùs per alvum. Sunt insuper, qui ex peculiari habitudine respuunt cujusvis generis cathartica, atque ab illis perquam malè se habent: alii ægrè nimis ferunt clysteria, ut etiam aliquandò in animi deliquia incidant: Nonnulli certa quædam remediorum genera, quibus humores in particulares meatus feruntur, abhorrent; aliis verò suaviùs delectantur. Quare in his oportebit ea dumtaxat præscribere medicamenta, quę experimentis conferentiora probata sunt; quinimmò per eas solùm vias præstabit evacuare, unde nullum incommodum sit probabiliùs consequuturum, perquisita priùs propria cujusvis patientis constitutione, cui magis ferendo sit, & per quos ductus. Quòd ad anni tempora, inquit idem Hippocrates 4. *aph.* 4. Æstate per superiora, Hyeme verò per inferiora potiùs esse evacuandum. In humorum denique copia, & multitudine, potiùs dejectiora, quàm vomitoria commendantur, & hæc magis, quàm diuretica, vel sudorifica.

Quoniam verò anteà dictum est, oportere aliquandò Medicum aliò commotos humores divertere, monendi propterea illi sunt, qui indiscriminatim in morbis, Naturæ motum prosequi adnituntur: nimirùm quia aberrat non rarò illa, & vergit, quò ducere salutare non est. *Oportet itaque*, ex Galeno, *Medicum Naturæ motum animadvertere, & si quidem idoneus fuerit, ei convenit adminiculari, & cooperari, si verò contrarius, & noxius, hunc prohibere, transferre, atque divertere oportet.* Atqui idoneus, & utilis tùm maximè existimabitur, cùm citrà virium dispendium, & viscerum incommodum evenit, ac morbum vel tollit, vel magna ex parte diminuit.

APHORISMUS XXII.

Concocta medicari, atque movere, non cruda, neque in principiis, modò non turgeant: plurimùm verò non turgent.

QUamvis in quibusdam exemplaribus Aphorismus hic scriptus non sit, ut notat *in commentario* Galenus, ipso tamen auctore, negari non potest, quòd Hippocratis non sit, quippè qui passim notatus inveniatur *in libro de humoribus*. Et *lib.* 4. *de san. tuend. cap.* 5. nedùm Hippocratis esse, idem subdit, verùm etiam totius Medicinæ oraculum: id quod speciatim præmonendum duxi ad redarguendos eos, qui vim istius præcepti effugere tentarunt.

Proponitur autem in illo opportuna occasio purgandi, & tempus aptum egestioni vitiosorum humorum, ut tuta, & conveniens morbificæ Causæ propulsio succedat, absque ulla innoxii humoris evacuatione; equidem non semper humores nocui evacuante medicamento utiliter educuntur, cùm primùm concoqui, deindè secerni, ac postremò debeant evacuari. At verò de purgatione ope medica promovenda hìc agitur; etenim cùm anteà sermo fuerit institutus de evacuatione sponte Naturæ inducta, sed imperfectè, quæque à Medico foret adjuvanda per loca conferentia, quò scilicèt humores ipsi vergerent, propterea hoc Aphorismo ea solùm obiicitur examinanda, quæ omninò Medici ministerio peragitur. Nè autem quis putaret quocumque morbi tempore licere Medico morbos purgante medicamento aggredi, præcipit Hippocrates, nonnisi concocta convenire medicari, non autem cruda, nec in principiis, modò non turgeant. Quare generalem regulam purgante dumtaxat medicamento utendi, cùm concoctio humorum præcesserit, excipit solùm in crudis turgentibus, quos tamen & raro turgere dicit.

Arabes, aliique Barbari, coctionem, in hominibus potissimùm, contemplantur duplicem, pro duplici eorumdem statu. Primam fieri ajunt, mutatione alimenti in alibiles humores, atque in corporis nutricatum, ut cum ex cibo chylus, & ex chylo sanguis conficitur, ut is in aliti substantiam transeat. Alteram, mutatione noxiorum humorum, non tamen ut nutriant, sed ut subacti, ac domiti, immò etiam à salubribus secreti, faciliùs possint per consueta emissaria expurgari: quò spectat effatum illud Medicorum ex Galeno anteà memoratum: *oportere primùm præire coctionem, subsequi verò discretionem, & posteà evacuationem*. Et sanè hęc, quæ in nocentibus, & inutilibus humoribus sæpissimè observatur, haudquaquam à Calore, qui universalis opifex Coctionum statuitur, perfici potest, quippè qui in statu corporis morboso evadit excedens, vel deficiens, adeòque ineptus coctioni noxiorum humorum peragendæ, quæ tamen potentior plerumque est potissimùm in febribus, in quibus non rarò sponte sua morbosi humores concoquuntur, atque ab utilibus secreti per convenientia emissaria sensim repurgantur. Subolevit fortasse hoc Vallesio, qui propterea *super quartum Meteor. Aristotelis* arbitratus est, coctiones perfici potiùs intrinseco calore, ac vi propria mistorum, vel succorum, quàm alieno, nempè ventriculi, aut alterius visceris: quod pariter existimarunt Horatius Augenius 2. *epistol. lib.* 10. *cap.* 1. & Argenterius 3. *Artis Med. comm.* 38. eo præsertim argumento ducti, quòd fructus ex arboribus decerpti, sponte sua concoquantur, ac maturentur, itemque interna vi Mustum in perfectum, generosumque vinum commutetur. Atque hinc jure optimo melioris notæ Philosophi, quam coctionem veteres appellarunt, maluerunt dissolutionem ex fermentatione nuncupare, voce planè congruentiori; quin & Galenus ipse coctionem cum secretione sæpè confundere non est veritus, & alteram sine altera inveniri minimè posse testatus est 3. *de naturalibus facult.* & *alibi*.

Hanc ergo coctionem ad opportunam purgantis medicamenti exhibitionem exquirit in hoc Aphorismo Hippocrates, ut exindè inutilium, & noxiorum dumtaxat humorum sequatur

quatur evacuatio, quique utiles sunt, & salutares corpori, in suis vasis consistant ad vitæ sustentationem. Illi propterea promovendæ sedulò vacandum, nec unquam aggredi licere Morbos purgantibus medicamentis, nisi priùs humores evacuandi dispositi, & ad exitum parati fuerint, pluries animadvertit idem Auctor, sed præsertim 2. *aphor.* 9. inquiens: *Corpora cùm quispiam purgare voluerit, oportet fluida facere*: quem textum exponens Galenus, ait: *Erit autem fluidum corpus, omnibus meatibus quidem reseratis, humoribus verò incisis, abstersis, atque extenuatis, si quis fuerit humor in corpore crassus, ac glutinosus*. Hinc duo videtur in universum exigere ad coctionem, promptamque humorum purgationem, viarum scilicèt laxitatem, & humorum extenuationem. Idipsum etiam edocet *lib. quos, quibus, & quandò purgare oportet*, inquiens: *oportet autem priusquam purgans exhibeamus medicamentum, crassos humores attenuare, tenacesque dissecare, & meatus recludere*. At alii plura in humoribus considerantes, plura quoque in præparationibus, coctionibusque desiderant, pro varia eorumdem conditione. Et quidem humores crassos esse attenuandos, tenaces incidendos, calidos refrigerandos, frigidos calefaciendos, & pari ratione alios ad naturalem constitutionem reducendos esse affirmant. Sed tamen de tenuibus humoribus controvertunt, quo pacto præparandi, atque ad coctionem disponendi sint. Et Avicenna *fen.* 1. 4. *tract.* 1. *cap.* 7. illos, eadem lege, vult crassiores efficiendos, documento Galeni *lib. de constit. Artis c.* 19. qui jubet crassum, & lentum humorem esse attenuandum, tenuem verò densandum. At contrarius est Averroes, qui acriter Avicennam reprehendit, asserentem tenuia concoqui, cùm crassescunt: & ratio videtur, quoniam quo tenuior humor est, eò faciliùs purgante medicamento educitur: quippè propria tenuitate facilè quosque ductus subire, & pervadere potest, unde suapte natura purgabitur; atque hinc Galenus ipse *lib.* 14. *meth. cap.* 17. flavæ bilis evacuationem facilem esse scripsit, pituitæ verò, & melancholiæ difficilem; quod pariter confirmans *lib. quos, quibus, & quandò purgare conveniat*, subdit: *inter initia morbi tenues, & aquosos humores evacuabis: ubi crassi, & tenaces fuerint, quales suapte natura sunt pituita, & nigra bilis, concoctionem expectabis*. Unde tenues, & aquosos humores ad catharsim præparatione, coctioneque non egere, manifestè videtur insinuare; Experimenta nihilominùs contraria suadent.

Ex his itaque deducere fas est, aliam hìc intelligi ab Hippocrate coctionem, quam ut vulgò solent interpretari, per mutuam qualitatum attemperationem, & quemadmodùm ex Galeno 3. *de natural. facult. cap.* 7. definiendam putant: Alterationem in propriam ejus, quod nutritur, qualitatem. Ibi enim coctionem naturalem in statu salutis, per quam alimentum in nutricationem vertitur, sibi tantummodò examinandam proposuit; non verò quæ in statu morbóso in humores evacuandos peragitur: de ea equidem specialius agens 1. *epidem. comm.* 2. *t.* 44. & 2. *de rat. vict. in acut. comm.* 44. inquit, Concoctionem haberi, Natura morbosas Causas evincente, atque ad expulsionem disponente; cumque id calorificis, & dissolventibus tantummodò perfici possit, jure optimo proindè Alexander Trallianus *lib.* 1. *c.* 10. etiam bilio- V. etiam lib. de differ. sympt.

V. Gal. 5. de simpl. med. fac. c. 5. & 1. epidem. s. 2. const. 3. comm. 41. Aristot. 4. meteor. 2. &c.

sum humorem per mediocriter calefacientia, non verò per frigorifica concoquendum esse docet: quod & Galenus ipse *lib. 2. de compos. medic. per loca cap.* 11. admonet; etenim coctio à calorificis tantùm, sed temperatis, non autem à frigorificis perficitur. Et licèt ab his quoque aliquandò emolumentum consequatur in affectibus biliosis dictis, ea tamen non conferunt, quòd coctionem promoveant, sed quia fervorem, ac sitim sedant, symptomata planè ægris molestissima; unde postmodum Natura meliùs possit morbosam Causam concoquere, & superare: quemadmodùm notavit etiam Actuarius *lib. de compos. medicam.* agens *de usu syruporum infrigidantium in febribus*.

Concoctio igitur ab Hippocrate hìc memorata erit solùm dissolutio, ac Secretio inutilium humorum ab utilibus, & præsertim à sanguine, eo prorsùs modo, quo in Musto, cùm in vinum perfectum prævia fermentatione transit, experimur: sepositis etenim partibus inutilibus, & fæculentis, veluti Naturæ dissentaneis, Causa Morbi evicta dicitur, & concocta. Jubet autem Hippocrates concocta esse medicanda, non cruda, quoniam si antè ejusmodi dissolutionem, secretionemque, purgatio institueretur, tùm boni, tùm mali humores à Cathartico indiscriminatim educerentur, vel boni solùm, magisque fluentes, magna cum virium jactura; Quod idem Hippocrates 4. *de rat. vict.* 44. nedùm expresséinsinuat, sed etiam rationem addens, subdit: *nempè si ventrem moveris, urina non maturabitur, febrisque citrà tùm sudorem, tùm judicationem in longum tempus protrahetur*. Cui Galenus inhærens *in comm.* in eamdem planè sententiam concedit. Ut igitur evacuatio accidat talis, qualis exigitur, quæ nimirùm conferat, & toleretur, expectanda erit concoctio, ideſt dissolutio, & secretio morbosorum humorum à salutaribus, ut his relictis, illi solummodò educantur, & æger absque ulla virium noxa in pristinum sanitatis statum citissimè redeat.

Advertit autem Galenus in *hoc comm.* & *comm. 37. 2. lib. Aphor. non cujuscumque medicamenti assumptionem solere Hippocratem medicationem nominare, sed tali vocabulo in sola uti purgatione*. Atqui ille humor à purganti pharmaco commodè potest educi, qui concoctus, atque ab aliis secretus fuerit, non autem crudus, & cum utilibus, ac salubribus commistus. At cur addidit, *atque movere non cruda*? Satis enim esse videbatur affirmando dixisse, *concocta medicari*. Ut quid igitur opus fuit negantem adiicere dictionem? Ansam proindè præbuit expositoribus dubitandi quid per *movere*, quidque per *non cruda*, is intelligere voluerit.

Sanctorius existimat dictiones has superfluas esse in Aphorismo latinè reddito; fuisse autem opportunè adjectas in græco Codice ad tollendam ambiguitatem, & æquivocationem, quæ continebatur in verbo Πέπονα, quod potest significare *cocta*, & *matura*; ideòque vult ita legendum esse Aphorismum: *Matura medicari*, & *movere*, deleta dictione, *non cruda*, tanquam superflua. Montanus *non cruda* putat esse nomen indefinitum, comprehendens quidquid crudum non est; unde opinatur, voluisse Hippocratem movenda esse non cruda, ideſt omnia præter ea, quæ cruda sunt. Arbitrantur alii idem prorsùs significare, *movere non cruda*, ac *medicari concocta*: fuisse autem bis idem ab Hippocrate repetitum sub diver-

diversa phrasi, veluti effatum, ac documentum magni in Medicina momenti. Aliis cum Zecchio sic legere placuit: *concocta medicari, atque non movere cruda expedit*: cruda autem interpretantur quæcumque concoctione transmutari possunt in substantiam alibilem, ut fertur esse pituita in venis contineri credita. Sed & visum est Marsilio Cagnato universam hanc sententiam invertere, ut sensus fiat, minimè convenire concocta medicari, atque movere, sed cruda solùm, quia concocta, uti evicta à Natura, sponte sua difflantur, & egeruntur, sine ulla Medici opera. Sunt qui verbum *movere* exponunt pro *minuere*, seu uti medicamentis blandè subducentibus, & lenientibus dictis, adeòque Aphorismum interpretantur: medicanda, seu purganda esse medicamentis eradicantibus, quæ concocta sunt, movenda verò, seu diminuenda, quæ adhuc cruda persistunt. Neque desunt, qui pro non crudis intelligunt *semicocta*, ut propterea sententiam aphoristicam explicent de purgandis perfectè concoctis, movendis verò, seu diminuendis crudis, seu semicoctis; Quin & Fuchsius de crassis, & frigidis humoribus dumtaxat interpretatur. Nonnulli apud Argenterium non crudos intelligendos existimant humores infrà sanguinem, qui nimirùm per ulteriorem coctionem in sanguinem ipsum commutari possunt; sub verbo autem *movere* comprehendi ajunt quodcumque genus medicamenti motum in corpore efficientis, etiam perfrictiones, & cucurbitulas. Denique alii *movere* exponunt, sanguinem mittere, ut proindè sicuti concocta purgante medicamento educenda sunt, ita cruda moveri possint sanguinis detractione per venæ sectionem.

Sed tam variæ, ac multæ sunt hujus Aphorismi expositiones, ut mirum sit, quàm mentem Hippocratis in alienos, differentesque sensus extorqueant anxii isti Commentatores; cùm tamen facillimè pateat, voluisse illum concocta, id est ab utilibus humoribus secreta, catharticis medicamentis licere dumtaxat evacuari, minimè verò cruda, nondùm dissoluta, nec sejuncta, sed simul cum salutaribus commista, ut propterea Aphorismus legendus sit: Concocta medicari, atque movere convenit, non autem cruda: Quæ expositio nedùm genuina Hippocratis est, ut deducitur ex 4. *de rat. victus* 44. verùm etiam expressissima Galeni 4. *de sanit. tuēd. cap.* 5. *Quando corpora* (is inquit) *abundant crudis humoribus, his nec sanguis mittendus, nec alvi dejectio, aut exercitatio, aut omninò motus, aut balneum adhibendum, quippè incisa vena bonum sanguinem emittit, malum, qui in primis maximè venis circà Jecur, & quod Mesenterium vocant, colligitur, in totum attrahit corpus; dejectio verò in talibus, tormina, & erosiones creat, animique deliquia, cum eo, quod nec notatu quidpiam dignum educit, quandò crudi omnes succi pigri, atque ad motum inepti propter crassitudinem, frigiditatemque sunt; quò fit, ut etiam omnes angustas vias obstruant, per quas id, quod medicamentum deiicit, ferri ad alvum debeat, atque ita nec ipsi educantur, & aliis sint impedimento: id quod sanè Hippocrates illo oraculo præcavit; quo brevissimè præcipit, concocta medicamento tentanda esse, non cruda. Eadem de causa nec exercitare, nec omninò movere, sed nec lavare expedit eos, qui in primis venis crudorum copiam habent, siquidem omnes id genus motus succos illos in totum cor-*

pus agunt. Servandi igitur hi ſunt in omni quiete, dandaque ipſis cibus, potio, medicamentaque ſunt, ſingula ejus generis, quæ attenuent, diſsecent, & conficiant ſuccorum craſſitudinem, idque citrà manifeſtum calorem. Et *lib. quos, quibus, & quando purgare convenit: Qui humores jam aliqua in parte corporis conſederint, neque ullo alio auxilio, neque purganti medicamento priùs movendi ſunt, quàm concocti fuerint; tunc enim & Naturam evacuationi adjutricem habebimus*: quod etiam repetit *in hujus Aphoriſmi commentario.* Ex his itaque manifeſtè colligitur quid pro *movere* intelligendum ſit: Quippè non ſolùm voluit Hippocrates purgandum non eſſe cruda, ſed nec aliud omninò medicamentum quomodolibet movens, aut agitans corpus, & humores, exhibendum; idcircò dixit, concoctione perſiſtente, & *medicari*, ideſt purgare, & *movere*, hoc eſt balneis, ſudorificis, exercitiis, aliiſque ſimilibus uti poſſe; in crudis verò humoribus nil horum movendum, aut tentandum: κινέειν namque verbum, ut acutè obſervat Fuchſius, generatim omnia jam dicta auxilia excludit, quippè ſingula aliqua ratione corpus commovent. Atque hinc perperam nonnulli exponunt verbum *movere* referendum eſſe ad non cruda, adeòque intelligendum de medicamento, non quidem (ut ipſi dicunt) *eradicante* ſub verbo *medicari* deſignato, ſed de *minuente*; tùm quia notaretur Hippocrates manifeſta Tautologia; nam medicari concocta, & movere non cruda, in idem fermè recidunt; tùm etiam quia Gal. 2. *de humor. comm.* 21. verbum *movere* interpretatur evacuare per ſudores, urinas, & ſimilia, non verò per purgantia diminuere. Et *comm.* 29. 2. *Aphor.* venæ ſectionem expoſuit, &, *nonnumquàm* ſolùm, purgationem. Accedit, non benè inter ſe convenire ſententias *hoc*, & *Aphoriſmo* 29. 2. prolatas, ſi *movere* pro diminuere, ſeu leviter purgare intelligatur: quod enim hìc in morborum principiis penitùs inhibetur, ibi ſuadetur, & commendatur.

V. Fuch. annot. in com. Gal. 29. 2. lib. Aphor.

At quoniam ferè communiter in praxi exiſtimant, Hippocratem damnaſſe ſolùm purgantia medicamenta inter morborum initia, quæ ſuo tempore vehementiora erant, ut Colòcynthis, Scammonium, Helleborus, quibus reipſa uti non licet, niſi poſtquam concocti fuerint humores; neutiquam verò leviora, Caſiam, Roſam, Manna, Rhabarbarum, ſi fortè illa noviſſet: operæ pretium propterea exiſtimavi breviter hìc etiam examinare, an tutò liceat crudos humores ejuſmodi medicamentorum purgantium generibus aggredi, & evacuare, eoſque ſpeciatim, qui cum ſanguine commiſti indebitam fermentationem excitant, ac per eam coctioni, ſecretionique ſubiiciuntur, ut plerumque in febribus evenit, quippè illos, qui alicubi reſtagnant, & à ſanguine ſunt ſejuncti, neque coctionem, ſecretionemque admittere poſſunt, ut Aqua in Hydropicis, acre Serum in Arthriticis, retentæ fæces in Colicis, procul dubio omni tempore educere expedit, & quocumque medicamenti genere.

Et quidem juxtà Hippocratis, & Galeni documenta non convenire dicendum. Ille enim concocta ſolùm medicari, ſeu purgare oportere hoc loco docet, cruda verò minimè: Modò hæc purgarentur uſu horum catharticorum lenientium, quæ nedùm leviter ſolent evacuare, ſed etiam non raro hypercatharſim inducere, cùm præſertim doſi majori exhibentur; Quare ſi inter initia morborum prohi-

prohibentur Diuretica, Sudorifica, & alio quocumque modo moventia medicamenta, longè magis inhibita cenſenda erunt minuentia iſta cathartica. Præterea 4. *de rat. vict. in acut.* 43. & 44. in principiis morborum, & materiæ morbificæ cruditate, licere dumtaxat uti clyſtere, & non pharmaco docet; *nam ſi ventrem moveris, urina non maturabitur, febriſque citrà tum ſudorem, tum judicationem in longum tempus protrahetur*. Ubi Galenus ſubdit: non quidem pharmaco, quia impediretur concoctio; igitur de leviori cathartico id pronunciatum fateri oportet, eo quòd integrè, & omninò morboſam cauſam non educat: Si enim de evellente, & penitùs expurgante cathartico ſolummodò meminiſſet, concoctio haud per ipſum videretur poſſe impediri, cùm ſubindè totus humor vitioſus ejus ope expulſum iri ſperaretur, ut rectè etiam notat Sanctorius hoc loco.

Galenus inſuper 2. *aphor. comm.* 9. commendans Hippocratis documentum de præparandis corporibus ad humorum evacuationem, hæc habet: *ſi quis extenuet, atque incidat craſſos, & tenaces humores, qui in corpore ſunt, & meatus aperiat, per quos iſti tranſmittuntur, atque trahuntur* (ſit venia verbo) *à medicamentis, quæ vim purgatoriam habent, tunc purgatio in omnibus rectè procedit: qui verò iſtud neglexerint, & vomitus, atque alvi ſubductionem procuraverint, in difficiles veniunt purgationes, non ſine torminibus aliquando, & quadam vertigine, faſtidio multo, & malo pulſu, imbecillitate, & difficultate.* Quoniam ex eodem 2. *de humorib. comm.* 14. quæ ſunt incocta, ſunt ſtabilia, & infixa, itaut maxima cum difficultate educi poſſint; quocirca ob medicamenti violentiam colliquationes exoriuntur, mali pulſus, vertigines, febres, & alia graviora ſymptomata. Ampliùs 4. *aph. comm.* 22. docet: *quo tempore à Cauſis morbum facientibus Natura gravatur, & adeſt cruditas humorum, tunc aliquid utiliter evacuari eſt impoſſibile.* Ubi ſpeciatim notanda ſunt verba illa, *Natura gravatur*, ideſt à multitudine, & *adeſt cruditas humorum*, ſcilicet in principio, *tunc aliquid evacuari*, hoc eſt leviter, ſive diminute purgari, *eſt impoſſibile*. Et 4. *de rat. vict. in acut.* 44. *Sicut quies juvat coctionem, ita quælibet commotio coctionem impedit: pharmaca autem maximam faciunt agitationem; unde & coctionibus adverſantur, & vires quammaximè atterunt.* Et *comm.* 2. *prorrh.* 58. *Alvus in quovis morbo profluens, ſine ſignis coctionis, nihil juvat, & ſi implacidiùs adhuc promoveatur, præter id, quod nihil juvat, noxam etiam affert.* Si igitur non prodeſt, etiamſi ſpontè profluat, cur eſt, quod juverit ab agitante medicamento? Denique *comm.* 24. *hujus libri* fuſa oratione proſequitur, quàm cautos eſſe oporteat medicos in exhibendis purgantibus medicamentis, ut proindè Hippocratem rectè adjeciſſe animadvertat, multa cum cautione, & præmeditatione licere iiſdem uti inter ægritudinum initia, & quàm ſe circumſpectum manifeſtet in ejuſmodi purgationibus peragendis: *Neque enim*, ait, *periculum minimum in morbo acuto eſt malè uti purgante medicamento. Quare majorem oportet ex noxiorum humorum evacuatione fieri utilitatem, quàm* (*id quod neceſſariò conſequitur*) *ex purgantibus medicamentis detrimentum. Eſt autem major utilitas, ſi abſque moleſtia omnis inſe-*

fe-

festans, ac molestans humor sit evacuatus; ut verò hoc fiat, primò oportet considerare, nunquid æger idoneè se habeat ad hujusmodi purgationem; nam quicumque multa cruditate laborant, vel qui tenaces, & crassos cibos assumpserunt, sicuti etiam quibus hypochondria distenta, atque inflata sunt, aut supra modum calida, atque ignea existunt, & hoc ipso in loco aliqua est viscerum inflammatio, omnes ii haud quaquam sunt apti ad purgationes. Hæc itaque abesse oportet, & humores, quammaximè fieri potest, esse fluxui paratos, hoc est tenues, & nullum lentorem participantes, & aperta esse foramina, per quæ debet purgatio fieri, & nullam habere obstructionem; nam & nos ista anteà paramus, cùm quempiam sumus purgaturi. Hactenus Galenus.

His auctoritatibus non levia accedunt argumenta. Equidem importuna hæc, etsi blanda purgantia, in principiis morborum exhibita, tenuiores solummodò humores, eosque non vitiosos, sed utiles, & plerumque etiam alibiles educunt, corpus exagitant, coctionem interturbant, Naturam ab incœpto opere secretionis distrahunt, Vires infringunt, Stomacho refragantur, febrim, & sitim augent, obstructiones, & quandoque etiam inflammationes pariunt, &, quod gravius, talem non rarò fermentis viscerum, & sanguini commotionem, inversionemque afferunt, ut dissolutionem is omninò subeat, aut, exsolutis tenuioribus particulis, per reliquas crassiores, concretioni subiiciatur, summo cum Vitæ periculo.

Sed & experimenta quoque attestantur, nulla esse medicamenta, quæ diminuant solùm, aut quæ detergant, integrèque expurgent, seligantque peculiares humores; cùm omnia indifferenter unumquemque educere, & parciùs, & affluentiùs evacuare apta sint, si præsertim dosi deficiant, vel excedant, & hoc, vel alio artificio fuerint præparata, aut correcta. Constat siquidem, quæ leviora creduntur, ut Rhabarbarum, Manna, Rosa, dosi adaucta, nonnunquam hypercatharsim inducere, & cathartica vehementiora Scammonium, Helleborum, Colocynthidem Artis Chimiæ industria tam exactè castigata, levem, & blandam alvi subductionem promovere; Quin & idem medicamentum pro varia corporum constitutione modò copiosiores, modò pauciores dejectiones excitat, & nunc per superiora, nunc verò per inferiora movet; unde scitè Hippocrates *lib. de medicamentis purgantibus* admonet, *Medicamentorum purgantium res non ita se habere, quemadmodùm vulgò putatur: eodem enim medicamento purgantur, & non purgantur; quandoque verò alia purgat, quàm quæ purgare solet; aliquando nimiùm purgat; aliquando ea, quæ debet, facit; quare fieri non potest, ut quis medicamentis confisus ea temere exhibeat.* Et *lib. de Natura Hominis: Si eidem homini idem pharmacum quater in anno exhibueris; Hyeme quidem pituitosissima, Vere autem liquidissima, Æstate biliosissima, & Autumno nigerrima evacuabit.* Quamobrem non video, unde isti habeant, quædam cathartica medicamenta sibi proprios, & peculiares humores educere, alia evellere, & radicitus extirpare, & nonnulla alia mitiùs purgare, ac leviter solùm ventrem solvere, sive, ut ipsi dicunt, primos ductus corporis detergere, & inanire: Porrò hac ratione nunquam à purgantibus fallerentur: nunquam

sana

sana corpora ab his læderentur: nunquam hypercatharsis accideret: & tutò illorum usu cunctos morbos expellere liceret.

Sed, qui purgandi legem statim ab initio planam, certamque sibi constituerunt per cathartica dumtaxat leviora, quòd vehementiora nocua sint inter initia, cùm concoctio in humoribus nulla apparet, &, ex eodem Hippocrate, materia morbifica omninò cruda est, adeòque infixa, & impacta, nec dum ab utilibus humoribus secreta, non vident, si crudi succi hærentes, & infixi nequeunt medicamentis vehementioribus expurgari, qui fieri possit, ut debilioribus educantur? Certè vitiosos humores ne quidem attingent, sed alios ab his exagitabunt, & corrumpent, non sine Ventriculi, & Intestinorum noxa; unde postmodum nausea, sitis, pulsus concitatior, æstuosior febris, cæteraque graviora mala exoriuntur. Sic pluries vidimus febrientes ab ejusmodi purgatiunculis, potissimùm ex Manna, aut Casia, in maximum vitæ discrimen deductos, cùm tamen crederent nil unquam damni ex hujusmodi catharticorum generibus sibi accidere potuisse.

In summo prætereà errore, atque in maxima rerum ignoratione versantur, quicumque putant, blandè subducentium medicamentorum usum Hippocratem, & Galenum latuisse. Siquidem luculenter percipiet, qui istorum Auctorum libros evolvere non gravabitur, eos habuisse in usu Betam, Fumariam, Mercurialem, Serum Lactis, Epithymum, Aloem, idque genus alia, quorum beneficio ventrem solvere, & molliter humores, atque excrementa deiicere consueverunt. Hac ratione Cydis Filius usu Mercurialis purgatus fertur 7. *epidem.* sicut etiam ibidem Filius Nicolai, & Andreas, atq; uxor Polemarchi à Betæ succo. Et lib. de *internis affectionibus* commendatur ad subpurgationem lac Asininum coctum, Bubulum, vel Caprinum: itemque succus Betæ, & Brassicæ; necnon Serum caprinum cum melle, & sale, aut aut lac etiam Equinum decoctum. Pluries etiam sparsim is memorat, & præscribit Fumariam, Aloem, & Epithymum, & gummi Ammoniacum, quæ leniter alvum solvere observantur. Non dissimiliter Galenus leviora istiusmodi purgantia recenset, atque à catharticis vehementioribus sejungit: ut 3. *meth.* *cap.* 7. & *lib.* 4. *cap.* 5. & 6. & *lib.* 7. *cap.* 11. & *lib.* 11. *cap.* 19. & *lib.* 13. *cap.* 20. & clariùs *lib.* 14. *cap.* 9. & alibi.

Neque verò prætereundum videtur, quod Hippocrates 4. *de rat. vict. in acut.* 64. vel ad deplendam humorum multitudinem, vel ad juvandum Naturæ motum vergentis in alvum, ante quintum Morbi diem purgandum suadet cathartico ex Scammonio; ut vel hinc saltem discant, qui solùm Manna, Casiam, Rosam, Violas adhibendas inter ęgritudinum initia contendunt, licere etiam Morbos aggredi Scammonio, Helleboro, Antimonio, Mercurio convenienter præparatis, & justa dosi exhibitis: cùm revera nihilum differant in educendis, aut seligendis humoribus; Et non rarò damnum, quod à Manna, aut Casia, quæ facilè corrumpuntur, & ventrem inflant, inducitur, neutiquam à Scammonio ritè, rectèque correcto timere est: quinimmò Chimiæ ope eò res in conficiendis medicamentis delata videtur, ut longè tutiora, & mitiora observentur Extracta, Resinæ, Magisteria, quàm sint ista, quæ vulgò appellantur benedicta medicamenta.

Ve-

Verùm, ut revertamur, unde digressi sumus: adjecit Hippocrates in Aphorismo: *Neque in principiis*, ut nimirùm ostenderet, non solùm purgantia medicamenta exhibenda non esse in augmento, & statu morborum, in quibus ex eodem 2.*aph*.29. melius est quietem habere, nempè ab omni medicamento abstinere; sed neque in principiis: principia autem complectuntur totum tempus cruditatis ex 1.*de crisibus cap*.9. cùm scilicet nullum coctionis vestigium comparet. Et quamvis *cit*.2.*aph*.29.dicatur, *inchoantibus morbis si quid videtur movendum, move*: de evacuationibus solùm per cæteros corporis ductus intelligendum, si necessitas urgeat, minimè verò de purgatione per alvum ope catharticorum, quæ omninò coctionem, secretionemque in humoribus evacuandis exigunt, ut feliciter operentur.

At hanc generalem purgandi normam, excipit idem Hippocrates in turgentibus humoribus, quos statim à principio sine ulla prævia coctione evacuari oportere animadvertit. Quamobrem quinam illi sint, & qua conditione præditi, internosse necessum erit.

Galenus tum *hìc*, tum *comm*.10.4.*aph*.& alibi, verbum *turgere* exponit, locò moveri, & vagari, aitque *esse translatum ab Animalibus turgentibus ad humores; nam sicuti illa stare loco non possunt quodammodò titillata, atque impulsa, concitaque à passione; sic & humores plerumque in motu vehementiore, atque transfluxu, ab una parte ad aliam in morbi principio hominem infestant, moventes, titillantes, & quiescere non permittentes; sed cùm ipsi pariter moveantur, & transfluant, tanto motu de loco ad locum, ægrum molestant*. Hinc subditur *aph*.4.*t*.10. illicò medicari oportere, etenim tardare malum est; *ne scilicet* (ut commentatur ibidem Galenus) *robur Corporis dissolvatur, ne febris augeatur, & ne in aliquod principale membrum decumbant ii, qui per corpus vagantur humores*.

At quam communem, & ratam jam fecerunt Scholæ hanc Galeni expositionem, evertere videtur detecta nuper sanguinis, aliorumque humorum Circulatio, per quam satis, superque constat, eos perenni motu per sua vasa circumire, cunctaque membra Corporis pervadere. Quamobrem turgentes humores potiùs exponendi sunt, qui moventur quidem, sed impetuosiùs, quàm par est, per venas, & arterias excurrunt, atque illas inæqualiter agitant, & in tumorem attollunt, simulque multitudine, & pravitate concitant, irritant, gravant viscera, per quæ transeunt; unde periculum suffocationis minantur, nisi citò evacuentur. Quam sanè sententiam clariùs videtur explicasse idem Galenus, sive ejus compilator Oribasius, *lib.quos, quibus, & quando purgare conveniat*, dum ait: *Concitari, & turgere humores dicuntur, cùm motu vehementi agitantur, ac ab uno loco ad aliud confluentes, inter principia morbi hominem vexant, doloresque, ac titillationes afferendo, ægrum quiescere non permittunt*. Quò fit, ut ægrotantes in turgentibus humoribus percipiant dolores per viscera vagantes, cum quadam oppressione, & anxietudine. Equidem Orgasmus hic provenit ab humoribus, multitudine, & pravitate molestantibus, sed magis pertinere videtur ad Viscera, quę lacessita propellunt, & illos veluti infensos extrudere, atque exterminare adnituntur: nisi enim à seipsis removerent, quod affatim irruit, procul dubio in tu-

tumorem elata imminens Vitæ periculum afferrent.

Quoniam verò ejufmodi Orgafmus, five impetens, & fluctuofus humorum motus raró accidit, quia raró fanguis cum adjunctis humoribus adeò multitudine turget, & gravat, ut venas, & arterias diftendendo, & tumefaciendo, irruat in Vifcera Corporis, propterea fubdit Hippocrates, *plurimùm verò non turgent*, etfi in motu perpetuò fint, ne quis indè temerè, atq; inconfideratè ftatim à principio fub fpecie turgentis humoris ad purgans pharmacum deveniat. Raró etiam ita turgent, ut cathartico educi debeant, quippè qui non femper ad alvum vergunt. Quamobrem etfi humores turgerent in Critone, Herophonte, & Lariffa calvo, non tamen fuere ab Hippocrate purgante medicamento educti; quoniam, ut colligitur ex Galeno 4. *de rat.vict.comm.* 64. illi folùm dejectione purgari poffunt, qui ad Mefenterium, & Inteftina impetum faciunt, adeòque in alvum vergunt, ut ex conjuncto murmure coniici poteft. Hinc prudenter monet Sanctorius, non effe exhibendum medicamentum purgans in turgente materia, nifi ea inclinationem habeat ad inteftina, quo fcilicet ferri videatur, juxta doctrinam ab eodem Hippocrate traditam Aphorifmo fuperiori, ubi duo præcipiuntur obfervanda, pro recto medicamentorum ufu; quorum alterum fpectat ad noxii humoris inclinationem, alterum ad loca convenientia. At noftris temporibus vagantes humores illicò evacuare adnituntur, faltem ad deplendam multitudinem, priufquam particularia vifcera impetant, & alicubi decumbant cum vitæ difcrimine. Quòd fi fortafsè vergere viderentur in vias urinæ, aut in articulis, aliifque externis partibus, cùm abfceſſerint, immorari, procul dubio in alvum ducere, & aliorsùm diftrahere non liceret.

Denique animadvertendum, aliquando ægrotantes fumma inquietudine, & moleftia affici, abfque eo quòd humores turgeant, & cum impetu vagentur: cùm nimirùm præcordia æftuant, & phlogofi, aut inflammatione corripiuntur; unde gravis anxietas, ingens fitis, ardens febris, pervigilium, & aliqua in parte dolor exoriuntur. In his planè purgans medicamentum mortiferum omninò eft. Idipfum fæpefępiùs hypochondriacis accidere folet, cùm in febres incidunt, quæ illis funt præ cæteris moleftiffimæ.

APHORISMUS XXIII.

Dejectiones non multitudine funt æftimandæ, fed fi talia deiiciantur, qualia conveniunt, & ægri facilè tolerant. Atque ubi ufque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, fi æger poffit tolerare.

Videtur hic Aphorifmus, quod ad primam fui partem, plurimùm convenire cum fecundo, in quo dejectiones pariter commendavit Hippocrates eorum dumtaxat humorum, quos convenit evacuari, & ægri facilè ferunt. Verùm ibi de egeftionibus meminit fponte Naturæ habitis; hìc verò de Arte promotis: quoniam fuperiori Aphorifmo dixerat concocta folùm effe medicanda, & quidem ope medica, atque medicamenti purgantis adminiculo. Quamvis autem multùm ex eo humoris excernatur, non tamen femper ejufmodi evacuatio, ut decet, erit; quandoquidem excretorum non quantitas, fed qualitas, & natura infpicienda eft, fi ea fit, quæ morbo ref-

respondeat, ut subindè conferre possit. Tacitè ergo reprehendit, ut observat Fuchsius, stultam Vulgi, & imperitorum Medicorum opinionem, qui in evacuationibus copiam dumtaxat eorum, quæ excernuntur, expendunt, parum de aliis solliciti: Sunt enim quædam medicamenta, quæ & noxios, & innoxios simul humores plerumque educunt, & aliquando etiam alibilem substantiam extenuant, & carnes eliquant. Igitur irrisione digni sunt, qui magnopere admirantur, quamobrem quis ęgrotet, postquam oppidò multa dejecerit; quasi verò ita fuerit natura comparatum, ut aliud quid, nisi vitiosus humor, per cathartica educi nequeat.

Prætereundum autem non est, quòd in græco Codice habetur Τὰ χωρέοντα, quod non significat dejectiones, sed quamcumque evacuationem, ut præ cæteris advertunt Fuchsius, & Cenomanus; Unde congruentiùs legendum foret juxta interpretationem Jani Cornarii: *Quę prodeunt, seù excernuntur, non multitudine æstimare oportet, sed quandiù prodeant, qualia oportet, & facilè æger ferat.* Quamvis specialiùs dejectiones, sive per alvum egestiones sub hoc nomine comprehendantur, veluti illæ, quæ frequentius eveniunt, atque vulgò plausibilius commendari solent.

Erunt igitur quæcumque evacuationes, ac cujuslibet medicamenti ope, commendabiles, si ejusmodi sint, ut per eas peccantes humores egerantur, recuperandæ salutis ergo. Et licèt in vulgata latina traductione legatur: *Si talia deiiciantur, qualia conveniunt*, ut videantur qualitates solummodò humorum designari; nihilominus juxta ea, quæ in *commentario Aphorismi secundi* allata sunt, denotantur præcipuè illorum species, conditio, & natura. Quin in græco Codice scribitur οἷα, quod *convenienter* exponitur à Sanctorio, ut inde modus, locus, & tempus opportunum, cum aliis conditionibus ad bonam, salutaremque evacuationem requisitis, designentur, quemadmodùm etiam adnotarunt Cardanus, & à Veiga. Hinc proindè est dicere, si talia eiiciantur, qualia conveniunt, ac si illi humores, qui morbum faciunt, egerantur, & insuper tempore opportuno, prævia coctione, per loca conferentia, atq; citra ullam Symptomatum supervenientium molestiam. Ab his etenim evacuationibus præsto erit salutaris eventus, unde Morbus desinat, & consistentibus viribus æger sufferat.

Sed quamvis, cogente necessitate, ut omninò causa morbi educatur, usque ad animi defectionem evacuandum consulere videatur Hippocrates, atque illi adhæreat Galenus; prudentius tamen utrique adversatur Averroes 2.*collect.* *cap*.8. atque tribus argumentis evacuationem quamcumque, & præsertim Sanguinis, ad lipothymiam usque, vituperat. Medicus, is inquit, Naturam rectè operantem debet imitari: at hæc rectè operans nunquam ad animi defectionem educit; quare nec Medicus eamdem tentare audebit. Medici præterea intentio in Curationibus esse solùm debet, superfluum, atque inutile evacuare: modò per evacuationem ad lipothymiam usque, nedum superfluum, & inutile, sed utile, & necessarium inanitur, unde omninò nocua censenda est. Postremo Medicum oportet, ut nedum ægrorum saluti, verùm etiam vitæ tuitioni prospiciat; atqui evacuatio usque ad animi defectionem non est cum vitæ custodia, quin potius illam in grave dis-

V. etiam 9. Meth. cap. 4.

discrimen adducit, igitur prorsùs evitanda. Hinc communiter Arabes, cum ipsorum principe Avicenna, contendunt, meliorem, tutioremq; esse parcam, sed iteratam, quàm semel actam, & immoderatam quamcumq; evacuationem.

Sunt, qui pro Galeno dicant, neutiquam ab eodem commendari sanguinis detractionem ad lipothymiam usque in quacumque indiscriminatim ægritudine; sed solùm in febribus ardentissimis, in vehementissimis doloribus, & in maximis inflammationibus, ut idemmet Auctor memorat in *commentario hujus Aphorismi*: quibus addidit Montanus febrem synocham: quamquam hæc ad ardentes quoque referatur, 2. *de differ.febr.cap.*2. & 2. *de Crisib.cap.6.* At non ideò isti Averrois argumentis satisfaciunt. Cautius ergo se gerunt nostris temporibus, qui ad tantam evacuationem nunquam deveniunt, excusantque Hippocratem, quippè qui faciendam tantùm dixit, si æger toleraverit; minimè verò illam vires sustinent, quæ facilè concidunt, nostra præsertim ætate, propter Corporum, & Regionum laxitatem. Quòd si idem Hippocrates *Aphorismo secundo hujus* inspicere oportere dixit Regiones, Anni tempus, & Ætates in evacuationibus, sanè & hìc æque horum, atque status Corporum habendam esse rationem voluisse credendum, ut luculenter edocuit 4. *de ratione vict.*19.

Sed & Cardanus, nec de evacuatione per venæ sectionem quacumq; de causa præscribendam, sed per alvum solùm; nec insuper de vera animi defectione loquutum Hippocratem, arbitratur: Quamobrem in his omnibus Galenum reprehendit mentem Hippocratis perperam interpretatum. Quòd non loquatur de missione Sanguinis, deducit ex priori parte Aphorismi, ubi de dejectionibus primùm agere est aggressus: Quare rationi consentaneum videtur de illis quoque continuasse sermonem, cùm & evacuationes per alvum, immò per reliquos etiam Corporis ductus, accidant non raro usque ad animi defectionem; unde *in Coacis prænotionibus* dixerat: *liquida alvi egestio seù sensim, seù simul, si contingat, mala est: altera enim vigilias, altera exsolutionem facit*. Quòd insuper nec de syncope, aut lipothymia strictim sumpta, sed de vulgari illo animi deliquio, quod superpurgati ægri sine magno periculo incurrere solent, intelligendus sit, colligit ex adjunctis verbis: *Si æger possit ferre: Quomodo enim* (ipse subdit) *si ad virium defectum æger deducatur, ferre potuisse dici debebit*? Quòd denique tres casus à Galeno recensiti de mittendo sanguine ad lipothymiam usque falsi quoque sint, probat: & primò de missione sanguinis in febribus ardentissimis, inquit: *si intelligat Galenus ardentissimam febrem, idest à flava bile factam, aberrat toto, ut ajunt, cœlo: hoc enim esset scelerata manu hominem interficere. Sin autem de ea, quæ fit à sanguine, adhuc generale præceptum non est, vel ipso teste, 9.Art.Cur.ubi de duobus ægris narrat, quibus secta vena, ab aliis Medicis exsoluti nunquam ampliùs revixerunt. In secundo casu phlegmonis, vel ipso teste, multo minùs convenit sectio venæ, cùm dicat tantùm esse relinquendum sanguinis, & virium, ut abscessus concoqui possit. In tertio casu, in dolore Coli, vel Renum lapidis, si ad exsolutionem sanguinem mittat, feretrum jubeat afferri Medicus, & Carnificem se missum testetur. Nec excusant verba illa: adhibita distinctione:*

V. Avic. cur. febr. putrid. in comm. cap. de phlebotomia. 9 meth. cap. 10.

ctione: Nam in dolore Coli sæpè purgatio talis eadem die occidit. Sed ut ut sit, melius est, ut expositione hac Aphorismorum à Galeno facta relicta, ad illius libros de Arte curandi te conferas, hìc enim aut toties aberrat, aut si nolis hoc verbum admittere, tot præbet aberrandi causas, ut omninò latronis sit propter paucula verba, seù ab illo malè scripta, seù posterius temporum vitio corrupta, seù à nobis perperam intellecta, tot insontium vitam in manifestum periculum vocare. Hæc de Galeni expositione Cardanus.

Hinc concludere nobis licebit, voluisse hoc Aphorismo Hippocratem in evacuationibus arte promovendis Medicos admonere, ne illas ab humorum multitudine æstiment conducibiles, sed si talia educantur; qualia pro salute ægrotantis prodire debent, facilèque ab ægro feruntur; scilicet, ut qui morbum facit humor, excernatur, & vires ejuscemodi evacuationem facilè tolerent. Quòd si vires tam validæ non sint, ut humores multitudine quoque peccantes semel educendos non sufferant, potiùs ad illarum tolerantiam expediet sensim, & iteratò purgare, quàm ad animi defectionem ægrum deducere; nisi verò usque ad anxietatem, labefactionemque illam, quæ post ingentes evacuationes subsequi solet, Hippocratem exponamus.

V.Gal.1. ad Glauc 14.

APHORISMUS XXIV.

In acutis morbis rarò, & in principiis, medicinis purgantibus uti convenit, & hoc cum præmeditatione faciendum.

QUandoquidem turgens humor præcedenti Aphorismo expurgari permittitur, etsi coctio nulla appareat, atque acutæ plerumque ægritudines ejuscemodi molesta anxietudine stipantur; de his propterea speciatim nunc admonet Hippocrates, qua ratione, quo tempore, & q ibus cum cautionibus purgantia medicamenta sint exhibenda.

De chronicis autem ęgritudinibus non meminit, vel quia *Aph.XXII.* illas comprehensas voluit, si fortasse ab humorum multitudine, & copia sint progenitæ; vel quia sub illarum initia peccans materia neque concocta, & secreta esse potest, neque tam facilè turgere solet; ideòque minimè ad evacuationem est prompta: Unde in illis semper (ut habet Galenus,) oportet expectare coctionem; In acutis autem solummodò inter initia convenire sæpiùs videtur catharticum, ob majus, quod exindè imminet, vitę periculum; proindè de his specialiùs sententiam protulit, sed adeò angustis finibus coercitam, ut nonnisi rarò, & maxima cum circumspectione, ac præmeditatione illud exhibendum esse decreverit. Cæterùm adhuc in chronicis, si cum multitudine humorum, atque veluti orgasmo conjungantur, ut non rarò Quartanis febribus accidit, etiam sub initia illas catharticis aggredi licebit; sin minùs per inferiora, per superiora saltem, prout humor faciliùs per unam, quàm per alteram viam educi posse videbitur, juxta illius impetum, & inclinationem, aut etiam patientis promptitudinem.

Quinam autem sint morbi acuti, cunctis liquet, & alibi explicatum est. At quodnam illorum principium hìc sumendum sit, quæri potest: etenim Galenus 1. *de Crisibus cap.9.* & 1. *Aphor.comm.*12. Morbi principium tripliciter sumi posse testatur, vel pro primo insultu, vel pro primis tribus diebus, vel quousque cruditas in hu-

humoribus perseverat, sine ullo coctionis signo. Cùm autem ratio purgandi in principiis morborum, citra coctionem, desumatur ex imminenti vitæ periculo, quod ab humoribus impetentibus timetur; sanè quo citiùs catharticum exhibebitur, eò conducibilius erit, juxta documentum ejusdem Hippocratis 4. *Aph.*10. Quare Galenus hic exponit, principium sumendum pro primo die, vel non ultra secundum, ne scilicet agendi occasio, quæ in his præceps admodùm esse solet, prætermittatur.

Sed quid elt, quòd cum præmeditatione faciendum esse dicat? Nempè quia ex medicamentis purgantibus plurimùm Natura divexatur, distrahiturque ab opere coctionis, quod summoperè necessarium est ad expulsionem causę morbificę, unde spes salutis affulget. Porrò quæ magni momenti sunt, magna quoque circumspectione egent, & nonnisi maturo judicio examinanda: atqui in morbis nihil est periculosum magis, inquit Seneca, quàm immatura medicina: Et ante ipsum Plato, tum solùm permittendam censuit, cùm summa necessitas urgeret; aliter autem nullo modo.

Conf. ad Helv. V. Valles.5.epi. 34

Quæ verò oporteat Medicum præmeditari, antequàm purgans medicamentum exhibeat, licèt hìc non memorentur, colliguntur tamen ex aliis tum Hippocratis, tum Galeni monimentis, quæ reducuntur ad quinque capita generaliora, spectantia Ægrotum, Morbum, Medicamentum, Humorem turgentem purgandum, & Vires.

V.9. meth.17. & 2.Aphor. comm.16 in côm.

Ægrotus nec Puer, nec Senex sit: uterque enim facilè ab evacuationibus concidit: ille quidem ob promptam carnium dissolutionem, hic verò ob virium languorem. Non sit insuper obnoxius Cardialgiæ, Leipothymiæ, cæterisque similibus affectionibus, in quas planè ex purgante medicamento laberetur. Excipit quoq; Galenus eos, qui multa cruditate laborant; qui tenaces, ac crassos cibos assumpserunt; & quibus hypochondria distenta, atque inflata sunt, aut supra modum calida, & æstuosa; & hoc ipso in loco aliqua est viscerum inflammatio: hi siquidem haud quaquam purgationes ferunt. Quod etiam confirmat 1. *de humor. comm.*2. & 12. Alibi etiam cavet his, quibus alvus adstricta nimis est, aut Venter languet, pravusque victus in usu fuit. Huc etiam pertinent utero gerentes, stomacho imbecilles, nuper à cibo repleti, lubriciorem alvum, & cruda deiicientem sortiti, atrophia affecti, Insueti, Rauciloqui, Lienosi, Asthmatici, Icterici, sicca Tussi laborantes, Stranguria vexati, atque hæmorrhagiis obnoxii, aliique similes, quos omninò purgandos vetat idem Hippocrates, ejusque interpres Galenus pluribus in locis.

V.4. aph. 1. 2. aph. 35. de rat. vict. in acut. in epist.

Morbus non sit cum inflammatione viscerum, præsertim imi Ventris ex Gal.13. *Meth. cap.*11. neque cum febre copulatus, ex eodem in *comm. hujus Aph.* neque cum obstructione, aut dolore vehementi; nec in tempore æstivo, aut nimis algido.

4. aph. 5. Libr.

Medicamentum Morbo, & Causæ morbificæ respondeat oportet, sitque convenienter correctum, & præparatum, gratum, ac jucundum tum Stomacho, tum Palato; itemque experimentis comprobatum, atque decenti dosi exhibitum.

quos, quibus, & quando.

Humor turgens, ut citrà molestiam èducatur, in alvum vergat, atque ductus expeditos inveniat. Si namque humores aliorsùm inclinent, quàm ad Intestina, pharmacum anceps erit: Unde Hippocrates 4. *de rat. vict.*64. turgentes humores purgandos consulit cum ventris murmure; sin secùs, in-

inquit, impurgatos finito, ut in Pericle, Metone, Muliere morosa, Virgine Larissæa, aliisque, in quibus licèt turgerent humores, quia tamen ad alvum non vergebant, medicamento purgante protrudere non est ausus: quippe Medicum oportet Naturæ motum consectari, & adjuvare; minimè verò distrahere, aut impedire. Si prætereà Corpus crudis, crassisque humoribus abundet, à carthartico abstinendum, ut monet hìc Galenus: *nam & nos*, inquit, *ista anteà paramus, cùm quempiam sumus purgaturi. Et quamvis cùm turgent, non datur facultas ista præparandi; tamen quis fortè arripiat occasionem propinandi melicratum, in quo decoctum sit aliquid hyssopi, vel origani, vel tragorigani, vel thymi, vel pulegii sive quid hujusmodi, vim habens humores extenuandi.*

Denique viribus debilibus, purgans medicamentum inhibetur 7. *meth. cap.* 4. Sicut pariter languente aliquo viscere, præsertim imi ventris: etenim commoti à carthartico humores in debilem illam partem potiùs ferrentur, quàm in alvum, non sine periculo ingentis alicujus tumoris. Hæc itaque omnia præmeditari, & circumspicere oportebit, antequam pharmacum præscribatur. Sed & tempus quoque opportunum, & modus, & habitudo, ac forma Medicamenti similiter erunt consideranda, ut tutior, & jucundior, quò fieri possit, illius exhibitio succedat.

At unde est, quòd tam accurata, & diligens inquisitio præcipiatur ab Hippocrate pro usu medicamenti purgantis, in acutis ægritudinibus sub initia, etiamsi materia turgeat? Galenus *in comm.* circumspectum fuisse Hippocratem ait, in ejusmodi purgationibus, *quoniam non minimum imminet periculum in morbo acuto malè uti purgante medicamento; cùm omnia id generis sint potentia calida.* Alibi etiam, dubium inquit esse eventum Medicamenti purgantis: nam alii difficulter purgari solent, alii, modica potione ebibita, copiosè evacuantur; unde comparatur lapillo in mare projecto. Alibi etiam universum Corpus turbare, agitareque ait: Et alibi naturam sapere veneni; quippè infensum, molestumque est partibus ejusdem universis; etenim sanguinem attenuat, carnes eliquat, fermenta omnia depravat, Ventriculum subvertit, & nauseam movet, Intestina proritat, tormina, & erosiones creat, sitim, & æstum affert, viscera delaxat, spiritus dissipat, motum Cordis, & arteriarum perturbat, & alia plurima incommoda excitat; ut propterea dixerit Celsus *lib.* 8. *cap.* 10. omnem medicinam solutivam mali succi esse, & Ventriculo inimicam; cui assentitur Serapio, rationem addens: cùm enim, inquit, non aliter alvus subducatur, nisi priùs ad Ventriculum, contractis humoribus, ac demum expressis; necesse est ipsum, & humorum qualitate, & motuum diversitate, non parum lædi, ac etiam temperamentum solvi; cujus etiam signa sunt fastidium subsequens, antecedens plerumque nausea, malus sapor in ore, quem tandem extrema comitatur sitis. Galenus pariter, qui omnium laxantium innocentissimum Serum esse dixit, mellis tamen, & salis societate corrigit 5. *Aph.* 64. & neque ab his, flatus, quos excitat, discutiuntur. Si igitur innocentissimum medicamentum non omninò vitio caret, quid de aliis vehementioribus dicendum erit? Sanè concludere oportebit cum eodem Galeno 5. *de simplic. medic. facul.* paria esse in purgantibus detrimenta adjumentis, immò

L. quos, quibus, & quan. p. c. d.

mò aliquandò majora, veluti ex adverſis inflicta. Jure optimo ergo Hippocrates hìc docet, raròmedicinis purgantibus uti oportere, & nonniſi maxima cum præmeditatione: & Galenus *in commentario* ſubdit: *Quare majorem oportet ex noxiorum humorum evacuatione fieri utilitatem, quàm (id quod neceſſariò conſequitur) ex purgantibus medicamentis detrimentum: habebitur autem major utilitas, ſi abſque moleſtia omnis infeſtans, ac moleſtans humor ſit evacuatus.*

V.2.de rat.vict. in acut. cõm. 12.

Animadverſione quoque dignum videtur, quod adnotat idem Galenus *lib. quos, quibus, & quando purgare conveniat*, in malum cedere purgans medicamentum, cùm ſuum evacuandi opus ritè non exerit: & quidem vel ob peculiarem ægri naturam, vel quia tenue nimis, & exiguum fuit: Fæces etiam obduratæ, & in aliquo inteſtino detentæ, atque exiccatæ, quæ propterea clyſtere priùs erant emolliendæ, ac ſubducendæ, evacuationem prohibent, & non raro interturbant; itemque commoti anteà humores, in ductus urinarios vergentes, unde catharticum medicamentum in alvum ducere nequeat: interdum quoque, quòd id in nutrimentum abeat, vel invertatur, atque in alienam degeneret naturam; immò quandoque tranſeat in perniciem, & commutetur in venenum.

Ob peculiarem ægrotantium conſtitutionem non raro accidit, ut aſſumpta medicamenta nihil evacuent forte quia ſucci diſſolutionibus deſtinati diluunt, & infringunt eorum vim, atque efficaciam; cùmque medicamenta purgantia irritando plerumque ſubducant, ſi fortaſsè à fermentis Ventriculi, & inteſtinorum retundantur, atque extenuentur, votis non reſpondent. Hac ratione experimur cathartica, cæteroqui violentiſſima, quibuſdam liquoribus chimicè præparatis immerſa, vim omnem purgandi amittere. Pari modo Spiritus, & Olea, aliaque hujus generis magiſteria, Arte Chimica è medicamentis ſolventibus elicita, movendæ alvo penitus ſunt inefficacia: Conſtat autem aſſumpta quævis medicamenta diſſolvi quidem in Ventriculo, ibique primam actionem cum fermento ejuſdem inire, unde anxietas, ſitis, nauſea, & quandoque etiam vomitus exoritur; ſed evacuationem potiſſimum humorum in inteſtinis gracilibus moliri, ex fermentatione habita cum ſucco Pancreatico, & Felleo, aliiſque è glandulis inteſtinorum extillantibus. Ejuſmodi autem conſtitutionis pleroſque novi, qui certa medicamentorum purgantium genera ſic innoxiè aſſumunt, & citrà ullam ventris moleſtiam, aut evacuationem, ut penè dixeris illos aquam ſimplicem ebibiſſe.

Quoties aſſumptum Catharticum, doſi, aut vi exiguum eſt relatè ad Corpus, & habitudinem aſſumentis, certè nihil, vel modicè nimis operatur: quippè vincitur potiùs à præfatis ſuccis Ventriculi, & Inteſtinorum, atque adeò præcipitatione quadam, ſtatim ad inferiora inteſtina deturbatur, & cum fæcibus commiſcetur, ac prorumpit in flatus, vel etiam per vias urinæ præverſus abigitur.

Ab obduratis, denſatiſque fæcibus non raro purgantis medicamenti actio impeditur; quinimmò gravia incommoda ſuboriuntur, inflationis, doloris, vertiginis, & vomitus. Quamobrem rectè monet Galenus, in his emolliendam anteà alvum, ſubducendaſque fæces eſſe, & poſteà Catharticum exhibendum. Atqui ex his nonnulli Volvulo mox correpti periere; alii ab inflammatione ſubor-

ta, & alii à præcipiti virium casu maxima vitæ discrimina passi sunt.

Qui præterea humores in urinæ meatus sunt deducti, purgationi obicem sæpissimè ponunt, vel quòd jam excreti exuccum ferè ventrem reliquerint; vel quòd Naturam aliò intentam ostendant; vel quòd commotos à medicamento humores per easdem urinæ vias conferant. Hinc solent vicissim hæ duę evacuationum species sibi mutuò refragari,& altera alteram, vel removet,vel diminuit.

Sed & non rarò epotum purgans medicamentum in nutrimentum abit, si præcipuè ejus sit conditionis, ut alimentariam participet substantiam, quemadmodùm sunt Pruna, Casia,Manna,Uvæ passæ,Tamarindi. Compertum enim habemus, qui per æstatem Manna colligunt, principio quidem alvo turbari, deindè verò,atque in posterùm nullam percipere ventris commotionem, etsi illius libras integras assumant. Alia verò genera Catharticorum in quibusdam saltem Corporibus solent inverti, & in alienam naturam transire, ex mutua commistione, actioneque, quam ineunt cum succis Intestinorum: debet enim assumptum Catharticum ejus esse virtutis,& efficaciæ, ut per actionem,fermentationemque initam cum succis Ventriculi, & Intestinorum, prævalentius consistat, quinimmò ceù in sui naturam commutatos succos felleum, & pancreaticum, acriùs, & præcellentius adoriatur, ac lacessat partes intestinorum sensibiliores, quæ subindè irritatæ, quadam veluti corrugatione, contractioneq; utrosque protrudant,& reliquos omnes in iisdem ductibus stagnantes sine ullo discrimine depellant. At verò si inertes succi isti sint, ut fermentationem nequeant ingentem excitare, aut contra præpotentes admodùm vincant, præcipitent, debellent particulas Catharticorum acriores, & mobiliores insuper retundant, aut figant, aliterve prævertant, nulla, vel levis inde purgatio suborietur. Fieri etiam potest, ut ex vi,impetu, atque energia tum assumpti Cathartici, tum dissolventium succorum, utriq; infracti consistant, in præcipitationem adacti, sicuti in quibusdam artificialibus liquoribus experimur. Acidum quoque,quod in succis prędictis sæpesæpiùs exorbitat, in causa est, ut nonnunquam solutivæ Medicinæ inefficaces evadant: ab illo enim statim demittuntur acriores, mobilioresque partes, unde inertes, & effœtæ istæ subsistunt. Qua ratione crediderim difficillimè purgari, etiam à vehementissimis catharticis, Hypochondriacos, & Scorbuticos, quibus acidum, & multùm, & præcellens inest, & sępè etiam à naturali constitutione devium; ideòque sicuti innumera illis accidunt symptomata propemodùm admiranda, ita in usu medicamentorum purgantium rara admodùm obtingunt.

Denique venenum aliquando evadit, & transit in perniciem; cùm nimirùm ex malo succorum apparatu evertitur, & corrumpitur in Ventriculo, tametsi sua natura lene illud sit, & innocuum: quemadmodùm enim cibi, ex mala Corporis habitudine, quandoque vertuntur in exitiosos humores, planè longè pejus degenerare solent cathartica in deleteriam, & mortiferam conditionem; quinimmò existimavit Asclepiades, ab assumptis purgantibus medicamentis, perpetuò corrumpi humores Corporis, commutarique in eos, qui sæpissimè nedum olent excreti, sed referunt pessimam, venenatamque naturam. Hinc autem sæpenumero evenit evomi

Lib. 1. de nat. fac. cap. 13. 14.

mi

mi nuper assumpta medicamenta, adeò immutata, & corrupta, ut præter stomachi dolorem, anxietatem, subversionem, deliquium, afferant, cùm egeruntur, œsophagi ardorem, faucium, & gutturis attritum, redoleantque multigenas saporum, & colorum species. Si verò deorsùm deposita in tenuibus intestinis cum fermentis eorumdem malam subeant fermentationem, atque per corruptionem degenerent in extraneam, dissentaneamque naturam, tunc inverso rerum ordine, inficiunt nedum succos ipsos, & intestina divexant, verùm etiam per partes saltem tenuiores, magisque volantes, circumgyrantem coinquinant sanguinem, unde damna fermè inemendabilia, veluti à venenis illata exoriuntur. At qua ratione, operæ pretium erit hìc etiam breviter explicare.

Varia Venenorum genera commodè ad duas classes in universum revocari possunt. Aut enim partibus solidis corporis infensa sunt, illasque vel ulcerant, vel mortificant; aut liquidis, hoc est humoribus, adversantur, & potissimùm sanguini vitæ fomiti. Prioris generis multa sunt, prout diversæ sunt partes, quæ speciatim ab illis lædi solent; & quidem in Hominibus, (cùm & pleraque certis quibusdam solùm Animalibus obesse videantur; cæteris verò vel innocua sint, vel etiam utilia: unde cicuta, quæ hominibus venenum est, cedit in alimentum Sturnis, & Asinis, sicuti Coturnicibus helleborum) stupescit Cerebrum ab opio; coarctantur Fauces, & Guttur solano; lepore marino Pulmones. Colocynthis nocua potissimùm est Intestinis, & Veratrum Nervis. Cantharides sive assumptæ, sive admotæ, Vesicam speciatim cruciant, & mictum Sanguinis provocant; atque id genus alia plurima sunt, quæ aliquibus partibus, iisque solidis potissimùm adversantur. Ad hanc quoque classem sunt referenda Arsenicum, Sublimatum, Auripigmentum, Sandaracha, Ærugo, & Caustica quæcumque, quibus Fauces, & Ventriculum contingit ulcerari, ac inflammari, & quod pejus, gangrænam incurrere. Posterioris verò generis sunt, quæ sanguinem contagione labefactant, illumque vel dissolvunt, & in halitus extenuant, vel coagulant, & in grumos vertunt; sed utraque motui ineptum, & vitæ inutilem reddunt. Ejusmodi planè sunt morsus ab Animalibus venenatis inflicti, Vipera, Scorpio, Phalangio, Stellione, Cane rabido. Plerique infusi liquores per venas, aut arterias idipsum efficiunt, ut de Aqua Stygia, de Oleo Tartari, de Spiritu Vitrioli, cæterisque, periculum fecere Viri undequaque celeberrimi, atque de Re Medica optimè meriti. Constat autem ab ejusmodi Venenis, vel inflictis, vel assumptis, infectum sanguinem, aut plus justo fluidiorem evadere, aut concrescere in grumos, adeòque extincto, vel resolutu spiritu, inhabilem reddi motui Cordis, & Vitæ tuendæ.

Atque hinc non omnia venena pari modo inficiunt, & enecant. Quędam enim, ut maleficam suam vim exserant, cum sanguine omninò misceri debent, & si fortasse ore sumantur, ac ventriculum petant, qualiacumque illa sint, nullum damnum inferunt. Hoc pacto venena viperarum, & scorpionum si bibantur, vel ingerantur, non interimunt; at verò inflicta furore, & sanguini immista, statim exitiales

excitant affectus. Non semel etiam animalcula venenosa fortè fortuna deglutita nil mali attulerunt: de qua re multa referuntur exempla ab Auctoribus, sed præcipuè ab Ephemeridum Germanicarum Collectoribus.

At unde fit, ut à certis venenis, certæ solùm, & peculiares partes afficiantur, reliquæ non item? ut de cantharidibus præsertim, sive exterius admotis, sive intrinsecùs assumptis, experimur, quòd Vesicæ solùm officiant. Sanè aliundè congruentior ratio peti non potest, quàm à consentanea, & dissentanea actione, quam excitant cum fermentis, & poris partium, quas pervadunt. Porrò Cantharides magnam ineunt fermentationem cum sero, & sale urinario, cujus causa tantam id contrahit acritudinem, ut Vesicam nedum vellicet, & compungat, sed etiam corrodat, & mictum sanguinis inducat, qui deindè usu lactis sedatur. Ita pariter solanum suo succo adeò salivam crassam reddit, & tonsillas constipat, ac tumefacit, ut veluti strangulationem afferat, quæ aceto mox dissolvitur.

Non tamen hinc inficiabor, venena illa, quæ inflammationem, ulcerationemque in Ventriculo pariunt, si interiora vasa, & sanguinem pertingant, vitiare quoque illum, & vel exsolvere, vel coagulare. Observatum quippè est in venenatis Cadaveribus ab Arsenico, & Sublimato, non semel venam Cavam ascendentem, & auriculam Cordis dexteram, cum adjunctis valvulis, erosas apparuisse, à circulante veneno, una cum infecto chylo, & sanguine. A Cicuta autem, Nappello, Mandragora, Hyoscyamo adeò infringuntur succi Ventriculi dissolventes, & Intestinorum, ut etiam adjacentes partes hebetent, ac mortificent, indeque pariter præterfluentem sanguinem inficiant, & tandem congelent.

Clarè nunc ergo ex his liquere potest, cur ab aliquibus venenis febris, ardor, sitis, inquietudo; ab aliis verò frigus, languor, sopor exoriantur, atque etiam magis in uno, quàm in alio viscere: quoniam non æquè ab illis sanguis inficitur, neque parem fermenta Corporis depravationem, perturbationemque subeunt. Habitudo quoque, & textura membrorum plurimùm sanè in his valere potest: Quamobrem Cerebrum, suaptè natura debilius, magis affici, & gravari ab Opio videmus, quo crassescens sanguis oneri partibus esse solet. Alibi autem à nobis est ostensum, succos Ventriculi, & Intestinorum, quamplurima, vel nullatenus, vel non bene dissolvere posse, adeòque infringi, turbari, & quandoque etiam corrumpi.

Cùm itaque cathartica medicamenta ejusmodi plerumque sint constitutionis, ut, saltem in aliquibus Corporibus, Ventriculo, & dissolventibus liquoribus obsint, ob indebitam fermentationem, commotione ingenti excitata, totius Corporis œconomiam turbant, & sanguinis motum pervertunt, unde postmodùm naturam venenorum, quibus quàm proximè accedunt, induta, Vitæ exitium parant.

APHO-

APHORISMUS XXV.

Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & facilè ferunt; ſi contra, difficulter.

MIrum quàm anxiè ſtudeant Interpretes hunc Aphoriſmum præcedentibus adnectere, eumque non fuiſſe inutiliter repetitum; quemadmodùm deduci videtur ex Galeno, qui illum exiſtimat omninò contineri in Secundo, in quo hæc ipſa verba leguntur. At ipſe crediderim, alia ex cauſa fuiſſe ab Hippocrate denuò pronunciatum, quippè qui laconica dicendi methodo ſummè præcellens, nonniſi premente neceſſitate, pluſquam ſemel idem repetere nunquam conſuevit. Id hoc autem illum feciſſe, ſive quòd ibi de ſpontè habitis, hìc de arte promotis tantùm evacuationibus; ſive quòd de evacuatione in communi eo loci, in hoc autem de purgationibus, quæ fieri ſolent in principiis Morborum ſolùm turgente materia; ſive quòd hoc ultimo Aphoriſmo generaliter comprehenſas omnes ſimul conditiones ad bonam evacuationem per quaſcumque vias Artis auxilio promovendam requiſitas, atque adeò epilògi loco hìc tandem relatas voluerit, non diutiùs morabor, cùm non multùm interſit, longiùs examinare.



LUCÆ TOZZI

In Secundum librum Aphoriſmorum

HIPPOCRATIS COMMENTARIA.

APHORISMUS I.

In quo morbo Somnus laborem facit, mortale: Si verò iuvat, non mortale.



CUnctis liquet, Somnum, ſeù quietem illam, qua ſenſus omnes ligati, & conſopiti jacent, Animantibus fuiſſe conceſſam, ut membra Corporis defatigata reſtaurentur, & vires per vigiliam, atque laborem effœtæ reficiantur. Sic enim provida Natura comparatum eſt, ut alternatim Vigiliæ Somnus ſuccedat, & quod Somno torpidum, emortuumque ferè Corpus evaſerat, Vigilia veluti reviviſceret, atque viciſſim hac quodammodò extenuatum, exſolutumque, opportuno Somno reficeretur. Unde Ovidius.

Quod caret alterna requie, durabile non eſt.

Verùm ubi Somnus ita ſe habet, ut inde Vivens magis debilitetur, atque infirmetur, tunc lethale ſignum cenſendum eſt: quo enim tempore id, quod ſuaptè Natura prodeſſe aptum eſt, officit, læditque, procul dubio peſſimi ſigni teſtimonium eſt, ideòq; inverſam naturalis œconomiæ rationem, atque inſuper vitæ diſſolutionem prænunciat. Si igitur præter id, quod nihil prodeſt, noceat etiam ſomnus ægrotanti, qui omninò reſtauratione eget, ut morbo obſiſtat, mortem non ſine ratione ſignificat.

Dicitur autem Somnus in morbis laborem facere, & nocere, ex Galeno, cùm febres exacerbat, difficilem anhelitum, & inflammationem affert, deliria, aut ſomnia perturbata inducit, dolores, inquietudines, & defluxiones ſuſcitat, quibus ægri plurimùm divexati vires amittunt. Sed & quandoque tam gravis Somnus ægrotantes invadit, ut vix ab illo expergiſcantur, quamobrem exindè eos opprimi potiùs, quàm levari contingit; unde meritò timetur, ne ob longa quieſcendi tempora fato cedant, & in interitum delabantur.

At verò ſi ſomnus, ut par eſt, vires inſtauret, febrem deprimat, moderatum, & conferentem ſudorem promoveat, dolores, & deliria ſedet, atque adeò undequaque ægrotantibus conferat, meliùs exindè ſperandum, ſed non propterea certa ſalutis ſpes expectanda: Unde Hippocrates non dixit, ſignum eſſe ſalutare, ſed non mortale; ſiquidem ſomnus ſuaptè natura ægritudinem lenire poteſt, at verò delere, nequaquam. Quare nihil mali profectò portendit, ſi laborem in morbis non

affe-

afferat, ſed potiùs profit, verùm non idcircò ſalutare ſignum erit, cùm poſſit æger ex alia cauſa perire.

Unde autem hæc mala ægris ex ſomno proveniant, inquiſitione dignum videtur. Et ſanè credere licet, juxtà ea, quæ alibi à nobis explicata ſunt, roridam illam ſubſtantiam, qua cerebrum in ejuſmodi ægrotantibus perfunditur, ſuggeri à ſanguine depravatam, malèque affectam, ut proinde nervorum fibræ, ubi à blanda, & conſentanea ſuaviter irrorantur in ſtatu naturali, ab illa graventur, obtundantur, vel etiam vellicentur, & doleant in morboſo: ejus enim conditionis ros ille è cerebro in nervos defluens eſſe debet, ut leni quadam, aptaque irroratione demulceat, & flexiles illos faciat; quamobrem cùm ab hac naturali conſtitutione receſſerit, potiùs conturbat, extorquet, exaſperat, adeoque animalibus operationibus obeundis ineptos eos reddit, unde poſtmodùm dolores, laſſitudines, diſtillationes, aliaque graviora mala exoriuntur. Porrò roridus hic humor plurimùm per vigiliam extenuatur, & diſſolvitur, qui propterea ex ſomno potiùs reficitur, quadam veluti ex arteriis per cerebrum tranſcolatione ejus potiſſimùm liquoris, qui in ipſis albicat, & à concoctiori chyli portione procedit, perenni planè ſuggeſtu. Quare ſi per id tempus nocuus omninò ſufficiatur, procul dubio cerebro, nervis, cunctiſque partibus infenſus, moleſtuſque accedet.

Quoniam verò non ſatis eſt laborem ex ſomno exitialem præſagire, niſi etiam ſolerti induſtria imminens exindè vitæ periculum, infauſtumque exitum, quoad fieri poterit, prudens Medicus præcavere nitatur, operæ pretium duxi, ea hìc in medium afferre, quæ valeant ejuſmodi infortunato omini occurrere, & ſanguinem, liquoremque nervorum ab inquinamentis mortiferis repurgare. Et quidem quæ ſudorem blandum, atque urinam movere valent, optima ſunt; uti omnia Bezoardica appellata, ſulphur auratum Antimonii, Antimonium diaphoreticum, Tinctura Zuelferiana, panacea duplicata Mynſichti, Sal volatile ſuccini, viperarum, & Cornu Cervi, Sales volatiles plantarum ab Helmontio memorati, atque deſcripti à Vvolfango, peculiari libello *de Sale volatili plantarum*. Per vias urinæ verò ſpecialiùs conferent ſpiritus urinæ volatilis, necnon Salis Ammoniaci ſalſus, ad aliquot guttas in aqua Juniperi; itemque balſamum Salis marini verum, idque genus alia, quæ ſanguini, cæteriſque humoribus corporis repurgandis non ſemel contuliſſe obſervata ſunt.

APHORISMUS II.

Ubi ſomnus delirium ſedat, bonum.

QUamvis ſomnus in morbis prodeſſe ſolitus non mortale ſignum dicatur Hippocrati; attamen, ſi delirium ſedet, non modò mortem non indicare, ſed omninò utilem eſſe hìc ſtatuitur. Eſt autem delirium aberratio à recta rationis ſemita, ut cùm ægrotantes abſurda, & vana loquuntur, aut imaginantur: Neque ſolùm delirant, cùm vigilant, ſed etiam ubi ſomno detinentur, quocircà non immeritò inquit Hippocrates: ubi ſomnus delirium ſedat; nam non ſemper per ſomnum delirium ſedatur, immò & dormientes aliquandò obloquuntur, & delirant.

Fit autem delirium, cùm ſanguis per arterias Carotidas in plexus cerebri delatus, nimiaque fermentatione ſubactus, extillat in vaporem acrem,

acrem, & exardescentem, qui deinde per cerebri substantiam diffusus, continua, & inæquali agitatione, internam, & medullarem ipsius substantiam percellit, atque quaquaversum ejus poros pervadens, ad delirium, & vigiliam lacessit; quin & roridam substantiam, qua ipsum, & nervorum fibræ irrorantur, adeò exagitat, & perturbat, ut subindè omnes propemodùm operationes animales depraventur, & vacillent.

In lib. epidem. Colligit Cardanus ex Hippocrate septem deliramentorum genera, nimirùm phrenitidem, insaniam, delirium, mentis motionem, stuporem, melancholiam, & furorem. Phrenitidem vocat continentem mentis alienationem; interruptam verò delirium; & mentis motionem, levem solùm, ac inconspicuam ejusdem perturbationem. Furorem autem appellat, delirium cum ira, & impetu; atque insaniam, in cogitationibus, & apprehensionibus læsionem; at verò melancholiam, delirium timore, & mœrore conjunctum; Stuporem, denique cum oblivione. Sed & videtur insuper idem Hippocrates duas alias deliriorum species considerasse 6. *Aphor.* 53. quæ videlicèt cum risu fiunt, & quæ cum studio, inquiens: *Desipientiæ, quæ cum risu fiunt, securiores; quæ verò cum studio, periculosiores*, eo quòd illæ leviorem in sanguine mutationem, & minorem cerebri læsionem designent; hæ verò graviorem, majoremque à statu naturali utriusque recessum arguant.

At ex memoratis his omnibus deliriorum speciebus advertit Heurnius, eam solùm hìc ab Hippocrate somno sedari posse intelligendam, quæ propriè delirium dicitur, & interrupta mentis læsio est, ut præsertim evenit in vigore febrium ardentium, à pravis halitibus, atque exspirationibus ex ventriculo, mesenterio, aut præcordiis, in cerebrum sublatis; secùs vero cùm per idiopathiam accidit, quoniam tunc somno delirium increbrescit magis, cùm causa in cerebro hæret.

Verum quamvis hæc Heurnii expositio Hippocratis menti valdè consentanea videatur, non tamen est, cur etiam somnus summoperè utilis dicendus non sit in reliquis deliriorum generibus; Etenim cùm unumquodque delirium pervigilio plerumque consocietur, & vigilantibus quibuscumque somnus prosit; procul dubio & hic delirantibus conferet, modò profundus sopor, & Veternus non sit. Neque indè timeri debet, humorem in cerebro collectum, ac delirii causam, magis per somnum infigi, & adhærescere: siquidem delirium à sanguine solito acriori excitatur, ut propterea acritudine vellicans, & extimulans, cerebrum, ejusque fibras percellat ad depravatas functiones obeundas; Somnus autem fit ab humida potiùs, mollique irroratione per cerebri substantiam diffusa, quæ agitationem illam acrium particularum lenire, & compescere valet, atque adeò si ejusmodi somnus fiat, qualis natura fieri consuevit, indicio est, fervidos halitus, acresque evaporationes, quæ delirandi causa fuerant, jam esse edomitas, aut etiam resolutas. Quòd si ex somno delirium nequaquam sedetur, signum erit altiores, consistentioresque esse delirii Causas, putà mordaces humores in cerebrum delatos, quorum vim, effrænatamque potestatem somnus demulcere nequeat. Atque hinc putaverim differre delirium interruptum in Paraphrenitide, à perpetuo in Phrenitide, quia vitium hoc in sanguine inductum, & cerebro per roridum ejus liquorem communicatum

non

non semper intrarium est, & persistens, ut etiam quamdam in cerebro veluti phlogosim pariat; sed plerumque in febribus ab indebita, & vehementi sanguinis fermentatione promotum, qua deinde mitescente sedatur. Quòd autem inquiunt interruptum delirium Diaphragmatis inflammationem sequi, rationi, & experimento non cohæret: etenim pari modo stomachus, pleura, intestina, dùm inflammantur, ob nervorum communionem cum cerebro, delirium inferrent, atque in Peripneumonia nulla mentis motio contingeret, cùm pulmo nervis careat, quinimmò nihil vetat, quin continens Diaphragmatis inflammatio continuum quoque delirium non inducat, & omninò exitiosum, cùm inflammationes illius periculosissimæ sint, atque curatu difficillimæ. Sed & neque experimento constat Paraphrenitide affectos fuisse unquàm dolentes, ac tumidos in illius regione; neque prætereà purulentam, aut cruentam materiam excrevisse, uti Pleuriticis accidit, cùm convaluerint: Atqui compertum non semel ex adverso est, ab inflammato Septo transverso nullam mentis motionem prodiisse, cùm tamen Hepatide, & Peripneumonia laborantes deliri sæpissimè observati sint.

In omni igitur delirio somnus ex Hippocrate prodesse poterit, quamvis potior juvandi causa videatur in his, quæ in vigore febrium ardentium accidunt, cùm scilicèt præter acres evaporationes nulla phlogosis cerebrum occupat. Sed enim plurimas sanè utilitates affert somnus ægrotantibus quibuscumque, sed delirantibus potissimùm, quippè placida quiete, & molli irroratione acritatem sanguinis, & roridæ cerebri substantiæ retundit, vaporesque illud, & fibras nervorum pervadentes, lenes admodùm, & blandos reddit, qui proindè nequeant percellere, & extimulare; vires quoque ex vigilia immoderata fatiscentes commodè instaurat, coctionem quamcumque adjuvat, perspirationem adeò vitæ necessariam, & sudorem sæpè etiam promovet, ut propterea nil magis exoptandum deliris, & vigilibus ægrotis, quàm blando sopore affici, quo nimirùm sensus omnes, nedùm conquiescunt, & reficiuntur, verùm etiam morbosis molestiis vacant. Jure ergo optimo Paracelsus somnum existimavit maximum in Medicina Arcanum, quod in omnibus morbis præsentaneum sit auxilium, superans omnia Arcana gemmarum, & lapillorum pretiosorum, ut propterea non solùm ubi delirium sedaverit, sed etiam si alias ægritudines cohibeat, & moderetur, bonum. Unde meritò Seneca cecinit: Herc. Fur.

—— Tu, ò Domitor
Somne malorùm, requies animi,
Pars humanæ melior vitæ.

Hinc itaque edocemur, oportere in deliriis, atque vigiliis immoderatis, somnum conciliantibus remediis uti, cautè tamen, & opportunè, ne scilicet pro delirio Lethargus, & pro vigilia Carus inducatur. Quamobrem & dosis, & tempus, & modus in somniferis maximoperè erit attendendus.

Et quidem seligenda erunt ea ad hunc usum medicamenta, quæ sensim, & blandè tranquillam quietem inducant, neutiquàm verò subitam, violentam, & immoderatam; atque ex his primùm externa per balneationes, & lituras, ut præ cæteris est Epithema somniferum Penoti, cujus etiam meminit Riverius; mox verò, si ista non sint satis, interna, quæ nimirùm ex Opio conficiuntur, adhibeantur.

tur. Oportet autem, illud ritè, rectèque esse paratum; etenim nisi fuerit à sulphure suo narcotico, ac stupefaciente vindicatum, non innoxiè intrà corpus assumetur. At verò inter plurimas Opii præparationes, compositionesque, præstare videtur illa, quam descripsit idem Paracelsus in suo Anodyno specifico, *lib.7. Archidox.* Quamquàm & faciliùs cum spiritu vini paratur, corrigiturque hac ratione. Opium purum, & pulveratum in septupla; vel octupla quantitate spiritus vini probè depurati, atque ab omni phlegmate separati, tandiù digeratur, quoadusque tinctura per quàm benè fuerit elicita; mox hæc per filtrum trajecta, atque deinde spiritu vini exuta, abibit in extractum ad formam consistentioris mellis, cui, si lubet, adiici poterit subdupla extracti croci portio, non tàm corrigendi gratia, quàm juvandi vim Opii soporiferam. Cæterùm Margaritæ, Corallia, Hyacinthus, Bezoar, Unicornu, nihil planè conferunt. Commendant alii cum Glasero, & Hamelio præparationem, correctionemque Opii per rorem mense Majo collectum, & distillatum, illamque reliquis omnibus præferunt. In Ephemeridibus quoque Germanicis Anni 1672. alia memoratur ex Joele Langelotto per succum Cydoniorum, & salem Tartari. Sed & quæ affertur ab Angelo Sala optima est, & usu frequentissimo mihi probata.

Dosis Opii quamvis variet penes diversos Auctores, pro varia ejusdem præparatione, frequentiùs tamen vix unum, aut alterum granum excedit. Quæ verò præscribuntur Opiata ad grana xx. & ultrà; ad quam dosim visus est Avicenna, & Serapio illud commendare, Opium licèt admittant, sunt tamen ex pluribus aliis medicamentorum generibus commista, quinimmò ex his sunt, quæ minimam sanè Opii partem excipiunt, quemadmodùm Theriaca, Mitridatium, Philonium, Diascordium, Triphera magna, & similia. Verumtamen & in hoc plurimùm valet consuetudo: nam apud Turcas, Persas, Ægyptios, etiam ad drachmas integras sumitur, immò his tàm familiaris est opii usus, ut eo abstinere diutiùs nequeant, sine evidenti vitæ discrimine, ut testantur Garcias ab Horto, & Prosper Alpinus.

In omnibus ferè ægritudinibus laudatum hoc medicamentum utile esse consuevit, ut propterea ad catarrhos, ad Hæmorrhagias, ad Febres, initiantem pleuritidem, sanguinis sputum, palpitationem, cardialgiam, dysenteriam, diarrhœam, ileum, renum dolores, podagram, hystericas passiones, affectiones hypochondriacas, & scorbuticas, aliasque hujus generis ægritudines, ferè communiter, & cum utilitate, præscribatur. Meritò proindè à quibusdam comparatur Nepenthes Homerico, quo fertur, Helenam tristes convivas reddidisse hilares, omnemque luctum ex animo non semel abstulisse, sedato nimirùm cordis dolore. Nec desunt qui de Re medica optimè meriti Scriptores in omni ferè Medicamentorum compositione illud admiscere non vereãtur.

Ut autem omni culpa vacet, & nonnisi magno cum emolumento perpetuò exhibeatur, vires ægrotantis erunt primùm perpendendæ: etenim summè debilibus, & quibus sanguis nuper detractus, aut proximè detrahendus est, exhibere nefas; sicut & infantibus, ac puerulis, quique facilè in somnum prolabuntur, ex peculiari corporis constitutione. Præterea cachecticis, hydropicis, empyicis, crudis, pituitosis, stypticis, periculosa sunt Opio commista; vel quia crudos, crassosque succos

magis

magis ſiſtunt, effœtumque ſanguinem figunt, & coagulant; vel quia excrementorum expulſionem impediunt, ac retardant. Cæterùm præſtabit ſemper dilutum aliquo liquore Opium exhibere, ut faciliùs ſomnum conciliet; quippè evaporationibus potiſſimùm, cerebri poros opplentibus, ſoporem inferre videtur, veluti experimur ex mero, ſpiritu vini, croco, aliiſque plurimùm effumantibus, calce, muſto, cereviſia, moſcho, & ſimilibus, idipſum pariter evenire. Neque ſolùm ſuas vires exerit opium, cùm ſtomachum ſubierit, verùm etiam ore detentum, aut aliquo liquore diſſolutum, & vix lingua deguſtatum; quamobrem credere licèt per iſtius porulos, & papillas facillimè nervos, & cerebrum tenui evaporatione pertingere, ac ſoporare; unde etiam compertum habemus extrinſecùs admotum, vel manibus diutiùs detentum, ſomnum allicere conſueviſſe.

APHORISMUS III.

Somnus, atque vigilia, utrumque ſi modum exceſſerit, malum.

QUoniam ſanitas in moderatione ſita eſt, ideò quæ mediocria ſunt, valetudini conſervandæ, atque Naturæ ipſi ſunt valdè conſentanea. Hanc ergo mediocritatem in vigilia quoque, & ſomno veluti neceſſariam tacitè hìc Hippocrates videtur commendare, præſertim quia nedùm ad ſalutem, ſed etiam ad vitam, debent ſomnus, atque vigilia ſibi invicem ſuccedere, & productam utriuſque continuitatem viciſſim interrumpere; unde exuberantes ſomnos, diutinaſque vigilias meritò nocuas exiſtimat; nam profectò ubi quis vel immodicè dormiat, vel nimiùm pluſquàm oporteat, vigilet, contrà valetudinis præſcripta operabitur: ſicut enim moderato ſomno nil utilius, quo nimirùm membra omnia inſtaurantur, & vires per motum, atque vigiliam fatiſcentes, reficiuntur, ita nihil deterius eodem, cùm extrà limites mediocritatis excurrit, atque in longius tempus, quàm par ſit, protrahitur; quoniam exinde cerebrum gravatur, torpent membra, ſanguis hebeſcit, & cor quodammodò in ſuo motu deſidet. Vigilia pariter conveniens, & opportuna, ſenſus omnes vivificat, ſanguinem floridiorem, vividioremque reddit, excrementorum ſecretionem, expulſionemque promovet; diuturnior verò vires infringit, membra delaxat, & corpus univerſum extenuat. Hinc jure optimo pronunciavit Hippocrates, utrumque ſi modum exceſſerit, malum: omne enim nimium Naturæ inimicum eſt.

Sed quamvis in determinanda ſomni, atque vigiliæ menſura, certam, ſtatutamque rationem aſſignare difficillimum planè ſit, ſi nihilominùs ætati, conſuetudini, propriæque corporis, aut regionis conſtitutioni proſpiciatur, poterit magna ex parte de longioris, aut brevioris ſomni uſu determinari. Pueri enim, & qui humidiorem nacti ſunt temperaturam, longiori indigent ſomno, ut & illi, qui frigidiores plagas inhabitant, & craſſioribus veſcuntur alimentis. Contrà verò alii, ita natura ſunt comparati, ut breviorem ſomnum expoſcant, veluti ſenes, & habitu graciliores. Sed & quidam morbi nonniſi prolixiori ſomno curantur, in aliis verò quibuſdam potiùs longior vigilia prodeſt, pro humorum ſcilicèt peccantium varia conditione. Quiſquis autem omnes ejuſmodi circumſtantias conſideraverit, poterit ex pro-

probabili conjectura decernere quantus cuique somnus debeatur, ut de immoderato possit probabiliter judicare.

At verò nùm deterius sit plus æquo soporari, quàm vigilare, curiosè quis exquiret. Et sanè si experimenta, & rationem consulamus, facilè coniiciemus longè deteriorem esse somnum immoderatum pervigilio; Etenim Lethargici, & Comatosi, pervetusta Medicorum observatione, infrà septem dies pereunt; & apoplectici vix quartum pertingunt, immò sæpiùs uno, aut altero die moriuntur: At verò vigiles plures dies, & menses vivere visi sunt. Fernelius delirum quendam menses quatuordecim insomnes duxisse memorat: & Heurnius de Nizolio sibi relatum narrat, quòd per decennium somno caruerit. Seneca etiam Mecœnatem refert integro triennio exsomnem permansisse, atque vix tandem placida, lenique harmonia per symphoniarum cantum redormiisse, quod testatur quoque Plinius *lib.7.cap.51.* Porrò somnus morti comparatur, vigilia vitæ, quippè per somnum hebetantur sensus, & motus cordis, ac sanguinis cunctatur; per vigiliam verò illi acuuntur, hic incitatur, & viget.

De Provid.

APHORISMUS IV.

Non satietas, non fames, neque aliud quidquam, quod modum Naturæ excesserit, bonum.

NOn solùm somnus, atque vigilia immoderata, sed etiam satietas, & fames, aut aliud quidpiam, si Naturæ modum excesserit, nocua sunt: Nam profectò, quod ad valetudinem conservandam, vitamque prorogandam conferre videtur, id quidem in mediocritate versatur. Quemadmodùm autem in structura, & constitutione corporis, omnia membra, partesque, certam exigunt mensuram, atque extensionem, quam si excesserint, vitiosa fiunt, ita pariter quæcumque nutricationi, atque conservationi eorumdem usui esse possunt, certum modum, & æquabilem quandam mensuram, quæ ipsis congruat, exposcunt. Et quidem à satietate, seu ciborum plenitudine, gravatur ventriculus, diaphragmatis motus impeditur, adeòque respiratio offenditur, viscera circumjacentia comprimuntur, & succi dissolventes infringuntur; unde mala digestio, & cruditas exoritur, atque subindè innumera propemodùm detrimenta. A fame verò, seu nimia à cibis abstinentia, præter morbum illum, quem Bulimon Græci vocant, macies, languor, stomachi morsus, leipothymia, & similes ægritudines proficiscuntur.

Quoniam autem videtur hìc Hippocrates famem considerasse naturalem, præter rem haud erit, quo pacto illa in animantibus excitetur, quàm brevissimè explicare. Creditum est Galeno, famem oriri in orificio superiori ventriculi à prævia suctione universali partium corporis, trahentium à venis sanguinem, atque harum à Jecore, hujus autem per venas mesaraicas ab intestinis tenuibus, & à ventriculo, ejusque stomacho, qui cùm non habeat, unde ulteriùs sugat, in seipso coarctatus sensum quaqua ratione molestum subeat, qui fames dicitur.

Verùm faciliùs se expediunt, qui famem oriri ajunt titillatione quadam inducta in tunicis ventriculi, ea potissimùm in parte, quæ nervosior est, & stomachus appellatur, à succis quibusdam acido-acribus illuc confluentibus, vel è Liene, ut placuit Hel-

Helmontio, & Petro Caſtello, vel, ut aliis viſum eſt, ab arteriis gaſtricis, & cœliacis, vel probabiliùs à glandulis in cavum, plicaturaſque ejuſdem ventriculi deſinentibus, ut aliàs quoque meminimus. Etſi autem iſti ſucci in ſtatu ſalutis perpetim exinde extillent pro ciborum diſſolutione, ſi tamen contingat ventriculum vacuum inveniri, proritatione quadam ſtomachum vellicant, & ad alimenta exquirenda ſollicitant; quin & non rarò acritate, atque acore plurimùm excedente, nec cibis ipſis infringuntur, ſed eos veluti momento extenuant, & colliquant, ac mox iterùm, iterumque ad nova alimenta ingurgitanda laceſſunt, inexplebili ſanè appetitu, quem Caninum, aut Lupinum appellant. Quare ab hac etiam fame, quam non improbabiliter quis dixerit Hippocratem hìc commemoraſſe, plurimùm corpus affici contingit, cùm in confinia ægritudinum per ipſam tranſeatur. Hinc ſcitè Horatius cecinit.

Lib. 1. Satyr. 1.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultrà, citràque nequit conſiſtere rectum.

Atque Hippocrates quoque in Epidemiis ſcribit: Cibus, motus, ſomnus, Venus, omnia mediocria: quippè ſanitas ipſa in mediocritate conſiſtit, à qua ſi fortaſsè recedatur, ſtatim ægrotare contingit. Verumtamen minus peccare videntur illi, qui ſenſim modum, mediocritatemque excedere aſſueſcunt; longè graviùs verò qui, cùm jam diù ſe à repletione cibi, & potus, vel à Venere, exercitiiſque, abſtinuerint, aut plus juſto cauti omnem Aeris inclementiam vitaverint, quandoque tamen cibis copioſiùs implentur, vel nimio coitu exſolvuntur, vel laboribus delaxantur: tunc enim æquabilitas deſtruitur cùm ex indigentia corporis, tùm etiam ratione conſuetudinis. Sed & his non rarò accidit, ut ſi aliquandò ſub dio morentur, vel tantillùm à conſueto declinent, ſtatim in morbos incidant, & miſerrimam planè ducant vitam.

APHORISMUS V.

Spontaneæ Laſſitudines Morbos prænunciant.

AD prognoſim pertinet hic Aphoriſmus, cùm per eum præſagire doceamur imminentes ex ſpontaneis laſſitudinibus ægritudines. Sunt autem ſpontaneæ laſſitudines, quæ citrà cauſam manifeſtam exercitii, ac laboris, eveniunt; nam quòd ex labore, motuque vehementiori, corpus laſſeſcere contingat, etiamſi ſanitate fruatur, res eſt manifeſta, at verò ſi artus, membraque corporis citrà ejuſcemodi patentes cauſas laſſitudinem perſentiant, ac impotentia ad motum evadant, ſpontè laſſari dicuntur, atque ita inſtantem morbum præſignant: ejuſmodi enim laſſitudo, cùm ex cauſis manifeſtis, & naturalibus non fiat, procul dubio ab occultis, & morboſis exoritur.

Galenus tùm in *commentario hujus Aph.* tùm 4. *de Sanit. tuenda cap.* 2. tres enumerat ſpontaneæ laſſitudinis ſpecies, à triplici moleſtia, ſenſuque corporis deſumptas. Primam ulceroſam vocat, quæ nimirùm cum ſenſu ulceris fit; Alteram, quæ cum ſenſu tenſionis; Tertiam cum ſenſu inflammationis, cùm ſcilicèt partes veluti inflammatæ percipiuntur, & æſtu quodam interiùs conflagrant. Ulceroſam à cacochymia, ſive à vitioſis humoribus membra laceſſentibus; Secundam à plethora, ſeu humorum inflantium, & diſtendentium nimia

nimia plenitudine; Phlegmonosam denique ab utraque causa, superfluitate scilicèt, & vitio humorum, qui repleant simul, distendantque, & vellicent, proritentque partes, & artus corporis, oriri ait.

Quandoquidem à sanguine præter naturam vitiato spontaneæ istæ lassitudines oriuntur, qui diversimodè affectus, diversas infert partibus molestias, proindè fit, ut ægritudines portendantur. Et quidem ab illius plenitudine vasa corporis tumefiunt, & inflantur, undè sensus ponderis, atque ad motum ineptitudo, imminentque mala 1. *Aphor.3.* memorata; cùm verò acritatem, salsedinem, aliamve pravam conditionem contraxerit, pruritus, febres, inflammationes, ulcera, aliasque similes ægritudines excitare potest. At verò oportet musculos potissimùm, & artus, ejusmodi vitiis humorum affici, ut lassitudines habeantur, quippè per has motus speciatim offenditur, & corpus ad se regendum, & exercendum impotens evadit.

Sed nec à sanguine solùm vitiato, sed à lympha quoque, & nervorum liquore, immò à reliquis etiam succis præter naturam affectis, possunt lassitudines oriri, quamobrem catarrhos, arthritides, hystericas affectiones, cardialgias, epilepsias, apoplexias, sæpesæpiùs illæ præcedunt, & comitantur. Peculiaris etiam quarumdam ægritudinum natura ea est, ut, antequam invadant, & sensibiliter affligant, veluti prodromos, lassitudines præmittant, quemadmodùm de Renum dolore à calculo experientia testatur; ejuscemodi enim morbi genere laborantes multos antè dies accidit lassescere, quàm dolore afficiantur. Quarumdam pariter regionum incolatus idipsum præseferre consuevit, ut citrà quamcumque aliam causam, ex sola Aeris mutatione, aut sub certo ventorum afflatu, lassitudines afferat: Ut sæpissimè nos Parthenopæi, flantibus Austris, experimur. Hinc rectè notavit Hippocrates 3. *Aphor.* 5. *Austri auditum hebetant, caligine visum offundunt, caput gravant, fluxiones movent, tarditatem, & languorem inducunt.*

Cùm igitur à sanguine, cæterisque humoribus, veluti à causis internis vitiatis, lassitudines fiunt, ægritudines vel instantes, vel etiam præsentes denunciant, oportebit, iis edomitis, correctis, ac repurgatis, morbos ipsos adventantes avertere, & impedire, prout species lassitudinis designaverit. In primis autem perpetuò conferent omnia alkalia tùm fixa, tùm volatilia, & quæ diaphoresim, ac diuresim promovere apta sunt; unde Hippocrates 2. *prædict.* adnotavit, sanguinis mictu solvi lassitudines, si præsertim absque dolore, & febre contingat. Ita etiam, si cacochymia vigeat, & corpus excrementis abundet, adhuc cathartica convenientiora prodesse possunt; instituta intereà diæta, quæ præfatis causis, & patientis constitutioni, ac ætati, meliùs congruere videbitur.

APHORISMUS VI.

Quicumque dolentes aliqua parte corporis omninò dolorem non sentiunt, iis Mens ægrotat.

PUgnantia, atque omninò absurda videtur hìc loquutus Hippocrates, quippè qui dolentem asserat posse dolorem non sentire. Qui enim fieri potest, ut quis dolorem non sentiat, cùm reverà doleat? Quamobrem Celsus, & Galenus de causa doloris potiùs, quàm de dolore ipso sententiam hanc interpretantur. Sed profe-

profectò sic exponendus erat Aphorismus: *Quicumque in aliqua corporis parte doloris causam habentes, omninò dolorem non sentiunt, iis Mens ægrotat*. Fortasse Heurnius idipsum meditatus, præ reliquis Interpretibus, è græco Codice vertit: *Quicumque ex parte aliqua corporis laborant, & nullo modo eam læsionem percipiunt, iis Mens laborat*.

Neque verò pro dolore quamcumque morbosam affectionem quis hìc intelligat, ut malè plerique arbitrantur; sed eam solùm læsionem, quæ cum molesto sensu affectæ partis à re vehementer tactum percellente, ac divexante fit, ut clarè deducitur ex contextu ejusdem Aphorismi; itaut sensus sit, eos, qui à re dolorem, sive molestam sensionem in tactu inferre valente, afficiuntur, si fortasse dolorem illum non percipiant, mente laborare. At verò si de quacumque læsione sermonem hunc protulisset Hippocrates, proculdubio maligna febre affecti, Hectici, & Tabidi, qui se febrire non sentiunt, mente quoque laborarent. Itaque de dolore propriè sumpto exponendus ipse est, putà cum quis inflammationem, vulnus, ulcus, vel quid simile, quod dolorem inferre aptum est, reipsa non persentit, is planè mente læsus est.

Mirari autem subit, quàm sicco transeant pede Interpretes causam ejuscemodi læsionis in mente à partis laborantis indolentia, cùm hæc non semper illam ægrotantem arguat, ut in gangrænis. Verùm qui noverit sensiones omnes in cerebro fieri, ut aliàs à nobis est ostensum, facile difficultatem diluet: quippe sensiones omnes excitantur quidem in membris corporis, sed percipiuntur à mente in cerebro: hac autem distracta, ecstasi abducta, minimeque advertente, licèt partes reliquæ acriter afficiantur, sensio nihilominùs nulla fit: qua ratione lethargici, apoplectici, phrenetici, cataleptici, ligaturas, ustiones, aliaque id genus tormenta, si adhibeantur, minimè persentiunt. Sæpe etiam evenit, ut sani licèt homines aliò intenti, & cogitabundi, adstantes nec videant, nec audiant, licet in oculos, & aures, color, & sonus appulerit. Mens igitur advertere debet in ea, quæ est perceptura; quippe, ut Epicharmus ajebat: Sola Mens audit, & videt, reliqua surda, & cæca. Quamobrem cerebrum, illius sedes, bene se oportet habere, ut sensiones istæ fiant, quæ tametsi per propria organa ab externis objectis promoveantur, reverà tamen in cerebro perficiuntur: Hinc autem sagax natura nervos omnes, quibus sensiones peraguntur, in cerebri meditullio colligavit, ut in idipsum, quæ ex organis excipiuntur, rectà pertingant, atque in commune sensorium devolvantur, quod de illis judicium ferat. Hoc autem si fortasse consopiri, aliterve ægrotare contingat, motiones, perculsionesque etsi vehementes, & dolorificæ, minimè percipientur, ut proinde rectè dictum sit ab Hippocrate, cerebri, & mentis læsionem indè designari.

APHORISMUS VII.

Quæ longo tempore extenuata sunt corpora, lentè reficere oportet: quæ verò brevi, breviter.

NOn de ea agit hìc Hippocrates extenuatione, quæ viventibus, etiam sanis, ad extremum senium, atque ad interitum usque perenniter accidit, cùm ex alibi dictis Animalium corpora, donec vivunt, continuò absumantur, ac propterea perenni indigeant per cibos restaura-

tione, ne omninò contabescant, & citiùs quàm deceat, extenuata emoriantur; Sed solùm, quæ à Morbis inducta est, ex quibus quandoque tanta fit brevi tempore corporis consumptio, ut indicio sit ipsam carnium substantiam colliquari, & absumi. Hæc autem corpora, inquit, si diuturna ægritudine sint extenuata, non esse illicò, & violenter, sed lentè, ac pedetentim reficienda; si verò brevi, breviter. Hinc ad eam Medicinæ partem videtur hic Aphorismus pertinere, quæ analeptice appellatur; siquidem ipso docemur, quo pacto nos gerere oporteat in reficiendis iis, qui nuper à Morbo convaluere.

Et quidem ejusmodi corporum ex Morbis extenuatio non uniusmodi est, aut æquabiliter omnibus contingit: molliora enim Puerorum corpora facillimè ex inedia, vel levi etiam ægritudine, extenuantur; difficiliùs verò Senum, aliorumque. In Gracilibus etiam, atque ex morbis urentioribus, major planè fit carnium consumptio; at verò longè minor in Obesis, & succiplenis, atque ubi morbi accidunt ex crassiori humore progeniti. Quamobrem non immeritò tradit in hoc Aphorismo Hippocrates generalem quendam Canonem reficiendi eos, qui à Morbis jam contabuere, aitque sensim, ac lentè reficienda esse, quotiescumque sensim, longoque temporis spatio, corpora ægrotantium consumpta sunt; affatim verò, atque brevi tempore restauranda, si illa brevi fuerint extenuata. Et sanè corpora diuturno tempore consumpta languidiora cæteris evadunt, atque fermentis viscerum exsolutis, nequeunt tàm benè ingestum uberiùs alimentum conficere, & in nutricatum commutare; quamobrem multo cibo gravantur potiùs, quàm reficiantur, ideòque in cruditates labuntur, & non raro etiam in obstructiones, cachexias, tumores. Oportet itaque sensim illa nutrire, & parùm, ac sæpè potiùs alere, quàm plurimo cibo statim gravare: hac enim ratione ventriculus meliùs conficit, & reliqua viscera conferentiùs admittunt, repurgantque confecta alimenta, sine molestia, aut periculosa partium inutilium retentione. Sed & solidæ partes, ac membra corporis jam diù à morbo conflictata veluti exaruerunt, alvusque præ morbi diuturnitate redditur ignava, & negligentiùs in ea, quæ nutricationi inserviunt, incumbit, conniventque valvulæ, ac ostiola meatuum corporis, atque extabefactæ glandulæ suo quoque desunt officio: unde expedit illa sensim in consueta munera revocare, per lentam, productamque refectionem. At verò in his, in quibus celerior facta est extenuatio, quoniam robur viscerum non tàm graviter labefactatum est, uberiùs reficere licebit statim à principio, postquàm convaluerint. Atqui semper facilius erit absumptos humores, & sanguinem ipsum restaurare, quàm membra, & solidas corporis partes, quæ ex diuturniori morbo omninò exarefacta, longè difficiliùs reficiuntur, segniusque consumptam substantiam recuperant.

Neque solùm ex longa ægritudine tabefacta corpora sensim, lentèque reficienda sunt, sed iis præsertim alimentorum generibus, quæ alendo humefaciant, & exsuccas partes irrorent, illarumque poros promptiùs subeant, & repleant. Idcircò inductus est usus jurium, præsertim ex viperarum carnibus, quàm maximè utilis ad reficienda convalescentium, & tabidorum corpora.

Hinc patet, quàm malè plerique Medicorum agunt, qui, famem ut ex-

expleant convaleſcentium, illos permittunt multo cibo gravari, putantes, oportere plurimùm eos ali, ut vires amiſſas, & carnes abſumptas reſumant; cùm tamen eo hebetentur magis, atque in ægritudines recidant; etenim propter eà quòd langueant, moderato cibo, atque paulatim nutriendi ſunt.

APHORISMUS VIII.

Si à morbo cibum aſſumens quis non corroboratur, pluri alimento corpus uti ſignificatur: quòd ſi non aſſumenti cibum hoc accidat, ſcire oportet, quòd indiget evacuatione.

DE convaleſcentibus quoque verba hìc facit Hippocrates, illoſque conſiderat, nùm ab aſſumptis alimentis reficiantur, atque inquit, cibos appetentes ſimul, & eſitantes, poſtquàm morbo evaſerint, niſi pari ratione reſtaurentur, & robur reſumant, plurimo ſanè cibo, quem conficere nequeunt, repleri, adeòque opprimi potiùs, quàm nutriri. Siquidem aſſumptum alimentum minimè in ſuccum alibilem commutatur, ſed majori ex parte degenerat in excrementum, veluti non rectè à concoquente vi, ex præcedenti morbo, labefactata, confectum, & elaboratum. Quamobrem oportebit parciorem cibum aſſumere, quantum ſcilicet vis concoctrix viſcerum conficere, & congruenter tranſmutare queat.

At verò ſi à morbo quis convaluiſſe videatur, nec tamen largiori cibo indulgeat, quo fortaſsè gravatus, minimè nutriatur, & confirmetur; ſignum erit, malis humoribus, atque excrementis eſſe refertum, unde partes congruo alimento refici nequeant proindeque repurgatione, & illorum evacuatione indigere, ut deinceps meliùs poſſit ventriculus apperere, & ingeſtos cibos exactiùs conficere: quippè in corporibus impuris aſſumptum alimentum in ſuccum inutilem ſolet degenerare.

An autem ejuſmodi malorum ſuccorum evacuatio per vomitum potiùs, an per dejectionem facienda ſit, internoſcere oportebit ab eorumdem humorum inclinatione, & loco, conſtitutione, & conſuetudine ægrotantis; itemque anni tempore, aliiſque ab eodem Hippocrate notatis *lib.*4. præſertim *Aphoriſmorum* 4.6.7. 8. & 9. etenim Graciles, & facilè vomentes, æſtate, per ſuperiora; hyeme verò, & vomentes difficulter, ac carnoſi, per inferiora opportuniùs purgantur. Sic pariter eò ducere conveniet, quò maximè Natura vergit, & per loca conferentia, ut dicitur 1. *aphoriſm.* 21. Quæ ſanè in convaleſcentibus potiſſimùm, præcedenti morbo non leviter conflictatis, obſervanda ſunt.

APHORISMUS IX.

Corpora cùm quiſpiam purgare voluerit, oportet fluida facere.

PRævertunt hìc nonnulli conſuetum Aphoriſmorum ordinem, atque huic ſequentem decimum praponunt, quem veluti rationem prænarrati octavi faciunt, ut propterea adiiciendum dicant, hac de cauſa convaleſcentes nihilum à cibo proficientes purgandos voluiſſe Hippocratem, etſi viribus deficere videantur, quia nimirùm impura corpora quo magis nutries, eò magis lædes. In quam ſententiam videtur etiam Galenus inclinare in *comm. Aphoriſmi octavi*. Ut ut autem ſe habeat illorum connexio, quam tàm anxiè non V. Fuchſ. & Heurn.

eſt, ut perquiramus, illud certum videri ſolùm debet, notari in hoc Aphoriſmo ab Hippocrate purgandorum corporum diſpoſitionem, ut proſpera ſubindè ſuccedat evacuatio adhuc etiam in convaleſcentibus, ſi fortaſsè contingat illos purgari oportere, cùm ab alimentis, licèt moderatis, non reficiuntur.

Videtur autem generaliter pronunciatum, corpora eſſe præparanda, priuſquàm pharmacum aſſumant; & quidem ſive illa nuper à morbis convaluerint, ſive etiam reipſa ægrotent, modò cacochyma ſint. Sed tamen quomodò diſponi debeant, non eſt expreſſum. Verùm crediderim, & vias, per quas evacuatio promovenda eſt, debitis, opportuniſque remediis eſſe reſerandas, ac leniendas; & vitioſos humores reddendos eſſe ad exitum paratos, ut facilior, promptior, & tolerabilior contingat evacuatio. Hinc Hippocrates 4. *Aphor.* 13. præhumectanda eſſe corpora eorum conſulit, qui helleborum ſunt aſſumpturi, ne pharmacum magna vi, atque inani conatu, parùm, aut nihil educat: Quem commendabilem plane morem plerique ſequuti, antequàm dejectorium medicamentum exhibeant, alvum ſolent injectis clyſteribus iteratò lenire, ut nimirùm pateant ductus ad humorum illuviem expurgandam: in vomitoriis autem, ventriculum curant juſculis madefacere, atque in nauſeam deducere, ne humoribus vacuus inutiliter concitetur; vel, iiſdem tenaciter hærentibus, plus æquo ad evacuationem, non ſine gravi noxa, exagitetur: quapropter illum, & finitimas partes, præſtat humoribus ſcatere, ut facilior, & felicior vomitio ſubſequatur. Succi quoque, & humores ipſi evacuandi faciles, & parati ad exitum eſſe debent; quamobrem craſſos, tenaceſque attenuare, & incidere, itemque inutiles ab utilibus ſeparare, atque in propria emiſſaria deducere expediet, ut aliàs cum Galeno hoc ex loco meminimus: hac enim ratione fluere ii facilè poterunt, atque adeò, vi purgantis medicamenti, nullo pene negotio educi. Id autem præſtare, quæ vulgò exhiberi ſolent, ex melle, & ſaccharo parata medicamenta, julapia, ſyrupos, potioneſque conditas, credat, qui velit. Mihi verò perſuadeo opportuna potiùs, convenientique diæta poſſe idipſum efficaciùs haberi; quippè compertum eſt, ea ſola digeri, attenuari, & abſumi quaſcumque corporis impuritates; quamquàm non omnibus indiſcriminatim pari modo præſcribenda, ſed pro varietate corporum, Ætatum, regionum, aliarumque circumſtantiarum varianda ſit. Verumtamen ſi unquam medicamentis præparantibus utendum, ſatis erit adhibere Tartarum Vitriolatum, Cremorem ejuſdem deſcriptione Quercetani, Electuarium ex Abſynthio, Mentha, vel baccis Juniperi, in humoribus craſſioribus; in tenujoribus verò pulverem oculorum Cancrorum, Sal Cardui benedicti, vel Centaurii minoris, Nitrum fixum, Salem prunellæ, idque genus alia, ſoluta in aliquo liquore, ut meliùs vitioſos humores diluant, & citiùs ductus corporis pervadant.

Neque verò omnes quoſcumque educendos humores regula hìc ab Hippocrate tradita excipit, ſed eos dumtaxat, qui præter naturam cum ſanguine ſunt commiſti, atque inducias præbent, ut prævia coctione, ſecretioneque tutiùs repurgentur, atque educantur, ut potiſſimùm in febribus accidit. Qui enim turgent, aut alicubi hærentes urgent, nec moram patiuntur, quo citiùs fieri poteſt,

ante-

antequam majora damna, & lethum afferant, exturbandi, & educendi; quemadmodùm in Apoplexia, Hydrope, doloribus Articulorum, affectione Colica, aliisque, communis praxis observat.

APHORISMUS X.

Non pura corpora quanto plus nutries, tanto magis lædes.

SIve Aphorismus hic referatur ad præcedentem, sive ad superiorem octavum, non est, ut tàm solliciti simus examinare, quemadmodum anxiè admodùm nonnulli allaborant, ordinem in hisce sententiis perquirentes, cùm unicuique perspectum esse putemus, doctrinam hìc ab Hippocrate traditam, semper, & ubique consideratam, veram esse. Corpora equidem non pura pravis omninò scatent humoribus, quibus cùm sanguis, tùm fermenta viscerum perpetim inquinantur, eaque præsertim, quæ coctionibus, secretionibusque sunt dicata: Quamobrem alimentum, quod primò incipit in ventriculi digestione à naturali conditione desciscere, mox etiam in reliquis visceribus magis, magisque depravatur, ac deinde arterias, venasque ingressus, nec nutrire, nec vitam sustinere valet; unde Cachexiæ, Marcores, Febresque mali moris exoriuntur. Impura ergo corpora quo plus cibis implentur, eo copiosioribus succis inutilibus infarciuntur, ut proinde iisdem gravata lædantur potiùs, quàm nutriantur. Quare præstabit ab inquinamentis primùm ejuscemodi corpora repurgare, deindè alere.

Hinc autem manifestè colligitur, non solùm corpora convalescentium, & impura, paulatim esse reficienda, sed etiam iis ciborum generibus nutrienda, quæ succorum in stomacho, aliisque visceribus redundantium pravitatem valeant emendare. Et quamvis Hippocrates referat *primo epidem.* eos solùm ex pestilenti quadam constitutione servatos, qui se liberaliter invitarent, ut propterea aliquandò saltem conferre videatur impura licèt corpora lautiùs nutrire, & cibis implere; si tamen lues ejus tempestatis exactiùs perpendatur, palàm fiet, id speciatim ægrotantibus tunc accidisse, quòd omni prorsùs appetitu destituerentur: quamobrem ii dumtaxat evadebant, qui sibipsis vim veluti inferentes cibum assumerent, quo nimirùm pestiferæ illius luis conditio, & malitia retunderetur, viresque quodammodò servatæ violentiam morbi evaderent, nè omninò extrema inedia fatiscentes corruerent. Cæterùm res aliter in aliis tractanda est.

APHORISMUS XI.

Faciliùs est impleri potu, quàm cibis.

ETiam de iis, qui à morbo convalescunt, sermonem hìc habet Hippocrates, atque refectionis modum referens, quo illi in pristinum statum tutiùs redire possint, docet, præstare eos impleri, seu refici potu, quàm cibis.

At pro potu, non eam intelligit cujuscumque liquoris sorbitionem, qua potissimùm ad sitim extinguendam utimur, sed, cùm agat de reficiendis convalescentibus, voluisse indicare videtur alimentum in potionis formam dissolutum, cibum scilicèt potabilem, qui facilè exsolvatur, & citò in cor, cæterasque corporis partes per arterias traiiciatur. Quod sanè liquere potest ex his, quæ ab eodem scripta sunt in libro *de alimento*; inquit

inquit enim, *quotiescumque opus est certissima, & promptissima refectione, tunc humidum alimentum, ad instaurandas vires, valdè est conducibile: quemadmodùm ubi adhuc celeriùs est reficiendum, opus est odoratu*. A cibis autem, seu solidis alimentis, graviùs planè se habet corpus, quod nuper convaluit; quippè à morbo languidum remanet, illiusque operationes universæ hebetes, & imbecillæ, unde solida alimenta, nec tàm benè, nec tàm citò confici queunt, ut in substantiam aliti commutentur; quamobrem tutiùs, cautiusque labiles, & facilis digestionis cibi, quàm duri, & solidi exhibebuntur, quales potissimùm liquores carnium, & jura, ptisanæque cremores ritè concinnati.

Quamvis autem, attenta faciliori ciborum digestione, ac distributione, in rationabilem sensum Hippocratis sententia revocetur, non tamen quis hinc generatim existimet, liquidum, ac potabile alimentum solido semper esse præferendum: etenim quæ dentibus conficiuntur, nedùm citiùs exsolvi solent, & in perfectum chylum commutari, sed etiam in accommodatius alimentum verti. Valdè siquidem conducit ad ciborum in ventriculo dissolutionem saliva, quæ sale quodam abundat fermentationi promovendæ peropportuno, quo videlicèt, & panificium fermentum quis posset excitare, ac fortè fortuna amissum restituere. Constat autem aliundè ocyus salita, quàm insulsa fermentescere, & exsolvi, atque ciborum reliquias in dentium intercapedinibus remansas spontè sua per salivam quodammodò chylificari.

Tunc igitur satiùs erit potulenta convalescentibus commendare, cùm sanguis acrior videtur, & corpora salivario rore carentia multa macie confecta sunt, atque viscera imi præsertim ventris exaruere, ut potissimùm Hecticis accidit. Quibus verò stomachus à muccosis succis languet, saliva abundantior est, & acidi ructus frequenter accidunt, solidi potiùs cibi illorum malitiam temperantes commendabuntur.

Non desunt autem, qui Hippocratem asserant, non de quacumque refectione loquutum, præsertim verò, quæ cum nutricatione coincidit, sed solùm de virium, seu spirituum restauratione, quibus liquida, & potabilia plurimùm conferunt: sic Julapium Vitale, Elixir vitæ, Aqua magnanimitatis, Spiritus refectivus, Aqua vitæ exhilarans, Aqua restaurans, Tinctura alkermes, & similia, veluti momento temporis cor roborant, & distractas vires reficiunt, quoniam nulla in ventriculo mora, illicò vitales partes petunt, & cum sanguine commista, cordi, totique corpori succurrunt. Et quidem nil æquè ac vinum, vinique spiritus, eique analoga, id citissimè præstare videntur; cùm experiamur vix ore degustata, palati, & linguæ papillas, porulosque subire, seque in auras extenuata interiores partes pervadere, & vivificare.

Neque verò hinc quis ambigat tenuissimos ejuscemodi halitus nulla ratione nequire solida quoque membra restaurare; cùm & illi queant denuò intrà corpus cum cæteris liquoribus subacti in concrescentem succum verti, nutricationi aptissimum: Hoc pacto Arbores è terræ succo, in vaporem elato, immò & pleræque plantæ solo vapore aqueo augescunt, & nutriuntur. Atque ex Physicis melioris notæ viri sunt, qui volunt animalium partes tenuissimo solùm succo, ex chyli portionibus purioribus elicito, ali, atque compingi. Sic

etiam

etiam ex duriſſimis corporibus tenuiſſimos liquores ope chymica extrahi videmus, ipſoſque in duriora deinde corpora coagulari, ut propterea viciſſim nullo penè negotio res quaſcumque & dilui, & concreſcere poſſe, jam ſatis unicuique notum ſit.

APHORISMUS XII.

Quæ relinquuntur in morbis poſt judicationem, recidivas facere conſueverunt.

JUdicantur plerumque morbi ſalubriter criticis evacuationibus per ſudorem, vomitum, dejectionem, urinam, ſimileſque egeſtiones, quibus eorumdem cauſæ omninò ſubactæ, & ſecretæ, à Natura extra corpus expelluntur. At verò aliquando licèt exactè terminati, ac devicti videantur, ob reliquias tamen vitioſorum humorum alicubi relictas, poſt aliquod tempus redeunt, & recidivi morbi appellantur. De his ergò monet Hippocrates, nè omninò fidant Medici ejuſcemodi ægritudinum remiſſionibus, quoties Criſes perfectæ non ſunt, nec Cauſæ morborum fuerint penitùs ſecretæ, atque extra corpus expulſæ.

Et quidem morbos omnes, quos materiales appellant, eouſque perſeverare, quouſque Cauſæ illos foventes, & conſervantes in corpore perduraverint, in confeſſo eſt apud omnes: Hæ autem vitium in ſanguine, & viſceribus inducentes fermentationem procul dubio indebitam promovent, qua portiones utiles, & ſalutares cum inutilibus, & nocuis commiſtæ commotionem non levem univerſo corpori inferunt, unde febris, inquietudo, vigilia, dolor, aliaque graviora ſymptomata exoriuntur. Concitatam modò fermentationem ſubſequi neceſſe eſt inutilium ab utilibus ſecretionem, præcipitationemque, ut morbus in ſalutem deſinat; ſin ſecùs, mors præſto erit.

Debent itaque Cauſæ morbificæ, & fermenta viſcerum præter naturam excitata, omninò ab utilibus, & ſalubribus humoribus ſejungi, ac tandem eliminari, ut corpus in naturalem ſtatum redeat, idque Criſis eſt, ſeu Judicium, de quo idem Hippocrates aliàs protulit: *Quæ judicantur, & judicata ſunt integrè, neque movere, neque novare oportet, ſed ſinere*, 1. *Aphor.* 20. Quòd ſi contingat, reliquias ſaltem præternaturalium fermentorum in corpore remanere, atque alicubi latitare, procul dubio morbus ex nova inconvenienti fermentatione evectus brevi redibit.

Non tamen dixit Hippocrates, quę relinquuntur in morbis poſt judicationem, recidivas neceſſariò facere, ſed tantummodò ſolere. Interdùm enim reliquiæ iſtæ ſenſim poſt judicium diſſipantur, cùm obſervemus lentè admodùm à morbo convaleſcentes, fortè ex iſtiuſmodi reliquiis, paulatim appetitum, conſuetum colorem, robur, & carnes recuperare, abſumptis intereà, atque evaneſcentibus his, quæ in corpore relicta erant. Jure ergo Recidivæ timendæ ſunt, cùm evacuationes naturales, & conſuetæ denuò ſupprimuntur; vires nihilum reficiuntur, ſtomachus adhuc languet, vel nauſea tenetur, nec benè cibum conficit, etſi convenienter alatur, non tamen in melius proficit convaliturus. Si præterea Morbus ſine cauſa evidenti, aut manifeſta Criſi remittatur, haud erit de recidiva dubitandum, nàm his, quæ non ex juſta cauſa fiunt, fidere non oportet, *hoc eod. lib. t.* 27. Adiicit & aliud relabentis morbi indicium Hippo-

crates *in Coacis prænotionibus*, si videlicèt Urina in febrientibus densum, crassumque sedimentum contineat, divulsum tamen, atque distractum: etenim quod densum est, difficilè dissolvitur, difficiliusque repurgatur; quocircà saltem ex parte in venis, & arteriis remanens, febrem facillimè revocabit, ni sudor ubertim profluat, aut alvi fluxus superveniat; quibus scilicèt crassiores succi egeri queant.

Quæ de Revertentibus Morbis scribit Hippocrates, nos ad commutantes quoque protrahimus exemplo à Pleuritide, & Peripneumonia desumpto. Siquidem non rarò experimur depressam, ex pleuritide, aut peripneumonia subacta, febrim protinùs redire, inducto nimirùm empyemate; quoniam purulentus humor ex pleuritide domita relictus, Thoracis cavum occupans febrim denuò promovet, & quandoque priore pejorem. Differt autem recidivus Morbus à commutato, quoniam in hoc causa variat cum symptomatis, at in illo utraque invariata perseverant.

Cur autem morbificæ causæ post morborum judicationes relinquantur, ratio multiplex esse potest, quæ tamen ad Medici, aut Ægrotantis errores, ad naturæ imbecillitatem, vel ad fermenti morbifici repugnantiam, rationabiliter refertur. Ad Medicum quidem, si fortasse in declinatione morbi inchoatam crisim impediat, vel prævertat, putà si, comparente sudore critico, pharmacum exhibeat, cohibentia medicamenta propinet, cutim, & humores constipantia. Ad Ægrum, si diætam debitam non servet, seque frigido ambienti exponat. Ad naturam, si præ languore non valeat Crisim perficere, atque universa recrementa morbosa repurgare. Denique ad fermenti morbifici repugnantiam, si tenax, viscosum, multum, rebelle, malignum illud sit, ut in parotidibus, cæterisque abscessibus, plerumque contingit. Verumtamen speciales quandoque temporum constitutiones recidentes morbos afferre solent, ut dicitur 1. *epidem.* tanta est vis aeris in perturbanda humani corporis œconomia, nedùm inspiratione, sed ambitu.

Ut his ergo incommodis, ac recurrenti Morbo solers Medicus occurrat, inchoatam, imperfectamque crisim expleat, rebelles, ac viscosos succos attenuet, ac dissolvat, obstructos meatus reseret, Naturæ robur adiiciat, nervosq; omnes unà intendat, ut relicta inquinamenta per conferentia emissaria educat. Atqui fieri potest, ut protrusus magna ex parte vitiosus humor criticè per vias Urinæ, vel Sudoris, residuus per alvum sit egerendus, fortè quia crassior, compactiorque, non aliter quàm cathartico medicamento exturbari queat. Sed & non rarò etiam accidit, ut reliquiæ istiusmodi morborum certam quamdam fermenti vim, conditionemque nanciscantur, aptam utiles quoque liquores inquinare, quæ sensim adeò increbescere solet, ut tractu temporis potentior reddita majora detrimenta pariat. In his autem ægritudinibus etsi magna promoveatur evacuatio, nisi ejusmodi quoque fermentum educatur, nunquam ægri bene convalescent. Quò fit, ut sæpissimè modico sudore, levi vomitu, pauca dejectione, vel etiam per urinam excretione, graves cæteroqui morbi desinant, qui magnis, iteratisque evacuationibus abigi non potuerunt. Porrò jam satis liquet, febrile fermentum, in febribus præsertim periodicis, extingui à Cortice peru-

viano,

viano; quod valido purgante pharmaco adhuc iterato, nunquam cederet. Hos equidem contumaces morbos à latentibus hisce fermentis inductos, efficacius præ cæteris fugari experti sumus Antimonio diaphoretico, & Bezoarticis cujusvis generis ritè præparatis, quæ nimirùm efficacius pervadunt, & vi, potestateque potiùs corrigendi, quàm evacuandi, latentes hos, & rebelles succos extenuant, & eliminant.

APHORISMUS XIII.

Quibuscumque Crisis fit, iis nox gravis ante accessionem; quæ verò subsequitur, magna ex parte levior existit.

QUamvis Morbi plerumque iteratis paulatim solvantur egestionibus, rarenter verò judicentur; non est tamen, ut aliquando saltem perfecta Crisi subito desinant, quæ propterea Medicis dicitur: *Subita in Morbo, vel ad salutem, vel ad Mortem mutatio, cum notabili materiæ motione.* Illam autem non aliter fieri contingit, quàm concoquente, & segregante Natura à bonis mala, adeòque per fermentationem subigente, quæ ipsi adversa totius Corporis œconomiam perturbarant, ut in Apostematum maturatione, atque puris concoctione, manifestè patet. At verò in hac concoctione, secretioneque, magna percipitur agitatio, pari fermè modo, ac in musto fermentescente experimur, cujus partes tenues, & mobiles à crassioribus, & fæculentis necesse est extricari, ut in perfectum Vinum commutetur. Hac ergo de causa futuram crisim accidit agitationes, molestiasque præire, quibus ægri noctes plurimùm insomnes, & inquietas patiuntur. Hinc quod plerisque dicitur ante accessionem, vertunt alii ante judicationem. Sed revera nunquam Crises accidunt, nisi in paroxysmis ægritudinum, cùm nimirùm Natura Causam morbosam adoritur, ac subigere conatur; unde perindè erit ante accessionem, ac ante judicationem, in accessione contingentem, molestias, inquietudinesque persentiri.

Meminit autem Hippocrates potiùs noctis, quàm diei: quoniam nocte, etiam levia graviora percipiuntur, cùm id tempus quieti destinatum sit, & mens minùs distracta esse soleat; quamobrem dolores, perturbationes, & cætera symptomata per noctem experimur molestiora. Accedit, quòd noctu ex Aere densiori, & frigidiori, perspirationes in nobis quodammodò inpediuntur, ac retardantur, unde sanguis ipse, & viscera Corporis, magis infici, & divexari solent.

Quæ verò sint mala Crisim præcedere solita, refert idem Hippocrates 1. *epidem.* & *lib. prænotionum*: & quidem, si futura sit hæmorrhagia ex naribus, præcedet vertigo, oculorum rubor, squallor, hebetudo, & illacrymatio, aurium tinnitus, pruritus narium, Capitis dolor, temporum pulsatio, venarum Colli inflatio, & phantasmata per Somnum erunt repræsentantia prælia, rixas, ignem, resque ignitas, ut de eo memorat Galenus, qui volantem ignitum draconem somniaverat. Si Vomitus, præerunt Nausea, & ciborum fastidium, dolor, & morsus stomachi, oris amarities, inferioris labii tremor, & contractio, faciei rubor, Somni turbulenti, Corporis jactatio, Cordis palpitatio. At verò si alvi fluxus; ventris onus, tormina, ac rugitus, hypochondrio-

driorum inflatio, cum deiiciendi cupiditate. Si præterea per Urinam Crisis immineat; illa repentè turbabitur, æger sæpiùs micturiet, Renum, & Vesicæ dolore gravabitur, interque mingendum ardore afficietur. Si demùm per Sudorem; difficilis, & crebra respiratio, præcordiorum æstus, partiumque externarum calor, & mador præcedent, æger ad somnum inclinabit, urina parcior fiet, atque arteriarum pulsus, majori quadam expansione, fluctantis motum referet.

Hæc, & id genus alia, pro Crisium varietate accident nocte præcedente; sequenti verò, leviora planè erunt omnia, & æger ipse meliùs se habebit; immò, si critica evacuatio perfecta fuerit, atque Causa morbi omninò fuerit evicta, & expulsa, non solùm Nox, quæ sequitur magna ex parte levior fiet, sed etiam ægrotus convalescet. Hunc autem ferendo esse oportet, nam viribus ex Crisi infractis, de vita verendum; unde dicebat Hippocrates *in Coacis prænotionibus*: *quandoque in optimis Crisibus ægri pereunt*: Nimirùm ubi vires non sufferunt.

Atque hinc salutaris Criseos indicia patebunt, nec non cujuscumque evacuationis exitus. Quippè si subindè morbus cum adjunctis symptomatibus penitùs, vel magna ex parte cesserit, & vires tulerint, profectò res succedet ex voto; sin secùs, omnia ruent in interitum.

APHORISMUS XIV.

In profluviis Alvi mutationes excrementorum juvant, nisi ad mala mutatio fiat.

EGestiones per alvum habitæ, quemadmodùm sæpenumero salutares sunt, ita nonnunquam valdè perniciosæ. Neque solùm, ut habet hoc loco Hippocrates, malæ debent existimari; cùm succedentes fiunt ad mala mutationes, verùm etiam cùm immoderatæ sunt, & tormina, ac dolores inducunt, internamque intestinorum tunicam erodunt; siquidem præter Diarrhœam, & Dysenteriam, solent Tabem, & totius Corporis consumptionem afferre.

Distinguere consueverunt pleriq; Medicorum ejuscemodi per alvum evacuationes, in Stomachicas, & Jecorarias, atque illas à Ventriculo malè concoquente, & in excrementa cibos commutante oriri ajunt; has verò è Jecore intemperato ad frigidum quidem, ut in fluxu, quem Hepaticum vocant; ad calidum verò, ut in Diarrhœa, & Dysenteria.

Verùm licèt aliquando in Lienteria, & Cœliaca affectione deiiciantur cibi non dum digesti, qui Ventriculi defectum arguant, haud tamen putandum, ejusdem semper vitio hujus generis dejectiones haberi. Siquidem non raro à depravatis succis pancreatico, & felleo, importunæ, ac immodicæ evacuationes oriuntur: cùm enim in eum usum succi isti à Natura sint destinati, ut transeuntem chylum per intestina gracilia diluant, atque à fæculentis portionibus repurgent, si fortasse aquei, viscosi, inertes, aut aliter præter Naturam sint affecti, vel illorum ductus obstructi, nulla, vel mala secretio fit, unde simul cum fæculentis partibus, chylosæ, & alibiles pariter egeruntur. Atque hinc est, quòd in his conferant salita, acida, acria, austera, quibus scilicet succi illi corrigantur, vigorentur, vel per proprios ductus confluant in Intestina.

De Fluxu verò Jecorario, nemo est, vel leviter in rebus Anatomicis ver-

versatus, qui nesciat omni culpa carere Jecur in ejuscemodi alvi profluviis, cùm jam satis, superque constet, nec ipsum sanguificandi munere fungi, nec ex illo per venas sanguinem ad Intestina permeare, sed potiùs ab his in illud revehi. Atqui in Dysenteria, & Diarrhœa, si ab Hepate per venas in Intestina acres illi, & erodentes humores derivarent, procul dubio laxatis, apertisque venis, una simul cum humoribus sanguis ipse affluenter prosiliret. Verùm hęc fusiùs à nobis discussa sunt in Praxi *cap. proprio de Alvi fluxu*.

Ut ut autem ista se habeant, memorat hìc Hippocrates mutationes excrementorum juvare in alvi profluviis, nisi ad mala mutatio fiat: etenim cùm in Lienterico, ac Cęliaco fluxu egestiones, quæ antea albæ, chylosæ, & fluentes admodùm erant, coloratæ comparent, repurgatæ, & consistentes, naturalem conditionem induunt; ut etiam de acido ructu superveniente protulit idem Hippocrates. Sic pariter excrementa 6. Aph. 1. Diarrhœam, ac Dysenteriam comitantia, nigra, fætida, purulenta, ubi malitiam horum exuerint, atque in flavum, minusque olentem humorem commutantur, argumento sunt, Naturam in pristinum sanitatis statum redire, facilèque in posterum moderari posse fluentium excrementorum malitiam, & originem. At verò quotiescumque evacuationes uniusmodi sunt, & sibi similes continenter prodeunt, Morbum, causamque Morbi persistentem, contumacemque significant.

Meliùs igitur erit in alvi profluviis excrementa sensim apparere mutata, neutiquàm verò in pejorem deducta conditionem, ut cùm è flavo in nigrum, è minùs olente in fætidum, è consistente in corruptum humorem abeunt; ut propterea prudenter sanè adjecerit Hippocrates, *nisi ad mala mutatio fiat*. Hac de causa exitiosæ sunt dejectiones in Dysenteriis, quæ è pallidis in croceas, in virides, in atras; è crassis in dilutas, & putridas; è stercorariis in pingues, & strigmentosas transeunt. Mutationes etenim istę nulla ratione prodesse possunt, utpote à naturali statu plurimùm recedentes; quamobrem utiles solummodò censendæ erunt, quæ ad Naturæ consuetum redeunt, vel saltem non multùm à sanitatis statu deflectunt.

APHORISMUS XV.

Ubi fauces ægrotant, aut tubercula nascuntur in Corpore, excretiones inspicere oportet; nam si biliosæ fuerint, Corpus unà ægrotat; si verò similes sanis fiant, tutum est Corpus nutrire.

Attulit præcedenti Aphorismo Hippocrates, loco exempli, Crises per dejectionem factas, nunc eas, quæ per abscessum contingunt examinans, utitur exemplo glandularum tumefactarum, atque tuberculorum in corpore erumpentium, aitq; intumescentibus faucium glandulis, vel erumpentibus tuberculis in Corpore, an non idem nutriendum sit, excretiones observandas esse: etenim si illæ biliosæ fuerint, indicium erit, Corpus, ejusque interna viscera una simul ægrotare; si verò sanorum egestionibus similes sint, tutum erit Corpus nutrire.

Conjecturas hìc itaque recenset ab apparentibus ad recondita, quibus de nutricatu, refectioneque Convalescentium à morbis certò statuat, si fortasse consanescant; facta vitiosi hu-

humoris in glandulas, & cutim Corporis depositione, num inde impurùm adhuc illud remaneat; idque ab excretionibus coniicere satagit, unde omninò repurgatum possit tutò pleniori cibo nutriri; sin secùs, purgare priùs expediat, mox alere, juxta regulas superius traditas.

Neque verò de Angina intelligendus est Aphorismus, ut malè pleriq; interpretantur. Etenim si de ea, quę musculorum gutturis, & faucium inflammatio est, sermonem Hippocrates instituisset, non planè de convalescentibus ex Abscessu, sed de omninò morbosis Corporibus ageret; adeòque malè fuisset adjectum: *Si verò sanis similes, tutum est Corpus nutrire*. Igitur de Abscessibus ad glandulas faucium, & colli, itemque de tumoribus erumpentibus ad cutim omninò loquutus est. Et quidem iteratis observationibus est compertum, solere glandulas tum internas, tum subtercutaneas, quibus universum ferè Corpus refertum est, in plerisque ęgritudinibus vitiari, immò reliquorum omnium viscerum affectiones promptè subire, quòd vasa quæcumque tum sanguinem, & nervorum liquorem, tum lympham deducentia, in se excipiant, & moderentur, unde harum malè affectarum causa plerumque accidit ægrotare, vel ægritudinum crises per abscessus admittere. Quamobrem non immeritò Hippocrates tumefactarum adenum, & tuberculorum in habitu Corporis prodeuntium exemplo speciatim hìc usus est; quippè humores quicumque per vasa Corporis excurrentes in ipsas deducuntur, ibique commiscentur, atque ab impuritatibus repurgantur. Hinc triplici de causa nedum faucium glandulas, sed cunctas propemodùm contingit ægrotare, indeque tubercula progi-

V. Hipp. lib. de Glandul

gni; vel scilicet vitio sanguinis, lymphæ, & liquoris nervorum minimè à recrementis repurgati; vel impedita per poros cutis perspiratione; vel denique earumdem glandularum vitio, quæ nimirùm nec excipiant, nec deducant, nec bene permeantes succos repurgent, aut emendent. Meminit autem Hippocrates biliosarum hìc solummodò excretionum, non quòd à reliquis aliis excrementorum vitiis illas affici non contingat, sed quia in acutis ægritudinibus hujus generis excrementa plerumque excitari solent; quippe quę acriorem sanguinis constitutionem, & inflammabilem naturam consequuntur, unde febres æstuosæ, sitis, oris amarities, dolor, vigilia, & consimilia symptomata exoriuntur. Cùm itaque excreta ista mala sunt, totum corpus adhuc infectum denunciant, nec sufficienter ex abscessibus fuisse repurgatum, ideòque tutò nutriri non posse, nisi fuerit omninò ab inquinamentis detersum, & evacuationes similes sanis habeantur.

Sub excretionibus autem, quas inspiciendas vult Hippocrates, non solùm, quæ per alvum, sed etiam quæ per vias urinæ, aliosque ductus fiunt, comprehenduntur; undecumque enim illæ prodeant, corporis statum designant.

Notantur pariter hìc tubercula speciatim extrinsecùs apparentia; licet consimilibus tumoribus ferè semper interiora quoque afficiantur. Anatome quippè pluries observatum est, tumores in collo, & faucibus erumpentes occupasse primùm Mesenterium, Pancreas, aliaque Viscera adenosa, ut in Variolis quosque accidit; quamobrem non mirum si, ob consensum partium per glandulas, putaverint plerique ab ipsis bene,

ne, vel malè affectis de totius habitudine judicium ferri posse. Frustrà igitur ejusmodi tubercula tollere adnituntur, qui toti sunt in lituris, lotionibus, & emplastris adhibendis, cùm tamen oporteat internis medicamentis concretos ibidem humores dissolvere, & extenuare, repurgatis quoque à sanguine, cæterisq; utilibus humoribus, quæ retenta sunt, excrementis. In hunc sane usum valdè conferunt (præ cæteris, adhuc purgantibus) Antimonium diaphoreticum, Sanguis hircinus, Cornu Cervi, Sperma Ceti, Nitrum fixum, extractum hyperici, pulvis Viperarum, & omnia salia volatilia, quibus scilicet, & diaphoresis, & diuresis facilè possit promoveri.

APHORISMUS XVI.

Ubi Fames, laborandum non est.

REdit Hippocrates ad enarrandas cautiones reficiendorum Corporum, atque hoc Aphorismo docet, non esse simul, convalescentibus potissimùm, injungenda inediam, & laborem, cùm Natura duplicem evacuationem ferre nequeat; unde ait: *Ubi fames, laborandum non est*; vel ut vertere visum est aliis: *ubi Corpus inedia conficitur, vel confectum est, laborare non debet.*

Quamvis autem de fame solùm videatur loquutus, tacite tamen (ut monet *in comment. Galen.*) cætera quoque inanientia subintellecta voluit, ut proindè hujus sententię summa sit, duplici simul evacuatione nunquam utendum, ne vires dissolvantur, & Natura omninò succumbat, cùm aliàs ex eodem Hippocrate doceamur, magnum studium habendum esse, præsertim in ægrotantibus, fortem servare Virtutem.

lib. de alim.

Atque hinc sanè non leve argumentum sumere licet ad redarguendos eos, qui ex Hippocrate cùm præcipiant victum valdè tenuem, & quandoque etiam tenuissimum, in morbis acutis, iteratas tamen phlebotomias, aliasque evacuationes præscribere non verentur, magno Virium dispendio. At verò prudenter hìc Galenus admonet: *Sanis non sunt præcipienda exercitia simul, & inedia, neque etiam ægris aliquis vehementior motus adhibendus, unà cum cibi abstinentia, neque sanguinem mittere oportet, neque citare vomitum, neque purgare, neque multa uti frictione, neque in universum aliquo forti motu, vel Corporis alteratione: In talibus siquidem motibus omnibus, ubi cibus defuturus sit, vires dissolvuntur, sive ægrotent, sive etiam sani sint homines.* Hactenus Galenus.

Verùm non quemcumque motum, laborem vocat, sed qui lassitudinem inferat: etenim solent Medici simplicem motum, ab exercitio, & labore, distinguere, ac per sudorem, & lassitudinem dimetiri; & quidem levem Corporis agitationem, motum appellant; cum sudore, & anhelitu, exercitium; laborem denique, ad lassitudinem, & defatigationem usque deductum. Hoc autem loco specialius videtur notatus Labor, quo nimirùm Corpora virium dispendium patiuntur, quas plurimùm licet credere inedia resolutas. Modò per laborem sanguis citatior redditur, ac tenuior, qui profectò facillimè expirat per poros Corporis, eadem occasione patentiores, unde sudores etiam affluentius emanant, universaque fere membra fatiscunt.

Quoniam verò famis mentio ab Hippocrate facta est, jure posset quis dubitare, de qua fame exponen-

nendus ille sit. Et sanè cùm de Convalescentibus reficiendis agat, famem potiùs naturalem intelligere fas est, cujus nimirùm causa sollicitamur ad exquirenda alimenta. Aliàs enim meminimus, à succis quibusdam acido-acribus Ventriculi os superius proritari, cùm is vacuus est; alimenta verò ingesta dissolvi, cùm est repletus. Cùmque per laborem sanguis potenter extenuetur, & vires langueant, si fortasse è vacuo per famem Ventriculo nil possit suggeri, quod sanguinem, & vires reficere queat, profectò ex languore nimio totum Corpus grave vitæ periculum subiret. Verumtamen famem idem Auctor consuluit solùm in humidioribus temperaturis. 7. *Aphor.*59.

Quousque autem Vita, summa cum inedia, & absque ullo cibo, ac potu, sustineri queat, jam diù quæsitum est apud Medicos. Et licèt ab Hippocrate scriptum sit *lib. de Carnibus*, seù *de Principiis*, non ante septimum diem illam esse exitialem; & Plinius *lib.*11. *cap.*54. adhuc ultra undecimum plerosque durasse referat: experimentis nihilominùs innumeris observatum ab aliis est, etiam ad menses integros, atque ad annos, incolumem fuisse productam. At quamvis id factum crediderim in quibusdam ex peculiari Corporum, & succorum constitutione, fortè etiam non sine eorumdem vitio, atque ægrimonia: in cæteris tamen universim non diutius Vitam naturaliter prorogari posse, ut sine cibo, ac potu hebdomadas transcendant, vix induci possum, ut credam, si potissimùm succi ciborum dissolutionibus destinati, & Ventriculus in suis operibus bene se habeant. In multis Animalibus expertum se fatetur Clarissimus Redius infrà quadragesimũ diem dumtaxat perduratam; verumtamen Homines, beneque valentes, ipse existimaverim, haud difficulter quartumdecimum transilire posse; quin & post octavum bulimon incurrere, quo nec ampliùs deindè famescant, nec cibum capiant, illumque fortasse assumptum, vel per vim inditum, nec retineant, nec conficiant, ut aliquando observavi. Qui ergo referuntur ad plures menses, & annos sine ullo cibo vixisse, præter naturam planè affecti, in succis Ventriculi, & intestinorum dissolventibus, vitium aliquod passi sunt; unde ad cibos exquirendos minimè sollicitarentur. Sed & sanguis pariter ejusmodi sanè constitutionis fieri potest, ut vel minimùm, vel nihil admodùm extenuetur, & absumatur, æquè ac animalibus iis accidit, quæ per hyemem in latibulis degunt absque cibo. Viscerum quoque, & membrorum textura plurimùm in idipsum confert, si non tam laxa, ac tenuis sit, ut celeri consumptioni subiiciatur: etenim quibus cutis densior est, nec facilè perspirationi patet, leviorem planè patiuntur corporis dissolutionem. Simile quid accidit iis, qui ingenti timore, ac vehementi mœstitia correpti, omni penè ciborum desiderio destituuntur, & inediam ad plures dies sufferunt. Qua ratione crediderim, quamobrem nonnulli sub ædificiorum ruina ad hebdomadas supervixerint: & pleræque volucres intra nives semestri spatio immobiles persistant, sed adhuc in vita perdurent. Porrò in his, impedita perspiratione, sanguis non difflatur, ideòque nec novo pabulo eget, ut continenter reficiatur. Quamquam & Aer ipse sive inspiratus, sive per poros cutis, aut aliter exceptus, potest in aliquibus ita sanguinem temperare, ut sine

evi-

evidenti consumptione, is diutiùs perennet; & sicut peculiares quædam Aeris constitutiones solent quibusdam talem famem excitare, ut pluries in die cibum sumere cogantur; ita ex adverso aliæ poterunt, in certis saltem habitudinibus corporum, illam obtundere, ut queant absque cibis in longum tempus perdurare; Cujus fortè constitutionis fuit ille, quem memorat Olympiodorus ex Aristotele solo Aere, & Sole sustentatum. Hinc non omninò fabulosum putandum est, quod scribit Plinius *lib.7.cap.2.* confirmatq; Strabo *lib.15. de situ Orbis*: *ad extremos fines Indiæ ab Oriente circa fontem Gangis Astomorum gentem sine ore, halitu tantùm viventem, & odore, quem naribus trahunt, nullum illis cibum, nullumque potum esse* Odore etiam plurimos sibi vitam prorogasse, posteritati traditum, ut de Democrito Laertius, & de Homero, qui ejus vitam descripsit, memorant. Refert quoque Xiphilinus ex Dione, Britannos cibum parare consuevisse, qui ad unius fabę quantitatem gustatus, & famem, & sitim penitùs inhiberet. Feruntur & Indi beneficio cujusdam herbæ, *Coca* ipsis dictæ, ac ore gestatæ, famem à seipsis repellere: quod etiam à Scythis factitatum meminit Matthiolus *in Præfatione ad Dioscor.* Cæterùm in aliis, qui diutiùs cibis caruisse narrantur, vel impostura locum habuit, vel virtus Divina præluxit.

APHORISMUS XVII.

Ubi Cibus præter naturam plus ingestus est, hic morbum facit: ostendit autem sanatio.

MEdiocritatem omninò servandam esse in Natura certissimum est apud omnes, præsertim verò in alimentorum sumptione, ut propterea superioribus Aphorismis dixerit idem Hippocrates: *Non satietas, non fames, nec quidquam aliud, quod modum Naturæ excesserit, bonum*. Nunc verò Cibi quantitatem in Convalescentibus præscribens, nocuum inquit esse cibum præter naturam ingestum, quoniam morbum facit, ut patet ex illius sanatione. Dixit autem *præter naturam*, sive ut alii legunt, *ultra Naturæ exigentiam*, ut nimirùm designaret cibi ingesti quantitatem mensurandam esse à peculiari cujusvis Corporis constitutione: quę enim quantitas uni indebita, & excedens videtur, alii erit naturalis, & consentanea; quamobrem habendus semper est respectus ad ætatem, propriam Constitutionem, exercitia, incolatum, in ciborum administratione.

Sed & *præter naturam* explicari quoque potest, prout vires gravat, & Ventriculum plus justo replet: concoquentis quippè Ventriculi vis limitata est, & succi ejusdem non omnem ciborum copiam dissolvere queunt, sicuti nec certa aquæ stygiæ quantitas illimitatam metallorum molem diluere, & erodere valet. Fortè quoque dixerit *præter naturam*, habito respectu ad eorumdem qualitatem, conditionemque. Siquidem multa sunt, quæ pravitate solùm nocent, & sanguinem, ac viscera coinquinant, si tamen moderate sumantur innocua fiunt: extra modum verò, omninò infensa evadunt. Quamquam consuetudo in his plurimum valet.

Quoniam verò Hippocrates inquit, ex cibo præter naturam plùs ingesto Morbum fieri, non Mortem, adeòque admittere sanationem; inde pro-

profectò deducere possumus, excessum dumtaxat cibi assumpti illum hìc notare voluisse; sive autem excessus sit relatus ad cibum solito abundantiorem, ut de fæmina quadam idem Auctor in epidemiis testatur, quæ liberaliùs pasta, quo die judicata fuerat, recidit; sive ad vim, facultatemque Ventriculi, etiam moderatam ejusdem quantitatem exactè conficere nequeuntis, cùm multum, & paucum ad aliquid referantur, parum intererit. Nam & importunus, & insuetus, & impræparatus, & crudus, atque nec debito ordine, nec convenienti modo sumptus cibus, nedum convalescentibus, sed etiam sanis nocuus, & periculosus esse solet. *Cibus profectò*, inquit idem Hippocrates *lib. de loc. in hom. si vincit Naturam, efficit morbum*; Quare quocumque modo Naturam superet, præter naturam erit, atque adeò Morbum faciet.

Quòd denique ex cibo præter naturam plus ingesto morbus oriatur, subdit Hippocrates ostendere sanationem, nulla tamen mentione facta de morbi specie, aut de ejusdem sanatione. Fortaſsè voluit subintelligendas ægritudines ex cruditate, quam ferè omnes morbi consequi possunt, nisi etiam eamdem prægressam ægritudinem, & graviorem, ex indigestis, corruptisque cibis, redire existimaverit; aut etiam morbi nomine abusus, damnum, atque detrimentum indefinitè expresserit. Sanationem verò per vomitum, aut dejectionem, vel per inediam, implicitè complexus est: etenim mala ex cibis uberioribus, vel infestis orta, quàm citiùs vomitu, aut exacta diæta corriguntur. Quòd si interiores corporis ductus subierint, & viscera, ac sanguinem infecerint, nonnisi alexipharmacis curabuntur. Cæterùm à cibis abundantiùs ingestis, depravatis, aut corruptis, præter cruditates, proficiscuntur obstructiones, tumores, alvi profluvia, Choleræ, colici dolores, febres, idque genus alia, & pejora mala. Si prætereà cacochymi ii sint, seu insalubres, malique succi, etiam febres pestilentes oriri consueverunt, itemque vertigines, syncopes, Lethargi, Apoplexiæ, aliæque perniciosæ ægritudines, quas memorat Galenus, præsertim *libro de cibis boni, & mali succi*. Quamobrem si ex his morbi provenerint, pro illorum ratione varia, diversimodè quoque tractandi erunt.

APHORISMUS XVIII.

Eorum, quæ universim, & velociter nutriunt, veloces quoque fiunt excretiones.

SIc habet vulgata lectio Leoniceni, ut proinde sensus istius Aphorismi sit: eorum, quæ universim, hoc est secundùm totam substantiam, & velociter nutriunt, veloces quoque fieri residuorum excretiones. At aliis arridet ἀθρόως, non universim, sed affatim, seu non sensim, exponere, adeòque Aphorismum ita interpretari, quòd ea, quæ abundantem, & celerem suggerunt nutrientem substantiam, celerem quoque patiantur excretionem.

Quòd velox nutritio velocem quoque excretionem referat, suaderi ex eo potest, quia sicut se habet digestio ad nutritionem, ita se habebit secretio, ac distributio ad evacuationem: modò si velox facta est nutritio, velox quoque designabitur absoluta digestio, ac distributio, adeòque excrementorum repurgatio, & expulsio.

At qua ratione universim, seu affatim

tim nutrientia celerem subeant evacuationem, non bene intelligi potest, cùm pleraque nutriant, & abundanter, nec tamen celeriter evacuantur: sic carnes meliùs, & abundantiùs nutriunt, quàm olera, cùm tamen ista facilioris sint, & celerioris excretionis; multa alia, ut spondyli, Locustæ, Astaci, tardiùs planè concoquuntur, mox verò in intestinum tenue delapsa statim ventrem movere solent, & plusquàm ratio exigat, egeri. Ova insuper facilis, & citæ dicuntur coctionis, multumque nutrire, cùm tamen robustum quid habeant, & inflent, ut dicitur 2. *de diæta*; Quin & Galenus ipse multa alia in hunc locum congerit, quibus Hippocratis effatum non levibus videatur implexum difficultatibus.

Sed tamen ipse crediderim, voluisse hìc Hippocratem indicare, quod alia phrasi dixerat in *lib. de alimento*, *cibum*, scilicet, *qui difficulter transmutatur*, *ægrè consumi*, *qui verò facilè alteratur*, *& apponitur*, *absumi etiam facilè*. Cùm enim refectio virium celerrimè habeatur à vino, vinique spiritu, aut à rebus consimilem naturam participantibus, profectò quemadmodùm ista velociter restaurant, ita velociter quoque sua tenuitate dissolvuntur. Alimenta pariter tenuiorem substantiam nacta, & labilis appositionis, celeris etiam sunt difflationis, adhuc per poros Cutis perspiratione. Contrà verò succum sortita crassiorem, compactioremque, sicuti difficiliùs in ventriculo dissolvuntur, ita tardiùs in succum nutritium transmutantur, ocyusque partibus apponuntur, atque pari ratione seriùs absumuntur, & perspirant. Cæterùm hoc Aphorismo censuit Hippocrates generale quoddam documentum tradere, quo sciamus, quibus alimentis oporteat ægros, & convalescentes reficere, & quibus indiciis utiliora internoscamus. At verò à liquiditate, & mollitie ciborum fallax judicium sumitur facilis, & citæ refectionis, nam si vini spiritum excipias, ipsumque vinum, reliqua propemodùm omnia non æque cunctis conferunt, nec pari modo se habent, cùm non desint, qui meliùs, promptiusque restaurentur solidioribus, quàm mollioribus cibariis.

APHORISMUS XIX.

Acutorum Morborum non omninò sunt certæ prænunciationes aut Salutis, aut Mortis.

INter alias morborum divisiones, notissima illa est, qua alii acuti, alii Chronici dicuntur; cumque acuti ob citam eorumdem solutionem, intrà breve tempus de ægrotantis vita decernant, cujus eventus præsagitio ab ignominia plerumque Medicos vindicat, ne tamen exindè multùm faciles in prædicendo illi sint, idcircò accuratissimus Hippocrates, ut quorumdam conjectorum impudentiam, arrogantiamque reprimat, qui etiam à prima die se jactant morborum exitum prænunciare, hìc monet, non omninò certas esse, & infallibiles acutorum morborum vel ad salutem, vel ad mortem prædictiones. Hinc idem Hippocrates *lib.* 2. *prædict.* postquàm hos derisit, subdit: *Consulo autem, ut quàm prudentissimè agant, tùm in reliqua arte, tùm in hujusmodi prædictionibus, illius probè memores, quod si cui successerit prædictio, is apud ægrotum intelligentia præditum in admiratione fuerit; si verò quis aberrarit, suprà hoc, quòd odio habetur, fortassè etiam insanire videbitur*;

quapropter jubeo, ut cùm alias omnes, tùm has prædictiones prudenter faciant, quamquàm sanè & audiam, & videam, neque judicare rectè homines ea, quæ dicuntur, ac fiunt in arte, neque narrare.

Quinam autem acuti morbi dicendi sint, aliàs à nobis est ostensum. Equidem simul breves, ac symptomatum magnitudine, & vehementia sociati esse debent; etenim febres Ephemeræ dictæ, quamvis brevissimę sint, ob defectum tamen symptomatum graviorum, acutæ minimè dicuntur; sed & nec Hydrops, Empyema, Tabes, aliæque ægritudines vehementissimis, perniciosissimisque symptomatis conjunctæ acutæ nominantur, quia breves non sunt. Quamobrem meritò notavit Hippocrates 1 *aphor*. 7. morbos acutos statim extremos afferre labores.

Unde præterea Morbis accidat acutè lædere, & ægrotantes affligere, profectò à partis affectæ præstantia, & à vitiosi humoris conditione deducere licet. A partis præstantia quidem, nam hæc diù molestiam, gravemque noxam sustinere non potest; qua ratione Apoplexiæ, Lethargi, Phrenitides, Syncopes, Palpitationes, ob cerebri, & cordis cum vita necessitudinem, non multùm protrahuntur. A noxii humoris natura verò, qui plerumque in acutis ægritudinibus sanguini infensus vitæ conservandæ ineptum illum reddit, sive quòd dissolvat, & corrumpat, sive quòd cogat, aut aliter inficiat, ut solutus, concretus, effœtusve nequeat tandem motum cordis tueri. Hæc planè damna sæpenumerò eveniunt è degenerantibus, inversis, corruptisque fermentis viscerum, quibus sanguis permeans inficitur.

Quoniam verò Morbi quicumque, inchoant, augescunt, consistunt, & declinant, nedùm inter initia de illorum exitu certò præsagire nequimus, verùm etiam fallax judicium, & incerta prædictio erit, quousque exactè non constiterint, cœperintque declinare: cùm enim nondum devicti, pugnantem causam in corpore latentem adhuc habent, vitæ possunt insidias moliri, & ob agendi rapiditatem quacumque de causa momento temporis permutantur, & symptomata, quæ remitti visa sunt, denuò exasperantur, immò quandoque graviora redeunt.

Hujus incertitudinis causam referunt ferè communiter Interpretes in Humorum peccantium mobilitatem, tenuitatemque; quoniam scilicèt facilè ii de loco in locum feruntur, & quascumque corporis partes pervadunt, ut propterea chronici Morbi à crassis humoribus progeniti, cùm lentè procedant, soleant facilius, tutiusque futuri eventus indicia prodere. At potiùs petenda videtur causa à motu particularum in sanguine, cæterisque liquoribus fermentescentium; etenim donec fermentatio perseveraverit, & in depressionem, secretionemque non desierit, quæ sola salutarem exitum ægrotantibus prænunciat, morbus ipse in ancipiti est: quandoquidem in coagulationem, aut resolutionem abire potest.

Adjectum est *non omninò*: nè Medici prorsùs desperent de prognosi; cùm cæteroqui magnam laudem exindè consequi soleant, testimonio ejusdem Hippocratis *primo prognost*. Quare, ut quis rationabiliter coniiciat de successu ægrotantium, docuit *Gal. 3. de Crisib. 4.* ad tria hæc respicere debere, *ad Ideam Morbi, ad Magnitudinem, & ad Morem*: nempè cujus generis ægritudo sit, quæ symptomata illam comitentur, & num à benignis, vel malignis succis ortum ducat.

ducat. Perpendat etiam sagax Medicus naturæ vires, an validæ, vel imbecillæ sint, & quidem examinando singulas corporis operationes, Animales, Vitales, & Naturales. Ab his namque benè, vel malè se habentibus, leviùs, graviusque, probabiliter cujuscumque Morbi eventum conjectabit.

Subditur insuper, *non omninò sunt certæ prænunciationes*. Medicina siquidem tota conjecturalis est, & universa conjecturis inhæret; quamobrem *primo aphor.* 1. judicium fallax dicitur. Et Celsus *lib.2.cap.6.* inquit: *Spes ejus interdum frustratur, & moritur aliquis, de quo Medicus securus primò fuit*. Attamen non sunt ex hoc omninò parvifaciendæ ejusmodi conjecturæ; nam etsi aliquandò fallant, sæpè tamen collimant. Unde idem Celsus. *Sed est tamen Medicinæ fides, quæ multò sæpiùs, perque multò plures ægrotos prodest.*

Postremò quamvis meminerit Hippocrates salutis dumtaxat, & Mortis, sub his nihilominùs aliæ in Morbis mutationes comprehenduntur, ut proindè non modò cauti simus in præsagiendo salutis, aut mortis eventu, verùm etiam omnium accidentium, & mutationum, quæ in morborum decursu contingere possunt. Notavit autem speciatim acutos, quibus præ brevitate, & impetu, facilior accidit mutatio. At verò chronici, cùm in longius protrahantur, nec tam subitam motionem subeant. nec sine alicujus visceris affectu divexent, certiora, & firmiora signa imminentis quandoque interitus proferunt.

APHORISMUS XX.

Quibus Juvenibus alvus humecta est, iis senescentibus exsiccatur. Quibus verò Juvenibus alvus sicca est, iis senescentibus humectatur.

QUòd Hippocrates has sententias, sicut & pleraque ferè omnia ab observationibus, atque experimentis potiùs deduxerit, quàm rationibus conquisierit, vel ex hoc liquere potest Aphorismo, in quo explicando tandiù Interpretes allaborant, certam, constantemque rationem exquirentes à vario ætatum temperamento, sicciori, aut humidiori; cùm tamen exindè oporteret invertere illarum temperaturas, & siccis senibus humidam, humidis adolescentibus siccam temperiem asciscere, adversùs omnium veterum placita. Sed & nec tàm facilè humiditas Juvenibus posset affingi, ut qua de causa lubriciorem alvum aliquandò sortiantur, ratio posset indicari, qui tamen communi voto calidi sicci statuuntur. Hinc fortassè Galenus *in Commentario* huic argumento non fisus, *longiorem*, dixit, *rem hanc exigere sermonem, ita ut liber integer necessariò sit futurus*: Quamquam de intemperata, aut labefactata facultate Retentrice, & Attractrice ventriculi, atque Hepatis, multa etiam comminiscantur. Verumtamen rectè postremò concludit: *Quantum autem ad usum artis attinet, hoc solùm scisse sufficiat, quod est ab Hippocrate dictum, etiamsi causa non adiiciatur.*

Quamvis ergo res difficilis explicatu videatur, si tamen ea, quæ ad ciborum confectionem, dissolutionemque, atque ad excrementorum

alvi secretionem, sunt alibi à nobis memorata, hìc in memoriam revocentur, profectò causæ ejusmodi permutationis in ætatum varietate rationabiliùs quæri poterunt.

Ciborum dissolutionem, atque utilium ab inutilibus partibus secretionem, promovent potissimùm confluentes succi illi è Pancreate per Vvirsungi ductum, e Cysti fellea per cholidochum in Intestina: debent autem ita hi natura esse comparati, ut alter alterum nec mole, nec conditione prævaleat, aut exuperet. Si verò felleus humor fortasse præcellat, & acrior, tenujorque sit, alvus lubricior redditur; at contrà adstrictior fit, si præpolleat è Pancreate deductus. Quandoque etiam serosus humor, qui è potu, & humidis cibis derivat, totus ferè in Intestina delabitur, & cùm fæcibus commiscetur ad alvi lubricitatem; aliquandò verò majori ex parte ad renes percolatur, & ad vesicam; unde urina copiosior fit, alvus verò siccior evadit. Quamobrem experimur in urinæ profluviis ventrem constipari, & fæces durissimas excerni; Hinc dicebat Hippocrates: *multa urinæ profusio paucam significat dejectionem*.

Cùm itaque in Juvenibus bilis abundantior gignitur, suaque viget acritate volatili, qua Pancreatis succum temperet, & moderetur, profectò venter laxior fit; Secùs verò, ubi illa parcior fuerit, aut austerior. Sic quoque à varia conditione succi pancreatici acidioris, vel salsioris, fluxilioris, aut consistentioris, variabit Intestinorum repurgatio. Hinc quoties felleus humor austeritate alvum in Juventute constipat, succedente Senectute aquosior redditus eamdem delaxat. Idipsum parcitate, & copia evenit, quibus nimirùm diversimodè afficitur, ac permutatur confluens alter succus pancreaticus; ut proindè egestiones excrementorum ex Intestinis varient pro eorumdem succorum varia affectione, permutationeque. Constat autem experimento plurimùm infringi Pancreatis liquorem à Felleo acriori, & volatili; sicut contrà illum augescere, & exaltari, ubi hic hebes, & effœtus evaserit. Multùm etiam in hanc rem valet habitudo lactearum venarum, an non partes chyli puriores admittant, vel respuant. Inde enim non rarò accidit, fæces diminui, & obdurari, vel contrà multiplicari, & humescere: quod etiam ex urina parciori, aut abundantiori superiùs cum Hippocrate notatum est.

Constat prætereà, felleum humorem plurimum ad alvi exonerationem conferre, ut proptereà persuasum sit plerisque, non alia de causa Pueros solito lubriciorem alvum habere, nisi quia fæces congerunt multa bile saturas: quamquàm Helmontius in Pylori, & fermentorum ventriculi mutationem ejusmodi varietatem refert, quippè qui creditur Rector omnium operationum, præsertim naturalium.

Quòd autem mutationes ejusmodi, ætatum varietate, contingant, planè liquet, cùm & coctiones, nutricationes, secretionesque pro ætatum diversitate, diversimodè habeantur: quo etiam fit, ut sæpenumero, qui in juventute graciles fuerant, in ætate consistenti, & senili pinguescant; & qui juvenes obeso fuerant corpore, procedente ætate gracilescant: Atqui obesorum alvi plerumque laxiores esse solent.

Pro Coronide tandem advertere oportebit, quod etiam notavit Galenus hoc loco, hunc Aphorismum non simpliciter, & absolutè esse intelligendum, sed magna ex parte, collatis invi-

invicem ætatibus, ut deducitur ex *Aph.*53. *hujus*, ubi nonniſi comparatè in eamdem ferè ſententiam conceſſit. Sed & eadem victus ratione ſervata, ſub eodem Cœli ſtatu, & cum eiſdem exercitiis, nullaque intereà per ætates ægritudine ſuborta, quæ viſcerum fermenta immutaverit, ejuſmodi permutationes alternè contingent. *Si quis enim*, inquit Galenus, *in juventute Alexandrinorum victu uteretur, ſalſis utens cibis, & porris, Zythumque ſuperbibens; in ſenectute verò nihil horum aſſumeret, lentem autem eſitaret, & vinum auſterum potaret, quo pacto diceremus hujus hominis dejectiones ætatis ratione permutari? ſic & qui in juventute lentibus veſceretur, & meſpilis, & vinum auſterum potaret; in ſenectute autem victu uteretur Alexandrinorum, atque ita cum victu excretiones mutaret, non rectè ex dejectionibus judicium fecerimus. Sed cùm omnia alia, non ſolùm quæ ad cibos attinent, paria agentur, & dejectiones commutabuntur, tunc rectum fiet judicium de his, quæ ab Hippocrate in hoc Aphoriſmo dicuntur.* Hactenus Galenus. Idipſum ex regionibus, exercitiis, medicamentorum uſu, atque ex contracta aliqua viſcerum naturalium ægritudine, ut de hypochondriaca affectione experimur, intelligendum eſt.

APHORISMUS XXI.

Famem Vini potio ſolvit.

NOn eam hìc vult Galenus ſolvi ex vini potione famem, quæ Naturalis dicitur, & quæ ex longa inedia, vel alvi profluvio, fluxu ſanguinis, aut aliqua alia, facta eſt, evacuatione; ſed quam caninam vocant, cum inſedabili ciborum appetentia conjunctam. Huic appetitui canino adiicere licet Lupinum quoque, & Picaceum, quo potiſſimùm utero gerentes afficiuntur, res omninò inſuetas, & extraneas appetentes, & quem Plinius gravidarum Malaciam nuncupat. Addunt alii Bulimon, ſed reverà Bulimos eſt affectus ille ſyncopticus, quià fame quidem incipit, ſed non habet eam ampliùs adjunctam, ut idem Galenus interpretatur.

At quamvis ad famem morboſam curandam Galenus id exponat: nil tamen vetat, quin etiam naturalem à Vini potione ſolvi poſſe arbitremur; immò cùm ſuperiùs de reficiendis convaleſcentibus Hippocrates meminerit, probabiliùs videtur in illorum gratiam fuiſſe hunc Aphoriſmum adjectum, quippè qui à morbis vindicati ſpontè ſolent avidiùs fameſcere. Hi verò ſi jejuni meracum vinum potent, procul dubio famem ſolvunt, unde alimentum capere nequeuntes, deinceps refici non poſſunt. Conſtat autem experimento, etiam ſanos, beneque ſe habentes ab epoto vino, illicò delaxari, & ciborum faſtidium incurrere, ſi illud dulce ſimul, & generoſum jejuno ſtomacho aſſumant. Atque hac eadem ratione fit, ut malè ſe habeant, qui inſtante fame, ac ventriculo cibis vacuo, aquam ardentem bibunt, qua nimirùm non ſolùm fames ipſa deſinit, ſed etiam fermentum ciborum confectioni addictum diſſolvitur, & extenuatur, non ſine gravioris mali periculo. Cunctis quoque notum eſt, voraciores ſolere eſſe abſtemios, & hydropotas, citiuſque cibos conficere, quàm œnopotæ; Quamobrem Hippocrati aqua edax dicitur.

Sed quamvis ad quamcumque famem compeſcendam vinum videatur aptiſſimum, præſertim merum, & generoſum, dicitur tamen præſtantiſſi-

tissimum remedium Galeno adversùs caninam speciatim appetentiam, & longè efficacius erit, si in illo infundantur, aut decoquantur Salvia, Melissa, Chamemælum majus, Abrotanum. Sunt & alia, quæ idipsum operantur, inter quæ præstat anisi oleum, cujus quatuor, aut quinque guttæ cum saccharo exhibitæ, atque identidem iteratæ, omnem famem mirabiliter sedant.

Nedùm autem Merum vinum Caninæ appetentiæ adversatur, cùm ex acidiori fermento ventriculi provenit, quod sanè diluere, & emendare valet sæpiùs epotum; sed etiam si fortè à vermibus, qui Platiæ appellantur, excitetur. Contigit enim mihi non multis ab hinc annis observare Juvenem quemdam extrema macie confectum, etsi avidè, atque opiparè vesceretur, pristinas carnes recuperasse, sedata primùm ejusmodi ciborum cupiditate, ab excreto per alvum magno, latoque verme in frusta dissecto, longitudinis ferè palmorum sex, postquàm aliquoties assumpsisset pilulas quasdam ex Aloe, & pulvere secundinæ primiparæ juxtà præscriptum Hartmanni; itemque vinum meracum, largiùs ebibisset, cùm reliqua nihil admodum proficerent.

V. etiam Gal. de fame ex acidis humorib auctis in comm.

APHORISMUS XXII.

Quicumque Morbi ex repletione fiunt, curat evacuatio, & quicumque ex evacuatione, repletio: & aliorum contrarietas.

NOn quamcumque repletionem videtur hìc Hippocrates indicare, sed eam solùm, quæ ex copiosiori ciborum ingestione est, ut proindè meliùs vertat Heurnius, *satietatem*; cujus etiam vocabulo usus idem Hippocrates est Aphorismo IV. hujus, ut patet ex græci Codicis lectione. Quamobrem genuinus Aphorismi sensus erit, morbos à satietate, atque ciborum ingluvie inductos, vacuatione tollendos esse; qui verò evacuationem sequuntur, repletione, nec tamen omni, aut subita; sed mediocri, ac paulatim promota, ut ex alibi traditis colligere est: siquidem evacuationi est protinùs per restaurantia succurrendum, sed non tàm repentè multis, ut obruant; omne enim nimium Naturæ est inimicum.

Verùm Galenus non eam tantùm hìc intelligit repletionem, quæ ex alimentis in ventriculo fit uberiùs ingestis, sed omnem in aliis quoque cavitatibus, & ductibus corporis inductam. Quare generaliori significatione, per cujusvis Causæ replentis evacuationem, aphoristicam hanc sententiam exponit. Et quidem par ratio suadere videtur in omnibus, ut quæ Causa Morbum repletione attulerit, evacuatione tollenda sit, & è converso: ea tamen differentia, ut in ventriculo, per vomitum; in Intestinis, aut Mesenterio, per dejectionem, in meatibus urinariis, per diuresim; in aliis ductibus, & conceptaculis, eorumdem reseratione. Atque hinc adjectum videtur: *Et aliorum contrarietas*: quæ sane à Causis petenda est, ut idem Hippocrates docuit *lib. de Natura humana*, inquiens: *Quoscumque Morbos repletio facit, evacuatio sanat, & quicumque ex evacuatione fiunt morbi, repletio. Quicumque verò à labore fiunt, quies sanat, & quos otium parit, labor sanat. In summa, Medicum scire oportet opponere se contrarium instatibus, & Morbis, & Naturis, & temporibus, & ætatibus, & distendentia solvere, & soluta distendere.* Et inferiùs subdit: *Curationem morborum ita instituere oportet, ut cau-*

sæ

ſæ morbi nos opponamus. Id quod paſſim etiam repetit *lib. de Flatib.* & 2. *Epidem. ſ.* 4. Hac autem ratione componere licebit litem illam jam diù in ſcholis exagitatam inter Galenicos, & Paracelſiſtas de Morborum curatione inſtituenda per contraria, an per ſimilia: quippe ſi contrarietas per qualitatum oppoſitionem in morbis intelligatur, hæc profectò nulla erit. At verò, ſi recto medicamentorum uſu Cauſæ morbificæ occurratur, unde tandem Morbus deſinat, procul dubio Curatio habebitur, tam contrariis putatis, quàm ſimilibus; verumtamen ſimilitudo in eo potiſſimùm conſiſtere videtur, quòd per medicamenta Natura, prima Morborum Medicatrix, adjuta, ac vigorata, morbificam cauſam efficaciùs adoriatur, & deprimat. Quidquid ergo cauſam Morbi corrigit, removet, aut depellit, ipſis contrariari dicetur, ſive cæteroqui ſimilia, vel diſſimilia, conſentanea, vel diſſentanea reipſa ſint, qualitate, conditione, natura.

Quamvis autem dixerit Hippocrates morbos ex repletione factos evacuatione ſanari, ſi tamen iſta non perſiſtat, & proximè illos foveat, haudquaquam evacuantibus deſinent. Sic Calculi renum, ac veſicæ, ex ciborum ſatietate, atque adeò ex cruditatibus progeniti, itemque tumores, obſtructiones, febres, nequaquam curabuntur ſola ventriculi inanitione, ſed neceſſe erit aliis, aliiſque remediis calculum conterere, vias aperire, diaphoreſim, vel diureſim movere, ut curatio abſolvatur. Itaque conferet ſolùm inanitio, perſiſtente Cauſa in ventriculo, aut in inteſtinorum ductibus, quæ Morbum inducat, vel foveat; cæterùm in aliis, evacuationes, potiùs præcavendo, quàm curando conferent.

APHORISMUS XXIII.

Acuti Morbi in quatuordecim diebus judicantur.

Acutos morbos anteà diximus eos eſſe, qui ſimul cum brevitate ſymptomatibus conſociantur vehementioribus. Horum autem terminum conſtituit hìc Hippocrates dies quatuordecim, ſive ad ſalutem, ſive ad mortem deſinant, ſi propriè acuti ſint, ſimpliciter dicti, nulla intereà mentione facta acutorum ex decidentia; qui ad quadrageſimum producuntur, neque peracutorum, & acutiſſimorum, qui intrà limites quatuor, aut ſeptem dierum, finiuntur; Atque hinc fortè non dixit Acutos decimaquarta die judicari, ſed in diebus quatuordecim, ut nimirùm deſignaret, citrà, non ultrà hoc tempus illorum judicium protendi, ſed tamen & undecimo, & nono, & ſeptimo, criticè deſinere poſſe. Qui verò ultrà decimumquartum diem, ſed intrà quadrageſimum judicantur, ſi conferantur ad eam, in qua exacui cœperunt, diem, terminum quoque quatuordecim dierum prætergredi nec invenientur, atque hac ratione ad decimumſeptimum, vigeſimumprimum, aut vigeſimumoctavum producti obſervabuntur: quippè multi morbi debiles inter initia comparent, deindè quarto, ſeptimo, undecimo, aliiſque vehementiores fiunt, hi profectò ex prima ſui invaſione, judicari videbuntur ultrà quartumdecimum, ſed à die exacerbationis, & ſenſibilis acutiei, atque continuitatis, adhuc intra eumdem terminum quatuordecim dierum, vel ad ſalutem, vel ad mortem deſinent, vel ſaltem in chronicorum naturam declinabunt; Omnes itaque (ut hìc

benè advertit Galenus) qui duas septimas velociter moventur, numquam ad exteriorem terminum progredi invenientur.

Dixit autem *judicari* Hippocrates, quoniam extremum terminum acutorum designare voluit, cùm illi perfectâ Crisi absolvuntur, & desinunt, eventu salutari, aut lethali. Undè de Tertiana exquisita scripsit 4. *aphor.* 59. septenis circuitibus judicari. Porrò si ulteriùs protrahantur, id ab imperfectis evacuationibus, vel ab importunis remediis, erratisque in victus genere, causæ morbificæ secretionem, & crisim impedientibus, aut prævertentibus accidet.

Sed quare Acuti morbi intra dies quatuordecim finiantur, causa in promptu est, velox eorumdem motus, atque cita ad vigorem properatio; cùmque ejuscemodi impetum, syptomatum acerbitatem, atque morbificæ causæ violentiam diù Natura sufferre non possit, alterum ex duobus sequetur, vel quòd impotens ipsa succumbat, vel quòd valida præcellat, atque per crisim Morbum, morbique causam vincat, & exturbet. Atqui humores acutos morbos excitantes ultrò tenues, mobiles, & facilè fermentescentes cùm sint, citò commoventur, & permutantur, citòque sponte sua non raro exolvuntur, nisi aliundè concreverint, potissimùm per errata in victus genere.

APHORISMUS XXIV.

Septenorum quartus est Judex: alterius septimanæ octavus principium. Est autem & undecimus considerandus, ipse enim quartus est secundæ septimanæ. Rursùs verò & decimusseptimus considerandus, ipse siquidem quartus est à quartodecimo, septimus verò ab undecimo.

Dies in decursu Acutorum Morborum observabiles enumerat in hoc Aphorismo Hippocrates, in quibus Crises præsignari, atque accidere solere ferè communiter creditur, adeòut nulla Crisis salutaris putetur, quæ non die Critico fiat, atque in die Indice non sit prædemonstrata.

Quoniam verò septenariis solùm illa salubriter affingitur, recensentur idcircò inter Criticos septimus, decimusquartus, vigesimus, aut vigesimusprimus, vigesimusseptimus, aut vigesimusoctavus, trigesimusquartus, & quadragesimus. Inter hos verò medii, Indices, & contemplabiles appellantur, ut quartus in prima hebdomade, undecimus in secunda, decimus septimus in tertia, & sic deinceps, in quibus scilicet si coctionis indicia præluceant, futura Crisis post quatuor dies portenditur.

Tanta autem Indicibus his, & Judicibus diebus vis hactenus est præstita, ut evacuationes quascumque in his evenientes solummodò commendent, in cæteris verò damnent, tanquam perniciosas, vel saltem infidas. Hinc idem Hippocrates *aph.* 36.4. notavit sudores in aliis fortasse diebus, præterquam in his contingentes, morbi longitudinem, & recidivam significare. Et Galenus valdè demiratur, quomodo Larissæa mulier non recidisset, quæ sexta die judicata fuerat, cùm cæteroqui sextus dies ab eodem Tyranno comparetur.

Verùm si exactam tum Indicum, tum Criticorum dierum rationem ab illorum fautoribus exigere velimus, procul dubio inveniemus æque fore, ac

ac Climactericorum Annorum commentitiam. Et quidem qui fit, ut quartus Index esse possit, cùm in illo accessiones febrium vel non accidant, vel non ingravescant, cùm tamen criticæ motiones nonnisi in febrium paroxysmis fiant? Quomodò octavus principium evadat secundæ septimanæ, cum quo aliæ accessiones per dies impares succedentes nullam rationem ineunt, idque potissimùm in intermittentibus tertianis? Quo etiam pacto criticus decimiquarti diei motus præsignari possit ab undecimo, cui febriles paroxysmi non respondent? Quomodò insuper decimus septimus quartus dicatur à quartodecimo, qui terminus est secundæ septimanæ? & quomodò idem decimusseptimus Index esse possit vigesimi,& vigesimiprimi; sicut & vigesimusquartus, vigesimiseptimi, & vigesimioctavi? Præterea cùm ex Hippocrate 1.*epidem.f.*2. Morbi, qui per dies impares exacerbantur, in imparibus etiam judicentur, quomodò judicari deindè possunt in diebus paribus, decimoquarto, vigesimo, vigesimooctavo, trigesimoquarto, quadragesimo? quod etiam animadvertit Galenus 4. *aph.comm.*61. Et si per septenarios circuitus critici fiunt, cur est, ut vigesimus, vigesimusseptimus, trigesimusquartus, & quadragesimus critici etiam statuantur? quinimmò transacto quadragesimo, ad vicenos dumtaxat referantur, ut LX, LXXX, C, CXX? Quæ sanè adeò Galeni mentem extorsere, ut illum coegerint, nedum uni diei duplicem faciem appingere, alteram præcedentibus, alteram succedentibus hebdomadibus, sed etiam numerum, ordinemque prævertere, illasque in longius protrahere, aut vicissim, ubi oportuerit, decurtare. Confugit is propterea ad Lunæ motum, qui velocior, & tardior, ad Zodiaci signa relatus, cùm sit, velociùs proindè ejus quadrantes peragrans, vigesimum, & vigesimumseptimum ad Crisim disponat; in tardiori verò motu, vigesimumprimum, indeque vigesimumoctavum, criticos efficiat. At hoc pacto sextus, & octavus, decimustertius, & decimusquintus, similesque dies, pari ratione Critici esse poterunt. Sed & nec mensis, quem ipse compositum fingit, ex Synodico, & Periodico, aut quem Illuminationis appellat, assignato criticorum dierum computo bene quadrat, cùm alicubi is etiam excedat, alicubi deficiat.

Hippocratem præterea ipsum, si in cæteris suis operibus consulamus, varium planè comperiemus, quippè qui omnibus diebus crises accidisse commemoret. *Primo* enim *epidem. comm.3.t.*14. hæc habet; *Est autem primus decretorius circuituum, qui diebus paribus judicant, quartus dies, deindè sextus, decimus, decimusquartus, decimusoctavus; vigesimus, vigesimusquartus, vigesimusoctavus, trigesimus, trigesimusquartus, quadragesimus, sexagesimus, octogesimus, & centesimus vigesimus. Ex circuitibus verò in imparibus diebus judicantibus, primus est dies tertius, deindè quintus, septimus, nonus, undecimus, decimusseptimus, vigesimusprimus, vigesimusseptimus, & trigesimusprimus, &c.* In die sexto judicati referuntur Virgo Larissæa, Heraclides, Eurianactis filia, peregrinus quidam Adolescens, aliique plures: Et Gorgiæ uxor in quadragesimoprimo: Fulloni in Syro phrenitico decimaoctava die Morbus remisit; & Polycrati in quintadecima: Decimo die Pythio judicatus est, & Hie-

Hieron in decimoquinto: Scribit quoque 4. *epid.t.*11. *in his temporibus sexta, & octava, judicabantur omnia circa Pleiadum occasum*. Et 1. *epidem.sect.*3. *multi morbi judicabantur perfectè decimooctavo*. Sic pariter alios, & alios memorat, & paribus, & imparibus diebus, adhuc extra Criticorum dierum seriem ab ægritudinibus salubriter evasos, ut latiùs alibi meminimus. Quamobrem jure optimo Celsus ex sententia Asclepiadis vanam statuit Criticorum dierum observationem, atque oportere Medicos non dies in Morbis numerare, sed ipsas accessiones intueri.

Ad Hippocratem autem hoc loco Indices, & Judices dies memorantem dicemus, voluisse illum Veterum in hac re morem sectari, qui multùm his credebant; adeòque potiùs ex aliorum mente, quam ex propria sententia, eos exscripsisse, nec tamen omnes, sed præcipuos, in acutis vehementioribus, veluti criticas motiones frequentiùs subeuntes, & finem morbis imponentes.

APHORISMUS XXV.

Æstivæ Quartanæ magna ex parte breves, Autumnales longæ, & maximè quæ Hyemem attingunt.

Febrium brevitatem, aut longitudinem à natura, & conditione fermentorum, sive peccantium humorum, præter loci, aut affectæ partis habitudinem, oriri, in confesso est apud omnes. Quemadmodùm enim Vinum, pro varia sui conditione, consistentiori, aut tenuiori, citiùs, vel tardiùs fermentationi subiicitur, ita sanguis fermentatione indebita subactus in febribus, ex varietate succorum, qui cum illo commiscentur, celeriùs, vel seriùs, inutilibus, & excrementosis partibus exuitur; unde breves, vel longæ ægritudines suboriuntur. Ejus certè generis febrile fermentum in Quartanis est, ut acore, & glutine tenaciùs hæreat, & nonnisi post longum tempus edomitum secernatur, corrigaturque, quod fortasse suggeritur à visceribus morbosa diathesi affectis, veluti Pancreate, ut existimant Sylvius, & Graeffius; aut Liene, ut alii cum Galeno arbitrati sunt, cæterisque visceribus imi ventris, quæ sanè plura, & varia esse possunt, cum ex alibi probatis, non unus specie humor Quartanas, aliasque periodicas febres pariat, sed multiplex, & varius esse possit, modò statutis intervallis colligatur, moveatur, & præter naturam fermentescat.

Quartanæ ergo febres sua natura diuturniores, magna ex parte breves fieri solent, si æstivo tempore accidant, cùm scilicet ob Ambientis æstum illarum causa attenuatur, & per Cutis poros patentiores facilius evaporat. At si in Autumnum incidant, quo tempore pori cutis constipantur, sanguis minus fluitat, inæqualitates vigent, & excrementa sunt cumulatiora, longiores procul dubio evadunt, & eo magis si Hyemem attigerint, quæ nimio frigore sudores supprimit, motum sanguinis tardiorem efficit, humores crassos, & febrilia fermenta reddit longè difficilius exsolubilia.

Quamvis autem Hippocrates Quartanarum febrium solummodò hoc loco meminerit, solent tamen, & reliquæ febres; immò plerique alii morbi, cùm ex Autumno in Hyemem excurrerint, fieri diuturniores, qui sanè per æstatem breviarentur. Ea enim est Aeris, qui nos

nos ambit, vis, & efficacia, ut, præ cæteris causis humana Corpora alterare valentibus, primas obtineat; quamobrem secundùm varias illius affectiones, diversimodè quoque illa afficiantur; unde experimur tempestatum mutatione quasdam ægritudines desinere, alias invadere, siquidem non modò extimo contactu, verùm etiam inspiratione, intimas Corporis partes pervadit, & cum sanguine ipso commistus plurimùm valet vel inficere, vel emendare. Accedit summa illa utilitas, quæ ex perspiratione est, quæque promota multas ægritudines delet, impedita advocat, vel confirmat. Sudores etiam tantopere conducibiles in febribus, aeris calore plerumque promptè emanant, algore verò reconduntur.

Verùm animadversione dignum videtur, hæc ex Hippocrate memorata tum potissimùm accidere, cum Anni tempora suas proprias, debitas, suetasque servant constitutiones: nam si fortasse Æstas à suo calore desciscat, Autumnus verò exęstuet, procul dubio ea, quæ hìc ab Hippocrate sunt proscripta, non rectè experimento cohærerent. Sed & Quartanæ ab infartu viscerum progenitæ hoc Aphorismo nequeunt comprehendi, quippe quæ sive per Æstatem, sive per Autumnum minimè curabuntur, nisi priùs obstructa Viscera fuerint reserata.

Tametsi autem Quartanæ febres longissimæ hactenus putatæ, atque à prioris ævi Medicis ferè immedicabiles creditæ, veluti per exemplum chrònicorum morborum ab Hippocrate hìc recenseantur, nostra tamen ætate tam citò, ac tutò fugari solent, ut hinc liquidò patere possit, quàm hæc Veterum, in Medicina facienda, temporibus præcellant. Et sanè, præsentaneum adversùs Quartanas remedium, nuperrimè inventum est, Cortex Peruvianus, ex Vino, vel aliqua aqua medicata, aut etiam in formam pilularum cum Theriaca veteri, similive confectione exhibitus. Neque solùm in Quartanis, sed etiam in Tertianis, cæterisque intermittentibus febribus, cùm primùm sunt invasuræ, utiliter adhibetur. Quinimmò compertum habemus, adhuc continuas, si opportunè offeratur, infringere, atque intercipere, etiamsi mali moris illæ sint, nullumque catharticum præmissum; modò dies aliquot præterierint, quibus febrile fermentum fuerit quodammodò extenuatum, exagitatum, aut dissolutum. Sed tamen in his oportebit, nedum ingruente paroxysmo, verùm etiam quotidiè manè per horas tres saltem ante cibum cum antidotis permistum illum iterare.

Quoniam verò Cortex iste gustu amarus percipitur, & parumper astrictorius, pleraque alia consimilem saporem cum aliqua astrictione nacta, idipsum posse efficere Medici suspicati sunt, & felici quidem successu, veluti Radices Gentianæ, Contrayervæ, & Cardui benedicti, itemque libri Persicæ arboris, & induvia Cupressi, nec non cortices Mali Aurei, quibus aliquando memini me parasse pulverem, Peruviani corticis succedaneum, summoperè periodicis febribus intermittentibus conferentem. Sunt præterea alia plura ab Authoribus commendata: Myrrha ex Matthiolo ad drachmam unam in Vino veteri, & generoso per horam ante accessionem: Vinum, in quo ebullierit Piper, Cinnamomum, & Macis: Elixir proprietatis simplici infusione paratum in spiritu Vini: Extractum

Cen-

Centaurii minoris: Pulvis Zedoariæ, Galangæ, & Zinziberis, singulorum drachma una: Antimonium diaphoreticum, Bezoardicum Minerale, Joviale, vel Martiale, & similia. At quid plura? Sunt etiam Recentiores adnisi, Emplastris, aut Linimentis, febres istas fugare, ut alibi est à nobis memoratum. De inopino Timore, qui diutinas Quartanas sæpissimè tollere visus est, id solùm adiiciam, quòd quemadmodùm per ipsum fæces, urina, sudores spontè sua, laxatis ductibus, profluunt; ita febrium intermittentium fermentum, cùm inter initia paroxysmorum commovetur, facilè discuti, atque à partibus, quibus fortè hæret, eodem subitò, ac violenter incusso, seponi, & repurgari potest.

APHORISMUS XXVI.

Febrem Convulsioni supervenire melius est, quàm Febri Convulsionem.

FEbris non est Morbus, ut vulgò creditur, sed ejus beneficio morborum Causæ subiguntur, ac debellantur; Morbi enim ab humoribus pendentes, febre vacui, longiores plerumque observantur, qui per eam cæteroquin plurimùm subacti breviarentur. Sic Apostemata, Catarrhi, & quæcumque ex lentis, crassisque succis progenitæ ægritudines, maturationi promptiùs subiiciuntur febre superveniente, utque omnes ferè Causæ morbosæ citiùs egerantur. Natura febrem concitat; nec unquam crises evenirent, febre vehementi non promota: ea enim internus motus Naturæ est, secernere, & expurgare conantis, quidquid ipsi adversum insolescit in Corpore. Non sunt itaque Febres sua natura malæ, sed prout Causam Morbificam in Corpore latentem, ac Vitæ infensam, arguunt, unde operationes cunctas depravari contingit, & de exitu periclitari.

Febris ergo commodum considerans in hoc Aphorismo Hippocrates, ait, præstare illam Convulsioni supervenire, quàm vice versa. Febris etenim Convulsioni superveniens Naturam designat conatus suos adhibere in exsolvenda, depellendaque materia, quæ Convulsionem parit: excitata scilicet in humoribus, nervos, & musculos afficientibus, fermentatione, per quam discussi, extenuatique, extra Corpus, vel diaphoresi, vel diuresi, propelluntur. Hinc idem Hippocrates 5. *aphor.*5. inquit: *Si ebrius quispiam repentè obmutuerit, convulsus moritur, nisi febre corripiatur.* Et 4.*aph.*57. *Qui à convulsione, aut distensione nervorum tenetur, febre superveniente, liberatur.* Et *lib. de locis in homine*: *A convulsione, si febris invaserit, sedatur eadem die, aut sequenti, aut omninò tertia.* At verò Febri superveniens Convulsio causam febrilem designat tantæ pravitatis, ut nedum febrim concitando Naturam exagitet, sed & Cerebrum, & nervos divexando, convulsionem inferat; adeòque utilitas, quæ ex febre fortasse speraretur, cedat in noxiam, si eadem die, qua invadit, non remittat, & febrem terminet, ut dicitur *lib. Coacar. prænot.* Hinc non dixit Hippocrates bonum simpliciter esse, sed meliùs; nam aliquid mali adhuc per Febrim Corpori accessisse denotatur, quod Naturam non leviter lacessat: quamquam etiam ex febre nervorum succus cum fibris notabiliter exarescit, unde supervenientem Convulsionem vereri licebit ortam

ex

ex inanitione, documento ejusdem Hippocratis 6. *aphor.* 39. Eam verò restaurare est omninò difficillimum. In Pueris autem hæc omnia semper evadunt mitiora, quippè qui ex quacumque levi causa convelluntur, modò id Cerebri vitio non patiantur.

Plerique Interpretes non quamcumque Febrem Convulsioni supervenientem hìc volunt Hippocratem utilem existimasse, sed tantummodò de genere Quartanarum, quarum superiori Aphorismo mentio est habita: idque potissimùm ex eo, quia *aphor.* 70. *Quinti* dicitur. A Quartanis capti non admodùm convulsionibus corripiuntur; si verò priùs capiantur, & Quartana supervenerit, liberantur: utreque enim ab uno, eodemque humore acido videntur oriri, qui sive inferiùs deponatur, sive per corporis concussionem dissolvatur, sive etiam sudore, aliave evacuatione egeratur, nequit in Quartanis febribus nervorum fibras lacessere, & convulsionem excitare. Eadem ratione accidit, nec Comitiali morbo corripi Quartanarios, & correptos per ipsas sanari. Verùm crediderim alias quoque febres convulsis profuturas, modò leviores sint, intermittentes, & symptomatis vehementioribus exutæ, quæ nimirùm levi fermentatione, blandoque calore, humores nervos replentes, aut vellicantes, sensim valeant solvere, ac per sudorem potissimùm amandare: quamobrem quos febris minimè apprehendit, prolectò in hypocaustis sudore, feliciter curare solemus.

Disceptant autem Medici, an tutò liceat in Convulsione, Paralysi, aliisque Nervorum affectionibus febrim excitare? Et quamvis non desint, qui affirment, eo argumento ducti, quòd possit Medicus, ut Imitator Naturæ, prosequi, aut tentare, quæ Natura ipsa salubriter agere consuevit: Ipse tamen opinor, medicamenta quidem extenuantia, atque diaphoresim moventia posse, debereque exhiberi, minimè verò ad febrem usque: Non enim, quod salubriter Natura promovere solet, potest tutò à Medico excitari, ignorata præsertim agendi opportunitate, quantitate, & qualitate medicamenti, atque via, per quam utiliter educendum est: sic non semper ab exhibito purgante medicamento evacuatio succedit, qualis, & quanta sponte Naturæ contingeret; nec ab epoto sudatorio certa spes est futuri sudoris: Profectò nisi remedium assumptum Naturam habeat adminiculantem, vanum, irritumque erit, immò quandoque etiam nocuum. Atqui ea, qua decet, dexteritate ejus generis medicamenta præbere, quæ febrim afferant convulsis profuturam, omninò difficillimum. Poterimus ergo solùm ipsis opitulari, medicamentis attenuantibus, & diaphoreticis, quæ sub nomine Ignis, & Febris, fuere ab Hippocrate commemorata. Cæterùm etsi febris juvamento esse soleat convulsioni, non tamen data opera illa concitanda est: sicuti nec gelidis liquoribus perfundenda sunt membra affecta, licèt idem asserat 5. *aph.* 21. Tetanum Aquæ frigidæ multa profusione sanari. 2. prorrhet; & 1. epid.

At juvamen multo securiùs sperare licet à specificis remediis. Idem Hippocrates *lib. de locis in homine* pro curatione Convulsionis hæc affert: *Convulsioni sic mederi oportet. Ignis ab utraque lecti parte succendatur, & Mandragoræ radix in potu præbeatur, minore pondere, quàm quod insaniam facit; & ad tendines posteriores sacculi calidi*

di imponantur. Sed non solùm Mandragoræ radix huic morbo medicina est, sed omnia simplicia (ut testatur Petræus *in Nosol. Harm.*) in aquis crescentia convulsa membra restaurant. Referunt Botanicorum plerique Nymphæam flavo, & albo flore, ad umbram arefactam convulsione laborantes brevi tempore sanare, si lecto, vel parieti, ubi illi jacuerint, suspendatur. Idipsum alii præstare ajunt radicem Imperatoriæ majoris in vino decoctam, & epotam. Liquor ille elicitus ex Theriaca in tincturam spiritu Vini secundùm Artem exactè deducta, atq; simul unà cum spiritu Cornu Cervi, & Vitrioli in digestione detentus, mox verò à guttis xxx. ad Lx. in jusculo calido manè, & vesperè exhibitus summopere conferre dicitur. Castorei etiam essentia cum aqua salviæ mirificè prodest, nec non pulvis ejusdem Castorei ad scrupulum semis in vino. Spiritus sanguinis ad guttas aliquot epotus efficax quoque est. Non minoris efficaciæ creditur spiritus Cerasorum nigrorum, Elixir magnanimitatis, Aqua picarum, & hirundinum, Magisterium succini, Sal volatile ejusdem, Extractum ligni visci quercini, idque genus alia, cum lituris per spinam habitis ex oleo Lavendulæ, Castorei, Salviæ, Rutæ; Unguento nervino, Galbaneto Paracelsi, aliisque, de quibus latiùs in nostra Praxi.

APHORISMUS XXVII.

His, quæ absque ratione levant, non oportet fidere, neque multum formidare mala, quæ preter rationem eveniunt: talium enim multa stabilia non sunt, neque multum durare, & permanere consueverunt.

Libenter assentiar his, qui malunt sermonem hunc esse referendum ad signa, & auxilia, quàm ad ægros, ut propterea legant: *His, quæ sine evidenti ratione, certaque causa, levant, fidere non oportet.* Sic enim clarior fit sensus Aphorismi, quo fidendum non esse his admonemur, quæ absque causa manifesta videntur allevasse. De Hermocrate *ægroto* 2. *sect.* 1. 3. *Epidem.* hæc scribit idem Hippocrates: *Circa undecimam omnia visa sunt allevata: sopor cœpit. Decimaquarta à febre liber, non sudavit. Circa decimamseptimam rediit febris. Rursus autem vigesima die judicatus est, à febre liber, non sudavit, cibum fastidiebat per totum tempus, resipiscebat, loqui non poterat, lingua arida non sitiebat, dormiebat soporosus. Circa vigesimamquartam calefactus est, & sequentibus diebus febris acuta. Vigesimaseptima mortuus est.* Hinc *in Coacis prænot.* brevius consimilem sententiam protulit. *Qui morbi cum malis signis levantur, & qui in bonis non remittunt; difficiles.*

Dicuntur autem allevationes absque ratione esse, cùm criticam evacuationem non sequuntur, vel si fortasse illa præcessit, diminuta, & imperfecta fuit, nec per eas vias, per quas fieri oporteret, aut non ejus humoris, qui expurgandus est. Hac de causa dejectiones in morbis pectoris non conferunt: stillæ sanguinis in febribus pravitatem indicant: sudores frigidi in internis inflammationibus lethum portendunt: idque genus alia. Si præterea absque ulla evacuatione videantur Morbi ab humoribus pendentes declinare, & subito remitti, procul dubio redibunt, & fortassè impetuosiores; quoniam illorum Causa ejecta non est, sed in Corpore latens, fieri non po-

potest, quin denuò resurgat, & vehementius invadat. Ejusmodi ergo mutationibus, quibus ægri videntur meliùs se habere, haudquaquam oportet fidere, quoniam allevamenta hæc stabilia non sunt, & persistente adhuc in corpore causa morbifica, necesse est, ut morbus redeat, non sine vitæ periculo. Indubitatum porrò est eatenus morbos, morborumq; symptomata duratura, quoad Causæ eorumdem non fuerint è Corpore penitus eliminatæ.

Verùmenimverò vitę sunt aliquando Febres, immò & Pleuritides, ac Anginæ, alięque similes ægritudines ex humoribus progenitæ, sponte, ac sine ulla sensibili, & manifesta evacuatione salubriter desiisse citrà recidivam, aut alterius morbi impetum: fortè quia soluti, atque attenuati insensibiliter perspirarunt. Hinc, ut in his judicium rectè feratur, perpendere oportebit, num Morbus omninò desinat, simulque symptomata omnia recedant: ipsis enim penitus ablegatis, indicio erit, Causam quoq; morbi funditus fuisse deletam. At verò si unum, vel alterum perduraverit, de regressu morbi timendum.

Quemadmodùm non fidendum iis, inquit, quæ absque ratione fiunt, ita non metuenda mala subdit, quæ præter rationem eveniunt, cujusmodi sunt symptomata crises comitantia, & antecedentia, de quibus superius meminit *Aphor. XIII.* Cùm enim hæc accidunt ex instante Crisi, instabilia meritò dicuntur, scilicet quia mox ab illa desinunt. Quòd si prætereà perdurarent, non omninò parvifacienda forent, utpotè aliud quid indicantia, quàm quod ex motu Naturæ critico contingere solet. Utraque autem debent Morbo, morbique Causæ respondere, ne spes infida sequatur.

APHORISMUS XXVIII.

Febricitantium non omninò leviter permanere Corpus, & nihil minui; vel etiam plusquam ratio postulat, contabescere; malum: Illud enim morbi longitudinem, hoc verò imbecillitatem significat.

Diagnosticus simul, & Prognosticus est hic Aphorismus, cùm eo mala in febricitantibus nuncientur, sive Corpus plus justo contabescat, sive nihilum minuatur à febre; Siquidem in priori casu imbecillitas, in posteriori morbi longitudo designatur.

Hęc autem signa in febricitantibus tantùm notanda dixit, fortè quia febricitantium Corpora majorem pati solent carnium consumptionem: Neque ex quacumque levi febre, puta diaria, similive, sed ex paulò graviori; Unde speciatim addidit: *non omninò leviter*. Si namque febris omninò levis foret, nullum ex non contabescente Corpore judicium sumere liceret, quoniam à levi febre, nil mirum, si non gracilesceret, & permanentem sui constitutionem servaret. Sed & nec vehementissima illa sit, quippe quæ facilè, urenti calore, vigilia, dolore, nausea, dejectione, possit extenuare. Quare media esse debet inter utrasque.

In hoc itaque febrium genere, cùm Corpora nihil gracilescunt, immò in eadem carnium habitudine consistunt, Morbum indicio est fore longum, veluti à crassioribus succis dependentem, cum solida partium constitutione, quæ non tam facilè absumatur. At contra si eadem sensibiliter emacientur, tenues humores, imbecillam membrorum texturam, languidamque temperaturam designant.

Quo-

Quoniam verò Morbi longitudini opponit Hippocrates Corporis imbecillitatem, suspicari fas est, quidpiam aliud in textu subintelligendum, ut ex humoribus consistentioribus, & crassis, in textura Viscerum firmiori, marcor nullus ex febribus non levibus appareat; atque in constitutione carnium molliori, debiliorique, macies præter rationem manifestior videatur, ex prava morbificæ Causæ conditione; proindeque non irrationabiliter adiici posset, ab immodica Corporis contabescentia, nedum ejusdem imbecillitatem significari, sed & Morbi, morbosæque causæ pravitatem, quæ & nutricationem impediat, & membra jam nutrita inficiat, & emaciet. Hac planè de Causa experimur, ex febribus malignis statim inter initia fœdari Cutim, Oculos excavari, liquari carnes, & faciem fermè cadaverosam apparere. Istiusmodi autem vitia plerumque ab infecto sanguine oriuntur, unde mala reliqua derivant.

Adjectum est tamen: *plusquam ratio postulat*, nec immeritò: quoniam aliqua extenuatio in febrientibus perpetua est. Atqui Hippocrates eam solùm hìc considerandam voluit, quæ modum excedit, estque plusquam febris ipsa exigit, ut si levis cùm videatur, brevi tempore multùm consumat, si statim à principio, si citrà evacuationes, per alvum, aut vias urinæ, sudores, inediam, vigilias, aliasque causas extenuare valentes, in tabem Corpus deducere observetur. Profectò cùm, præter ejuscemodi causas, Corpora febricitantium contebescunt, signum est, majorem, quàm oporteat, fieri insensibilem perspirationem, sanguinem, & Carnes plurimùm exolubiles esse; sicut & poros cutis laxiores; unde sequitur necessariò Corporis imbecillitas cum virium jactura.

Quibus denique auxiliis, his malis occurrere possimus, morbi nimirùm longitudini, cùm Corpus ex febre nihilum minuitur, ejusque imbecillitati, cùm plurimùm contabescit, facilè ex adjecta Causarum distinctione palàm fit: etenim crassos humores attenuare, atque incidere conabimur, & reseratis intereà ductibus, illos educemus per loca conferentia. Virium languorem, & Carnium laxitatem, quoad fieri poterit, roborabimus, adhibitis quoque, prout res ipsa postulaverit, alexipharmacis medicamentis.

APHORISMUS XXIX.

Cùm Morbi inchoant, si quid movendum videtur, move; cùm verò consistunt, ac vigent, meliùs est quietem habere.

MOrbi non rarò, cùm inchoant, ab humoribus pendent, qui in primis ductibus consistunt, nec dum in arterias, & venas permanarunt: quandoque etiam multi sunt, atque ad exitum parati, ut quocumque levi auxilio promptissimè egerantur. Hos autem, antequam Naturam opprimant, interiora viscera inficiant, & graviora pariant symptomata, monet Hippocrates, statim inter initia, ne altiores figant radices, posse promoveri. At verò ubi constiterint, quiescere satius esse putat.

Et quidem Morbi in principio esse dicuntur, cùm nondùm vires per symptomata adepti sunt: Quamvis nonnulli primos tantùm tres, vel quatuor dies, ex eodem Hippocrate interpretentur, qui 4. *acutor.* 64. *Hos si ab initio*, inquit, *purgare*

vo-

volueris, id ante diem quintum facito. Cùm tamen famulæ Aristidis
4. Epid. 3. Epid. 5. 3. idem Auctor purgans medicamentum propinaverit, & Anaxioni sanguinem detraxerit, octava die.

Cùm dixerit Hippocrates: *si quid videtur movendum, move;* Galenus in *commentario* Venæ sectionem, & Purgationem interpretatur, quarum ope diminuta materia, facilius, quod superest, possit Natura concoquere. Sed cohærenter his, quæ aliàs superiori libro sunt recensita, illa videntur movenda, quæ coctionem, secretionemque promovere possunt, & per quascumque vias disponere, ut, si Orgasmus adsit, vomitus, vel dejectio tentari debeat, præsertim cùm humores ad alterutram evacuationem inclinaverint, occupaverintq; primos ductus. Hinc Hippocrates non dixit, simpliciter, & omninò movendum esse, sed si videatur prudenti Medico, faciendum. Quare non perpetuò edocet ejuscemodi evacuationes promoveri oportere, sed cùm occasio tulerit, sintque humores ad exitum dispositi, nec præterea solis purgantibus, & catharticis, sed iis omnibus, quibus congruenter Naturę moventi succurrere valeamus. Cæterùm ipsemet Auctor 1.*aph*.24. existimavit, raro, & in principiis, medicinis purgantibus licere uti: idque si aliquando fieri necessum sit, maxima cum præmeditatione faciendum.

Quod initiantibus morbis movendum consulit, dehortatur, cùm consistunt, ac vigent, atque ad augmentum, & statum pervenerint: his enim temporibus Natura maximè à symptomatis tunc ingruentibus affligitur, vires languescunt, & coctio, ac secretio, quæ tantoperè desideratur, usu medicamentorum, præsertim purgantium, plurimùm interturbatur. Verumtamen non omninò malum esse ait aliquid movere, sed solùm melius esse, si per id temporis quiescamus, nam si fortasse necessitas urgeat, vel opportuna agendi occasio præstetur, nil prohibet, quin & per eadem tempora moveamus: Indicationes enim operandi non à temporibus, sed à motu Naturæ, ab indicantium dispositione, & virtutis robore, sumuntur.

Quamvis autem de Morbis omnibus sententiam hanc protulerit Hippocrates, magis tamen illa febribus congruit, in quibus quatuor illa tempora sensibilius observantur, & propter acutiem, atque symptomatum incrementum, majus imminet vitæ discrimen; cùm ob intempestivam medicamentorum exhibitionem, Natura plurimùm avertatur ab opere coctionis, & secretionis, quibus Valetudo recuperatur: compertum enim habemus, se pejus semper habuisse febrientes ab importuno usu medicamentorum purgantium, vel saltem serò admodùm convaluisse, quàm à solis corrigentibus, & coctionem morbificæ causæ adjuvantibus. Si quid verò unquam primam ventris regionem occuparit, planè feliciter primo, secundo, aut tertio die, vomitoriis eductum, febrim vel extinxit, vel remisit: At hæc ex Antimonio parata præcellunt cæteris, veluti tutiora, & efficaciora, quæque simul superne, & infernè vitiosos succos extrudunt.

APHORISMUS XXX.

Circa initia, & fines omnia imbecilliora; circa statum verò vehementiora.

Rationem eorum, quę pręcedenti Aphorismo edocuit Hippocra-

crates, in hoc reddere videtur: etenim interroganti, cur inchoantibus morbis aliquid movere conveniat, in vigore verò, & ſtatu potiùs quieſcere, aptè reſponderi poteſt, quia circa principia, & fines omnia ſymptomata ſunt imbecilliora, circa ſtatum verò validiora. Cum enim evacuationes, ut conferant, & facilè tolerentur, robuſtas vires exigunt, Naturamque, vel nullatenùs, vel leviter ſymptomatis divexatam, proindè rectè ab Hippocrate hæc duo tempora veluti minùs infenſa, ad evacuationem ritè abſolvendam opportuna putantur. At verò in ſtatu, & vigore morborum Natura maximè affligitur, & à cauſa morboſa vehementer exagitatur, idcircò non eſt ampliùs medicamentis laceſſenda, & quod pejus, avocanda ab opere coctionis, & Criſeos.

Unde autem Tempora iſta Morborum internoſci poſſint, ne alterum pro altero ſumatur, breviter recenſeamus. Quatuor potiſſimùm ſignorum genera traduntur: Primum deſumitur à Viribus: Alterum à ſymptomatis: Tertium à motibus Criticis: Ultimum à cruditate, vel coctione Cauſæ morboſæ. Et quidem cùm vires ægrotantis validæ ſunt, ſymptomata nulla, vel levia, & motus critici non apparent; immò ſæpenumero omnes ferè evacuationes conſuetę magna ex parte deficiunt, ac demùm cruditas viget, Principium morbi univerſale dicitur. Concuſſis verò viribus, augeſcentibus ſymptomatis, vel conſiſtentibus, apparentibuſque Criticis evacuationibus, Augmentum, & Status appellatur. Denique cùm ſymptomata remittuntur, vel deſinunt, criticæ evacuationes liberè prodeunt, & coctiones in unoquoque genere perſiſtunt, quamvis vires remaneant imbecillæ, univerſalis Declinatio erit. Quia ergo in Principio Morbifica cauſa nondùm per fermentationem in arterias, & in ſanguinem irrepſit, vel ſaltem non plurimùm exagitavit, vel infecit, nec viſcerum operationes deturpavit; In Declinatione verò ſubacta, atque evicta foras extruditur, idcircò circa initia, & fines omnia ſunt debiliora.

APHORISMUS XXXI.

Ejus, qui à morbo cupidè comedit, nihil proficere Corpus, malum.

QUamquam hic Aphoriſmus cũ octavo convenire videatur, ubi in conſimilem planè ſententiam loquutus eſt Hippocrates: *Si à morbo cibum aſſumens quis non corroboratur, pluri alimento Corpus uti ſignificatur; ſi verò, non aſſumenti, nec appetenti, hoc accidat, ſcire oportet, quòd indiget evacuatione.* Nihilominùs hic in ſignum tantùm, ille in Cauſam etiam adductus eſt, quo nimirùm & Cauſam ſciamus, cur quis per cibum non corroboretur, & medelam ſimul adhibeamus auxilio evacuationis. Addit pariter Cardanus, *majus, & deterius eſſe nihil proficere, quàm non corroborari: non corroborari enim, neceſſariò non eſt malum, ſed nihil proficere nec viribus, nec carne, nec colore, quia tria in morbis deperire ſolent, hoc malum eſt.*

Malum, inquit, ſimpliciter; ſed in quo genere, non explicuit. Arbitror ego in digeſtione, trajectione, atque nutricatu: ſiquidem avidè comedentes, nil tamen inde proficientes, incidere ſolent in ciborum faſtidium, & vomitum, mox etiam in obſtructiones, cachexiam, ventris profluvia, aliaque hujus generis mala.

Spe-

Specialius autem meminit Hippocrates ſequenti Aphoriſmo proſtrati appetitus, veluti ab oppoſito provenientis: etenim ubi primùm avidè comedentes nihil profecerint, tandem cibum faſtidientes non ampliùs appetent, ab excrementis in ventriculo congeſtis.

Sed nec procul aberrant à vero, qui exiſtimant, Hippocratem hìc non de Convaleſcentibus, de quibus *Aph. VIII.* ſed de Ægrotantibus ſermonem habere, ſi fortaſsè ex morbo, ſeù morbi cauſa avidè comedant, & nihil inde proficiant, quandoquidem malum erit, cùm univerſa illa ciborum quantitas cupidè ingeſta nec in alimentum tranſmutata, neceſſariò in excrementoſos ſuccos ſit convertenda, qui deinceps nedum morbo priori ſuppetias dabunt, ſed etiam novum ingenerantes, Naturam opprimen, cum vitæ diſcrimine: De qua re mox latius.

APHORISMUS XXXII.

Omnes ferè, qui malè ſe habent, circa initia cupidè comedentes, nec quicquam proficientes, ad poſtremum rursùs cibum non appetunt: qui verò circa initia cibum valde faſtidiunt, poſteà bene appetentes, ii in melius vadunt.

Licèt Galenus de Convaleſcentibus quoque hunc Aphoriſmum ſcriptum affirmet *in Commentario*, non alienum tamen à ratione eſt, poſſe etiam de morbo affectis interpretari, quòd ſcilicet ægrotantes, ſi circa initia ægritudinis cupidè comedant, nec inde quicquam proficiant, in declinationem perducti cibos non appetant. Si verò ineunte morbo cibum valdè faſtidiant, poſteà bene appetentes proficiant, in meliùs procedunt. Quamquam & Heurnius initia hæc nolit ad principium morbi referre, ſed ad principium uſus ciborum, cùm ſcilicet, neſcio qua neceſſitate, cogantur convaleſcentes cibum capere, qua anteà caruerint. Ut ut autem ſe res habeat, & Hippocrates ſive de convaleſcentibus, ſive de ægris exponetur, certum illud erit, præſtare illos inter initia fame deſtitui, mox progreſſu temporis appetere, atque edendo proficere, quàm à principio citra commodum avidè comedere, & poſtremò non appetere. Ratio deſumenda videtur ex eo, quia avidè ab initio cibum aſſumentes, nec proficientes, illum nec benè conficiunt, nec in aliti ſubſtantiam convertunt, unde neceſſariò excrementoſos, & viſcoſos ſuccos cumulant, qui Ventriculum opplentes, nauſeam tandem, & ſtomachi faſtidium inferent; Qui verò circa initia cibos abhorrent, diffuſos per Ventriculi cavum humores, quibus fames obtunditur, inedia tandem corrigunt, ac digerunt, hiſque exſolutis appetitus redit, quo per cibum convenienter ingeſtum planè reficiuntur. Succi pariter ciborum digeſtioni, & diſſolutioni addicti, licèt inter initia inertes ſint, ſenſim per inediam acuuntur, & vegetiores fiunt; unde poſtmodùm appetitum excitant, & aſſumptos cibos in ſuccos alibiles permutant, pro virium, & Carnium inſtauratione.

Hinc modò colligere eſt, perperam eos agere, qui ſtatim à principiis morborum immodicè cibos ingurgitant, putantes hoc pacto ſe viribus pro toto morbi decurſu opportunè proſpicere: tantùm enim abeſt, ut id aſſequantur, ut potiùs excrementa multiplicantes, morbificam Cauſam adaugeant, & morbum ipſum ſi non deteriorem, certè lon-

giorem reddant. Ita Cleanactides *æger.VI.primi Epidem.* quia toto ægritudinis tempore cibum non fastidivit, usque ad octogesimum ægrotavit. Non tamen hinc quis existimet cibos ab initio morbi appetere, malum esse, cùm aliàs in quovis morbo mente constare, & bene se habere ad ea, quæ offeruntur, bonum dicatur in sequenti Aphorismo; sed solùm malum esse, ut ægri statim inter initia multum ex appetitu comedant, quod plane digerere exactè nequeunt; prӕsertim quia appetitus in principiis morborum vigens, naturalis, & verus plerumque non est, quippè qui fieri solet à vitiosis, acidisque humoribus Ventriculum occupantibus; Quòd si adhuc consentaneus, & naturalis sit, neque tamen multo cibo gravandus, ne plenitudine distrahatur Natura ab opere coctionis Causæ morbosæ, quӕ sæpè etiam increbrescit à cibis, eorumque recrementis; unde postremò nausea, Ventriculi torpor, & diutiùs saltem ægritudo perdurat.

Cæterùm sententia hæc non tam est universalis, ut aliquando non fallat; quocirca Hippocrates dixit: *Omnes ferè*: ut nimirùm significaret, non semper, sed plerumque fieri, ut, quod ipse notavit, eveniat.

Postremò his, qui à principio multùm appetunt, nec quicquam proficientes cupide comedunt, moderata diæta remedio erit; purgatio verò, vel vomitus his, qui cibos fastidiunt, si fortasse stomachum roborantia non profecerint.

APHORISMUS XXXIII.

In quovis morbo mente constare, & bene se habere ad illa, quæ offeruntur, bonum: contra verò se habere, malum.

Ex majori, vel minori recessu à consueto salutis statu, morbos graviores, vel leviores coniicere solemus: illum autem à læsis operationibus metimur; & quidem quo magis, vel minùs, & plures, vel pauciores, illæ offendantur. Id ergo considerans hìc Hippocrates, inquit, bonum signum esse in ægritudinibus quibuscumque operationes tum ad partem animalem, tum ad naturalem spectantes, bene se habere, quippe quæ leviorem, minoremque recessum à naturali statu fecisse ægrotantem arguant.

Meminit autem operationum animalium, quæ Mentis, & Rationis, ac naturalium, quæ Ventriculi appetentis, & concoquentis sunt; tacuit verò vitales: Fortasse quia fuit illi in animo eas potissimùm ægritudines commemorare, quæ vitæ cominùs insidiantur; vel quia vitales non omninò labefactatas putavit, cùm naturales, & animales constant; vel quia, vitalibus læsis comparare voluit naturales, & animales bene valentes; vel demum quia non omnes ad Cerebrum, & ad viscera naturalia pertinentes, sed dumtaxat Ratiocinationi, atque Appetitui inservientes operationes specialius perpendendas existimavit: dixit enim, *mente constare; & bene se habere ad ea, quæ offeruntur*: quasi his duabus constantibus, reliquæ etsi deficiant, sint ægrotantes convalituri. Tantùm autem ejusmodi facultatibus videtur tribuendum, ut ad Vitam quoque spectantes inde foveri, sint, qui crediderint, cùm & Cor moveri non posse dicatur, nisi per nervos, & roriferum nervorum liquorem à Cerebro, ac puriorem chyli substantiam è Ventriculo suggestam. Atqui non solùm hìc, sed superioribus Aphorismis plurimi fecit

cit

cit Hippocrates appetentis, & concoquentis virtutis, quam, prout bene, vel malè ſe habeat, cęteræ pariter eodem modo affectæ conſequantur.

Atque hinc ſicuti bonum dixit, ſi æger mente conſtet, & bene ſe habeat ad ea, quæ offeruntur; ita ex adverſo malum, ſi ad utrumque ſe malè habeat; quandoquidem præter læſas alias vitæ operationes, contingit quoque animales, & naturales depravari; unde profectò diù Vita prorogari nequit, ob maximum, remotiſſimumque receſſum à conſueto ſanitatis ſtatu. Modò his duobus veluti generibus ſignorum, & gravioris, vel levioris Morbi fideli oribus teſtimoniis, veriſimile eſt voluiſse Hippocratem de morborum acutorum eventu tradere prædictiones, de quibus anteà meminerat, non licere tam certò præſagire.

APHORISMUS XXXIV.

In Morbis minùs periclitantur, quorum naturæ, aut ætati, aut conſuetudini, aut anni tempori, magis congruit morbus, quàm ubi nulli iſtorum congruit.

AD prognoſim quoque hic Aphoriſmus pertinere videtur, cùm ex illo eventus in morbis præſagiri poſſit. Quamvis enim exitus morborum in ancipiti perpetuò ſint, nihilominùs ſi illi congruant naturæ, ætati, conſuetudini, aut anni tempori, minùs de vita ægrotantis vereri contingit, quàm ſi omninò diſſentiant. Nomine autem Naturæ intelligit Galenus temperiem, ſeù potius propriam cujuſque Corporis conſtitutionem; unde Morbi ad hanc relati dici ſolent conſentientes, & diſſentientes. Qua ratione idem Hippocrates *primo aph.* 14. Senes dixit raro, ac difficulter acutis, atque ardentibus febribus corripi, facillimè verò Juvenes. Idipſum omninò dicendum de ætate, habitu Corporis, conſuetudine, & anni tempore, ut proinde levius accidat febrire æſtate, quàm hyeme, & gravius affici inſuetos, quàm aſſuetos. Quandocumque igitur Juvenes, & acriori ſanguine prędi ti Morbis pariter juvenili ætati familiaribus, & ex acriori humore pendentibus corripiuntur, atque ejus propemodùm conditionis, qualis ea anni tempeſtate graſſatur, certè hi minùs periclitantur, quàm ſi alio morbi genere laborent, qui nulla ratione ætati, conſtitutioni, habitui, tempeſtati, & conſuetudini congruat.

At contrarium viſum eſt Diocli Caryſtio, qui proximis poſt Hippocratem temporibus claruit, exiſtimans longè pejus ſe habere ægrotantes à ſimilibus, quàm à contrariis, quippe qui à ſimilibus afficiantur, ab oppoſitis verò curentur, ut ipſemet Hippocrates ſtatuit *lib. de flatibus*: & quidem videntur minùs reſiſtentes facilius ſuccumbere, quàm qui diſſentientem nacti ſunt temperaturam, corporis conſtitutionem, ac habitudinem; unde graciles facillimè evadunt tabidi, & obeſi, ac otioſi quacumque levi ex cauſa incidunt in hydropem, & pituitoſi Senes gravedines, ac raucedines immedicabiles incurrunt.

Verùm his, aliiſque argumentis ſatis, ſuperque feciſſe videtur Galenus in commentario, qui aliter ac Diocles à Cauſa, temporis, ætatis, & habitudinis contrarietatem ſuperante, Hippocratis ſententiam hìc tuetur. *Cùm enim*, ipſe inquit, *anni tempus cohibere non potuerit Cauſæ magnitudinem, cùm tamen haberet ſanitatem ſibi ſuffragantem, multo minus*

minus morbo jam facto superaverit, non assistente sanitatis robore. Atqui Hippocrates minùs dixit periclitari eos, quibus aliqua ratione morbus congruit, quia minorem recessum patiuntur à sanitatis statu; qui verò in dissentientes sibi morbos incidunt, à potentiori sanè causa corripiuntur, quæ scilicet valuerit omninò dissimilem ætati, naturæ, consuetudini, & anni tempori morbum inferre. Finge Senem incidisse in ardentem febrem, aliamve acutũ morbum, procul dubio Causa, quę acutam ejusmodi ægritudinem intulit, validissima existimanda est, quæ senilem ætatem cum tanto recessu à suo statu deturbavit. Sic etiam quòd senibus contingant Podagræ, Renum Calculi, Catarrhi, nil mirum, cùm vel levi ex causa has ægritudines incurrant; at iisdem Juvenes vexari, gravius omninò, quoniam Causæ designantur adeò validæ, ut potuerint cum tanto recessu à naturali, & consueto statu juventutem prævertere, & labefactare. Hìc animadvertere decet, non dixisse Hippocratem, minùs affici, corripi, aut laborare, sed minùs periclitari, quorum naturæ, ætati, consuetudini, aut anni tempori magis congruit morbus; siquidem licèt omninò verùm sit, difficilius homines ardenti febre corripi hyemali tempore, quàm æstivo, senes, quàm juvenes, pituitosos, quàm biliosos, sedentarios, quàm exercitatos, tamen quandocumque ardens febris hyeme aliquem invaserit, ea vehementia, qua solet æstate, tum profectò ægrotans in magno discrimine censendus erit, ob causæ vehementiam, quæ potuerit ardentem febrem Hyeme progignere.

Morbos convenientes desumpsit Hippocrates non solùm ab his, quæ Corpori insunt, vel ejusdem Constitutionem comitantur, aut consequuntur, sed etiam ab Anni tempore, cujus consideratio magnifacienda est in morbis: illos etenim incipere, aut desinere, breviari, vel produci, diminui, aut augeri pro varia temporum habitudine, non semel meminit idem Hippocrates *in libris Epidemior.* & *de Aer. aq. & locis.* Hinc adjungendæ quoque sunt Aeris, & Regionum varietates, quibus diversimodè Corpora affici, atque alterari, cuique compertum est.

Quinam demùm sint Morbi ætatibus, & constitutionibus temporum congruentes, latè prosequitur idem Auctor 3. *Aph.* ubi singulorum ægritudines enumerat.

APHORISMUS XXXV.

In quovis Morbo partes ad Umbilicum, & imum Ventrem attinentes, crassitudinem habere, melius est: multùm verò extenuari, ac contabescere, pravum. Sed & hoc quoque ad inferiores purgationes periculosum.

QUæ de operationibus ad salutares eventus presagiendos superius Hippocrates adnotarat, nunc è Viscerum imi ventris habitudine desumit, atque in iis crassitudinem, & extenuationem contemplatur, atque ex priori bonum, ex posteriori malum indicium deducit.

Partes autem non quascumque considerandas suscipit, sed eas tantùm, quæ ad Umbilicum, & imum Ventrem attinent: istæ siquidem specialiter sunt addictæ digestionibus, distributionibus, ac alimenti secretionibus; unde quidquid boni, vel mali toti Corpori accidit, dependet; ut namque primæ pinguescunt, cùm Corpora adiposa fiunt;

sic

sic primæ quoque contabescunt in gracilescentibus. Cùm igitur imi Ventris Viscera crassitudinem ostendunt, designant nedum ipsas bene se habere, nilque grave ex morbo contraxisse, sed etiam reliquis partibus promptè posse opitulari, alibili succo aptè suggesto. At verò si extenuata videantur, & sui imbecillitatem significant, & ciborum confectionem, ac excrementorum secretionem in totius Corporis incommodum malam portendunt. In eamdem fermè sententiam scripsit idem Auctor *primo prognost*.37.optimum esse Hypochondria absque dolore esse, & mollia, & æqualia; siquidem Jecur, Ventriculus, Lien, Pancreas, Mesenterium, Omentum, Intestina, & adjacentes glandulæ naturalem servabunt constitutionem nihilum ex morbo immutatam. Porrò plerisque ex gallicis præsertim doloribus ferè tabefactis bene sperare non semel ominatus sum ab inspecto Ventre nondum extenuato, sed crasso, & molli; nec spe frustrati consanuerunt.

Sed *meliùs* dixit, non autem omninò bonum: nam nullam pati interanea ista in morbis extenuationem, bonum non est ex superiùs traditis, sed & obstructionem, hydropem, aliamve similem affectionem præsignarent. Quamobrem subjunxit: *multùm verò extenuari, & contabescere malum*: multam opponens extenuationem crassitudini. Quemadmodùm enim impossibile est nullam ex morbis quibuscumque subsequi in abdomine extenuationem, ita multam, atque excedentem malam omninò credere oportebit; quippe hæc nedum Viscerum in imo ventre contentorum prægrandem noxam ostendit, sed etiam succi alibilis malitiam, atque ineptitudinem. Quare ingentes istæ emaciationes in malignis, & perniciosis ægritudinibus plerumque observantur.

Addit, *periculosum hoc etiam esse in inferis purgationibus*: quia sicuti ab evacuationibus per superiora cavendum dixit Tabidis, & qui pectoris angustia laborant, ita purgationes per inferiora sunt periculosæ, cùm partes ad Ventrem imum attinentes contabuere: à medicamentis namque purgantibus magis illæ extenuarentur, & elanguerent;quin & expetitæ à Catharticis evacuationes, ob hypochondriorum tenuitatem, vel non succederent, vel majorem molestiam parerent, vel febrim excitarent cum phlogosi, aut inflammatione, ut non semel observatum est.

APHORISMUS XXXVI.

Qui sanitate Corporis fruuntur, medicamenta purgantia assumentes, statim debilitantur, & qui pravo utuntur cibo.

Medicamentorum purgantium damna hoc, & sequenti Aphorismo memorat Hippocrates, in sanis præsertim corporibus: illa enim ait à catharticis statim exsolvi, ac debilitari. Cùm enim ista irritante quadam vi partibus infensa humores educant, si fortasse vitiosi succi non adsint, utiles liquores ad expulsionem sollicitari necessum est; unde Corpora labefactari contingit. Ejuscemodi autem perturbationis, atque exsolutionis mala attestantur sitis, ciborum fastidium, vomitus, dejectio, Ventris tormina, coloris faciei mutatio, & macies, idque genus alia, quæ catharsim comitantur, vel consequuntur, potissimùm importunam. Quòd autem irritante vi purgantia medicamenta humores e-

ducant liquidò constare potest ex eo, quòd glandes podici inditæ à superioribus etiam intestinis ad motum peristalticum lacessitis fæces submoveant: Mercurius vitæ lingua degustatus vomitum provocat, & dejectiones: Unguentum de Arthanita Abdomini, & Umbilico illitum alvum solvit: Dejectoria in majori dosi exhibita vomitum movent, non alia ex causa, nisi quia vehementius Ventriculum vellicant, & citiùs quàm dissolutio peragatur, Stomachi tunicas, fibrasque lacessunt, ut etiam notavit Vvallæus *in sua Methodo*.

Denique qui pravis utuntur alimentis etiam à catharticis offenduntur, quoniam inutilium succorum congeries viribus ab evacuatione fatiscentibus succurrere nequit; quamobrem mox exsolvuntur, ac debilitantur. Hinc æquè peccant, qui sanis Corporibus cathartica exhibent, ac qui cacochyma affatim purgare conantur. Satius itaque erit in his Corporibus uti purgantibus per epicrasim, quæ paulatim humores vitiosos educentia ab imbecillis viribus sufferantur, ut in ustione, aut sectione hydropicorum idem Hippocrates admonuit.

Neque verò solùm sana omninò Corpora à purgantibus offenduntur, atque debilitantur, sed etiam, quæ nuper à morbo convaluere, post evictam, extrusamque Causam morbificam, atque in pristinum sanitatis statum sunt restituta; quinimmò longè majus futurum damnum timere est in restitutis, quæ sanè imbecilliora esse solent, quàm in his, quæ anteà ægrotarunt; sicut enim non sunt illa pravis cibis infarcienda, ita neque catharticis molestanda, cùm perindè sit membra suo, convenientique alimento privare, ac malis succis replere.

APHORISMUS XXXVII.

Qui Corpore valent, difficulter ferunt medicationes.

POsset quis prima fronte, aut oblivionis, aut superfluitatis Hippocratem arguere, quasi verò eadem, quæ præcedenti Aphorismo docuerat, hìc repetat. At Galenus, unum ex iis, quæ ex ipsa progignuntur purgatione, symptoma voluisse Hippocratem superiori Aphorismo indicare, citam nempè exolutionem; in hoc autem generaliter de omnibus sermonem habere existimat. Alii hìc de sanis Corporibus, ibi de convalescentibus loquutum ajunt. Nonnulli in priori de purgantibus solummodò blandioribus, in posteriori de vehementioribus catharticis egisse sub nomine Medicationum. Cardanus de *actuali* statu Corporis præcedentem, præsentem de *habituali* interpretatur. Quidam demum hunc illius reddere Rationem saniori judicio arbitrantur, ut propterea utrumque Aphorismum nectant: *Qui sanitate Corporis fruuntur, Medicamenta purgantia assumentes, statim debilitantur*: quoniam, *qui Corpore valent, difficulter ferunt medicationes*.

Et quidem à medicamentis purgantibus benè valentia Corpora turbantur plurimùm, & concutiuntur, atque irritatione visceribus illata, fermenta depravantur, sanguis funditur, & succi nutritii exsolvuntur. Sunt enim purgantia, ut aliàs à Nobis est ostensum, de genere venenorum, &, ut Celsus habet, humano Corpori inimica, quæ si fortasse inveniant, quos extenuent, ac dissolvant pravos humores, leviorem noxam

xam inferunt; si verò, ut in Corporibus sanis, non habeant, quod cacochymum exturbent, utiles, ac salutares humores invertunt, depravant, corrumpunt, undè non sine gravi virium jactura tolerantur, nisi etiam perimant.

Neque verum est, quod Galenus in commentario habet, evenire ejusmodi mala in sanis, quia purgantia medicamenta, cùm sibi proprium, quem attrahere appetunt, non inveniant humorem, necessariò sanguinem, & carnes eliquant, ut ex ipsis illum seligant. Satis enim, superque liquet, omnes, & quoscumque humores indifferenter educi, quocumque purgante medicamento, nisi quòd à benignioribus leviùs, à vehementioribus efficaciùs promoveantur, & expurgentur, ut latiùs alibi est memoratum.

Quamvis autem antea dictum sit, cathartica in sanis difficulter tolerari; non tamen hinc quis existimet, faciliùs ea sufferri in ægrotantibus: quippè in utrisque eadem, vel paria symptomata comperimus. Id verò in his discrimen aderit, quòd purgatio in ægrotis, si rectè, atque opportunè instituatur, morbificam causam eliminando, prodesse poterit, licèt per irritationem Visceribus molesta sit; in sanis verò, præter noxam ab irritamento, etiam utiles succi evertuntur, & evacuantur, viribus infractis. Quamobrem jure optimo animadversum hìc est ab Hippocrate ægriùs ferri à sanis, quàm ab ægrotantibus medicationes, cùm revera cacochyma Corpora ex quovis levissimo pharmaco subitas sortiantur evacuationes, Euchymorum verò purgationes difficiliùs fiant, & maxima cum universi Corporis perturbatione.

APHORISMUS XXXVIII.

Parùm deterior cibus, aut potus, suavior autem, melioribus quidem, sed minùs suavibus est præferendus.

Comparat hìc Hippocrates cibum, ac potum suaviorem, cum meliori, atque illum ait, etsi deteriorem, meliori, sed insuavi, esse præferendum: Is autem parum deterior sit, nam si omninò pravus foret, procul dubio minimè esset anteponendus.

Rationem deducit à suavitate; quoniam suaviorem cibum, aut potum Ventriculus arctiùs amplexatur, retinet, meliùsque digerit, atque in probum chylum commutat, undè vires, & membra reficiuntur. Similem sententiam tulisse videtur *lib. de affectionibus*, inquiens: *Cibos, potus, aut obsonia, quæcumque ægri concupiscunt, si non damnum Corpori indè accessurum est, exhibeto.* Sed latiùs de gratificandis ægrotantibus hæc habet, *6. Epidem f. 4. Ægrotantibus gratificationes, velut est pure præparare potus, & cibos, & ea, quæ videt, molliter ea, quæ contingit. Aliæ gratificationes, quæ non magnoperè lædunt, aut facilè reparari possunt, velut frigida, ubi hac opus est. Aliæ gratificationes sunt, introitus, sermones, habitus, vestitus, ægrotanti tonsura, ungues, odores.* Ubi Galenus: *duplex utilitas habetur ex gratificatione ægri in his, quæ sunt citrà illius jacturam; altera, quòd in cibis meliùs concoquunt, in potibus sitis sedatur, ex odoribus somnus conciliatur, ex balneo quies, virtusque restauratur; Altera est Amor ægri ad Medicum, & observantia, qua fit, ut illi in omnibus pareat.*

Usus

Usus est hìc nomine deterioris, sed suavioris: quippè deterior is cibus intelligendus erit, qui minùs vires restaurare valeat, minùsque Causæ morbi adversetur; at verò suavior, qui gustatum voluptuosiùs afficiat; & Ventriculum ad appetendum, conficiendumque jucundiùs alliciat, ut si quæ nausea, vel stomachi subversio aderat, tollatur, vel remittatur: eadem profectò tunica Lingua, Fauces, & Ventriculus vestiuntur.

Solent autem suaviores esse cibi, qui tempore Salutis sumi consueverunt, nam quæ consueta sunt, minùs molestare solent, præsertim si materno desiderio ab incunabulis appetivimus, vel ab uberibus depulsi, primos à lacte esitavimus: Undè Hippocrates *de ratione vict. in acutis*, faciliùs ferri, ait, malos cibos consuetos, quàm bonos insuetos; Consuetudo enim altera Natura dicitur. Deteriores etiam cibi, si ritè, rectèque condiantur, salubriores fiunt, & aviditatem excitant. Attamen non sunt illa in escam concedenda, à quibus nullus utilis succus elicitur, qualia esse solent, quæ à picacea fame laborantibus expetuntur; ea etenim veluti deterrima, omninò sunt interdicenda; sed & neque permittenda sunt, quæ dulcem succum præseferre videntur, ut sunt bellaria omnis generis, ex saccharo potissimùm confecta, hæc enim facillimè amarescunt, & in succos Ventriculo infensos quàm citissimè vertuntur.

Hinc modò colligere licebit, gratificandum esse ægris in ciborum, & potuum delectu, ut si fortasè quædam cibaria, dummodò omninò nocua non sint, expetant, ultrò concedantur, ut & potus vini, aut aquę frigidæ, itemque salita, acetaria, aliaque hujus generis, prout occasio tulerit, moderatè tamen sumpta. Idem Hippocrates *lib. de internis affectionibus* ad Morbum Regium, qui ciborum fastidium infert, obsonium parat ex pullo gallinaceo percocto, probe condito cum cœpa, coriandro, caseo, sale, sesamo, & ova passa alba, & vinum bibendum jubet album, austerum, vetustissimum. Perperam ergo agunt, qui nimiùm severi nullo pacto miseris ægrotantibus in cibis, potibusque indulgere solent, cùm cæteroqui cibus, & potus in gratiam virium conservandarum ægrotis debeatur, qui si insuaves sint, atque injucundi, tantùm abest, ut prosint, ut potiùs in degeneres succos commutati vires non tueantur, sed morbum.

APHORISMUS XXXIX.

Senes Juvenibus plurimùm quidem ægrotant minùs; diuturnis verò morbis correpti ferè commoriūtur.

Confert in hoc Aphorismo ætatem juvenilem cum senili, magis, vel minùs obnoxia ægritudinibus, atque inquit, Senes plerumque ægrotare minùs, quàm Juvenes, morbis præsertim acutis; diuturnis verò correptos magna ex parte commori.

Quòd de acutis primò sermonem habeat, patet ex altera Aphorismi parte, in qua memorat diuturnos. Distinguit namque Hippocrates, ut benè notat Cardanus, ægrotare, idest acutis morbis corripi, ab eo, quod est morbis subiici; cùm alioqui Senes pari habitu præditi, ac Juvenes, faciliùs, frequentiùsque morbis subiiciantur; at verò ægrotant minùs, hoc est, minùs, seu rarius, quàm illi acutis ægritudinibus corripiuntur; neque tamen id absolutè protulit, sed adjecit plerumque, seu magna ex parte, cùm fieri possit, ut contrarium

in

in aliquibus accidat, peculiares ob caufas, five internas, five externas: plerumque autem evenit, comparatione ex æquo habita, ut Senes minùs, feu rariùs, quàm Juvenes ægrotent, fervata per ætates unicuique vivendi norma.

Sed qui fit, ut rariùs ægrotent, non eadem eft apud Interpretes ratiocinatio. Galenus ad continentiam in victus genere caufam referre videtur, ut propterea putet, Senes, qui temperatiores non funt, magis ægrotare, utpotè qui Juvenibus fint debiliores. Cardanus ex temperamento potiùs frigido ficco rationem deducit, cui etiam adiicit calorem imbecillem morbis acutis repugnantem, promptamque adhuc à debilibus Caufis læfionem, ob quam fe ftatim fubtrahant, & intemperantias caveant, & quòd putredini non tam facilè obnoxii fint, quoniam frigidum eft illorum Corpus. Sunt etiam, qui ad craffos, frigidofque fuccos, quibus fenilis ætas abundat, rationem Aphorifmi revocent, quippè acuti morbi ex humoribus calidis, & tenuibus proficifcuntur, undè raro fenes acutis ægritudinibus laborare contingit.

At quamvis Senes fuam confultiùs fciant regere, ac tueri valetudinem, fintque cæteris prudentiores, temperatiorefque, ut quæ prodeffe, vel obeffe confueverint, longa ætate, iteratifque experimentis, exactè quoq; didicerint; nifi alia caufa accedat, per quam rariùs illos acutis ægritudinibus laborare contingat, non plenè Hippocratis fententia cenfebitur explanata. Exiftimaverim ea propter, fenectutem idcircò rariùs acutis morbis corripi, quoniam fanguis ætatum mutatione defcifcit ab illa prompta, & facili, quæ per juventutem vigere folet, acritudine, ac fermentatione; fenfim enim hebefcit, & alkali fuo vivifico, ac volanti fpoliatur, quo levi ex caufa in Juvenibus concitatur, & effervefcit. Succi etiam ex illo provenientes effœti fiunt, & in acidum declinant, quo potiùs concrefcit fanguis: quare alibi diximus, rarenter acutas febres Senes invadere. Si namque à temperantia folùm victus non ægrotarent, illa profectò non minùs quoque prodeffet, nè in chronicos morbos inciderent, cùm tamen his frequentiùs capiantur, & correpti ferè commoriantur. Itaque à conditione potiùs fanguinis mutata, quæ per ætatem fenfim acquiritur, id illis accidere fatendum eft. Cæterùm quòd ad Cardanum pertinet, frigido, ficcoque Senum temperamento, putredinem excludenti, id tribuentem, non eft, ut longiori fermone refutemus; cùm hæc apud emunctæ naris Philofophos in derifum jam abierint.

Quoniam verò Senibus Juvenes oppofuit, videtur proindè Hippocrates univerfas ætates ad duas iftas revocare, itaut homines conferat à pueritia ad juventutem ex una, & à juventute ad fenectutem ex altera; ideòq; fub Juvenibus comprehendantur etiam Adolefcentes, & Pueri, & fub Senibus, qui in confiftenti ætate funt, & qui crudam, & qui maturam fenectutem attigerunt. Priores enim, ficut fanguine abundant floridiori, vegetiorique, ita carnes habent molliores, & vifcerum texturam laxiorem. Pofteriores verò fenfim in utrifque deficiunt, & fanguinem, & carnes confiftentiores adipifcuntur.

Hac fanè de caufa etiam fit, ut Senes diuturnis potiùs corripiantur affectionibus, quas idem Hippocrates enumerat *Tertio Aphor.*31. inquiens: *Senibus, fpirandi difficultates, defillationes cum tuffi, urinæ ftillicidia,*

dia, & difficultates, articulorum dolores, & renum, vertigines, Apoplexiæ, habitus Corporis depravatio, pruritus, Vigiliæ, alvi, oculorum, & narium humiditates, visus obtusus, glaucedines, auditus graves. Hæc autem ab effœto, inutilique sanguine procedunt, cujus ratione imbecilla senectus reddita his, aliisque chronicis ægritudinibus subiicitur; sed & cum in has inciderint, vix, aut rarò evadunt; quin potiùs cum illis consenescunt, ægram vitam ducunt, ac tandem commoriuntur.

V. primo de diæta.

Dixit autem *ferè*; nam non omninò ex chronicis quibuscumque ægritudinibus Senes decedunt, cùm à quibusdam saltem liberari possint, adhibita præsertim diligenti curatione. Eas verò plerumque insanabiles experimur, quæ languorem partium consequuntur, atque à perversis, hærentibusque humoribus dependent, ut Asthma, Hydrops, Renum, & Vesicæ affectiones, suffusio Oculorum, Surditas, aliæque similes.

V. 6. aph. 6. & 6. evidem. 5. 7.

APHORISMUS XL.

Raucedines, & Gravedines in valde Senibus coctionem non admittunt.

EXemplum ægritudinum senilium in hoc Aphorismo allaturus Hippocrates, Raucedinem, & Gravedinem in medium adducit, quas inquit, in provecta senectute coctionem non admittere. Sunt quippè ambæ valdè senibus infestæ, ut quacumque ex causa etiam ambientis frigoris, vel austrini flatus, illos divexent. Et quamvis omnes defluxiones, distillationesque in quamcumque Corporis partem decumbentes sub harum nomine plerique interpretentur, nihilominùs propriè exponi debent, quæ in Guttur, & Asperam Arteriam, & quæ in Nares, ac Palatum desinunt. Quamobrem Raucedo est affectio illa gutturis à confluente seroso humore tumefacti, ubi Aer à motu Thoracis, & Pulmonis propulsus infringitur, & vocem raucam reddit; undè in Raucitate vocales ductus, & musculi Laryngis indebitè irrigantur, ac plus justo humescunt, ut nequeat aer impulsus, ac repercussus liberè excurrere, & reflecti, ad vocis modulationem, sed tubæ interiùs humefactæ ad instar clangorem edit. Gravedo verò, seu Coryza est, in qua similis humor in Nares, & Palatum defluens, tùm olfactum, tum gustatum impedit, quamvis etiam Cerebrum à restagnante humore adeò sæpenumero gravatur in antica præsertim parte, ut etiam non leviter doleat, & Oculi illacrymentur.

Quæ cùm ita sint, non videntur binæ hæ ægritudines adeò perniciosæ, ut insanabiles credantur in Senibus, quinimò sæpissimè observentur curatu faciles, præsertim si illi cautiùs res suas agant, & in victus genere errata non admittant. Lepidè quidem, & acutè respondit olim Alberto Savanarolæ, hunc Aphorismum obiicienti, Leonicenus, cùm ferè centenarius raucedine laboraret, eum non fuisse pro Medicis scriptum, indicans prudentem, temperantemque hominem posse infaustum Aphorismi omen cavere, & à Raucitate liberari, ut evenit; nam jure Caponum, & seminibus gossypii tandem convaluit. Plures alii referuntur exacta diæta idipsum assequuti, conferente tamen plurimùm valida Corporis constitutione, & spiritalium partium amplitudine, atque energia.

V. Cardan. hic.

Verùm etsi Raucitas, & Gravedo sua natura inemendabiles non sint, evadunt nihilominùs plerumque tales

les in valdè senibus ob languorem ejus ætatis; quasi dixerit Hippocrates: Raucedines, & Gravedines in aliis ætatibus facilè curabiles, immò nullius ferè momenti, si in ultima senectute contingat, ob viscerum laxitatem, & sanguinis jam effœti, viriumque languorem, coctionem non admittunt, & fermè insanabiles fiunt. Quamobrem animadvertere est, speciatim notasse Hippocratem valdè Senes, idest in summa Senectute constitutos, qui plerumque languidi cùm sint, & cadaverosi, etiam levibus superandis ægritudinibus impotentes evadunt, ut hinc facilè inferatur, quòd minimè curationi subiici queant, Asthma, Hydrops, Empyema, Tussis, morbi longè graviores, quos consultò tacuit, si leviores, Raucitas, & Gravedo difficulter in illis maturescunt. Sed & reverà Raucitatem, ac Gravedinem in decrepitis, nec insanabiles ipse asseruit, sed solùm coctionem non admittere, ut postremò prorsùs desinant; cùm non rarò extremò senio confecti interquiescant quidem, sed non omninò ejuscemodi ægritudinibus, potissimùm productis, convalescant, etsi valentiores videantur, & opportunis remediis sint adjuti. Coctionem autem in his, vel nunquam, vel rarenter admittunt, tum à confluente continenter humore eas partes delaxante, qui sæpissimè in Senibus tenujor plerumque est, tam à sanguinis vitio, quàm à Cerebri, & glandularum laxitate; tum etiam ob contractum acorem in provecta senectute increbrescentem, qui suo alkali vivifico non coercitus, nec subactus, coctioni refragatur. Id quod nedùm sępissimè in decrepita senecta, sed etiam aliquando in crudis, & pręcanis Senibus, si natura langueant, & valetudinarii sint, experimur.

APHORISMUS XLI.

Qui frequenter, ac fortiter absquè Causa manifesta deficiunt animo, de repente moriuntur.

Ut hujus Aphorismi veritas perpetuò constet, tria simul hæc ab Hippocrate hìc recensita jungi oportere fatendum, ut nimirùm frequenter, fortiter, & absque Causa manifesta defectus animi insequatur, cùm in hystericis affectionibus, in męstis, & melancholicis, inedia confectis, aliisque, quos sæpesæpiùs linqui animo contingit, vel frequenter, vel fortiter, non certò repentinus interitus timeatur, ut in Aphorismo dicitur. Itaque junctim exposcit Hippocrates frequentiam, idest iteratas animi defectiones, & pluries brevi repetentes: Vehementiam, ob quam pulsus omninò langueant, vires dissolvantur, corpus concidat, palleat vultus, & partes præsertim extremæ refrigerentur, quin & frons, ac collum glutinoso sudore perfundantur: Demum sine causa manifesta; nam si à mœrore, inedia, immodica quacumque evacuatione, aliave evidenti causa animo deficiat æger (quamvis & ab his quoque perire possit) repentinus interitus minimè contingeret. Quamobrem Causa exigitur interna in ipsa sanguine, vel Corde sita, ut subindè de repentino interitu metuatur.

Hujus animi defectionis, tàm vehementis, ut subitò, ac repente perimat, causam Medici ferè communiter referunt ad vitalium spirituum dissolutionem, qui vel deleterio humore infecti penitùs extinguantur, vel crasso, frigidoque succo suffocentur, vel maxima exolutione dispereant, ut in pestilentiis. At Anatome

tome compertum habemus hæsisse in his sanguinem dextræ Cordis auriculæ, & impetu quodam succedentem, à vena Cava ascendente suggestum, irrupisse adeò, ut in Pericardium, atque in Thoracis cavum difflueret, dirupta adhuc eadem vena. Causam ergò ejuscemodi iteratæ defectionis à sanguinis vitiato pendere existimaverim: is enim, cùm nimia crassitie, acore, aliove vitio, in aditu dextri, sinistrive Ventriculi concrescit, hæretque, syncopem mortiferam infert. Sic in multis pestiferis constitutionibus repentè concidunt extincti homines, ac belluæ, quia pestilentes halitus, seu vapores per aerem diffusi, ejus sunt conditionis, ut inspirati, atque in pulmonibus cum sanguine Cor ingressuro commisti illum concrescentem, hærentemque reddant inter valvulas Arteriæ venosæ, vel in ipso sinistri ventris hiatu, atque simul unà ejus cavum exitiali contagione inficiunt, & labefactant; Undè motu Cordis, & Sanguinis intercepto, syncope accidit, & Mors. Sed & non rarò evenit, ut sanguinis vasa, quę ad Cor tendunt, sensim lentis, tenacibusque succis obstruantur, veluti polypis, qui postmodùm præterfluentem sanguinem retardent, sintque in causa, ut hic in aliàs partes irruens, vel opprimat, vel dirumpat, quę Cordis motui, ac Vitæ sunt omninò, penitùsque necessaria. Quoniam verò hæc, aliaque valde differentia solent plerumque paulatim fieri, & ex variis causis augeri, aut mitescere, propterea est, ut iteratò redeant graviùs, vel leviùs, pro circumstantiarum varietate; potissimùm verò, quia sanguis in ductus Cordis liberè permanare nequit, & quousque obstaculum à novo superveniente propulsus vicerit, animi defectio perdurabit; at verò cum propelli nequit, nedùm sibi, sed etiam succedenti sanguini impedimento est; quare intumescens vasa primùm dilatat, mox discindit, unde Mors sequitur repentina. Si diutiùs prætereà sanguis grumefactus alicubi remoretur; vel contrà impetuosiùs, uberiùsque in dextrum Cordis ventriculum influat, idipsum planè eveniet, ut cùm à diuturno mœrore, & subito metu, immodico, atque insperato gaudio, quis deprehenditur.

Hinc autem præter prognosim, qua Hippocrates tùm patientes, tùm Medicos præmonet, ex ejusmodi iteratis animi defectionibus, oportebit illis nedùm correptis opitulari, sed ab imminenti interitu præcavere. Nunquam verò satis demirari queo quorumdam credulitatem, qua sibi persuadent, ad Cordis vigorem, atque ad spirituum refectionem, valere plurimùm smaragdos, margaritas, hyacinthos, itemq; julapium ex gemmis, & unionibus confectum, aliaque hujus generis, quæ nullam analogiam cum sanguine, & spiritibus habent; cùm potiùs à spiritu Vini, & Aromatibus, Elixire, & Julapio vitali, Aqua cinnamomi, & theriacali spiritu Salis Ammoniaci, & Caphuræ, aliisque similibus id assequi liceat, quæ concrescentem sanguinem dissolvunt, & acidum fermentum, illum coagulans, volanti Alkali diluunt, & infringunt. Cæterùm animi Exsolutiones, ex Cardialgia, & Cardiogmo, affectione Hysterica, & Sideratione, aliter medicabimur suo loco.

APHORISMUS XLII.

Solvere Apoplexiam fortem impossibile; debilem verò non facile.

Aliud exemplum insanabilium Morborum affert Hippocrates, & ubi in præcedenti Aphorismo à Vitæ

tæ fonte illud deſumpſit, hoc ab origine ſenſuum mutuatur, potiſſimùm in eo affectu, in quo Corpus univerſum immobile, & inſenſile redditur, vix à mortuis differens, ut illum propterea Apoplexiam, ſive Siderationem Medici appellent.

Eſt itaque Apoplexia privatio ſenſus, & motus in toto Corpore, ſuperſtite reſpiratione, licèt & hæc multum quoque offendatur, & ab iſtius varia læſione, majori, vel minori, quadruplicem faciat Galenus illius differentiam: primam, & fortiſſimam, cùm Reſpiratio omninò prohibetur, vel ſaltem ſenſibilis non eſt: Alteram fortem, cùm Reſpiratio graviter quidem offenditur, at non prorsùs eſt abolita: Tertiam minùs gravem, in qua Reſpiratio adhuc minùs læditur, licèt anhelitus habeatur, vel interrupta Thoracis expanſio: Poſtremam levem, cùm Reſpiratio vix à naturali, & conſuetudo motu declinat; quinimò nec omninò ſoporati, nec ſenſu, motuque deſtituti, patientes obſervantur.

Ex his autem ſpeciebus, primam, & ſecundam impoſſibile eſſe curare ait Hippocrates; tertiam, & quartam non facile, & nonniſi pauciſſimos, atque Juvenes, & robuſtos ab ipſis evadere, tranſpoſitione habita à Cerebro in nervos ſpinæ ſubjectos, & commutata Apoplexia in Paralyſim.

At qua de cauſa immedicabilis Apoplexia cenſeatur, & alibi etiã idem Hippocrates teſtetur, quartum diem illam non tranſcendere, non inter omnes æquè convenit. Quæ in hanc rem à Veteribus ſunt prodita de obſtructione Cerebri ventrium, & de impedito tranſitu ſpirituum animalium in nervos, tam vana, & levia ſunt, ut longo examine non indigeant; cùm jam cunctis innotuerit, Cerebri ventres repurgandis potiùs excrementis, quàm ingenerandis ſpiritibus uſui eſſe, qui nec, ſi ibi gignerentur, in nervos deduci poſſent, quòd nulli ductus indè pateant in Cerebri Meditullium, atque Nervorum principium; quin & amplo hiatu patuli nequirent illi genitos ſpiritus continere, qui tenues cùm ſint, ac valdè mobiles, ſponte ſua citiſſimè evolarent.

At veriſimiliùs, cùm ea potiſſimùm Cerebri pars, quæ Nervorum origo eſt, ab humore illuc appellante vitiato obſtruitur, aut hebetatur; vel ab intercepto ſanguinis motu per plexus Reticularem, & Choroidem, aliave de cauſa, malè afficitur, gravatur, aut ſtupet, ut nervis ſenſui, & motui addictis minimè ſuffragari queat, attonitum, ſideratumq; Corpus evadit.

Ab hoc autem Nervorum principio, his, ſimilibuſque modis affecto, fit, ut Reſpiratio in Apoplecticis tam graviter offendatur, quippè quę nervis, & muſculis egeat, ut perennet; ea verò omninò impedita, ſenſibiliter lęſa, ſive interrupta, nequit ſanguis ex dextro Cordis Ventriculo liberè per Pulmones in ſiniſtrum permeare; quamobrem is tùm in eodem dextro Cordis ventre, tùm in ipſis Pulmonibus penitùs, vel majori ex parte, reſtagnet, exhauſto intereà ſiniſtro, qui exceptum anteà ſanguinem propellere non ceſſat in Aortam Arteriam; Unde in extinctis Apoplexia, non aliter ac in præfocatis, dexter Cordis Ventriculus multo, concretoque ſanguine turgidus invenitur, ſiniſter verò penitùs inanitus. Liquet igitur quamobrem Apoplectici cum gravi Reſpirationis læſione omninò pereãt, & cum leviori non tàm facilè convaleſcant; quoniam difficile admodum eſt eos ſanguinis ductus medicamentorum ope reſerare, atque ſanguinem abſque ulla remota circumeuntem tueri, cùm Pulmones ſenſim concidunt,

dunt, & Respirationi inhabiles fiunt. Accedit, quòd motus ipse Cordis etiam non sine Nervorum influxu habeatur, ut proindè isto deficiente, ille quoque desinat.

Quamvis autem Hippocrates asserat, impossibile esse fortem solvere Apoplexiam, quod & argumenta nuper adducta suadere videntur, non tamen non tentandum (quoad vires Naturæ tulerint) quodcumque prodesse poterit, aut aliquandò contulisse visum sit. Et quidem sub duplici classe continentur, quæ proficere sunt observata: Evacuantia nimirùm, quę respiciunt Causam hebetantem, aut obstruentem; & Corrigentia humoris malitiam, ac Cerebri torporem, Antiapoplectica dicta. Inter priora pręstat Extractum Catholicum, & Hellebori nigri cum modico Castorei. Inter posteriora verò præcellunt spiritus Antiapoplecticus, & Sanguinis, seu Salis Ammoniaci, volatilis Cornu Cervi, & Cerasorum nigrorum, elixir cephalicum, magnanimitatis, & vitæ, oleum Cinnamomi, & Caryophyllorum; atque extrinsecùs oleum Succini, Salviæ, Rutæ, & Anisorum, tinctura Nicotianæ, & Rorismarini, aliaque his similia, & quæ diaphoresim, ac diuresim moveant. Cætera remedia plerumq; adhiberi nequeunt in Attonitis, omni motu, & sensu privatis; quinimmò, etsi illa per vim indantur, ægrè admodùm ob hebetem, consopitamque virtutem proficiunt.

APHORISMUS XLIII.

Qui suffocantur, & à vita deficiunt, nondùm tamen mortui sunt, non referuntur in vitam, si spuma circà os appareat.

QUoniam Apoplecticos interire contingit non aliter, ac eos, qui suffocati moriuntur; propterea Hippocrates, ut signa fortis Apoplexiæ traderet, à qua lethalis exitus imminet, præcipuum indicium à spuma circa os apparente desumit; aitque, eos in vitam non revocari, quibus os obsitum spuma est.

Sed quæ Hippocrates hìc de Apoplectica suffocatione videtur indicare, plerique etiam extendunt in strangulatis laqueo, vel Angina, in submersis aqua, aliisque, non dissimili fato enectis, ut proindè generalior sententia prolata videatur de quibuscumque ab intercluso spiritu pereuntibus. Et quidem in his omnibus spuma circa os apparens funestum signum est, denuncians spiritalium partium læsionem, & Respirationis noxam, unde referri in vitam perdifficile.

At verò: *Qui suffocantur*, inquit, *& à vita deficiunt*: non enim satis est suffocari, sive spiritalium ductuum angustia premi, sed etiam est opus vita deficere, quod scilicet Cordis, & sanguinis motum interruptum arguat, quamobrem utrumque junctim ægros perpeti necessum est: hac quippe ratione præter spiritalium viscerum læsionem designatur pariter Cordis labefactio. Quare cùm res ita se habet, de vita sperare ampliùs non licebit, ubi spuma os occupaverit.

Sed qua de causa Mors inde certò sit expectanda? cùm cæteroqui spuma plerisque accidat sine ullo vitæ periculo, & Epileptici ore spumosi non rarò fiant, attamen reviviscunt.

Galenus *in commentario* spumæ generationem investigans, illam ex duarum substantiarum mistione oriri ait, *altera spirituosa*, *altera humida*, ex quibus in multa perfractis, mutuoque complexu commistis, ampullæ gignantur, & spuma, ut in Mari, cùm scopulis alliditur. Cùm autem humida

da substantia tenax est, spiritus, seu substantia aerea conclusa difficulter evolat, diuque consistit; quamobrem spuma diù quoque perdurat. Duplicem autem hanc substantiam esse in Apoplecticis, & suffocatis evidens est, spiritum nimirùm, qui expiratione propellitur, atque à compresso Pulmone, per angustos ipsius ductus quodammodò intercipitur; & lymphycum illum humorem, ac salivarium rorem è glandulis faucium, & gutturis exstillantem, qui ex impedito sanguinis circuitu non tam fluidus esse solet, immò aliquantulùm crassescit; ut propterea arctiùs offendentem spiritum, & pulmonis halitus devinciat, atque ampullas, & spumam pariat consistentiorem. Atqui hæc omnia in strangulatis sensibiliora esse solent, quippè qui præter crebitatem Respirationis, & violentam Pectoris, & Pulmonis commotionem, loci angustiam, & aeris plus justo perfracti exagitationem, cum impedito prorsùs sanguinis, & lymphæ circuitu, subitam, maximamque subeunt in faucibus, & gutture præfocationem.

Atque hinc modò apta ratio deducetur, cur non redeant in vitam, quibus spuma circa os apparet, & consistit: nimirùm quia ingentem Pulmonis compressionem, summam respirandi difficultatem, & viarum cùm sanguinis, tùm Aeris interceptionem maximam denunciat: quod etiam indicare visus est Hippocrates *lib. de morbo sacro*, & *lib. de flatibus*. Cæterùm in Epilepticis, vel nulla, vel levis noxa accidit Pulmonis, & Cordis motui, cùm Respiratio in illis perennet, & sanguis per Pulmonis ductùs in Cor traducatur; quamobrem spuma in ore comparens haudquaquàm sequitur offendentis spiritus, & perfracti ex tracheolis Pulmonum aeris interceptionem, sed solius salivarii roris, ob concussionem masculorum mandibularium, expressionem, atque ad dentes, aliasque oris partes collisionem, unà cum interclusо aere in concamerato palati fornice commisti. Itaque, ut de Veritate Aphorismi perpetuò constet, neutiquam reviviscent, qui spumam emittunt ab intercepto spiritu in Pulmonis ductibus, atque impedito sanguinis per eosdem motu; Qui verò aliis ex causis spumant, benè possunt in vitam revocari.

Sed & non ita pridem excogitatus est modus, quo isti, & qui sub aquis sunt demersi, in vitam referantur, nisi tamen sint penitùs extincti, quod plerumque post duas horas evenit. Sunt primùm in verso Corpore, sublatisque sursum pedibus, ac capite deorsùm pendulo eousque detinendi, circum accenso intereà igne, quousque recalescere incipiant, & aquam per vocalem Arteriam eructent, foto sensim Corde, totoque pectore, cùm Vini spiritu, elixire vitali, vel pane calente generoso vino irrorato, hisque sæpiùs, sæpiùsque iteratis: futurum enim, ut mox, nisi omninò decesserint, Cor in suo motu restituatur, & paulatim sanguinem admittat, atque in arterias propellat, cum vitæ restauratione. Qui verò laqueo suspensi, ac strangulati nondùm periere, in vitam facilè redire solent insufflato per Asperam arteriam aere, ut nimirùm Pulmonum brochiis turgentibus sanguis possit è dextro in sinistrum Ventriculum protrudi, subindeque restitui motus tùm Cordi, tùm sanguini, qui ex strangulatu substiterat. Ad promovendum autem sanguinis motum, atque ad dissolvendum eum, qui fortè in dextro Ventriculo, & in vasis Pulmoniacis hærere, ac concrescere cœperat, plurimùm conferent Elixir magnanimitatis, proprietatis, & vitæ

Quercetani; itemque spiritus Salis ammoniaci, & theriacalis dictus, julapium vitale cum Croco, oleum Cinnamomi, idque genus alia, sensim, atque iteratò, ut res ipsa tulerit, exhibita. Cæterùm, qui ultrà duas horas præfocati supervixerunt, ut de eo refert Cardanus, cui aspera Arteria ossea inerat, sicuti ductuum aeris interclusionem omninò non sunt passi, ità Sanguinis, & Cordis motu reverà non sunt defecti, nisi etiam hi parem cum amphibiis, & nobili illo Urinatore *Cola* Catanense, *Pisce* cognominato, sortiti sint Naturam.

14. de Rer. Var. c.76.

APHORISMUS LXIV.

Qui natura admodùm crassi sunt, citiùs intereunt, quàm qui graciles.

Sive hìc Aphorismus referatur ad præcedentes, eoque Hippocrates indicare voluerit, citiùs ex Apoplexia, animi defectione, ac suffocatione, obesos interire, quàm graciles; sive simpliciter sit prolatus de iisdem inter sese comparatis, parùm interest, cùm alioqui certum sit, valetudinariam perpetuò vitam magis ducere pingues, quàm graciles.

Comparat autem admodùm crassos cum gracilibus, & quidem natura, qui nimirùm à prima ætate, & primigenia conformatione ejusmodi habitudines sunt sortiti. At verò valdè crassos intelligit, qui nedum multo adipe scatent; sed & venas, atque arterias habent exiles, & ossa tenuia, quæ ingentem Corporis molem ægrè admodùm regere valent; sed & his sanguis non solùm propter venarum, arteriarumque angustiam modicus esse solet, comparatè saltem ad carnium multitudinem, verùm etiam parte illa vivifica magna ex parte deficit, quamvis multò glutine abundet, quo scilicet adeò ii pinguescunt; quamobrem vitæ fomes, & vigor partium imbecillis quoque est, qui possit diutiùs perennare, & causis alterantibus obsistere: atque ideò multa etiam congerunt excrementa, plurimisque adhuc ex non libera propter obesitatem per poros cutis transpiratione, scatent inutilibus succis, quibus gravati facilè deindè gravissimis ægritudinibus succumbunt, Asthmati, Hydropi, Apoplexiæ, Syncopi.

Hi ergo ab ingenita constitutione obesi, quia laxam, languidamq; nanciscuntur partium, & sanguinis compagem, universas penè operationes languidè, obtusèque exercent, quæ vitam nec costantem, nec diutinam portendunt, quemadmodùm Aristotiles de Æthiopis, eisdem ferè ex causis, testatur. De long. & brev. vitæ.

At verò Graciles, non tamen omninò macilenti, & extenuati, sed mòderatè carnosi, ob venarum, arteriarumque amplitudinem, & sanguinis vivacitatem, texturamque Corporis perspirabilem, sicut in omnibus sunt agiliores, valentioresque, ita in his, quæ ad vitam, salubritatemque spectant, firmiores, ac longæviores observantur. Verumtamen hos cum obesis collatos sumere convenit sub eadem Regione, in eodem sexu, & ætate constitutos, iisdem exercitiis deditos, & pari utentes victus ratione. Neque insuper obesi cum tabidis, vel ad tabem dispositis, utpotè morbosis, quales oblongo collo, excarni cervice, angustoque pectore sunt, hic comparantur, quemadmodùm nec carnosi, & lacertosi, veluti Athletæ, cum gracilibus: Eusarca enim Corpora cunctis præstant. Sed solùm conferuntur Graciles cum Obesis; qui nimirùm ab habitu Corporis carnoso, & medio, æquè recedunt, nec dum

limi-

limites salubritatis sunt transgressi. Excipiendi prætereà sunt, qui obesum habitum progressu temporis sunt adepti, ob vitam sedentariam, & opiparam, cùm Hippocrates speciatim notaverit admodùm crassos natura; hi siquidem à partium laxitate, & sanguinis pauperie vitam in longum ducere nequeunt; in his verò, qui procedente ætate pinguiores evaserunt, nec venæ tenues sunt, nec sanguis effœtus, quin & ossa, ac viscera solent esse firmiora; undè fortiùs causis ægrotare facientibus obsistunt. Pari ratione graciles natura tales esse debent; nam qui ægritudine, evacuatione, exercitiis, inedia macruerunt; hoc Aphorismo non comprehenduntur, veluti à naturali constitutione recedentes, & morbosi; cùm tamen hìc comparentur solùm graciles, & obesi intrà sanitatis confinia positi, ut dictum, ex quibus hi faciliùs in morbos labuntur, & lapsi difficiliùs resurgunt, cùm nec medicamentis, nec diçta convenienter tractari possint ob carnium, & sanguinis laxitatem.

Cæterùm, quia à sanguinis dumtaxat constitutione, atque habitudine debiliori, in pinguioribus hæc accidunt, planè si illa in meliorem conditionem deducatur, poterunt imminentia istiusmodi mala anteverti, ac præcaveri. Quare tenujori victu instituto, in aere puriori, cum convenienti exercitio, vigilia, sudore, aliisque extenuantibus causis, in meliorem statum illa reducentur, reddito proculdubio per hæc sanguine vividiori. Ubi autem hæc profecerint, non est, ut medicamenta illa adhibeantur, quæ in hanc rem à quibusdam commendari solent, quemadmodùm est præ cæteris Acætum scilliticum summis laudibus à Galeno exornatum. At verò putaverim ipse sine ulla mali suspicione præcellere frugalitatem.

APHORISMUS XLV.

Quicumque Juvenes morbo comitiali laborant, mutatione maximè ætatis, & temporum, & locorum, & victuum quoque liberantur.

Alteram valdè affinem Apoplexiæ ægritudinem hìc memorat Hippocrates, quam Epilepsiam Greçi vocant. De hac autem sic scribit Celsus *lib. 3. cap. 23. Inter notissimos morbos est etiam is, qui comitialis, vel major nominatur. Homo subitò concidit, ex ore spumæ moventur, deinde interposito tempore ad se redit, & per seipsum consurgit. Id genus sæpiùs viros, quàm feminas occupat, ac solet quidem etiam longum esse, usque ad mortis diem, & vitæ non periculosum. Interdum tamen cùm recens est, hominem consumit, & sæpe eum, si remedia non sustulerunt, in pueris Veneris, in puellis menstruorum initium tollit.* Quæ sanè consentiunt cum sententia hoc loco ab Hippocrate recensita, qua monemur Morbum hunc, tametsi non raro consenescentem, si fortasse pueros invadat, fore, ut mutatione ętatum, victuum, locorum, & temporum, mitescat, aut desinat.

Et quidem quòd Juvenes hìc, antequam vigesimumquintum annum attigerint, intelligantur, patet ex Aphorismo 7. *Quinti*, ubi dicitur: *Quibuscumque morbi Comitiales fiunt, ante pubertatem mutationem accipiunt; quibuscumque autem vigesimoquinto anno, fere commoriuntur.* Quamobrem ubi Leonicenus vertit τοῖσι Νέοσιν Juvenes, aptiùs Cardanus exponit Juniores; & Fuchsius

Pueros; nisi tamen Juvenes intelligere velimus eos omnes, qui primordia Juventutis non sunt prætergressi, cùm ex superiùs notatis, videatur quodammodò Hippocrates universam hominum vitam in duo solùm tempora discriminare, Juventutis nimirum, & Senectutis. Qua ratione nedum Juvenes, sed etiam Pueri, & Adolescentes, morbo Comitiali correpti, mutatione ætatis temporum, locorum, & victuum, sanari poterunt.

Etsi autem mutatio ætatis potissimum Epilepticis conferat, non tamen hujus solùm meminit Hippocrates, quasi quòd sponte sua ætatum mutatione morbus Comitialis curetur, spretis cæteris auxiliis; sed addidit, & mutationem temporum, locorum, & victuum, ut sicut illa interius, Natura operante, prodest, sic ista exteriùs administrata plurimum coadjuvent ad ejuscemodi affectionis solutionem. Natura quippè prima morborum Medicatrix, in arduis sæpenumerò, ac difficillimis ægritudinibus opem, & suppetias exquirit ab Arte. At verò Cardanus, Heurnius, & alii, particulam *Temporum* adimũt, eamque à Leoniceno perperam adjectam inquiunt, ex malè intellecto Hippocratis sensu; Equidem si temporum mutationes unquam Epilepticis conferrent, multos sanè illis liberatos experiremur; atqui nullum indè beneficium accidit, nisi quòd ex mutatione temporum ætatis factum est. Quare putaverim tempora hìc ad ętates, non ad recurrentes annos esse referenda, adeòque non annorum, sed ætatum mutationes conferre posse, ut phrasim græci idiòmatis perpendenti palàm fit; nisi tamen annorum potiùs tempestates, seu constitutiones Hippocratem hìc considerasse dicamus, quas plurimùm valere ad finem morbis chronicis imponendum pluries memorat.

Levamen autem sentiunt Epileptici ab ætatis mutatione, cùm Epilepsia idiopathica est, vitio scilicet Cerebri contracta; nam si sympathica illa sit causa Uteri, aut Ventriculi malè affecti, vel etiam à Veneno, & morsibus venenatis, non tam facilè solet ætatum mutatione desinere, nisi fermenta horum viscerum affectorum sensim beneficio temporis extenuentur. Locorum etiam, & victuum mutatio proderit, si in contrariam causæ morbificæ, & habitus Corporis constitutionem facta sit: puta si ab incolatu palustrium locorum, & ab Aere nubilo, ac Austrino, Epilepticus æger migraverit in Aerem puriorem, tenujorem, & apricum, & pro abundanti, & crasso cibo, deinceps utatur salubriori. Nil equidem in ejuscemodi generibus ægritudinum conducibilius cœli, & victus mutatione.

At qua ratione Comitialis morbus ex hisce mutationibus desinat, nunc inquiramus. Qui existimant illum ab irruente in Cerebri ventres humore pituitoso, aut melancholico progigni, statim se expediunt, ætatum scilicet mutatione asserentes ejusmodi humores digeri, & absumi, temperamento in calidius, & siccius abeunte. Verum Epilepsiam haudquaquam ab humoribus, præsertim pituitosis, & melancholicis Ventres Cerebri opplentibus oriri, vel indè potest esse manifestum, quòd ægri subitò concidant, & convellantur, mox etiam resurgant, liberentur, & in consueta vitæ munia redeant, nullo alio symptomate superstite, præter quamdam Corporis lassitudinem: at verò minimè posset lentus, crassusque humor, qualis est pituitosus, vel melancholicus.

licus tam citò dissipari, & evanescere, aut saltem à Cerebri Ventribus in alias partes detrudi, non illis sensibiliter affectis.

Verisimilius autem est, à vaporibus Nervorum principium, illorumque membranas, infensa quadam vi, vellicantibus, & fibras molestè admodùm contorquentibus, Comitialem morbum exoriri, ut propterea repentè invadat, & subitò etiam desinere soleat, superstite solùm quadam mentis hebetudine, & lassitudine totius Corporis, inducta ab ipsa nervorum contractione. Quamquàm & ab aliis causis epilepticos insultus proficisci posse aliàs ostendimus, modò illæ fibras nervorum lacessere valeant; undè Comitialis morbus veluti nervorum affectus absque irritamento non fit: cùmque per puerilem ætatem fibræ illorum molles admodùm sint, & tenellæ, fit propterea, ut quacumque etiam levi de causa concitentur, & convellantur.

Quoniam verò ætatum mutatione omnia propemodùm Viscera firmantur, & Cerebrum ipsum, atque nervorum principium, eorumque fibræ sensim consolidantur, qui antè pubertatem Comitiali morbo obnoxii erant, facilè adventante Juventute, qua robustiores fiunt, etiam ab ejusmodi nervorum molestia liberantur, æquè ac pueri illi, qui, præ partium mictui destinatarum languore, urinam diutiùs continere nequeuntes, sæpissimè inviti, aut dormientes mejere solent, ad pubertatem, & Juventutem perducti, nervorum, ac musculorum firmitate, consanescunt. Sed & causæ illæ nervorum fibras proritantes plerumque per ætates corriguntur, ac desinunt, mutato in meliorem crasim sanguine, cæterisque liquoribus ab illo derivantibus, ac fermentis partium repurgatis; undè sæpissimè experimur fœmellas post menstruorum eruptiones nedùm his, sed etiam aliis gravissimis ęgritudinibus, quibus anteà laborabant, devictis, evalescere; itemque pueros, post repurgatum à variolis sanguinem, meliorem, salubrioremque diathesim adipisci. Rectè ergo notavit Celsus *loco c.* sæpè Comitialem hunc affectum *in Pueris, Veneris, in Puellis, menstruorum initium tollere*.

Quamvis autem verum sit sedari potissimùm per ætates hunc morbum Cerebri, & Nervorum vitio inductum, quia tamen ab Utero, Ventriculo, aliisq; Visceribus procedens etiam nervorum fibras propritatas consequitur, uti in nostra Medicinæ Praxi monuimus, sanè poterit & hic pari ratione mitescere, ætatis, locorum, ac victuum mutatione; modò Causæ nervos afficientes emendabiles, & Viscerum habitudines permutabiles sint. A mala quippe Ventriculi, aut Uteri conformatione, ortæ Epilepsiæ, atque Hystericæ affectiones, plerumque consenescunt, ut de fœminis infœcundis meminit Hippocrates 5. *aphor. 62*. Compertum quoque habeo fœminam quamdam scirrho uteri ab adolescentia laborantem, hysterico-epilepticis insultationibus perpetim divexari, quoties sunt menses erupturi, etsi nunc propè quinquagenaria sit, plurimisque identidem usa medicaminibus.

Ut autem faciliùs assequantur, quod Temporis beneficio per ætates sunt ægrotantes oppperituri, poterunt plane quorumdam medicamentorum, usu, atque experientia comprobatorum, ope, ab hoc morbo liberari. Et quidem ista varia erunt pro Causarum, & Viscerum consentientium varietate, ut alibi etiam est à no-

à nobis indicatum *peculiari cap. de*
Pr. p. 1. *Epilepsia*. Quandocumque enim diligenter fuerint adhibita, & victus, ac loci mutatio consenserint, sperandum ultrà Juventutem adhuc productum Comitialem morbum desiturum, si præsertim ex vita in erroribus anteacta proficiscatur, ut aliquandò in Nobili quodam Viro expertum memini.

APHORISMUS XLVI.

Duobus doloribus simul non eumdem locum infestantibus, vehementior alterum obscurat.

QUod Hippocrates de doloribus fatetur, nonnulli de cæteris quibuscumque affectibus intelligendum subdunt, itaut nedùm vehementior debiliorem dolorem obscuret, sed etiam affectus quilibet præter naturam gravior minùs gravem insensibilem reddat, adeòque inflammatio Pulmonis, meningum Cerebri, Hepatis, alteriusve interni visceris externos tumores præoccupet. Sed reverà sensus Aphorismi ad dolentes tantùm partes videtur congruentiùs aptari posse, quoniàm per dolorem sensibiliter afficiuntur, indeque judicium ferri potest gravioris, vel levioris affectionis, cùm cæteroqui in aliis ægritudinibus falli sępissimè possent patientes, æstimantes leviorem morbum aliquo tamen dolore, vel molestia sociatum, longè graviorem eo, qui reverà infensior foret, sed dolore vacuus.

Dolorifici itaque affectus inter sese hìc dumtaxat comparantur, & quidem acerbiores cum mitioribus, qui tales erunt relati ad Causas dolorem inferentes, & ad partes ipsas dolorem subeuntes: quo enim illæ acriores, vehementioresque fuerint, atque hæ nervosiores, ac sensibiliores, eo quoque dolor acerbior, ac molestior erit. Hac planè ratione, humores acritate præditi, acidi, salsi, tenues, mobiles, asperiùs excruciant, dolentq; sensibilius Membranæ, quàm Parenchymata.

Non debent autem duo dolores eamdem omninò partem infestare, nàm aliter mutuò confunderentur, & potiùs alter alterum exaugeret, ut cùm dolens membrum inciditur, & cutis ex admotis cucurbitulis, tumida, adeòque dolens, scarificatur; Sed diversas, distinctasque partes afficere, ut comparatio fieri possit: putà si unà simul doleant Cerebri Meninges, & Dentes; Pleura, & Lumbi; Renes, & Femur. Tunc quippè vehementior, aut propter Causæ acerbitatem, aut ob loci, & sensus præstantiam, alterum debiliorem obscurabit, seu in causa erit, ut minùs sentiatur.

Sed undè id eveniat, non est adeò facile explicatu. Sunt qui inquiunt, vim sentientem unius partis distrahi ad vehementiorem, aut spiritus in partem vehementiùs dolentem subsidii ergo demandari, adeòq; in parte minùs dolente sensionem impediri, aut infringi. Sed inania verba isthæc sunt eorum, qui rem sibi fingunt pro more sufficienter explicatam, quam revera magis implicant; cùm cæteroqui sensiones, quæ fieri videntur in sensibus externis, percipiantur ab interno, ut alibi est ostensum. Qui insuper idipsum explicare conantur exemplo Luminis majoris obscurantis lumen minus, longè etiam, latèque falluntur, cum non ex eo, quòd diurno tempore lucente Sole, Stellarum lumen non conspicitur, benè inferri possit, Stellarum lumen oscurari

ri à lumine Solari, nam ex profundo puteo quis Cœlum interdiù suspiciens, Stellas saltem primę magnitudinis perpendiculariter sitas clarissimè intuetur, & non est novum, Venerem per diem conspici posse, ut nuper hìc Neapoli die XXIV. Martii Anni 1689. post Lunæ conjunctionem in Tauro, ab hora XX. Italica ad Vesperam usque visa est sequi Solem, signum Arietis perlustrantem, adeòque undecumque spectabilis, cunctis fuit admirationi, ac propterea quod pluries de die spectatam Astronomi notarint, Stella Audax meritò appellata est; cæteras autem cernere nequimus ad aspectum Solaris luminis, quia ità eo nostri oculi afficiuntur, ut ad perceptionem luminis minoris, quale Stellarum est, omninò reddantur inidonei. Sic pariter Auditus organa ingenti strepitu perculsa nequeunt exiles sonitus percipere; & Tactu ipso non persentiuntur, quæ leniter contrectantur, cùm fortasse ustione, vel sectione percelluntur illius Organa.

Hæc autem non alia de causa contingunt, nisi quia sensiones omnes in Cerebro fiunt per motum in organis sensuum externis excitatum, atque per nervos, nervorumque fibras illi communicatum, ut propterea quæ molesta partibus subjectis accidunt, percipiantur à Mente, prout in eas partes intenta est; undè ea ab alienata, vel aliò distracta, dolor, vel voluptas nec percipitur. Cùm igitur à vehementiori motu dolorificæ causæ affecta est, nequit profectò leviores persentire: hi quippè mitiùs nervorum fibras commovent, lentiusque Cerebri meditullium concitant, quàm ut valeant mentem avocare in partem leniùs affectam.

Neque verò hinc licebit dolorem dolore levare, & ad partes ignobiles referre, quemadmodùm deduci videtur ex eodem Hippocrate *6. Epidem sect. 3.* cùm Hippocrates hìc dixerit dolorem vehementiorem obscurare, non autem tollere, aut sedare minorem, nec boni Medici sit graviorem dolorem excitare sub dubia spe, quòd minor desinat. Sed & perperam, atque inutiliter agere experimur, qui in gravibus ægritudinibus partium supernarum, tibias, pedesque asperiùs attrectando, vitiosos humores in artus avocare nituntur, putantes se ità illas exsolvere.

APHORISMUS XLVII.

Dum Pus conficitur, dolores, & febres accidunt magis, quàm jam confecto.

CUm sanguis alicubi restagnat, & tumorem, ac inflammationem parit, concrescit primum, mox sensim corrumpitur, & vertitur in pus, in cujus generatione, vehementi quadam fermentatione subigitur, & simul carnes quodammodò discerpendo dolorem excitat, atque per commotionem, disjunctionemque partium tenujum à crassioribus, calorem excitat, & febrem accendit. Id autem considerans Hippocrates, inquit, dolores, & febres accidere majores, dum conficitur, quàm jam confecto pure. Equidem in ipsa puris confectione partes illæ tenujores per fermentationem adiguntur, & adnituntur crassiores subigere, undè tumefactionem, expansionem, pulsationemque molestam inferunt: postquàm autem pus confectum fuerit, extricatis tenujoribus particulis, agitatio, atque commotio cessat, fermentatione ad præcipitationem perducta;

ducta; nisi quòd solùm molestia illa persistit, quæ ab ipso pure, veluti à re morbosa provenit, cujus causa circumjacentes partes infici, atque in suis operibus deinceps lædi poterunt, nisi citò data porta educatur: Id quod planè expertum in cujuslibet Tumoris suppuratione, & mox à sectione, confecti puris expulsione. Sed & non raro per suppurationem egeruntur ea, quæ vix, ac ne vix quidem, aliter extrudi poterant omni adhibita diligentia. Sic spina digito infixa, nisi aliter possit extrahi, suppuratione promota subducitur. Sic etiam ossium squamulę in vulneribus, & ulceribus sponte foras educuntur, aliaque plura præter naturam Corpori ingenita, vel adverso casu affixa.

Quoniam verò à suppuratione habita dolores mitescere solent, videmur hinc non inconditè admoneri in tumoribus, atque inflammationibus internis, quæ diris cruciatibus miseros ægrotantes divexarunt, si fortasse deindè sedentur, cautos esse oportere, tum in prognosi facienda, tum in remediis adhibendis, nè rupto apostemate, effusoque in partem vitæ necessariam pure, mors repente accidat, aut saltem gravior morbus insequatur, cùm æger se jam curatum credat. In Vomica Pulmonis, Empyemate, Angina, Pleuritide, aut Hepatide suppuratis, aliisque sæpius id evenit.

Quòd Hippocrates hìc junxerit dolores, & febres, manifestum fit, qua ratione alibi dixerit omnem morbum esse ulcus, aut ulceris conditionem præseferre: siquidem cuncti planè morbi veluti quidam dolores sunt, & molestæ affectiones, aut etiam cum patente dolore conjuncti, profectò, si is à soluta partium continuitate, vel manifesta, vel occulta provenit, omnis morbus, aut reverà ulcus erit, aut ulceris quodammodò naturam sapiet. Atqui compertum etiam ex Anatome est, morbos omnes, ipsasque febres, absque internis tuberculis, abscessibus, inflammationibus, pustulis, ulcusculis, idque genus aliis, non exoriri; ut proptereà jure optimo sit ab Hippocrate pronunciatum, omnem morbum ulceris conditionem præseferre.

Lib. de flat.

Præter dolores, ac febres hìc ab Hippocrate memoratas, addunt alii etiam Rigores ex suppuratione proficisci, qui sanè in suppuratis sæpesæpiùs observari consueverunt, præsertim cùm partes membranaceæ sunt affectæ, aut purulenta materia per easdem excurrit, & nervos vellicat: quo pacto ex fluentibus humoribus per glandulas subtercutaneas, & cutim ipsam spinæ attiguam, horrores, & Corporis concussiones plerisque accidunt.

Cæterùm quæcumque possunt tenues particulas concitando, & exagitando crassas, adhærentesque, fermentationem promovere; atque poros Cutis obturando, perspirationem in partibus tumefactis impedire, valent pariter suppurationis opus adjuvare, qualia sunt pinguia, & calorifica dicta: *Calidum enim*, inquit Hippocrates, *est suppuratorium*.

APHORISMUS XLVIII.

In omni Corporis motu, ubi laborare cœperit, quies statim lassitudinem aufert.

Videtur & hic Aphorismus unus ex eis, qui Hippocrate digni non sint. Quis enim est, qui nesciat, sub-

subortam à motu lassitudinem quiete desinere, & labefactatum Corpus otio restaurari? Quocirca Galenus *in commentario* Aphorismum hunc non de solo labore ex motu interpretatur, sed etiam ampliat ad dolores; atque alii id speciatim ab Hippocrate notatum putant, ut eos argueret, qui contendebant ex motu immodico morbum calidum exoriri, in cujus curationem frigida commendabant, quæ cùm omninò nocua sint, propterea illum statuisse ajunt, sola quiete lassitudinem ex labore moderari: Et Cardanus duo inquit in eo contineri: *unum satis notum, non esse in labore perseverandum, ubi quis lassitudinem sentiat; aliud non vulgare, ubi quis ab initio lassitudinis quiescat, & non mitigetur lassitudo, esse immundum Corpus, paratum ad morbos, ideòque purgatione indigere*. Sed enim hinc quoque admonemur, quomodò lassitudinis causas internoscere possimus; an ex motu Corporis pendeat, an verò ab interno ejusdem affectu, si scilicet observaverimus, an ne labor, ac defatigatio quiete adimatur.

Equidem sponte enatæ lassitudines, (de quibus Aphorismo V.) sola quiete non desinunt, sed quæ à laborioso tantùm motu contingunt: hic quippe quieti opponitur, & vicissim temperatur; unde quemadmodùm immoderati motus, & lassitudinis remedium est quies; sic otii, ac diuturnæ quietis, motus est: utrumque autem moderatum esse decet; nam ut inferius dicitur, *omne nimium Naturæ inimicum*.

Quòd vulgata versione scribitur: *statim lassitudinem auferri*, ansam præbet dubitandi. Siquidem impossibile videtur tam subitò lassitudinem adimi per quietem. Præstat ergo non statim, sed brevi, & facilè, ex græco Codice sufficere, ut sensus fiat, nullo negotio, ac brevi, lassitudinem desituram, si quies accedat; quinimmò nec illa aptè dici poterit auferri, sed tantummodò per quietem succedentem sedari, atque mitescere. Neque verò Hippocrates quemcumque motum hìc intelligendum voluit, sed eum tantùm, qui cum labore confunditur, atque ad lassitudinem perducit, cùm apud Veteres alius foret levis motus, & exercitium, & alius labor: hoc enim non solùm Corpora leviter exercebantur, sed ad sudorem usque, ac defatigationem deveniebant. Et quamvis in textu dicat *in omni Corporis motu*, non tamen hinc quis inferat, primam dumtaxat motus speciem comprehendere, cùm mox subjungat: *ubi laborare cœperit*; quamobrem tertiam manifestè designat, ut propterea mens illius sit, in omni Corporis motu, sive in omni exercitiorum genere, saltatu, lucta, digladiatione, venatione, ludo parvæ pilæ, aliove simili, quiescendum statim esse, ubi ad defatigationem perventum fuerit.

Quo demùm modo quies lassitudinem adimat, perspicuum fiet, si perpendatur musculorum affectio in motibus Animalium: illi enim pro diversa Corporis agitatione diversimodè distenduntur, & contrahuntur, atque adeò diversas figuras efformant, ut observat acutè Stenonius *in sua Myologia*: quamobrem tam fibræ carnium, quàm nervorum à diuturna commotione delassantur, ut tandem flaccescant, & extenuentur, eo fermè modo, quo stamina telarum ab assidua, & varia distentione, & contractione, distorsione, distractione, ac retorsione, primùm lon-

longiùs extenduntur, mox etiam attenuantur, ac postremò scinduntur, & lacerantur. Cùm autem per quietem fibræ istæ distractionibus liberantur, sensim otio, nedum suis quæque locis restituuntur, & conquiescunt, verùm etiam alibilibus liquoribus, qui labore r...io exsudabant, irrorantur, & ...iuntur, immò reficiuntur, roborantur, ac vigent.

APHORISMUS XLIX.

Consueti solitos labores ferre, etsi sint imbecilles, aut Senes, non consuetis, fortibus, atque Juvenibus, facilius ferunt.

QUamvis præcedenti Aphorismo dixerit Hippocrates, in omni Corporis motu, ubi illud laborare cœperit; quietem statim lassitudinem adimere, admonet tamen hic ejusmodi lassitudinem non adeò facilè sequuturam in consuetis; quamobrem inquit, consuetos licèt debiles, aut Senes, minùs affici solitis laboribus, quàm insueti, etsi fortes sint, ac Juvenes.

At verò consuetos ait ferre solitos labores; nam assuetus in uno genere laboris, haudquaquam facilius feret aliud laboris genus; sic etsi quis assuetus sit venari, non tamen facilè digladiationem, aut saltatum sufferet. Hinc sententia hæc aptanda solùm consuetis in certis exercitiorum generibus, quæ usu sibi familiaria compararunt; quamvis & id quoq; verum sit, laboriosos Homines facilius semper ferre cujusvis generis exercitia, quàm qui sedentariam, otiosamque vitam ducere consueverunt.

Inquit prætereà, etsi imbecilles, aut Senes, facilius tolerare: etenim tolerantia laborum non provenit à robore, sed ab assuetudine, qua partes Corporis minùs defatigari solent. Sic imperitus scribere, aut fides tangere, etiamsi robustus sit, digitis dolebit. Sed & Equi meritorii, licèt gracilenti, longa adhuc itinera, & quotidianos labores sustinent, quos generosi, sed requieti, sufferre nequeunt. Consuetudine etenim fibræ musculorum motrices aptantur certa seriè ad ejusmodi munera peragenda, immò ex his usu habitis quodammodò roborantur magis, atque virtute cæteris omnibus præcellunt. Quemadmodùm ergo Habitus ex pluribus, atque assiduis actibus acquiritur; ita Consuetudo à frequenti ejusdem generis operatione inducitur; & sicuti ex habitu acquisito promptitudinem, ac facilitatem assequimur agendorum; ita Consuetudine tolerantiam adipiscimur: quamobrem alteram Naturam passim illam Galenus appellat. Quid quòd ejus tanta sæpenumero vis est, ut Naturam ipsam, atque ingenitam cujusque facultatem & prævertat, & superet. Laboribus namque assueti, si diù otientur, facilè in morbos incidunt: qui cibum semel in die capere consueverunt, si fortasse bis assumant, protinus cruditates incurrunt: Vini potores, si abstemii fiant, de mala concoctione, & Ventriculi languore illicò conqueruntur. Sed enim Naturæ defectus plerumq; emendantur, & ultroneæ Animi propensiones sæpissimè corriguntur, & temperantur; At verò, quæ Consuetudine invaluere, vel nullatenus, vel difficillimè. Fertur, Ducem quemdam Atheniensium saltare solitum, cùm præ dignitatis assumptæ decore nequivisset consuetum exercitium fre-

frequentare, cùm vellet, cogebatur aliquando repentè tripudiare, forti totius Corporis concussione, ac tremore deprehensus.

APHORISMUS L.

Quæ ex longo tempore consueta sunt, etsi deteriora sint, insuetis minùs molestare solent. Oportet igitur etiam ad insueta transire.

QUod de solis exercitationibus precedenti Aphorismo notaverat Hippocrates, nunc generaliori sermone de cæteris etiam rebus, quæ humano Corpori possunt adhiberi, aut quocumque modo in Vitæ usum evenire, commonefacit, atque in his ferendis, vim, & efficaciam Consuetudinis inculcans, inquit, ex longo tempore consueta, etsi deteriora, minùs, quàm insueta, molestare solere.

Et sane si præcipua Rerum genera ad Vitam, valetudinemque tuendam necessaria perpendamus, id verissimum comperiemus. Aer frigidissimus, atque incolatus borealium, & nivosarum Regionum, nedú commodè, ac salubriter, ab illorum locorum habitatoribus toleratur, sed etiam valdè proficit ad Corporum firmitudinem; si deindè in calidiorem commutetur, & in Regiones temperatas, graviter afficiet, & noxam afferet. Cibis enutriti solidis, crudis, & inconditis, quique diù peculiaribus quibusdam potibus sũt usi, si diversis deindè potionum, alimentorumque generibus utantur, quantumvis melioribus, lædentur. Assueti pomeridianis horis dormire, vel sub dio, aut Sole sub ardenti, vel ad graves Arborum umbras, incommoda cæteroqui insuetis nocentissima, bene tolerant. Qui purgantibus medicamentis consuescunt, inde succedentes facillimè sufferunt evacuationes; quo factum, ut Medici inter Coindicantia Purgationis Consuetudinem retulerint. Sic pariter qui toxica sumere consueverat, nullo unquam tempore ab eis visus est damnum persentire. Et ubi Homines, inquit Seneca, majorem Vitæ partem in tenebris agunt, sic fit, ut novissimè Solem, quasi supervacuum fastidiant. Vivit adhuc, qui ad integras hebdomadas compressa alvo citrà fastidium fęces, & urinam remoratur. Hinc jure optimo dicitur Consuetudo Natura adscititia, quæ primęvam corrigere, & permutare valet.

Ut autem Consuetudo id pręstet, longo temere inducta sit, oportet; quocirca apposité notavit Hippocrates: *Quæ ex longo tempore consueta sunt*: etenim quo vetustior illa est, eo radices altiores figit, atque firmam, ac stabilem in assuetis promptitudinem, ac repugnantiam ad opposita, operatur.

Addidit insuper: *etsi deteriora sint insuetis*, per comparationem: siquidem quæ omninò, & absolutè mala, ac perniciosa sunt, potissimùm quæ vehementer, & cum violentia afficiunt, haud facilè ferri poterunt. Sic assuetus pati incommoda Aeris, somni, vigiliæ, laboris, aut ciborum, non tamen facilè tolerabit illa eadem, si immodica, & violenta fuerint, ut & neque contusiones, vulnera, aut mortifera venena. Quin & adiecit, illa *minùs molestare solere*, relata scilicet ad insueta, sive Corpora, sive mala extrinsecùs occursantia: quippe semper minùs afficientur consueti, quàm insueti, & minùs quoque molestabunt, quæ sunt in assiduo usu habita, quàm quæ omninò

ninò inusitata sunt. Hac profectò ratione, partes eas, quas amictu velare solemus, non sine valetudinis incommodo Aeri frigido exponimus, sicuti neque pedes frigida aqua abluimus, ut manus, & faciem, sine Catarrhi periculo; & pleræque mulieres nudos humeros, pectusque ipsum solent ostentare, absque ullo salutis discrimine; quod sanè insuetis obesset plurimùm. Possumus itaque ita assuescere ab ineunte pueritia, ut iis etiam, quæ suapte natura nocere solent, sine valetudinis detrimento, ac vitæ noxa, utamur; quemadmodùm de plerisque fertur, qui venenatis rebus Corpus enutrire consueverunt.

Hinc tandem colligit Hippocrates, oportere etiam aliquando ad insueta transire, ut scilicet ab his minùs Corpus afficiatur, si fortasse iisdem alterari contingat. Quare juvabit cunctis indiscriminatim subiici, ad valetudinem tuendam, vitamque prorogandam, ut omnium ferè quamdam veluti consuetudinem, & ex consuetudine tolerantiam acquiramus. Unde Celsus *lib.1.cap.1. sanum hominem, beneque valentem nullis obligare se legibus debere*, monet, *& oportere varium habere vitæ genus, modò Ruri esse, modò in Urbe, sæpiusque in agro, navigare, venari, quiescere interdum, sed frequentius se exercere, interdum balneo, interdum aquis frigidis uti, modò ungi, modò idipsum negligere, nullum cibi genus fugere, interdum in convivio esse, interdum ab eo se retrahere, modò plus justo, modò non amplius assumere, &c.* Et Galenus *in commentario hujus Aphorismi: est*, inquit, *uniformis quæque consuetudo periculosa; cùm omnes homines inopinatis rerum sortibus subiiciantur. Ne igitur aliquando repentè incidentes in insueta, magnopere lædamur, satius esse*, inquit, *omnia tentare*. Itemque Celsus *l.1.cap.3. Nimis otiosa vita utilis non est, quia potest incidere laboris necessitas*.

Quamvis autem valdè utile sit varia, ad sanitatem tuendam tentare, atque indiscriminatim cunctis uti, quæ in humanæ vitæ decursu Corporibus accidunt, nec tam facilè vitare possumus, immò, ut consulit Hippocrates, etiam ad insueta transire expediat; nihilominus in ejusmodi permutatione, omninò cavendum, ne repentè consueta deserantur, ac subitò transeatur ad contraria, & insueta, quemadmodùm idem Hippocrates sequenti Aphorismo animadvertit: periculosum enim. Sed neq; in maturiori ætate permutationes istæ tutæ sunt; tunc enim ægrius feruntur, cùm à levissimis etiam Causis senilia Corpora offendantur; quamobrem licebit solùm in Adolescentia, ac Juventute sensim Corpora in oppositum assuefacere, quo tempore incommoda quęcumque facilius tolerantur. Veruntamen adhuc in ejusmodi mutationibus perpendere oportebit, num à bonis, vel malis consuetis, ad insueta meliora, vel pejora procedatur, & an etiam à bonis ad mala, aut contra à malis ad bona transitus exoptetur: Equidem à malis ad bona, & à bonis ad meliora, tutior semper mutatio existimabitur, sed non adeò extrema, ut cùm voluerimus ad mala, vel pejora redire, penitus sufferre nequeamus; longè verò intolerabilius erit à malis ad pejora procedere, cùm inde facilè transmigretur ad ægritudines. Quare multùm conferet inter mediocria versari, atque illis rebus potissimùm assuescere, quæ pro Corpo-

po-

porum habitudine, ac constitutione ferri possunt, & speciatim in malis ita, ut in eis diutiùs minimè perseveretur, ne certa sanitatis, ac vitæ jactura subeatur. Hæ namque mutationes non alia certè de causa videntur commendatæ, nisi ut valetudinem tueantur, non destruant, minusque, quoad fieri possit, obnoxiam reddant Causis illam alterantibus, atque ad ægritudines deducentibus. Sed propositi Consilii rationem ex sequenti Aphorismo uberius explanemus.

APHORISMUS LI.

Plurimùm, atque repentè evacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, sive quovis alio modo Corpus movere, periculosum: Omne enim nimium Naturæ inimicum. Sed quod paulatim fit, tutum est, cùm aliàs, tum cùm ab altero ad alterum transitus fit.

QUoniam præcedenti Aphorismo docuerat Hippocrates conferre aliquando ad insueta transire, ne quis crederet statim, ac violenter ejusmodi mutationes esse faciendas; monet nunc illas paulatim fieri oportere, nam quovis modo Corpus movere, plurimùm, ac repentè, periculosum.

Inquit autem *plurimùm, ac repentè*, ut scilicet denotet vehementiam simul, & violentiam alterationis: quædam enim alterant quidem plurimùm, sive calefaciendo, sive refrigerando, at sine violentia, & longo temporis tractu; quædam verò violenter, ac citissimè, at non cum tanto excessu. Si autem utrumque præstent, plurimùm sanè exagitabunt; subitam simul, & ingentem mutationem inferendo. Et quamvis alterutrum, si humano Corpori accidat, grave sit, potenterque immutet, ac depravet illius œconomiam; ubi tamen utrumque conjungatur, periculum Vitæ minabitur, divexata nimirùm impensè Natura, quæ mediocritate solùm gaudet, & immoderationem nullatenus ferre potest.

Subdit insuper, *evacuare, vel replere, calefacere, vel refrigerare.* De Evacuationibus, & Repletionibus immoderatis dixerat etiam 1. *Aphor.3.* illas ad extremum ductas esse periculosas: Siquidem inanitionibus immodicis exsolvitur Corpus; membra lassantur, & vires deficiunt. Repletionibus verò cuncta gravantur, infarciuntur, suffocantur. Vehementer quoque calefacere, periculosum; quippe à calore nimio, carnium mollities, ac laxitas, imbecillitas nervorum, mentis torpor, sanguinis profluvium, & animi defectio exoriuntur, quibus tandem Mors succedit, ut dicitur 5. *Aph:16.* Frigidum verò convulsiones, tetanos, livores, & rigores febriles parit, estque inimicum Ossibus, Dentibus, Nervis, Cerebro, Spinali medullæ, *ibidem to.17.* & 18.

Utque omnem violentam, ac repentinam mutationem complectatur, addit: *Sive quovis alio modo Corpus movere: Omne enim nimium Naturæ inimicum*; & sanitas in quadam commensuratione, ac mediocritate consistit: quo etiam argumento ductus idem Hippocrates hoc *eodem libro t.3.* docuit: *Somnum, & vigiliam, utraque excedentia, malum*: Et *t* 4. *nec satietatem, nec famem, neque aliud quidquam, quod modum Naturæ excesserit, bonum.*

Tam ergo ad valetudinem tuendam,

dam, quàm ad morbos abigendos, & tum in usu alimentorum, tum etiam in usu medicamentorum sententiam hanc prolatam esse demonstrant adjecta verba, *evacuare*, *vel replere*. Unde Medicamenta cathartica validiora, Sanguinis detractiones, victus plenioris frequens exhibitio, immoderata quies, idque genus alia, sunt omninò devitanda. Eleganter itaque, & scitè Phocylides hujusmodi effatum ad universos actus humanos transtulit, commendans in ipsis mediocritatem, ut sit modus in rebus cunctis; & Cicero, ad omnem usum, cultumque Vitæ referendam eamdem esse censuit, ut in omnibus præ oculis sit ipsa semper habenda.

Cùm igitur repentinę, & vehementes mutationes periculosæ sint, consulit propterea Hippocrates, sensim illas esse faciendas, quia quod paulatim fit, tutum est; idque sive in eodem statu permanere, sive ad insueta, & vicissim transire debeamus. Quamobrem in Aphorismo subditur, tum aliàs, tum si ex altero in alterum transitus fiat. Sic qui alternè cibum capere, ac jejunare cousueverunt, si ab inedia transitum faciant ad immodicam satietatem, Ventriculum procul dubio gravabunt, & vitam opprimen. Itemque qui œnopota fuit si repentè hydropota fiat, graviter afficietur. Juvabit ergo gradatim semper in ejusmodi mutationibus procedere, ut illæ ferantur facilius, & prosint. Hinc quoque idem Hippocrates *lib. de rat. vict. in acut.* consulit, securius omninò esse ad sanitatem, in similibus, & assuetis consistere, quàm repentè, etiam in melius, permutare.

APHORISMUS LII.

Omnia secundùm rationem facienti, si non succedat secundùm rationem, non est transeundum ad aliud, suppetente quod ab initio probaveris.

NOnnumquam Medicamenta, aliaque in ægrotantis opem à solerti Medico, summo judicio, sanaque ratione sunt præscripta, sive in acutis morbis, sive in chronicis, quę etsi subitò non juverint, non propterea ad alia transeundum imprudenter, monet hoc Aphorismo Hippocrates: quoniam, ut subdit Galenus, *non mediocris prudentiæ est, non discedere ab iis, quæ recta visa sunt, etsi nondum manifesta appareat utilitas ex iis ita factis, consequi*; cùm sæpesæpiùs quod ab initio manifestè non juvit, possit progressu temporis, sensibiliter proficere.

At verò dicuntur secundùm rationem fieri remedia, quoties per suas indicationes ritè, rectèque examinatas, fuerint opportunè adhibita; Siquidem rationabiliter Medicus operari dicetur, cùm, cognita Causa morbi, congruentibus tum in ratione victus, tum in usu medicamentorum, auxiliis utetur, quæ si fortassè brevi tempore eam opem, quæ desideratur, non præstiterint, erunt procul dubiò allatura procedente morbo ad statum, ac declinationem, cùm non raò longius tempus exquiratur, ut causa morbi, quæ ob crassitiem, tenacitatemque repugnat, coctioni, secretionique subiiciatur; quamobrem insistendum magis erit iisdem, quæ à principio conferentia judicata sunt, suppetente nimirùm eadem ratione, eademque indicatione, quæ efficax visa

visa est ad ejusmodi remedia ministranda. Quòd si temporis decursu Morbus, ejusque Causa cum adjunctis symptomatis mutationem aliquam subierit, non persistente eadem indicatione, certè ad alia transitus tutò faciendus erit.

Non tamen hinc velim, ut quis pertinaciter insistens præconceptæ suæ opinioni, idem prorsùs medicamentum commendare, ac præscribere non desinat, cùm illud visum est non solùm non profuisse, sed etiam obfuisse ægrotanti. Non enim desunt, qui errorem semel conceptum, adhuc in perniciem hominum, tueri non verecundantur, & cùm incostantes, aut falsi videri nolunt, grave dedecus, & propriæ famæ jacturam sibi pariunt. Sed enim, quod gravius est, nec Morbum multoties, nec Causam Morbi cognitam habentes, sibi multa fingunt, multa quoque ex proletariis Auctoribus congerunt, & perperam conficta, pejusque gesta, in medium afferunt. His quippe effatum hoc Hippocratis nullatenus suffragatur, nilque rationabile suppetit, quod à principio rectum, probatumque sit. Enimverò ex eventu solùm, atque successu, dijudicare possumus, num secundùm rationem fuerimus operati, in eorum genere, quæ inter Naturæ penetralia latent, cujusmodi sunt Medicæ notiones, & solùm à juvantibus, & nocentibus, ad investiganda, quæ ægrotantium salutem pariunt, manuducimur. Quare non esse transeundum ad aliud ex Hippocrate monemur, cùm exhibitum medicamentum, licèt omninò non juverit, minimè nihilominus nocuerit; quippe aliquando juvare subitò non solet, vel ex repugnantia Causæ morbificæ, quæ tempore superabitur, vel ex languore Naturæ, quæ sensim oppressa vigebit, & morbum excutiet. Unde Celsus *lib.3. cap.1. oportet itaque*, inquit, *ubi aliquid non respondit, non tanti putare auctorem, quanti ægrum, & experiri aliud, atque aliud; sic tamen, ut in acutis morbis citò mutetur, quod nihil prodest; in longis, quos tempus ut facit, sic etiam solvit, non statim condemnetur, si quid non statim profuit; minùs verò removeatur, si quid paululùm saltem juvat, quia profectus tempore expletur.*

At verò, quæ per morborum tempora variant, diversum planè exigunt medicamentorum usum, ut propterea ad alia, atque alia, pro ratione, transeundum sit; sicut enim cum re mutare consilium prudentis est, ita expediet omninò in his pro re nata permutare medicamenta. Ita quidem in morbis Pectoris, in Tumoribus, Inflammationibus, cæterisque, quæ ab initio probantur proficere coctioni, suppurationique, omninò mutanda deinceps erunt in detergentia, expurgantia, consolidantia, postquam maturuerint. Verumtamen ejusmodi mutationes, veluti favorabiles, Rationi adhuc congruentes dicendæ sunt, cùm idipsum non suppetat, quod ab initio, ex mutatione Causæ morbificæ, probatum fuit.

APHO-

APHORISMUS LIII.

Quicumque alvos humidas habent, si quidem Juvenes sint, in meliùs commutantur iis, qui siccas habent. Qui verò in Senectute, eo deterius commutantur, nam senescentibus magna ex parte exsiccantur.

Similis omninò videtur hic Aphorismus illi, in quo dicitur: *Quibus Juvenibus alvus humida est, iis senescentibus exiccatur; quibus verò Juvenibus alvus sicca est, iis senescentibus humectatur.* Attamen differunt, quia in eo mutationes solummodò per ætates Hippocrates notavit, alvi humidioris in ficciorem, & è converso; in hoc verò meliorem, vel deteriorem ex his constitutionem addidit. At verò aberratum ferè communiter faciunt Interpretes Leonicenum, quòd è græco Codice ἀπαλλάσσουσι malè verterit *commutantur*: legendum proptereà malunt, *meliùs degunt*, quàm *in melius commutantur*; ut inde sensus sit, Juvenes alvos humidas habentes pejus in senectute degere, qua iis tum sponte exiccatur, cùm alvus lubrica semper adstricta melior reputetur. Sed tamen, qui in ætate juvenili duriorem alvum sortiti sunt, constituti tandem in ætate senili magis, & magis exiccabuntur; unde in deteriorem statum abibunt. Quamobrem præstaret Juvenes ex arctiori alvo mutationem subire senescentes in lubriciorem, ut excrementa per senectutem cumulatiora promptiùs deponantur; quamquam Celsus *l.1.cap.3. melior est*, inquit, *in Juvene fusior*, *in Sene astrictior*. Atqui hæc tam variè accidunt hominibus, pro varia eorumdem habitudine, & peculiari constitutione, ut certa regula ex hoc deduci nequeat: sunt quippe qui meliùs se habent cum alvo duriori, quàm laxiori, si præsertim laxitas vitium chylosis subsequatur; & Venter non adeò obdurescat, ut quotidianis saltem excrementis non exoneretur. Verumtamen per comparationem tantùm sunt hęc ab Hippocrate in Aphorismo tradita. Immò verò magna ex parte dicitur exiccari alvos senescentibus; nam perpetuò id verùm esse non experimur, sive quòd distillationibus corripiantur, sive quòd malè cibos conficiant, sive demum quia laxatis fibris intestinorum, ac musculorum ani, obscuram veluti paralysim in his partibus patiantur. Hanc autem alvi lubricitatem, vel siccitatem, neutiquàm à cibis, vel ab ægritudine, sed à propria illarum ætatum habitudine, & viscerum, ac fermentorum conditione Hippocrates desumit: hæc enim omnia suapte natura decurrentibus annis in nobis variant, etsi perfecta sanitate fruamur; ut aliàs quoque meminimus.

APHORISMUS LIV.

Magnitudo Corporis, Juventę quidem neque indecens, neque illiberalis; Senectæ verò inutilis, & deterior parvitate.

Convenientem, vel inconvenientem molem Corporis in ætatibus considerans hoc Aphorismo Hippocrates, proceram inquit, & magnam staturam, Juventuti nec indecentem, nec invenustam esse; Senectuti verò inutilem, & parvitate deteriorem.

Quam-

Quamvis autem Fuchsius de Corporis potiùs proceritate, seù longitudine, sententiam hanc interpretetur, fretus etiam authoritate Galeni in commentario, & Celsi *lib.2. cap.2.* dicentis: *longa statura, ut in juventa decora est, sic matura senectute conficitur*; non tamen video, quin etiam de totius Corporis magnitudine secundùm trinam dimensionem adaucti, exponi non possit; quemadmodùm scitè quoque existimat Cardanus, qui acriter hac occasione invehitur in Galenum, de sola longitudine sententiam interpretatum. *Quid enim*, is inquit, *absurdius, quàm dicere, proceram exilitatem neque indecentem, neque illiberalem Juventæ, cùm sit ridicula etiam parentibus, & fratribus, vix quæ non contempta in Principibus? deinde, quis docuit Galenum hos, non illos vere magnos in senecta incurvari, cùm oppositum ostendat experimentum, & ratio etiam subscribat; majore enim pondere prægravantur, & cùm sint etiam humidiores, magis curvantur macilentis, nam & ligna viridia ab igne magis flectuntur, siccis.* Hæc Cardanus.

Hanc ergo magnitudinem Juvenibus indecentem non esse, neque proportione excedentem scribit Hippocrates; quoniam per hanc ætatem æquè adolescunt, & partium comparatione per omnem ambitum magni evadunt, quamobrem cùm secundùm naturam incrementum in longum, latum, & profundum æquabiliter suscipiant, illiberalis, excedens, seù non proportionem servans, dici non poterit: Juvenes namque decet simul increscere, & incrementum naturale æquabiliter suscipere. Ubi pro Juventute etiam Pueritiam, & Adolescentiam intelligere licebit juxta morem ejusdem Hippocratis, ut superiùs monuimus. At verò Senibus inutilis illa est, & deterior parvitate. Inutilis quidem, quia à languida senectutis virtute tanta moles sustineri non potest, si fortasè perseveret; si verò, ut natura accidit, debito marcore afficiantur, extenuata crassitudine, per solam longitudinem, ac exilem proceritatem, nedum inelegantes, atque inconcinni remanent, verùm etiam capite deorsùm incurvati, ac sæpenumero etiam gibbi fiunt. Deterior verò, quoniam propter virium languorem, ac Viscerum, & sanguinis hebetudinem, gravatur magnitudine Corpus, non regitur, & facilè vitæ flammula ab opprimente mole, atque obesitate, suffocatur, & extinguitur. At verò qui parvo sunt Corpore, vivaciores, agilioresque esse solent, atque ad quævis vitæ munia promptiores; quamobrem & diutiùs, & salubrius illos vivere experimur, nec prætereà tam obnoxii illi sunt incommodis, quæ ex magnitudine Corporis senibus accidere ostensum est. Verumtamen deterior solùm dicitur parvitate, nam si fortasè comparetur cum ea Corporis magnitudine, quæ pinguem habitum consequitur, certè melior censenda est; cùm carnosa, & lacertosa Corpora præstent pinguibus, & obesis, quæ omnium deterrima esse solent. Atqui nec parva, ac pusilla Corpora senum omni prosùs vitio exempta putanda sunt, sed dumtaxat meliora, atque alacriora opimis.

Hinc modò colligere est, le-

niùs tractanda esse, cùm præsertim ægrotaverint, senum Corpora, ingenti carnium, & adipis mole gravata, quàm parva, & gracilia. Illa enim, utpote languidiora, facilè labore, vigilia, & quocumque evacuante medicamento, exsolvuntur; ac viribus deficiunt, si diæta regantur asperiori: utraque autem facilius ferre solent parva, atque adeò vivaciora.

FINIS.

INDEX
RERUM NOTABILIUM
Primæ Partis.

B

Bu-

D

E

F

Fe-

Q

Qua-

M 2

FINIS.

NI-

NICOLAUS CYRILLUS
LUCÆ
Præceptori suo S.P.



PRimæ Partis Aphorismorum tuorum Elenchum, rudem quidem, & informem, sed quem quantulacumque ingenii mei digerere valuit tenuitas, jam tandem habes, Luca Virorum optime. Illius ergo vel sphalmata ὀβελοῖς transfigas oportet, vel quod boni inest, notes asterisco. Gratias referre non est ut cogites; majoribus planè tuis premor beneficiis, quàm ut possim levissimis hisce laboribus paria referre. Verumenimverò illud mihi summum erit operæ pretium, si encomiasticam istam Epigraphen νιφάδεσσιν, fateor, ὁμοίην χειμερίῃσι, tuis typis dignam feceris. Id equidem non tam in tuam cedet gloriam, (hanc enim conferto scientiarum satellitio jam tibi fecisti vectigalem) quàm mihi summo erit honore; quippè qua discipulorum tuorum albo accensebunt Eruditi. Spero me voti futurum compotem, nec spe hac frustratum iri: Cæterùm grati animi hæc excipias conamina, nam & salsa mola, ut ajunt, litare creduntur, quibus thura defuerint. Vale.

Huc

Huc, ſultis,
Huc accedite Jatrophili.
En
Hippocrates ille veſter
Medicorum Roſcius , Philoſophorum Homerus,
Cujus Thebana ænigmata , ac Libycæ Aphoriſm. ſyrtes,
Vel Oedipo interprete , vel Delio indigebant urinatore,
Umbrarum jam caret tegmine,
Aditusque moleſtia.
Ejus etenim
Inacceſſum Sophiæ, ac Medicinæ adytum,
LUCAS Philoſophorum, ut ita dicam, Α'ΛΦΑ
Detexit, ac reſeravit.
Hic profectò
Quas concinnas paraphraſes,
Quos opportuna eruditione differtos commentarios,
In Hippocratem non adinvenit?
Quare
Si Democriti vulgò putatam inſaniam
Pro alta rerum ſcientia patefecit Hippocrates:
Hippocratis uſque adhuc creditam obſcuritatem
Fulgentiſſimum eſſe jubar
LUCAS Democritus alter
Commonſtravit:
Adeò ut innumeris ex Interpretibus Unus
Omne tulerit punctum.
Adeſte, inquam, adeſte
Qui mores ſapitis Pythagoreos
Fauſtoque ſcientiarum omine λάσιον κῆρ obtinuiſtis:
Fruimini: Auctoremque ſummis in Cœlum extollite laudibus.
At procul hinc abeant
Cucurbitina capita, maleferiati ſcioli,
Qui aliena laſcivientes plumula, Leonis præmuniti corio,
Vel cedro digna aliorum ſtudia ſubodorantes: ὡς μύρακάνθαροι
Laureolam in muſtaceo quæritant.
Abeant igitur ad corvos;
Hic enim
Illud optimo jure inſcribendum,
ἑκὰς ἑκὰς ἔςε βέβηλοι.

Obſervantiæ ergo

Humillimus Auditor
Nicolaus Cyrillus A. & M. D.

LUCÆ TOZZI NEAPOLITANI

IN HIPPOCRATIS APHORISMOS COMMENTARIA.

PARS SECUNDA:

UBI UNIVERSÆ MEDICINÆ,

tum Theoreticæ, tum Practicæ celebriores Quæstiones perpenduntur, atque nedùm Recentiorum inventis, ſed & genuinæ ejuſdem Hippocratis menti congruentes, quàm dilucidè explicantur.

TOMUS TERTIUS.



VENETIIS, MDCCXI.

Apud Nicolaum Pezzana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

LUCÆ TOZZIO
PUBL. MEDIC. PROFESS. CLARISS.
APHORISMORUM HIPPOCRATIS
COMMENTARIA
IN LUCEM EDENTI,

ita hoc Epigrammate

PRÆCEPTORI SUO

auspicatur

NICOLAUS GRÆCUS A. ET M. D.

UT *Librum adspexit liquido Sebethus ab alveo,*
Arte nova nitidum, sic stupefactus ait.
Est Liber, an Sidus? Prælo, an demittitur Astris?
Est Author Phœbus, TOZZIUS *anne meus?*
TOZZIUS *est Author: neque enim me ludit imago:*
Phœbum nosco equidem: non ita, Phœbe, nites.
Sic lætans Fluvius, lætèque sonantibus undis,
Complet Fama tuba Solis utramque domum.
TOZZI *quàm felix! Phœbo nam major in Arte,*
Quòd Famæ vivet plausibus usque Liber.

AD DOMINUM

LUCAM TOZZI

EXCELLENTISSIMUM MEDICUM, ET PHILOSOPHUM,

ut suas in HIPPOCRATEM lucubrationes promulget.

EPIGRAMMA.

RUmpe moras calami: quid publica vota moraris?
Quid Coi differs pandere scripta senis?
Ille quidem Stygiis alios servavit ab umbris,
Se servare sua non potis arte fuit.
Ergo age, & exorti redivivum laude Magistrum
Restituas nobis, restituasque sibi.
Sic erit, ut debent alii cui munera vitæ,
Ipse tibi vitam debeat Hippocrates.

Addictissimus Servus
Hieronymus Vitalianus.

ΤΩ͂ ΑΥΤΩ͂
ἐπίγραμμα

Φεῦ, λέγεται πλάττειν λείχουσα τὸ ἔμβρυον ἄρκτος,
καὶ κατὰ δὴ μικρὸν σχῆμ' ἀγαθὸν διδόναι.
Δυκᾶ, δυσμόρφοις χρησμοῖς Κῴοιο γέροντος
τήν τε καλὴν μορφὴν, ἀσφαλέα τε δίδως.

Octavii Sanctorii.

LUCÆ



LUCÆ TOZZI

In Tertium librum Aphorismorum

HIPPOCRATIS COMMENTARIA.

APHORISMUS I.

Mutationes temporum potissimùm pariunt morbos: & in quibusdam temporibus magnæ mutationes, aut frigoris, aut caloris, & alia pro ratione eodem modo.



INter Causas externas morbos inferre valentes precipuus planè Aer est, qui cùm nos perpetuò ambiat, atque assidua inspiratione Viscera vitalia subeat, & cum sanguine in Pulmonibus misceatur, sicuti ubi purus, ac salubris est, Vitam, valetudinemque tutatur, ita si alieno vitio inficiatur, aut halituum labe fœdetur, potenter admodum nostra Corpora alterat, & inquinat. Cùm autem innumeris propemodùm mutationibus obnoxius sit, & vicissim variis, differentibusque, vaporibus, nebulis, rore, pruina, pluvia, nivibus, ventis; minerarum halitibus, cæterisque depravetur, unde diversimodè quoque nos afficit, propterea factum puto, cur Hippocrates illius rationem maximam præ ceteris habuerit, atque *lib. de Natura Hom.* decreverit à spiritu, seu Aere, & à cibis, potibusque omnia morborum genera proficisci. Et *lib. de Flatib. Aer est*, inquit, *maximus in omnibus, quæ Corpori accidunt, author, & dominus*. Atque iterùm: *Mortalibus vitæ, & morborum ægrotis, solus is est author*. Et mox: *Subiiciam igitur & illud, quod non aliundè unquam verisimile sit morbos evenire, quàm ab Aere, si is aut plus, aut minùs, aut cumulatior, aut morbidis sordibus inquinatior in Corpus se ingerat, sed & nunc etiam demonstrabo omnes morbos ex hoc oriundos Corporibus innasci, ac generari*, &c. Hoc autem libro speciatim memorans mutationes Aeri contingentes

tes à Temporum varietate, primùm inquit, illas potissimum morbos parere; ut propterea cæteris aliis Caussis externis ægritudines inferre valentibus Temporum mutationes præferat.

At quænam sint ejusmodi mutationes, non levis est inter Interpretes disceptatio. Nonnulli eas solùm existimant, quæ in quatuor anni Tempestatibus contingunt, præsertim cùm vices illæ commutant. Alii, ubi debitam Temperiem non servant, ut cùm Æstas Autumni, & Ver Æstatis morem referre videtur. Plerique ad caloris, ac frigoris inæquales vicissitudines ascribunt. At ipse existimaverim, omnem, & quamcumque mutationem subitam, ac humanis Corporibus incongruentem, comprehendi, cùm indefinitè illas Hippocrates memoraverit, & ab omnibus pari modo nostra corpora præter naturam affici possint.

Et quidem cùm ab Hyeme in Ver mutatur temporis constitutio, quemadmodùm Aer incalescit, dies noctes superant, & Sol diutiùs nostrum Horizontem illustrat; sic pariter humana Corpora ad alia disponuntur, valdè differentia ab his, quibus ex præcedenti Hyeme fuerant affecta; & multò magis cùm ex temperato Vere fit transitus in Æstatem, per quam ex maximo Aeris æstu ob Solis accessum ad nostrum verticem vehementius Corpora alterantur, & in acutas admodùm ægritudines incidunt, quæ & longè graviores accidunt sub Autumno, aliter, aliterque affectis corporibus ex immutato in aliam habitudinem Aere, ut & adventante Hyeme in aliam omninò differentem, uti subsequentibus Aphorismis singulatim recensebimus. In his præterea Temporum Anni mutationibus, periculosissima specialius *lib. de Aer. & loc.* esse ait Hippocrates, ambo Solstitia, maximè Æstivum, atque utrumque Æquinoctium, præsertim verò Autumnale, quippe tunc valdè mutabilis fieri solet Aeris status, & repentinæ plerumque contingunt alterationes ex ingruentibus pluviis, grandinibus, ventis. *Oportet autem*, subdit idem, *& Astrorum exortus considerare, præcipuè Canis, deinde Arcturi, & Plejadum occasum: Morbi enim in his maximè diebus judicantur, aliique perimunt, alii verò desinunt, aut in aliam speciem, aliumque statum transmutantur*; ut propterea ibidem existimet *non minimam partem conferre ad Rem Medicam ipsam Astronomiam, sed omninò plurimam, cùm unà cum temporibus, & Ventriculi in Hominibus mutentur*.

Verumenimverò istiusmodi Quaternaria Anni divisio, quæ nobis Europæis Zonam temperatam incolentibus congruit, minimè cæteris omnibus Terræ habitatoribus pariformiter respondet; cùm sub Zona Torrida aliquibus, scilicet sub Æquatore sitis, Æstas duplex accidat, Sole perlustrante signa Arietis, & Libræ, quæ Nobis sunt Æquinoctialia; aliis verò, videlicet Accolis, cùm Sol utrinque posita signa migrat, quæ cæteroqui fixa dicuntur, prout in alterutram ab Æquinoctiali partem declinant; in aliis verò signis à vertice remotioribus Hyemes, aut potiùs caloris remissiones, Veri, & Autumno quodammodò respondentes fiunt. Sed & Antæcis diversa quoque accidunt; nam quibus in signis Sol Nobis Æstatem facit, illis parit Hyemem, & contra; & ubi Nobis incipit Ver, illis inchoat Autumnus: ut sileam nunc, quas omninò diversas etiam sortiuntur Tem-

pe-

pestatum mutationes, qui Antipodes Nobis sunt, & qui frigidas Zonas inhabitant, ab Astronomis, ac Geographis abundantissimè recollectas. Unde ridiculus planè fuit ille, qui inter theses quasdam publicè propugnandas, primam fecit, qua indefinitè atque universim se tutaturum asseverabat, quatuor solùm esse cunctis Anni Tempora. Huic apprime cohærebat Plinianum illud ex Apelle: *Nil ultra crepidas*.

Sed tamen omittenda non est, quæ Veteribus fuit in usu Anni Temporum distributio. Illis enim, etsi communem Zonam, eademque Climata nobiscum colerent, Annum aliter partiri visum est, & quidem in septem tempora, ut memorat Galenus hoc eodem *lib.comm.*14. & latiùs 1. *epidem.comm.* 1. *tempest.*1. Primùm autem ab Æquinoctio Verno, sive ab ingressu Solis in signum Arietis, ad ortum Vergiliarum, seù Plejadum, Ver constituebant; Ab istarum ortu ad Solstitium Æstivum, tempus secundum, & quodammodò Æstatis initium. Tertium Æstivum, à Solstitio ad ortum Caniculæ extendebatur. Quartum ab ortu Caniculæ ad ortum Arcturi, Opora dictum. Quintum Autumnale, ab ortu Arcturi ad Plejadum occasum: vocabant σπωρατόν. Sextum ab occasu Plejadum ad Solstitium hybernum. Septimum demùm à Solstitio hyberno ad Vernale æquinoctium: quod τὴν φυταλίαν appellabant, seù Tempus insitionis, & cùm à flante Favonio purpureæ Violæ exoriuntur. Et quamvis Cardanus *in comment. istius Aphorismi* summo studio conetur rem hanc à Galeno non satis bene explicatam, nec nostris temporibus congruentem, in meliorem calculum revocare, quia tamen ante Gregorianam correctionem scripsit, quo tempore Vernale Æquinoctium contingebat ad IV. Idus Martii circiter; ac deinceps Astrorum ortus, atque occasus evariarunt; propterea fit, ut nec illius computus adamussim traditæ rationi, atque Anni partitioni respondeat. Vernum namque Æquinoctium nostra hac ætate ex Gregoriana correctione accidit XII. aut XIII. circiter Kal. Aprilis. Ortus primarum Plejadum VIII. Idus circiter Maii, ultimarum ad Kal. Junii. Solstitium æstivum ad IX. Kal. Julii. Ortus Sirii ipsis ferè Kal. Augusti: Procyonis verò ad IX. Kal. ejusdem ferè, quo tempore Etesiæ spirare solent. Arcturi exortus ad Nonas Octobris. Occasus Plejadum ad XII. Kal. Decembris. Demum Brumale Solstitium X. Kal. Januarii propè. Porrò hæc deinceps etiam evariabunt, cum observationibus summi illius Astronomi Tychonis Brahei, inerrantes stellæ quotannis secunda 51. secundùm ordinem signorum progrediantur.

Sed & cum his observabiles quoq; sunt dies Caniculares, ab ortu utriusque Canis ad finem usque Augusti, de quibus Hippocrates 4. *Aphor.* 5. *sub Cane, & ante Canem*: Dies Halcionii, qui circa festum Divi Martini tranquilli, & aprici esse solent. Ortus etiam, & occasus Hyadum elabente Majo, atque imminente Decembre; itemque Lunæ elationes, ac depressitates circa Tellurem in suis Apogæis, & Perigæis, aliaque hujus generis plura ab Agricolis potissimùm, & Nautis passim observata, cùm ex his putent Aerem plurimùm immutari, exoriri ventos, grandines, procellas; unde corpora etiam vehementer affici contingit.

Cùm insuper Anni tempus naturalem, & consuetam non servat constitutionem, varias, diversasque

ægritudines progignit; puta cùm per Æstatem pluviæ ingruunt, & per Hyemem Austri perflant impetuosius, Ver alget, æstuat Autumnus. Ita namque graves, morbosasque constitutiones accidisse refert idem Hippocrates *in libris Epidemiorum*, & notatur *hoc eodem 3. Aphor. à tex. 11. inferiùs*.

De cæteris verò mutationibus meminit idem Hippocrates *hoc eod. 3. Aphor. 4.* inquiens: *In Temporibus quando eadem die modò calor, modò frigus viget, autumnales morbos expectare oportet*. Neque solùm caloris, aut frigoris vehementes, & subitæ alterationes, sed etiam humiditatis, & siccitatis mutationes morbificæ esse consueverunt, ut proptereà quacumque de Causa Aer permutetur, aut afficiatur, humana Corpora perturbari contingat; unde si crassus, nebulosus, turbulentus, nimbosus, ventis agitatus; mox omninò tranquillus, apricus, fervidus, densatus, aut laxatus fiat, non leviter nocebit: Natura enim nostra, quemadmodùm congruentibus, & assuetis gaudet, ita repentinas, ac incongruentes mutationes, atque vicissitudines ægrè ferre solet. Quamobrem subdit Hippocrates, *& in quibusdam temporibus magnæ mutationes aut frigoris, aut caloris, & alia pro ratione, eodem modo*; quibus comprehendi quoque videntur, quæ incolatu, exercitiis, indumentis, aliisque similibus subitæ mutationes fiunt, ut indies experimur; ab his etenim repentè mutatis, diversimodè quoque Aer nos afficit, interturbata præsertim perspiratione.

Quarta autem fit vis Aeris in Corporibus quibuscumque permutandis, alterandisque, vel ex eo quisque coniiciet, quòd quæ ab eo defenduntur, diutissimè produrant: sic Vinum ad annos integros servatur ferens ætatem, atque vigorem inconcussum, cùm oleo ab ambiente Aere præmunitur. Fructus recentes cera obliti ad remotissimas Regiones devehuntur, & nedùm incorrupti, sed perindè ac ab arboribus tum decerpti. Pari modo multa servantur in melle, vino, ejusque spiritu, cæterisque liquoribus; sed & in millio, arena, cineribus, aliisque, quibus illa ab Aeris contactu præcaveantur; Et in Machina pneumatica Boylei, exhausto Aere, diutissimè carnes, fraga, mora, cerasa, pruna, aliique fructus, floresque varii, adeò illibata asservantur, ut nec marcescant, nec acorem contrahant. Vinum quoque, cervisia, ac sanguis ipse ab animalibus eductus, etsi longo tempore in eadem sint reposita, non aliter indè posteà extrahuntur, ac fuerunt inclusa. Aeris quippè vi, atque efficacia, quam Elateris nomine insignitam Recentiores Philosophi voluerunt, suscitantur in Corporibus fermantationes, commotionesque internæ, ut & acerba quęque maturitati subiiciantur, atque in jam maturis mobiles, tenujoresq; partes adigantur, exsolvanturque, quinimmò pro variorum Corporum, halituum, & vaporum cum ipso intermistione, variæ, multigenæque excitentur mutationes; undè experimur ædificia ad oras maritimas exposita per elaterem cum vaporibus acido-muriaticis Æquoris commistum, sensim corrodi, atque manifestè consumi. Quamobrem jure optimò credi potest vorax Tempus cuncta consumere dentibus ab Aere mutuatis, præsertim cùm diversimodè is affectus per tempestatum vicissitudines, multifariam quoque halituum, & vaporum commistione

acui-

acuitur, & erodentior evadit. Atque hinc non temerè Olymp. Nemesian. *Eclog.3.* cecinit.

Omnia tempus alit, tempus rapit, usus in arcto est. Ab uno siquidem Aere consumimur simul, & alimur, unde principium alimenti Aer Hippocrati dicitur, & enarratorum hactenùs accidentium causa: atqui usus ejus in arcto quoque est; nam sicuti juvat in plerisque, ita in multis aliis nocere solet: undè Causa indifferens statuitur à Medicis, cùm quo vario illius usu & obesse, & prodesse possit.

At verò præter Temporum Anni varietates, notabiles quoque in Aere fiunt mutationes, indeque corporum alterationes, atque ægritudines, à Ventis: hi namque non solùm Aerem vel repurgant, vel inquinant, adeòque serenitatem, vel nebulas afferunt, æstum, vel algorem; sed etiam variis, multigenisque vaporibus, ac halitibus inficiunt, nitrosis, sulphureis, aluminosis, vitriolicis, mercurialibus, aliisque, quibus respiratio in Animantibus non minimùm offenditur, & permeans sanguis per pulmones inficitur, undè sæpenumerò Catarrhi, Tusses, Hæmaptoes, Pleuritides, Anginæ, Dysenteriæ, Febres, aliæque ægritudines perniciosissimæ exoriuntur. Sunt autem ex his aliqui statis temporibus perflantes, ut etiam aves ad Nos perducant: sunt & alii, qui indifferenter. Verùmtamen & Regiones pleræque certis quibusdam statibus subiiciuntur, ut Urbs hæc nostra Neapolis Australibus ventis ferè perpetim afflata, ut propterea distillationes, atque artuum dolores, & Capitis languores subeat; sed & quidam Telluris tractus peculiares ventos sunt sortiti statis temporibus prosperos, vel adversos.

V. Hipp. de hum.

Commoda, & incommoda Ventorum. V. l. de Aere Aq. & loc. lib. de hum. & de flat

Historiis est jam notissimùm sæviisse in Græciam diram Pestem ventorum afflatu ex Ægypto delatam, quam perpetuis monimentis descripsere soluta oratione Thucydides, atque heroico carmine Lucretius. Has autem ex depravato Aere affectiones, alterationesque, solus ignis corrigere, atque delere poterit, cùm & Hippocrates ipse in Græciæ pestilentiis integras sylvas incendi jusserit ad Aeris repurgationem. Cæterùm quia non omnes Homines in ejusmodi Temporum mutationibus, & Aeris alterationibus æquabiliter afficiuntur, vel ægrotant, sed qui solùm, aut habitudine, aut humoribus, sunt dispositi, propterea sequentibus Aphorismis, quibus Tempestatibus, ac particularibus Temporum mutationibus Corporum habitudines specialiter subiiciantur, sigillatim enucleat.

APHORISMUS II.

Naturarum aliæ quidem ad Aestatem; aliæ verò ad Hyemem, benè, malève, se habent.

INnumeris Experimentis est comprobatum, non omnes Homines quavis Anni tempestate æquè bene Vitam degere, atque inculpata valetudine frui, sed quosdam in una, alios in alia salubriùs vivere: & quidem lacertosos, atque obesos, ambienti frigido faciliùs obsistere, meliùsque valere; graciles verò multùm affici, atque offendi: cùm tamen contrà hi meliùs se habeant Æstate, illi deteriùs; Unde ex Temporum mutationibus potiùs uni, quàm alteri afficientur, prout ipsorum habitudo, ac propensio huic, vel illi tempestati magis subiicietur.

Naturas tùm hìc, tùm alibi Galenus

lenus Temperies interpretatur, quippe qui omnia corporibus humanis contingentia, calore, frigore, humiditate, ac ficcitate, veluti primis qualitatibus, eft metitus: quamobrem in Æftate meliùs, quàm in Hyeme illos habere ait, quorum Temperies frigida, humidaque eft; qui verò Temperamento funt prædīti calido ficco, falubriùs iu Hyeme, deteriùs in Æftate. Verùm hac ratione obefa Corpora, quæ frigida, & humida, ab ipfo dicuntur, falubriorem degerent vitam Æftate, quàm Hyeme; & contrà gracilia, veluti calida ficca, malè fe haberent in Æftate, & benè in Hyeme; cùm tamen obefa Corpora efficaciùs obfiftant hyberno, frigidoque ambienti, à quo graviter gracilia offenduntur.

Naturas hic igitur exponere oportebit, quas alibi nos Corporum conftitutiones, & habitudines appellavimus, defumptas à textura partium fimilarium organicas componentium, unà cùm fanguinis illas irrigantis conformatione: quibus enim fanguis ineft floridus, vegetus, vividus, qui quaquaverfum partes fubeat, & ad obeundas operationes agilitet, hos calidam temperiem, feu conftitutionem, nactos dicemus; quibus verò, parte potiùs auctifica refertus eft, obefiores erunt, fed minùs calida prędīti temperatura. Confert autem ambiens Aer, five calidior, five frigidior evadat, ad ejufmodi Corporum conftitutiones vigorandas, vel permutandas, infpiratione fimul, & perfpiratione; quamobrem tempore æftivo, quia tenujor fanguis evadit ex infpirato aere, & ex cute rariori promptiùs perfpirant craffiora ejufdem repurgamenta, proptereà hebetes, & humidæ Corporum conftitutiones, falubriùs tunc degunt; deteriùs verò hyeme, impedita ejufcemodi perfpiratione, & fanguine à frigidiori Aere aliquãtulum conftipato. Ita pariter reliquæ Corporum habitudines meliùs Æftate, pejus Hyeme degent, quatenùs ab utroque, hoc, vel alterutro Aeris beneficio, emolumentum, aut detrimentum ex adverfo fortientur. Neque verò perpetuò verum eft frigidas, quas vocant, aut calidas temperaturas, Æftate benè, Hyeme malè, ac viciffim fe habere, nifi ex memoratis Caufis infpirationis, trãfpirationifque, fanguis benè, vel malè afficiatur; fiquidem fieri poteft, ut frigido prædīti temperamento, ficut & calido, obefi fimul, & graciles, ęquè malè fe habeant in Hyeme, atque in Æftate, fi nimirùm effœtus in illis fanguis, in his valdè tenuis, facilè difperdatur, & evanefcat, ab ingenti Aeris æftu; & opprimatur, atque hebetetur à Brumæ algore. Undè plerofque novi ex utraque Anni tempeftate afpera, ferè quotannis ægrotare, & folùm vitam ducere falubriorem tempore verno, aut etiam æftivo, modò calor remiffior foret, aut aerem incolerent temperatiorem, zephyrifque perflatum; quoniam in his imbecilla fanguinis conftitutio, & laxa textura membrorum, utrumque exceffum ferre non poterat. Sic levis lucernæ flammula citò extinguitur, cùm fi algenti, denfatoque aeri exponatur, tùm fi diftracto, ventilatoque, immò etiam radiis folaribus vehementer verberato, aut aliter intenfiùs excalefacto. Jure ergo optimo Hippocrates Naturas Hominum indifcriminatim commemoravit, nulla caloris, aut frigoris, alteriufve qualitatis facta mentione.

APHO-

APHORISMUS III.

Morbi quoque, alii ad alia benè, vel malè se habent, & quædam ætates ad tempora, & loca, & victus genera.

QUod dixerat de Naturis, & Corporum constitutionibus, nunc de ægritudinibus, deque ipsis ægrotantibus, illorumque ætatibus pronunciat, ut sensus sit, Morbos in quibusdam mitiores evadere, & securiores, in aliis verò graviores, periculosioresque, prout ægrotantes ipsi hac, vel illa habitudine præditi, in unam, vel alteram morborum constitutionem proclives fuerint. Sic graciles ex distillationibus, Tussi, Dysenteria; obesi verò ex Asthmate, Hydrope, Sopore, Palpitatione graviùs afficiuntur: In ætate puerili minùs periculosæ sunt Variolę, quam in ætate consistenti, ac senili. Faciliùs pariter, citiùsque desinunt Quartanæ, Obstructiones, & Articulorum dolores Æstate, quàm Hyeme. Hydropes, & Cachexiæ, in montanis, ac maritimis locis leviùs affligunt, meliusque curantur; In campestribus verò Phthises, & Atrophiæ. Attenuans victus gravior in juventute, & in morbis à tenuibus humoribus exortis; ut & plenior, ac consistentior in succiplenis. Horum autem omnium latissimè meminit *in libris Epidemiorum* Hippocrates, ubi Epidemios morbos referens populariter grassantes, non omnes tamen ægros æquabiliter affectos narrat, sed pro varia cujusque habitudine, ac natura, itemque ætate, tempore, regione, diæta, alios graviùs, alios leviùs ægrotasse, neque singulos cum uno, eodemque genere symptomatum. lib. 1. & 3.

Sed num ad Morbos potiùs, an veriùs ad Causas respexerit Hippocrates, & unde benè, vel malè ægritudines se habere dixerit ad alia, atque alia comparatas, dubitari poterit. Et quidem in textu videtur solum ægritudines memorasse, ut effectus nostris sensibus magis obvios. Sed reverà Causas magis prospexisse dicendum est: nam morbi benè, vel malè se habent ad alia, aut alia, quatenus Causæ illos efficientes, aut conservantes, abscinduntur, vel emendantur; aut contra augentur, & exasperantur: non enim alia de causa tertianæ febres Æstate breviantur, & ingravescunt, nisi quia humor illas fovens promptiùs dissipatur, aut contra acuitur. Sic pariter dolores articulares citiùs desinere solent Æstate, seriùs Hyeme, quia per ęstum vitiosi succi attenuantur, & exsolvuntur, per hybernum verò frigus detinentur, & incrassescunt. Perperam proinde agunt, qui in præscribendo victu ægrotantibus, summo studio adnituntur adversus morbos pugnare, cum in calidis, quas vocant, ægritudinibus frigefacientia cibaria præcipiunt, etiamsi humores prædicent crudos, & phlegmaticam, tenacemque pituitam; quamobrem febricitantes omnes pari modo cibant, oleribus, jusculis, consumptis, cum seminibus, syrupis, & electuariis refrigerantibus, ut propterea Morbos insanabiles reddant, vel protrahant.

Præterea adjecit Hippocrates quasdam ætates ad quædam tempora, loca, & victus genera, etiam bene, vel male se habere, videlicet quia, *Pueri*, ut inquit Celsus, *proximique his, Vere optimè valent, & Æstate prima tutissimi sunt, Senes Æstate, & Autumni prima parte, Juvenes Hyeme, quique inter juventam,* lib. 2. c. 1.

tam, senectutemque sunt: inimicior autem Senibus Hyems, Aestas Adolescentibus est. Quidam salubriorem ducunt vitam in maritimis, alii in montanis locis: & nonnulli uno victus genere bene valent, alio quamvis perfectiori, non item.

Hinc ergo prudens Medicus pro varia Corporum constitutione, atq; habitudine, diversimodè in illorum ægritudinibus se gerat, & prout noverit in hanc, aut aliam, cùm morbos, morborumque Causas, tum ægrotos, ipsorumque naturas, atque ætates propendere constitutionem, ita hoc, vel illo utetur victu, ac medicamento, cavens ea, quæ omninò dissentanea ejuscemodi Tempestatibus, & Constitutionibus videbuntur. Non semel autem contigit, populares quosdam morbos feliciter depulisse indicto statim à principio vomitu, sed & alios, propinatis potionibus gelidarum aquarum, quæ vim alexipharmacam participarent. Quandoque præstat morbum protinus validissimis remediis adoriri; interdùm verò ejus impetum effugere, ac declinare, Celsi consilio *lib. 2. cap. 5.* dicentis: *Neque ulla alia spes in malis magnis est, quàm ut impetum morbi trahendo aliquis effugiat, porrigaturque in id tempus, quod curationi locum præstet.* Qui itaque sciverit ægritudines per suos impetus, ac tempora, in variis Corporum habitudinibus, atque ætatibus, secundùm vicissitudines moderari, planè is in Medicina facienda magnus erit.

APHORISMUS IV.

In temporibus, quando eadem die modò calor, modò frigus fit, Autumnales morbos expectare oportet.

DAmna ex mutationibus Temporum universim oriri anteà exposuerat, nunc speciatim morbos futuros autumnales pronunciat, quandocumque eadem die modò calor, modò frigus vigeat, idque sive in Vere, sive in Æstate, sive in cæteris Anni temporibus contingat. Neque solùm si eadem die, sed etiam si longa dierum serie, ejusmodi mutationes fiant; sed enim eodem die contingentes frigoris, & caloris mutationes, periculosiores proculdubio sunt, quippè quæ subitaneæ, & repentinæ, celeriter Corpora agitantes, perturbantesque ad opposita; undè speciatim etiam notantur frigoris, & caloris alterationes; veluti quæ sensibiliùs solidas Corporis partes commovent, atq; in contraria deducunt: Calore enim humores liquantur, & ad sudorem disponuntur, viscera laxantur, pori cutis rarefiunt, & halituum perspiratio uberior fit: frigore verò ista cohibetur, densantur humores, & promotus sudor impeditur; quare ex inæquali, & subita hac commotione, graves noxas ingruere necessum est, quales sunt Autumnales. Morbi siquidem in Autumno evenientes incostantes sunt, & mali moris, quandoquidem nullum planè tempus eo majores habet inæqualitates: etenim mane, & circa Solis occasum frigus persentitur, & longè majus noctu; Meridie verò calor nimius invalescit; ut propterea ea tempestate plurimi, gravesque morbi passim ingruant.

Non

Non tamen quis existimet, ex unico dumtaxat die, mutationem è calido in frigidum vicissim habitam, morbos portendere graves, & autumnales, sed cùm diù perduraverit: siquidem quod semel accidit, facilè à quocumque etiam debili toleratur; neque tantæ efficacitatis esse potest, ut vehementer corpora concutiat, & sensibilem noxam imprimat. Itaque oportet, ut iteratis diebus ejuscemodi permutationes contingant; quemadmodùm & Ovidius expressit, 2. *de Arte amandi*.

Cùm modò frigoribus premimur, modò solvimur æstu:
Aere non certo, corpora languor habet.

Et Celsus *lib.2 cap.1. ex tempestatibus*, inquit, *optimæ æquales sunt, sive frigidæ, sive calidæ; pessimæ, quæ maximè variant: quo fit, ut Autumnus plurimos opprimat, nam ferè meridianis temporibus calor, nocturnis, atq; matutinis, simulq; etiam vespertinis frigus est*. Cùm & *lib.1.c.3.* diętam per id temporis pręscribens, propter Cœli varietatem, maximè periculosam, monuerit, neque sine veste, neque sine calceamentis prodire oportere, præcipuèque diebus frigidioribus, neque sub dio noctu dormire. Ubi præfatos Auctores non de unius diei vicissitudine, sed de pluribus plurimorum dierum, palam est fuisse loquutos.

Subitæ igitur, & repentinæ vicissitudines nedùm ipso vigente Autumno, sed etiam extra hoc tempus, quandocumque contingant, timendæ sunt, cùm subindè vagari soleant illa morborum genera, quæ ea tempestate grassantur; siquidem non à tempore, sed ab ipsa vicissitudine, morborum Causæ, ipsiq; morbi propter subitas Corporum alterationes progignuntur. Quamobrem plurimùm degenerabunt à consueta, & naturali constitutione, reliquæ Anni tempestates, si fortassè non æquabilem servaverint aut caloris, aut frigoris habitudinem; & longè deterior fiet Autumnus, si & ipse in sua inæqualitate adhuc sit inconstans. Cęterùm si mutationes istæ, atq; vicissitudines Aeris repentinæ nocent sanis, multò magis afficient ęgrotos: unde experimur ęgritudines cęteroqui leves, ac benignas, ob Autumnalis tempestatis varietatem, atq; inconstantiam, protinùs in malignas, & exitiales commutari. Perperam proindè agunt, qui pręter aeris inclementiam, ultroneas sibi excitant ejuscemodi permutationes, cùm modò calido, modò frigido aeri se exponant, modò æstuent, & sudent, modò refrigescant, & frigida laventur, modò integumentis duplicibus utantur, modò simplicioribus: quod & non rarò Medici à febricitantibus factitatum turpiter & laudant, & commendant.

APHORISMUS V.

Austri auditum hebetant, caliginem visui offundunt, caput gravant, tarditatem, & languorem inducunt. Quando igitur invaluerint, talia in morbis accidunt. Contra si aquilonia sit tempestas, tusses vigent, faucium asperitates, alvi duræ, difficultates urinæ, horrores, costarum dolores, & pectoris. Quando igitur hæc viget, talia in morbis expectare oportet.

DEtrimenta à Ventis oriũda hìc enumerat Hippocrates, potissimùm autem ab Australibus, & Boreis, qui cæteris infensiores, frequentioresq; esse solent, & quodammodò reliquos alios è collateralibus

com-

complectentes, utrumque Ortum, atque Occasum, æstivum, & hyemalem, cum ea amplitudine, quæ Tropicis, ab Aequatore, & ab Ortu Autumnali, ac Verno, competit: quippe non solùm Auster, sed Africus, & Notus, Venti Australes appellantur; sicuti Boreales ex adverso, Aquilo, Boreas,& Corus; & quemadmodùm illi consimilem in humectando, & calefaciendo vim, facultatemque referunt; ità isti in exsiccando, & frigefaciendo.

At verò sicuti Ventorum vis, atque efficacia, varia observatur, ità Origo diversa esse debet, quæ planè tandiù Physiologorum ingenia fatigavit, ut inter arcana Naturæ illam plerique repositam existiment, cùm post longam,continentemque inquisitionem, necdùm hactenùs patuerit. Certum autem unicuique est,in his Aerem diversimodè agitari, atq; huc, vel illuc violentiùs commoveri, unde plerisque putatum, Ventum non esse aliud,quàm Aerem motum: quibus assentitur Hippocrates *lib.de flatib.* definiens Ventum, *Aeris fluxum, & fusionem*. Ut autem Aer impetuosiùs moveatur, quidpiam omninò alienum, ac differens, quod agitet, atque impellat,cum illo intermisceri necessum est, cujus causa varias quoque excitet alterationes. Aristotelei halitus, è Terraqueo globo erumpentes, causam commoti Aeris dixere,qui vi Solis in altum elati, ubi ad secundam ejus Regionem offenderint,repercutiuntur,ac nequeuntes deorsùm, contrà levium naturam, tendere, in gyrum primùm revolvuntur, deinde huc, aut illuc dissiliunt,& ventos gignunt in hanc, vel illam plagam excurrentes. At si exhalationes istæ uniusmodi sunt, eamdemque semper terream naturam participant,profectò Venti omnes siccitatem præseferrent, & ejusdem observarentur conditionis. Neq; verum est, quod Macrobius asserit *lib.2. in Somn. Scip.c. 5.* variari ventos à locorum, per quæ transeunt, varietate; adeòque Austrum in sua origine gelidum, per Zonam torridam commeatu, sensim incalescere, atque postremò ad Nos calidum pervenire; ut & ventum Septemtrionalem ad eos, qui Australes regiones inhabitant, propter eamdem rationem. Nam deberent quoque, qui Aestate calidi sunt, fieri per Hyemem frigidi, & qui Hyeme frigidi,per Aestatem calidi,cùm Regiones ex opposito rigentes, aut ferventes pervaderent; quin & nulli per Aestatem frigidi forent, & nulli per Hyemem calidi, sed omnes temporis constitutionem sequi deberent, aut etiam locorum conditionem: atque sub Zona Torrida calidissimi, in Temperata moderati, in Frigida frigidissimi semper essent. Atqui falsum omninò est, ventos sub Zona Torrida æstuosos esse,etenim qui eas Regiones perlustrarunt, referunt suaves Zephyros, ac largos imbres, ventososque, ibi vigere, temperareq; plurimùm perpendiculares Solis radios, ut propterea perperam creditum sit Aristoteli, cæterisque Veteribus, Zonam illam esse inhabitabilem. Neque prætereà verum est,Ventos tam vastas, remotasque Regiones percurrere, cùm peculiaribus quibusdam locis concludantur, & suos unaquæque Regio proprios, particularesque habeat flatus, quibus serenitate gaudeat,aut imbribus irrigetur, caleat, aut frigeat. Auster, & Notus venti nobis Neapolim incolentibus humidissimi,Apulis afferunt serenitatem, quibus tamen pluit flante Euro,vel Cæcia. Sed & nò rarò alicubi Venti perflant sævissimi, quo

V. Casend.5.3. l.2.c.1.

quo tempore alibi, modico Telluris tractu interjecto, neque levis aura perſentitur. Cùm hìc Neapoli anno 1688. Nonis Junii horribilis ille Terræ tremor accidit, quieſcente poſt dirum præſterem Aere, viguit Romæ Auſter vehementiſſimus. Unde liquet, oriri, aut perire flatus, Ventoſque, longè propiùs, quam ut vulgò putatur, ex ſpecubus, è clivis, faſtigiis, & radicibus Montium, è Mari, Fretis, Sinubus, nec è tam diſſitis locis proficiſci.

At verò varietas Ventorum, ferentium ſive frigus, ſive calorem, referenda videtur ad halitus quidem, & vapores, qui è Terra, vel Mari erumpentes, per Aerem diffunduntur, ſed naturam diverſam referunt ſpirituoſalinam halinitri, ammoniaci, aluminis, ſulphuris, vitrioli, bituminis, aliuſve, quique ſæpenumerò diſſiliunt, atque feruntur, quo radii Solis impellunt, & Luna Telluri propinquior deprimit, aut peculiaris quædam loci habitudo coarctat. Equidem halinitroſi Aerem infrigidant, aluminoſi, ſulphurei, & ammoniaci calefaciunt; miſti & grandines ſimul, & procellas adducunt, & bituminoſi etiam tonitrua, ac fulmina; Ut propterea ſit, cur primi poſt æſtatem imbres procellis, grandinibus, tonitruis, ac vehementiſſimis flatibus conſocientur, quia ex præarefacta Tellure varii, diverſique ſalium ſpiritus per Aerem ſunt interſperſi, qui mox nubibus concluſi, procellas excitant. Statis etiam temporibus ſpirant non rarò Venti ejus planè pravitatis, ut illis ſata, fructus, flores, folia, palmites urantur, & veluti ſiderata vita priventur, ob hoſtilem, peſſimamq; vaporum, aut exhalationum flatus, ipſos promoventium conditionem, unde ros etiam, ac pruina ex his decidua infenſiſſima vegetantibus eſſe ſolet, tranſitque in rubiginem. Sic quoq; experimur Sale Nitro aquam congelari, & congelatam à ſpiritibus ex alumine, & ammoniaco elicitis exſolvi, & calefieri. Eteſiæ Venti ab Hippocrate memorati circà Solſtitium æſtivum, cùm Nilus exundare incipit, quotannis ſpirant, atque per eas Regiones æſtum Aeris mirificè temperant, quoniam tum aquæ ipſæ, tum ſpiritus perflantes plurima nitri copia ſunt referti. Hinc etiam eſt, ut Boreales venti Aerem ſerenum, & frigidum faciant; Auſtrini verò conturbent, & nubilum, ac pluvioſum reddant, quia vapores aquei à ſpiritibus nitroſis conglaciantur, ac præcipitantur; ab aluminoſis verò diſſolvuntur, & attolluntur. Sed & Radii Solis, ac Lunæ motus propinquior noſtræ Telluri ſolent quoque ſæpeſæpiùs ventos in hanc, vel illam plagam propellere; unde oriente Sole Venti plerumque ſpirant orientales, Eurus, Subſolanus, & Vulturnus; & occidui Favonius, Circius, & Zephyrus, ipſo in Occaſum inclinante: in ſignis Auſtralibus Auſtrini, & in Borealibus Borei ſæpiſſime perflant; quinimmò ab Auſtrinis flatibus calor in Aere ſenſibiliùs perſentitur, frigus verò à Borealibus. Luna inſuper circa Tellurem depreſſior vim aeris elaſticam comprimendo, & coarctando, Ventos quoque excitat, plerumque turbulentos, & irregulares, ob variam elateris commotionem, protruſionemq; niſi tamen recta ex concordi impetu feratur. Diverſa demùm locorum habitudo flatus etiam vel excitat, vel variat. Etenim in Montibus, Speluncis, Iſthmis, & in cujuſvis generis fodinis, peculiares quidam flatus obſervantur; itemque in quibuſdam Maris ſinubus, Fretis, Scopulis, quia nimirùm halitus, aut vapores illinc erum-

erumpunt, aerem commoventes, & magis, minùsque agitantes, huc, aut illuc, pro loci, & vaporum conditione. Hac ratione Venti in montibus plerumque frigorifici esse solent, in oris maritimis humectantes, & calorifici, atque in aliis locis alii, pro fossilium varietate, quibus aer diversimodè refertus, diverso quoque modo nostra corpora afficit.

Hinc modò facilè ratio reddi potest, cur Austri complura Corporibus, præcipuè debilibus, incommoda afferant, præsertim verò Auditum hebetent, caliginem Visui offundant, Caput gravent. Quoniam vapores plurimos concitant, & Aerem turbant, qui propterea viscera delaxat, & inquinat, cunctos liquores fluxiliores reddit, sed speciatim sanguinem à sua compage laxiorem; unde gravedines, catarrhi, hebetudines membrorum, totius Corporis laxitates, gravis auditus, & visus caliginosus. Graviùs autem præ cæteris Caput afficitur, quia debilius, atque externis alterantibus magis obvium, quocircà universo postmodùm Corpori torpor accidit; siquidem gravato Cerebro, nervi quoque, membranæ, & musculi afficiuntur. Accedit, quòd nedùm respiratione, sed etiam contactu vapores per Aerem diffusi Corpora madefaciunt, ac poros cutis infarcientes interturbant transpirationem; sed enim tunc etiam marmora exsudare conspicimus à vaporibus ibi consistentibus in aquâ. At verò expertum est, phialam nive repletam exteriùs in ambitu vapores per Aerem dispersos cogere in Aquam, ut exindè modicum post tempùs plures amphoras colligere liceat. Nuperrimè etiam excogitatus est nobis modus (& quidem alius ab eo, quo, per salem plus, minùsve in lance ponderosum, usus est olim Galileus) internoscendi copiam, vel inopiam humoris in aere, ope cujusdam Instrumenti in planisphærii formam instructi, atque in XII. partes distributi. Id enim per suum gnomonem indicat in designatis partibus quantus humor cum Aere sit commistus. In pluviosa tempestate usque ad XI. progreditur hìc Neapoli; in boreali verò, & æstuosa, nonnisi ad V. solùm regreditur. Non mirum igitur, si tantoperè Capitis affectibus, artuum doloribus, & distillationibus obnoxia illa sit, musculi Corporis per id tempus delaxentur, & Organa sensuum obtundantur.

V. ex per Flo.

Cùm ergo hujusmodi tempestas Australium flatuum prævaluerit, diùque perduraverit, talia in morbis accidunt: idest ægrotantes, licèt aliis morborum generibus sint correpti, his tamen præterea symptomatibus afficientur, quæ sanè non sequentur eorumdem morborum naturam, sed Austrinam temporis constitutionem. Quamobrem solers Medicus minimè ex his morbo supervenientibus decipietur tam in prognosi, quàm in Curatione, si Tempestatis habitudinem scrutatus, exploratum habuerit, quid vi morbi, & quid vi causarum externarum ægris contingat, ut benè etiam advertit Heurnius.

At contra in Aquilonia tempestate, Tusses vigent, præsertim aridæ Celso dictæ, & Faucium asperitates, à frigida, & nitrosa Ventorum Borealium conditione, quæ pectori inimica est, ex eodem Hippocrate 5. *Aph.* 18. Fiunt etiam alvi duræ, tum quia felleus humor in ejusmodi Aquilonaribus Tempestatibus minuitur, figitur, aut hebetatur; tum quia absumptis humiditatibus, quæ alvum laxare solent, venter adstringitur, & fæces obdurescunt: nam sicut

non

non exigua humiditas una cum Aere humido per inspirationem in Corpus hauritur; ita cum sicco absumitur; unde flante Borea magis sitire solemus, quàm flante Austro, etsi hic calidus, ille frigidus percipiatur. Horrores pariter, non quidem ab interna causa inducti, ut in febribus intermittentibus, sed ab eodem ambiente frigido perspirationem comprimente. Denique difficultates urinæ, costarum, & pectoris dolores, sive à concrescente sanguine, qui facilè Pulmonibus, cæterisque partibus Respirationi inservientibus hærescit, sive ab impedita, interturbataque perspiratione; sive etiam quia nitrosi Spiritus inspiratione Aeris hausti acorem Sanguini communicant, ejusque Serum cogunt, ac exprimunt; unde adaugetur urina, & acrior evadit, atque dolores laterales, & quandoque etiam internæ inflammationes ibidem excitantur. Utramque hànc Tempestatem Borealium, & Australium ventorum sic latinus Hippocrates expressit *lib.* 2. *cap.* 1. *Ex Tempestatibus Aquilo tussim movet, fauces exasperat, ventrem astringit, urinam supprimit, horrores excitat; Item dolores lateris, & pectoris: sanum tamen Corpus spissat, & mobilius, atque expeditius reddit. Auster aures hebetat, sensus tardat, capitis dolores movet, alvum solvit, totum Corpus efficit hebes, humidum, languidum.*

Ejusmodi autem à Ventis impetuosioribus tum austrinis, tum boreis, incommoda, qua ratione vitari possint, edocuit Vitruvius, Palladius, atque medicè magis Galenus in suis *libris de sanitate tuenda*. Memorabile verò est, quod olim est molitus Acron Agrigentinus (Laertius id etiam factum scribit ab Empedocle ejusdem Acronis auditore) insignis sui temporis Medicus, atque Hippocrate vetustior, ad vindicandam ab immani peste Siciliam. Is enim coriis bubulis, ad id affabrè comparatis, ventos primùm, quorumdam montium, unde illi spirabant, angustiis interceptis, coercuit, mox ignes plurimos accendi jussit, ut pravi halitus per Aerem dispersi absumerentur, isque meliorem nactus conditionem, remedio in posterùm foret sanguini, & Cordi, quod priùs infecerat; Idipsum quoque gestum legimus ab Hippocrate, qui integras sylvas comburi præcepit, cùm Græcia pravo Ventorum afflatu pestilentia vexaretur. Cæterùm partibus speciatim affectis ex mala earumdem Tempestatum Constitutione succurrendum erit iis præsidiorum generibus, quæ à nobis alibi sunt memorata. Solùm hìc referam, quod Aristoteles *in suis problematis*, sedari Tussim animadvertit, illamque veluti momento desinere, cohibito spiritu. Verumtamen siccam esse decet, quæ ab aquilonia tempestate accidit, non autem humidam, quæ cùm à concretis humoribus in cavo pectoris, aut pulmonis oriatur, nonnisi, anacatharsim moventibus medicamentis, curari poterit.

APHORISMUS VI.

Quando Aestas fit Veri similis, sudores in febribus multos expectare oportet.

De his, quæ accidunt ægrotantibus, ab Aquilonia, vel Austrina Tempestate, præcedenti Aphorismo egit Hippocrates; nunc ea prosequitur, quæ à mutata, variataque constitutione temporum eveniunt; præsertim verò Æstatis memi-

nit, cùm Veris naturam æmulatur, aitque febricitantes plurimùm sudaturos, cùm Æstas sit Veri similis, id-est ingenti suo ardore deficit, & temperiem quamdam refert, non absimilem ei, quæ in Vere naturaliter contingit: & quoniam Morbi per Æstatem vagantes plerumque sudore finiuntur, quo carere solent ægritudines hybernæ, idcircò de Æstate solummodò hæc specialiter notavit.

Neque verò à temperie solùm Aeris vernali per Æstatem contingente, plerique volunt futuros in febribus sudores, sed à pluviosa constitutione, quippe quia Ver pluviosum esse solet; unde Aristoteles *in Meteoris* asseruit pluviosum magis esse Tempus Vernum, quàm Hybernum: tunc etenim Sol moderato Calore vapores è Terraqueo globo elicit, elevat, & in imbres commutat, qui fanè per Æstatem extenuati dispereunt, & in Hyeme congelascunt, vel aliò ab Aquiloniis Ventis amandantur. Cùm igitur Æstas sit Veri similis, imbribus abundans, sudores multi in febribus aderunt consequentes ejus tempestatis humidam, & pluviosam constitutionem. Hinc 2. *epidem.sect.*1. dicitur *pluvias minutas in Aestate febres sudorificas efficere*. Modò minutæ pluviæ sunt propriæ Vernalis tempestatis.

Ex his autem facilè deducere licebit, qua ratione Hippocrates sudores asserat multos in febribus expectandos: cùm enim Corpora multo humore per id temporis imbuantur, necesse est motu Naturæ, causam morbificam depellere conantis, illum subinde educi sudoribus, qui tum febris impetu, tum æstivi temporis ratione plurimi fient; quinimmò etiam à principio comparebunt, exudante nimirùm sponte aqueo humore, poros Cutis, & glandulas subtercutaneas occupante, vel impetente.

Febres autem speciatim memoravit, non quòd in cæteris ægritudinibus, quæ eo tempore contingere possunt, sudores ejusmodi nulli fiant; sed quia hi potissimùm febres comitantur, & ab æstu febrili promptius erumpunt. At verò non distinxit febris speciem, fortè quia omnes voluit comprehensas, ea solùm differentia, quòd in quibusdam sudores isti critici, & salutares sint, in aliis symptomatici, & inutiles. Quamobrem tacitè Medicos admonet, ne sudoris copiam, ac promptitudinem omninò reformident, aut ultro commendent; quasi verò damnum, aut emolumentum pro re nata non sit interdùm allaturus: etenim ab humida Temporis constitutione, non verò à causa morbifica, sudor ille provenit. Quamquam possit etiam cum humore febrili conjungi, & simul excerni salubriter, si nimirùm cætera concurrant, quæ crisim salutarem comitantur. Porrò quemadmodùm præcedenti Aphorismo adiectum est: *talia in morbis expectare oportet*; sic pariter nunc dicitur, sudores multos in febribus esse expectandos, cùm Æstas sit Veri similis, non quidem à febre, ejusque causa, sed ab ambientis humidi, ac pluviosi constitutione.

Quòd si fortasse ejusmodi verna constitutio vigeat per Æstatem, nec tamen febricitantes sudare videantur, oportebit omnem industriam adhibere, ut illi ad sudorem disponantur; secus duplici malo confligabuntur, altero à febrili causa, altero à tempestate pluviosa, unde impedita perspiratione, febris in longius producetur, vel in pejorem commutabitur.

APHORISMUS VII.

In Siccitatibus febres acutæ fiunt. Quòd si ampliùs talis pergat esse Annus, qualem fecerit constitutionem, tales plurimùm morbos oportet expectare.

PRima fronte videtur hic Aphorismus opponi illi, in quo dicitur: *siccitates sunt imbribus salubriores, & minus mortiferæ.* Nam si siccitates dicuntur salubriores, cur est, quòd nunc febres acutas parere ferantur? Verùm in Græco Codice scribitur: Ἐν τοῖσιν αὐχμοῖσι: idest *in squaloribus*, qui extremam siccitatem, illamque diuturnam significant, ut propterea non quamcumque siccitatem, sed summam, vehementemque adnotat hìc Hippocrates, ut accuratiores Interpretes exponunt, qua scilicet nimio ardore cuncta penè exarefacta, atque ambusta videntur. Neque verò absolutè is protulit salutares omninò esse siccitates, sed tantùm imbribus, seù Austrinis tempestatibus pluviosis, salubriores, facta nimirùm inter se invicem comparatione; de qua re posteà dicetur.

Sed cur in siccitatibus extremis febres acutæ fiant? Plerique rationem desumendam putant ex ipsamet natura siccitatis, quæ ferè semper cum calore jungitur, ut propterea vigente constitutione calida sicca febres acutas exoriri necessum sit. At non video, quo jure isti mentem Hippocratis sic temerè velint extorquendam. Si enim de tempestatibus calidis siccis hanc sententiam protulisset, sanè dixisset potiùs, in *caloribus*, aut *æstibus*, quàm *in siccitatibus*, cùm cæteroqui Calor habeatur potior, & efficacior qualitas, vi prædita excellentiori inter eas, quas primas vocant. At verò videtur congruenter Hippocrates notasse siccitates, non calores, quia mens ejus erat referre detrimenta constitutionis oppositæ ei, quam in præcedenti Aphorismo protulerat de Æstate, in humidum vergente; ut proindè gratia exempli notatum voluerit, quòd quemadmodùm ab humida tempestate longi morbi, ita ab arida breves oriantur. Accedit, quòd à siccitate extenuantur humores, absumunturque aquosæ Corporis superfluitates, quæ morbos, vel protrahunt, vel hebetant, unde non immeritò brevitatem, & acutiem illi præseferent. Cùm insuper Aphorismus singulas Anni tempestates complectatur, æquè enim de Æstate, ac de Autumno, Hyeme, & Vere videtur pronunciatus, propterea usus est Hippocrates ea, loco exempli, constitutione, quæ communis omnibus esse potest, & indifferenter per utraslibet vagari: modò & Ver, & Autumnus, Æstas, & Hyems siccitatem præseferre possunt, idest pluviarum vacuitatem: neque enim aliter res siccæ fieri dicuntur, nisi quia extenuatæ, atque exsuccæ, omni penitùs humore exhauriuntur, ut in expressa, exuctaque spongia palàm fit. Modò per siccitatem extremam pori Cutis suprà modum constipantur, partes obdurescunt, & perspiratio plurimùm impeditur; quin & sanguis ipse per Pulmones trajectus, non leviter à sua crasi, & fluiditate declinat, unde alicubi restagnans, & præsertim in apicibus arteriarum, febres excitat vehementissimas, atq; admodùm periculosas. Sicut enim præhumidus Aer, & austrinus, nocuus ex una est, sic ex altera parte aquilonius, & plus justo attenuatus, distracto videlicet, ac, ut ita dicam,

nimiùm furente ejus elatere.

Cæterùm secunda pars hujus Aphorismi desumpta est ex libro de humoribus, ubi & plura alia ad Annorum tempestates pertinentia scripta leguntur. Neque aliud ex illa inferre vult Hippocrates, nisi quòd morborum per tempora affectiones magna ex parte sequantur ipsius Anni constitutionem, ut propterea si tempestas sicca admodùm esse pergat, per universa Anni tempora, per omnes etiam tempestates, febres acutæ magna ex parte sint expectandæ, sicut quoque alius generis ęgritudines pro ratione vagantis constitutionis. Quo enim diutiùs squalor in Aere, ac Tellure perduraverit, eo etiam acutæ ægritudines graviores fient. Scriptum est autem *magna ex parte*: nam satis est, si plerumque Tellus, & Aer imbribus non madescat, nec humectetur, adeòque raranter pluat: vix enim fieri potest totum, integrumque Annum in nostris Regionibus imbribus fore cariturum.

Sed num per idem omninò tempus, quo sicca, & imbribus vacua Constitutio viget, acutæ febres, hìc ab Hippocrate notatæ, observandæ sint, an verò in posterùm, non levis est hujus loci difficultas. Et quamvis aliquibus videri possit, nonnisi quo tempore arida tempestas urget, acutas febres vagari, juxta effatum illud Physicorum, Causas tunc reipsa effectus parere, cùm adsunt, & vi, atque impulsu operationes promovent. Nihilominùs si verba Aphorismi perpendantur, planè etiam imminentes, & futuras comprehensas affirmabimus: dicitur enim, *tales morbos oportet expectare*. Si ergo expectandi, igitur per idem tempus, quo sicca viget constitutio, non sunt. Neque verò effatum illud Physicorum perpetuò verum est in Causis Procatarcticis, & externis, sed solùm in Synecticis, conjunctis, & proximis: illæ namque, ut morbos inferant, debent primò internas Causas excitare, quas inter, & morbos est necessaria connexio; secùs verò cum Causis Procatarcticis: etenim adhuc vitato Aere, atque remoto cibo, aut motu, qui morbus ab his semel inductus est, perseverat, nec desinit, nisi Causa interna, & proxima auferatur. Cùm itaque Hippocrates de Causis externis, & Procatarcticis hìc agat, nimirùm de Anni Constitutionibus, procul dubio non modò de præsentibus, sed & de imminentibus quoque, futurisque ægritudinibus exponendus erit. Rectè ergo dicebat Celsus *lib.2.cap.*1. *Neque solùm interest, quales dies sint, sed etiam quales ante præcesserint*.

APHORISMUS VIII.

In legitimis Temporibus, ac convenientem servantibus temperaturam, morbi legitimi, & boni judicii fiunt; intempestivis autem, non legitimi, & mali judicii.

De Ægritudinum successu in Anni tempestatibus sermonem hìc habet Hippocrates, ut nimirùm ex his variè procedentibus sagax Medicus præsagire sciat, quem modum illæ sint servaturæ, & quem quoque finem habituræ sint; aitque morbos legitimos, & boni judicii futuros, si Anni tempora convenienter processerint; illegitimos verò, malique judicii, si præposterè, atque intempestivè se habuerint, & à propria, ac naturali constitutione declinaverint.

Quamobrem inquit primò *in legitimis Temporibus*, vel ut alii vertunt,

tunt, *in Temporibus constantibus*, aut *moderatis*, ut mavult Fuchsius. Legitima autem, & constantia tempora intelligit, cùm singula propriam servant naturam, & suis unumquodque limitibus concluditur, ut scilicet stato tempore incipiat, desinatque nec ultra quàm deceat, & consueverit, progrediatur, aut morem, conditionemque naturalem excedat, vel prævertat. Hac ratione si Ver sub Æquinoctio Arietis moderato calore inchoet sensim Aerem ab exceptis Solaribus radiis hyemali exuere rigore, & succedens à Solstitio Cancri Æstas calorem augeat, qui deindè paulatim mitescat, Sole in Æquinoctium Libræ inflexo, legitima, & constantia tempora dicentur, suamque servare temperaturam, & consuetudinem. Itaque tunc tempora legitima erunt, & constantia, cùm tempestivè adveniunt, desinuntque, & convenienti vicissitudine invicem succedunt.

Insuper, *& convenientem*, ait, *servantibus temperaturam*: ubi nimirùm Ver moderatum referat calorem, longè majorem, & excedentem Æstas, temperatiorem Autumnus, commutatum verò in algorem Hyems, prout ipsæmet Temporum Constitutiones expostulant: Quæ sanè non alia ratione variant, & vicissitudine regulari commutantur, quàm à motu Solis accedentis, vel recedentis à nostro vertice, qui prout Spiras efficit modò sublimiores, modò humiliores supra nostrum Horizontem, ita radios immittit, vel propè perpendiculares, vel admodùm demissos, adeòque Æstatem, & Hyemem parit, atque in mediis temporibus Ver, & Autumnum.

Prætereà addit, exindè *morbos legitimos oriri*: legitimi autem Morbi intelligi possunt, aut qui simplices, & uniformes sunt, eumdem semper modum servantes, atque ab eodem fomite pendentes; aut qui cum aliorum morborum symptomatis non junguntur; aut etiam qui constantes, & synceri observantur, non autem inæquales, fallaces, & varii, ut Autumnales, sicuti exponit Fuchsius; nec malè morati velut maligni, quemadmodùm vertit Heurnius.

Et demùm *boni judicii*, videlicet salutaris judicationis, & exitus, absque ulla recidiva, neque cum ingenti corporis perturbatione, aut in locis incongruentibus, & periculosis. Cùm enim ab inæquali, & heterogenea materia non dependent, citiùs planè, ac facilius Naturæ viribus subiguntur, atque coctione, secretioneque extra corpus ablegantur: Quippe non alia de causa spuriæ, & illegitimæ febres dictæ graviores, difficilioresque solutu esse solent, nisi ex commistione diversorum succorum, aut ex varia fermentorum febrilium conditione. Hippocrates etiam Hemitritæum periculosum dixit, quia unius generis febris non est, sed Quotidianæ, & Tertianæ naturam æmulatur.

Quòd si hæc non servaverint, sed intempestiva, inconstantia, immoderata fuerint, puta si Æstas humida sit, nequaquàm calida; Vere nix, aut grandines contingant, aliæque tempestates sibi ipsis pro more non respondeant, inconstantes, illegitimi, & mali judicii, oppositis planè de causis, morbi fient.

Unde autem boni, vel mali judicii signa petenda sint, inquisitione videtur dignum. Et quidem à symptomatibus potissimùm adjunctis, atque à coctione, vel cruditate illa facilè desumi poterunt. Symptomata enim leviora, vel morbo non dis-

sentanea, salutarem exitum portendere solent; graviora verò, & morbo dissimilia, periculosum denunciant. Coctiones etiam citò comparentes, nedum bonum, sed & brevi futurum Morbi judicium significant: Coctio siquidem prævalentem Naturam arguit, & Causam morbificam jam evictam, atque secretam, adeòque certam salutem portendit; unde Hippocrates 1. *epidem. sect.* 2. *Coctiones*, inquit, *judicii celeritatem, & sanitatis securitatem significant. Cruditates verò iudicationis sublationem, aut diuturnitatem, aut mortem, aut eorumdem recidivas.*

Cæterùm sententia hæc clariùs videtur expressa 2. *epidem. sect.* 1. unde desumpta est, his verbis: *In quietis, ac constantibus temporibus, & annis, tempestivè tempestiva præbentibus, boni status, & judicatu facillimi morbi fiunt. In inconstantibus verò, inconstantes; & qui difficulter judicantur.* At verò nedum frigus, ardorem, siccitatem, aut pluvias, in his considerandas præcipit, sed etiam Ventos, Ortus, & Occasus syderum, ut ex libro de *Aer. Aq. & loc.* memorat Galeno *in Comment.* de quo legatur Fuchsius hic *Annot. in Gal. Comm.*

Quæ verò in his locis Hippocrates commonuit, sanè experti sumus Anno 1690. in omnibus ferè ægritudinibus. Cùm enim ab ineunte Vere Tempestates sibi invicem succedentes inconstantes admodùm, atque intempestivæ processerint, nam ipso Vere algores, & imbres, Æstate pruinæ, nubes, grandines, & venti occidui, nobis frigorifici, potissimùm spirarunt. Ad Autumni principium, æstus ingens meridie, & Sole ad vesperam inclinante, mox noctu, & sub aurora frigus molestum, quod deindè circa finem, dum hæc scriberem, asperius percrebuit, vicissim flante nunc Borea, nunc Africo; morbi visi sunt, pauci licèt, sed varii, inconstantes, & illegitimi simul, atque fallaces, ac malæ judicationis. Sed & utero gerentes plerumque abortum passæ sunt: puerperæ vehementissimis doloribus vexatæ, vel interierunt, vel variis, atque inopinis symptomatum generibus fuere affectæ, vel saltem post diversas carneas moleculas excretas, tardissimè convaluerunt. Deliria quoque melancholica, tusses efferæ, dolores artuum contumaces, ac sæpius repetentes, febres malignę cum exanthematibus, & morbillis, capitis dolores, Cerebri hebetudines, & saniei ex aurium ductibus, vel è parotidibus eruptiones, aliæque similes ęgritudines populariter sunt grassatæ. Atqui Senibus potissimùm, & puerulis, hostilis fuit hic annus. Fructus quoque omnes debitam maturitatem non sunt adepti, atque uvæ præsertim acerbæ, ut etiam ad mensem Novembris perductas, tempus apud nos Vindemię novissimum, nondum dulcem, gratumque saporem nactas, in usum Vini colligere necessum fuerit.

APHORISMUS IX.

Autumno Morbi acutissimi, atque exitiales maxima ex parte. Ver autem saluberrimum, & minimè exitiale.

POstquam accidentia legitimorum, & constantium, atque illegitimorum, inconstantiumque temporum retulerit, comparat nunc Hippocrates, quæ Veri, & Autumno, veluti Temporibus mediis, contingunt, atque inquit in Autumno morbos magna ex parte acutissimos,

&

& exitiales fieri; Vere autem, vel nullos, vel salutares, minimèque exitiofos. Fert igitur judicium duorum Anni Temporum, quæ apud nos mediocria exiftimantur.

Non omnes eodem modo Tempus Autumni metiuntur. Nonnulli ex Prifcorum monumentis ab ortu Arcturi ad occafum Vergiliarum ejus limites definiunt. Alii cum Aftronomis circumfcriptum putant Æquinoctio Libræ, & hyberno Solftitio Capricorni. Agricolæ, & vulgus Hominum à primoribus imbribus Septembris inchoari, & ufque ad fuprema Sationis tempora protendi. Medicorum denique plerique, cum primùm inæquales viciffitudines caloris, & frigoris dies fubeunt, & quoufque frigus æqualiter in Aere confiftere videatur: idque cohærenter Hippocrati *hoc eodem libro to*.4. qui Autumnales ægritudines portendit à temporis inæqualitate, & inconftantia. Et fanè potior Caufa, cur Morbi in Autumno acutiffimi, & exitiales accidant, videtur effe illius viciffitudo, atque inæqualitas.

Quamvis autem vagari per Autumnum dicat morbos acutiffimos, qui fcilicet brevi finiantur, non tamen omnes, eo tempore evenientes, tales erunt, cùm & non rarò pleriq; in longius tempus protrahantur, ut ex *Aphor*.22. *hujus* clarè deducitur. Quamobrem adjecit fore etiam magna ex parte exitiales: quafi dicere voluerit, qui acutiffimi accidunt, plerumque in exitium terminantur; aut fi exitiofi futuri fint, in longum tempus haudquaquam protrahentur; & fi fortafsè diutiùs ferantur, vacabunt exitio, ut in quartanis, vel in quartanas definentibus febribus præfertim experimur. Verùm credere quoque licèt paroxyfmos dumtaxat ægritudinum in ejufmodi extrema morborum acutie voluiffe defignare, exclufa eorumdem remiffione, feù declinatione, quare cùm dixit acutiffimos fieri morbos autumnales, idem fermè intelligere voluit, ac citò ad augmentum illos pervenire: funt etenim morbi, qui tardè admodùm omnia quatuor tempora percurrunt, quales chronici funt: & alii, qui licèt tardum exhibeant principium, celerius tamen augmentum pertranfeunt, quemadmodùm videntur effe inflammationes, & abfceffus interni. Alii denique vix inchoant, ut ftatim ad augmentum, & ftatum deducantur, quemadmodùm Ardentes febres, & partium principalium ægritudines Lethargi, Apoplexiæ, atque de his videtur mentionem feciffe hoc loco Hippocrates, ftatuens morbos autumnales acutiffimos, ideft ejus fore conditionis, & naturæ, ut poftquam inceperint, ftatim augmentum acquirant. Et quidem fi exitiales funt, procul dubio declinatione carent, cùm certum fit apud omnes, lethales morbos declinationem non pertingere, fed vel in augmento, vel in ftatu interimere ægrotantes.

At verò adjectum eft *maxima ex parte*: nam non omninò, ac perpetuò mortem afferunt; quandoquidem in longius tempus perducti, ficuti acutiem amittunt, ita & perniciem: qua ratione obfervamus ægrotantes Autumno, fi mortem effugerint, longiffimam pati declinationem, fed tandem convalefcere.

Unde autem tanta acuties, & pernicies Autumnalibus morbis adveniat, hìc dubitare contingit. Major pars Medicorum incufat pravitatem humoris atrabilarii, eo tempore exundantis, qui cùm fuapte natura virulentus exiftimetur, morbos proindè lethales progignit. Alii ad im-

moderatum fructuum esum referunt, quibus ajunt plurima congeri in humanis Corporibus excrementa, atq; sanguinem generari valdè obnoxium corruptioni. Sed Galenus *in comment.* plures causas commemorat: Inquit enim *Autumno hoc in primis inesse, quòd eadem die aliquando calor, aliquando frigus percipiatur. Deindè æstivum subsequitur tempus, in quo multis quidem humores assati sunt, quibusdam verò, & vires sunt debilitatæ. Neque solùm hac ratione Autumnus malus est, sed etiam quia primùm quidem humores movebantur ad cutem, atque difflabantur; Autumno verò ab Aeris ambientis frigiditate truduntur, atque ad interiora impelluntur.*

Verùm qui Atrambilem insimulant, coguntur adhuc ejus humoris tunc geniti, ac prævalentis, causam referre; quam enim ab Æstate bilem naturalem adurente desumunt, non levioribus implicatur difficultatibus, quàm ipsiusmet atræbilis generatio; utraque autem fictitia est, fucati coloris specie Nobis imponens, ejusdem omninò aspectus interiùs extitisse. Verumtamen quo pacto se res hæc habeat, explicabimus *in Commentariis IV. libri*.

Qui præterea ab esu fructuum causam deducunt, Naturam ipsam rerum omnium opificem primam, atque supremam, infamare non verecundantur, quòd fructus procrearit, quo tempore in perniciem hominum conspirent, cùm tamen compertum habeamus, ipso quoque confirmante Galeno, opimari Rusticos, Agricolas, atque custodes Vinearum ab assiduo uvarum, ficuum, similiumque fructuum esu. Summo quippe consilio, atque divina providentia factum est, Arbores per Æstatem, & Autumnum fructus suos edere, ut humano forent usui, in alimentum ventribus tunc debilibus valdè accommodum. Atqui damna accidunt ex cibis solidioris substantiæ, & difficilioris digestionis, qui cum fructibus commiscentur, atque intemperanter, & intempestivè ingeruntur; unde cruditates, putrefactiones, atque ex his Vomitus, Lienteriæ, Choleræ, Diarrhœæ, Dysenteriæ, Febres, & alia mala exoriuntur.

Vicissitudo verò Aeris videtur quoque Verno Tempori convenire, cùm adhuc tum contingat è frigido in calidum Aerem mutari, neque minor mutatio sit frigoris in calorem Vere, quàm caloris in frigus Autumno.

Verumtamen quia Sol propiùs semper accedit nostro vertici, & dies efficit longiores noctibus, sensimque Aerem calefacit, quo congruentius vitæ fovendæ pro usu Respirationis utamur, propterea fit, ut salubrior sit mutatio frigoris in calorem Vere, quàm ea, quæ Autumno contingit caloris in frigus. Calore enim cuncta viventia evalescunt, & vigorantur; frigore verò hebetantur, & languent. Aer quoque, qui per æstatem tenuior, & laxior est effectus, confertioribus vaporibus adventante Autumno inficitur, imbribus, & frigore crassescit, ac densatur, unde perspirationes, inspirationesque non leviter interturbantur. Sed & Vere repurgantur in nobis humores, & leni quadam, atque insensibili fermentatione cuncta Viscerum fermenta impuritatum, superfluitatumque secretionibus reflorescunt, & sanguis ipse floridior redditus, atque vegetior, tum vivificandis, tum nutriendis partibus accommodatior evadit, & quemadmodùm Annum tum veluti repuerascere observamus, ita

V. Gal. 3. de tuend. valet. cap. 10.

ita Viventia quoque omnia repubescere, & novam videntur induere corporis habitudinem.

Non tamen cunctis Terræ habitatoribus idipsum eodem tempore evenire fatendum est; nam, ut anteà est notatum, cùm Nobis Zonam temperatam Septemtrionalem habitantibus Ver accidit, Sole perlustrante signa Arietis, Tauri, & Geminorum, aliis vel Æstas fit, vel Hyems, vel etiam Tempestas alia Autumno non dissimilis. Neque præterea indiscriminatim Ver omnibus saluberrimum fit, cùm in Ægypto mense Majo, vel ineunte Junio Epidemia quadam ægritudine Incolas illos affici contingat, qua, nonnisi *Gutta*, ut vocant, decidente paulò ante Nili inundationem, evadere datum est: Quæ namque Hippocrates protulit, non sunt adeò catholica, & immutabilia, ut alicubi saltem non fallant; quippe is ea, quæ vidit, ac pluries observavit, summa, qua decuit, ingenuitate, literis mandavit, ac Posteris in usum Hominum considerandа tradidit, quæ aut Locorum varietate, aut Temporum differentia, non mirum si varient. Constat namque diversis omninò dogmatibus tractari Medicinam apud Ægyptios, Chinenses, Japonenses, Tartaros, Americanos, quæ monumentis Hippocratis parum, vel nullimodè cohærent; cùm & his alii morbi, aliæque tempestates accidant, & alia quoque alimentorum, ac medicamentorum genera sint in usu. Nobis autem plerumque congruunt, quia in pluribus, immò ferè in omnibus cum Græcis, & Asiaticis convenimus, & quæ his accidere Hippocrates expertus est, planè cæteris Europæis nulla, vel modica varietate, in singulis Anni tempestatibus contingunt; At verò reliquis Terræ habitatoribus, sive Antæcis, sive Antipodibus, non item; sicuti nec aliis hinc procul dissitis, aut Soli, aut Ventorum, aut Ciborum, & potuum varietate, vel propter vitæ genus varium, differentemque ab incunabulis consuetudinem.

APHORISMUS X.

Autumnus Tabidis malus.

Exitiosum ægrotantibus dixit Autumnum præcedenti Aphorismo Hippocrates, nunc specialiùs Tabidis nocuum pronunciat, ut nedum acutos, sed etiam chronicos morbos complectatur, atque in exemplum ducat. Indefinitè autem Tabidos nominat, haud distinguens; qua Marcoris specie affectos velit; quocirca Galenus *in Commentario* habet: *utrùm verò illos solùm nominat Tabidos, quibus Pulmo est exulceratus; vel omnes quomodocumq; extrema confectos macie, non possumus conjectari*. Verumtamen τοῖς φθίνουσι, qua voce utitur Hippocrates, magis propriè significare videtur eos, qui ex affecto Pulmone maciem incurrunt. Plura namque Tabis genera memorat idem Hippocrates 2. *de Morbis*, & *lib. de Internis affectionibus*. Senilis una est, in qua absque ullo Pulmonis ulcere eiiciuntur purulenta, seu potiùs compacta, & phlegmatica excrementa, similia puri. Altera dicitur Dorsalis, in qua juxta dorsum, & spinam, sentiuntur titillationes quædam, veluti decurrentes formicæ: de alia huic congenere eruditum libellum nuperrimè edidit Franciscus Glissonius *de Rachitide* inscriptum. Tertia appellatur Pulmoniaca, quæ ex ulcere Pulmonis oritur, & primum sanguinis, mox puris excreatione ægros perimit.

V. ibi P. Salium, & Ronsseum in Epist.

mit. Aliæ quoque aliis in locis referuntur ab affectis, atque obstructis visceribus; Undè Celsus *libr. 3. cap.* 22. Hippocratis plerumque dogmata sectatus, & Atrophiam, & Cachexiam, præter Phthisim; atque alii Colliquationem, & Marasmum, tum torridum, tum frigidum dictum, ad Tabem, veluti ad genus retulere.

Ex his autem pessima procul dubio reputatur, quæ ulceratum Pulmonem sequitur, ac sputum purulentum, de quo idem Hippocrates in *Coacis prænotionib.* hæc protulit: *Quibus tabidis sputum in igne gravem nidorem olet, & capilli de capite fluunt, pereunt, & quibus in aqua Maris in æneo vase posita expuentibus, pus ad fundum sidit, brevi pereunt, & quibus Capilli defluunt, à profluvio alvi moriuntur.* Idipsum etiam animadvertit 5. *Aph.* 11. 12. & 14. Ex quo Celsus *lib. 2. cap.* 8. *in Tabe*, inquit, *sputum mistum, purulentum, febris assidua, quæ & cibi tempora eripit, & siti affligit, in Corpore tenui, periculum subesse testatur. Si quis etiam in eo morbo diutiùs traxit, ubi capilli fluunt, ubi urina quædam araneis similia supersidentia ostendit, atque in sputis odor fœdus est, maximèque ubi posthæc orta dejectio est, protinùs moritur, atque si tempus Autumni est, quo ferè, qui cætera parte anni traxerunt, resolvuntur.* Dicitur etiam *6. Epidem. sect. 7. Tabescentibus Autumnus malus. Malum item Ver, cùm fici folia Cornicis pedibus similia fuerint*: Quo nimirùm Tempore algorem spirat Favonius, & inæqualitatem in Vere parit.

Neque verò solùm his tabescentibus nocuus est Autumnus, sed etiam emaciatis quibuscumque. Pluries namque experti sumus à Diabete, ab ulcere Renum, ab obstructione inveterata, à doloribus Coxendicis, ab immodico hæmorrhoidum profluvio, similique ægritudine diuturna extenuatos Autumno periisse, vel etiam mense Martio, cùm inæqualitatem refert, atque vicissim modò calore, modò frigore, afflatu Ventorum vario, aer inficitur.

Cur autem Autumnus tabidis malus sit? Galenus *in Comm.* quia siccus simul, frigidus; & inæqualis est, inquit. At sibi ipsi, & Hippocrati contradicere videtur, ex 2. *Aphor.* 34. ubi dicitur: *in Morbi minùs periclitantur, quorum naturæ, aut ætati, aut consuetudini, aut Anni tempori magis congruit morbus. Calidæ enim naturæ*, subdit idem Galenus, *& ætati, & consuetudini, & tempori, & anni constitutioni, ac regioni, morbi calidiores sunt congruentes, frigidioribus verò frigidiores; eadem ratione & siccioribus sicciores, & humidioribus humidiores.* Sed & ob urentem siccitatem, Tabidi periclitarentur quoque Æstate; atque ob siccitatem simul, & algorem, magis Hyeme: At siccus Aer Pulmonis ulceri magnoperè prodesse consuevit ad saniem abstergendam, & ulcus consolidandum, ex eodem 5. *meth. c.* 12. qui propterea Tabiarum Aerem Pulmonis exulcerationibus conferentem scribit.

Potiùs ergo Tabidis nocuus videtur Autumnus, quia aerem sua inæqualitate perturbans, atque heterogeneis halitibus inficiens, in causa est, ut sanguis per Pulmones trajectus, atque cum eodem Aere commistus, magis, magisque indebita fermentatione exagitetur, & dissolvatur. Constat etenim sanguinem in tabefactis fluidum, dilutumque nimis fieri, atque muriatica quadam

acri-

acritate dissolutum, ineptum evadere partium nutricationi: cùm autem ambientis Aëris inæqualitate is graviùs afficitur, atque tot vicissitudinibus perturbatur, plane nedum Pulmonem ipsum, sed & reliqua alia viscera acriùs molestat, adaucta non minimùm præconcepta acritate, ac dissolutione. Atqui hæc longè graviora fiunt in Tabidis ex pure, & ulcere Pulmonis, cùm inquinatus, commotusque tàm repentè Aer proximiùs partem ipsam affectam pervadens, ulcus, pus, & circumeuntem sanguinem inficiat, undè majora procul dubio mala expectanda sunt. Per idem quoque tempus distillationes vagantur à compresso, gravatoque Aere, perspiratione m interturbante, & quodammodò coarctante glandulas, atque aquosos liquores per illas excurrentes; unde Catarrhi, Tusses, Gravedines; Sudor quippè per Æstatem uberrimus, omninò, vel magna ex parte supprimitur in Autumno, undè hos, aliosque graviores morbos parere solet. Modò si hæc nocent sanis, quàm acerbius oberunt tabefactis? His planè perniciosissimæ sunt istiusmodi alternationes, atque cujusvis generis vicissitudines, veluti carnibus, & sanguine consumptis.

APHORISMUS XI.

De Temporibus: Siquidem Hyems sicca, & aquilonia fuerit; Ver autem pluviosum, & australe, necesse est, Aestate febres acutas fieri, & lippitudines, & intestinorum difficultates, præcipuè verò Mulieribus, & Viris, qui natura sunt humidiores.

EAs in posterùm prosequitur Hippocrates Morborum constitutiones, quæ mutationes Temporum consequuntur, certa quadam, constantique serie sibi invicem succedentium, ut quemadmodùm ex Anno, si uniusmodi sit constitutionis, anteà scripserit consimiles futuras ægritudines, ita nunc ex illo per singulas tempestates vario, varias quoque, differentesque successuras prędemonstrat. Initium autem facit ab Hyeme, quam (cùm sicca, & Aquilonia est, eique Ver pluviosum, & Australe succedit) parituram ait in Æstate ægritudines acutas. Hanc sententiam sic Celso vertere visum est *lib.* 2. *cap.* 1. *si Hyems sicca Septemtrionales ventos habuit, Ver autem Austros, & pluvias exhibet, ferè subeunt lippitudines, tormina, febres, maximèque in mollioribus corporibus, præcipuè in muliebribus.* At verò libet illam ex *libro de Aere, Aquis, & Locis*, unde desumpta est, unà cum ejusdem ratione hìc transcribere, ut ex utriusque loci contextu mentem Hippocratis assequamur, *Si quidem Hyems sicca*, (ibi inquit) *& aquilonia fuerit, Ver autem pluviosum, & australe, necesse est, Aestate febres, & lippitudines fieri*. Et mox addit: *Cùm enim Aestas de repentè accedat, dum Terra adhuc humida est à Vernis imbribus, & Austris, necesse est æstum duplicatum esse, & à terra irrigua, ac calida, & à Sole urente, cùm ventres in Hominibus nondum constricti sint, neque Cerebrum resiccatum: non enim fieri potest, cùm Ver tale existat, ut Corpus, & Caro, non humore fluida fiant, adeòut febres acutissimæ in omnes irruant, maximè autem in pituitosos. At Dysenterias par est fieri, & mulieribus, & viris humidioribus. Et si circa Canis exortum accedat aqua, ac tempestas,*

stas, & Etesiæ spiraverint, spes est cessationis, & ut Autumnus salubris fiat; sin minùs, periculum est, ne & pueri, & mulieres moriantur, minimè verò Senes; & ne qui superstites evadunt, in Quartanas desinant, & ex Quartanis in Hydropes. Hæc ille.

At verò quamvis sententia hæc uberius ex libro *de Aer. aq. & loc.* explicata videatur, non tamen omninò difficultatibus vacat. Et quidem primò dubitare contingit, cur Hippocrates Hyemem voluerit considerandam in ægritudinibus eventuris in Æstate: si enim ægritudines acutas Æstate contingentes non aliundè deduxit, nisi ab humida Tellure ob imbres, & ventos austrinos in Vere, procul dubio satis erat notasse Vernum tempus pluviosum, & australe, nulla mentione facta Hyemis siccæ, & aquiloniæ. Verùm, quia ex sicca, & aquilonia constitutione hyemali tellus aridior effecta Vernis imbribus largiùs humescit, neque solùm superficie-tenus, sed altius in hiatibus, & voraginibus pluvias excipit, propterea fit, ut per Æstatem vapores inde elevati Aerem inficiant, & coinquinent, unde postmodùm ægritudines acutæ.

Cur præterea dixerit Hippocrates, necesse esse Æstate febres acutas fieri; fortè quia inevitabiles: quippe quod necessarium dicitur, inevitabile quoque est. Sed revera non adeò futura certò est ejusmodi acutarum ægritudinum constitutio, ut penitùs vitari non possit, cùm & insalubritas illa Aeris correctionem admittat. Neque audiendus Galenus, id asserens pronunciatum ab Hippocrate, veluti ex natura rei persuaso, & non ex observatione: Nam nulla convincens ratio apparet, quæ cogat isthæc omninò eventura. Sed & contrarium nuper experti sumus, ab hyberna tempestate sicca, & succedente Vere pluvioso, nullas per Æstatem extitisse ægritudines acutas, sed, quas anteà retulimus, medio ferè Autumno, etsi hujus initium fuerit æstuosissimum. Neque verò Hippocrates, quod scripsit, ex confictis ejuscemodi (ut Galenus ipse) argumentis colligere unquam ausus est, sed potiùs ex iteratis, accuratisque observationibus, quas fortassè etiam aliis à Vetustioribus habitis comparavit. His ergo solùm fisus, omissis fallacibus argumentis, ex necessitate dixit sic morbiferam futuram Æstatem, cùm Naturæ effectus plerumq; conformes esse soleant, ubi eadem ad illos gignendos concurrunt. Verùm quemadmodùm à Ventis Etesiis, & ab imbribus circa Canis exortum supervenientibus, spes est cessationis, ut ipse subdit; ita poterit ejusmodi constitutio aliis quoque de causis, vel infringi, vel aboleri.

Insuper cur dixerit à terra irrigua, & à Vernis imbribus duplicatum æstum fieri, cùm potiùs imbres, & terra humectata calorem, & æstũ temperare debeant, ex doctrina Aristotelis, & Galeni, qui volunt humidum, actione saltem indirecta, igni, & calori obsistere. Galenus pro more confugit ad putredinem, *habiles enim*, is inquit, *sunt humiditates modum excedentes, ad putrescendum*. Sed nimis inaniter; inde enim inquinari potest Aer; non incalescere. Potiùs ergo à vaporibus in Aere confertioribus æstus geminatur. Etenim cùm Aer crassior, & densior fit, radii Solis ad Terram trajecti, ex regulis Dioptricæ, magis intenduntur, & impensius nos feriunt; quin & incidentes in madidam Tellurem resiliunt, iterùmque deducuntur in Aera, unde tot, tantisque solaribus radiis,

diis, veluti fpiculis, nedum Aer ipfe exæftuat, fed & Animantes cunctæ urenti ardore molefte admodùm laceffitæ, graves, ardentefque fubeunt ægritudines, ut adhuc in rabiem fæpiffimè agantur, in iis præfertim Regionibus, quæ fuapte natura calidiores effe folent. Hinc autem contingit, ut ex Aere vaporibus confertiori æftum moleftiffimum patiamur, atque ab apparentibus per ipfum ftaminibus veluti in Aranearum telis futuros imbres coniicere foleamus, quos præfentientes quoque Anferes, & Anates impenfius obftrepunt, & præter morem volitant; mufcæ verò folito infenfiores fiunt, unde & ab his futurum imbrem Meteorologici præfagiunt. Eadem ex caufa loca quæcumque fluminibus, aut ftagnis circumvallata, aut propè paluftres aquas extructa, Æftatem patiuntur æftuofiffimam ab Aeris craffitudine, quæ non nifi à vaporibus cum illo plurimùm intermiftis exoritur.

Ampliùs, qua ratione fubjunxerit febres acutiffimas exoriri ab Auftris, & imbribus, quibus carnes molles, & humores fluidi, & aquofi fiunt: Immò Corpora potiffimùm pituitofa, ac Mulieres, & Viros humidiores affici doceat. Febres fiquidem acutiffimæ hìc præfagitæ potiùs picrocholos, & biliofos, quàm homines pituitofos corripiunt: pituitofi namque fucci diuturnas, & fpurias febres pariunt, ex Galeno 1. *Epidem.* & 2. *de differ. febrium*. Verùm hæc difficultas ficuti Galeni doctrinam vulnerat, ita Hippocratis dogmatibus fuffragatur. Hic enim nec ab humoribus febrium periodos deduxit, nec ab iifdem putrefcentibus febres pendere arbitratus eft, fed folùm à motu fanguinis perturbato, vel ab ejufdem recrementis vitiatis, atque in acidum, falfum, amarum, aliumve degeneratis, quemadmodùm exprefsè docet *lib. de Veteri Medicina*, ubi non propter calidum fimpliciter homines febricitare, neque hoc effe febrium Caufam, inquit, fed amarum, acidum, falfum, aliaque innumera. A commotis autem, turbatifque humoribus febres, cæterafque ægritudines acutas proficifci pluries repetit *lib. 4. de morbis*. Neque verò acutas febres hìc fieri dixit ab humoribus pituitofis, ut putat Galenus, fed futuras febres, aliafque ægritudines acutas ex Temporum inæqualitate, illafque magis fœminas, & humidiores viros afficere, defumpta fortaffis ratione, vel à majori horum Corporum impuritate, vel ob minorem ejufcemodi caufis alterantibus repugnantiam: funt etenim in his carnes molliores, laxior cutis, & fanguis ipfe hebetior, unde facilius alterationibus fubiiciuntur.

Poftremò, quare fpirantibus Etefiis fpem faciat ceffationis malę Tempeftatis æftivæ, caufa in promptu eft, quoniam Etefiæ Venti funt falutares, & fpirare folent quotannis ab exortu Caniculæ, quem & alii præcedunt prodromi dicti, quafi præcurfores. Inter cætera autem commoda, illud videtur præcipuum, quod ferenitatem afferant, & Aerem ab inquinamentis repurgent: participant enim boream, & nitrofam conditionem, valentem fuperfluitates humorum ab obefis, & muliebribus Corporibus abfumere, atque emendare. V. Plin. l. 2. c. 47. & lib. 37. c. 5. & Aul. Gell. lib. 2. cap. 18.

Cęterùm fpeciatim notavit Hippocrates ex proceffu iftiufmodi Tempeftatis non folùm febres acutas, fed & eventuras lippitudines, feù Oculorum Inflammationes, & Inteftinorum difficultates, græcè Dyfenterias. Acutæ febres non tam ab humore, quàm à loco, ubi is colligitur, & fermentefcit, exoriuntur; quippe

pe illæ non fiunt, nisi sanguis in citatiorem motum adigatur, ut seipsum exuat à compage alterius in arterias, & venas præter morem intrusi, aut etiam hærentis alicubi. Lippitudines verò non dissimiliter oriuntur à sanguine in adnata tunica restagnante ab impedito illius motu, qui per exiles ejusdem tunicæ arteriolas in venulas foret traducendus. Porrò ab importuna ejuscemodi Tempestate facilè crassescit sanguis, pori cutis obstruuntur, Cerebrum gravatur, hebetantur oculi, & universæ tunicæ mollescunt; unde hæc, & alia mala Caput lædentia, facilè est hominibus evenire, ut anteà idem Hippocrates Aphorismo V. animadvertit. Iisdem de causis contingit Dysenterias excitari; siquidem excrementa Corporis ea constitutione procul dubio cumulatiora, & succi dissolventes tum Ventriculi, tum Intestinorum nimiùm diluti, bene poterunt omnis generis profluvia per alvum conciere. Quò fit, ut Hippocrates referat fœminas potissimùm, & viros humidiores hisce alvi egestionibus infestari, quippe qui cæteris excrementosiores, mollioresque, pluviosa, & austrina constitutione magis offenduntur, præsertim in Ventris laxitate, veluti illum à natura nacti reliquis omnibus lubriciorem. Verumtamen his, aliisque ingruentibus ex hac tempestate ęgritudinibus expediet obsistere recto, convenientique usu ciborum attenuantium, parco potu, exercitiis ad sudorem usque promotis, & medicamentis cùm Caput, tum Ventriculum roborantibus.

APHORISMUS XII.

Si verò Hyems Australis, & pluviosa, (& serena) fuerit; Ver autem siccum, & aquilonium, mulieres, quibus partus in Ver incidit, ex quacumque occasione abortiunt: Quæ verò pariunt, imbecilles, & morbidos infantes pariunt, quare vel statim intereunt, vel tenues, & valetudinarii vivunt. Cæteris verò Mortalibus difficultates Intestinorum, & lippitudines siccæ fiunt; Senioribus autem distillationes, quæ citò interiment.

HIc etiam Aphorismus est desumptus *ex libro de Aere, Aquis, & Locis*, ubi fusiori sermone constitutionem hujusmodi describit, & ægritudines subinde futuras cum suis Causis enarrat. Sic autem exponitur à Cornario, & Cardano. *Si verò Hyems Australis fiat, & pluviosa, & clemens* (Cardano ex Veteri versione *tranquilla*, clariùs *placida*) *Ver autem boreale, & sicuum, & tempestuosum, primum quidem mulieres, quæ uterum gestant, & partus ipsis ad Ver instat, abortum facturas esse verisimile est. Quæ verò etiam pepererint, impotentes, ac morbosos pueros parere, itaut aut statim pereant, aut tenues, & debiles, ac morbosi vivant. Atque hæc quidem mulieribus, reliquis verò Dysenterias, & lippitudines siccas, & aliquibus defluxiones à Capite in Pulmonem. Pituitosis igitur Dysenterias fieri verisimile est, & mulieribus, pituita de Cerebro defluente propter Naturæ humiditatem. Biliosis verò lippitudines siccas, propter Carnis caliditatem, ac siccitatem. Valdè autem Senibus defluxiones propter raritatem, ac eliqua-*

quationem venarum, adeòut aliqui quidem de repentè pereant; aliqui verò semisiderati, aut dextra, aut sinistra parte fiant. Cùm enim Hyems sit australis, & pluviosa, ac calida, & Corpus non adstringatur, neque venæ, Vere accedente boreali, & sicco, ac frigido, Cerebrum postquàm ipsum dissolvi, ac purgari contigit à gravedine, ac raucedine, tunc simul cum Vere stabilitur, ac costringitur; quare repentè Aestate accedente, & ardore, ac mutatione contingente, hi morbi incidunt, & intestinorum lævitates, & aqua inter cus, ferè reliquis morbis desinentibus, superveniunt, quum non queant facile Ventriculi à concepta humiditate exiccari.

Quoniam ergo in *libro de Aere, Aquis, & Locis*, unde hic Aphorismus transcriptus est, expresse refertur Hyems Australis, pluviosa, & clemens, seu placida, non videtur expungenda vox hæc εὔδιος, licèt minùs aptè à Leoniceno *serena* exponatur; unde factum est, ut pleriq; nedum illam omiserint, sed acriter in eos Interpretes sint invecti, qui retinendam illam omninò voluerunt; quinimmò Cardanus ad confusionem omnium inquit, id pertinere; quamquam posteà putet, in libro de *Aere, aquis, & locis*, utrumque, *tranquillum* scilicet, & *tempestuosum*, veluti invicem opposita, bene convenire; in hoc autem Aphorismo neutrum. Ut ut autem res agatur, non tanti ea momenti est, ut vel mentem Hippocratis extorqueat, vel sententiam depravet, vel Causas morbosæ istius Tempestatis adulteret. Perindè enim est si dictio hæc adiiciatur, aut expungatur, & si clemens, tranquilla, placida, vel ut aliis placet, tepida, aut etiam serena exponatur, modò id retineamus, voluisse Hippocratem Hyemem ita constitutam, ut à rigida, & consueta sua conditione non minimum deflectat: Equidem Hyems, ob extremum Solis recessum à nostro Vertice frigorifica solet esse; at verò, ut morbiferam constitutionem hanc afferat, Australis simul, & pluviosa, atque à consueto rigore declinans, hìc ab Hippocrate expostulatur, quo nimirùm fiat, ut vices permutet cum succedente Vere, quod eadem de causa oportere siccum, & aquilonium esse is animadvertit. Cæterùm posse Hyemem placidam simul, & Austrinam haberi, fatetur idem Auctor 2. *epidem. sect. 3.* cùm inquit: *in Perinthum circa Solstitium ferè æstivum venimus; facta autem est Hyems clementi Cœlo austrina*, &c. Atqui passim in his nostris Regionibus ad Mare Mediterraneum positis experimur Hyemes tam placidas, clementes, & Austrinas simul, ut Vernum tempus referant. Placida autem, & clemens Hyems dicitur, cùm algida non est; Austrina verò, quæ australibus plerumque ventis, haudquaquam tamen impetuosis, & per sublimiora discurrentibus perflatur. Sed & Pluviosa quoque erit, si per intervalla imbres admittat exiguos, & fugaces. Aliter etiam Austrinam, & tranquillam Hyemem student alii compositam explicare, documento Galeni *lib. 3. epidem. sect. 3. comm. 1.* Annum tranquillum, & austrinum, ab Hippocrate ibidem memoratum exponentis, quem vide sis; Nobis autem suffecerit hæc breviter adnotasse.

V. Manard. l. 1. ep. 2. & l. 9 ep. 1. Fuchs. h. l.

Talem igitur exigere videtur Hyemem Hippocrates, quæ Cutis poros potiùs laxet, caput vaporibus repleat, & sanguinem dilutiorem, atque aquositatibus imbutum reddat, universumque Corpus molle, langui-

dum,

dum, & succiplenum efficiat, ut proinde, adventante Vere, frigorifico, & aquilonio, ob compressas, densatasque partes, detentis humoribus, & halitibus, fœtus in Utero gerentibus, & Viscera interiora in cæteris Hominibus graviter inficiantur. Neque enim à sola Hyeme Austrina, sed à succedente Vere aquilonio, prædicit Hippocrates futuros abortus in gravidis, aliasque ægritudines in Viris, cùm scilicet perspiratio interturbatur, & sanguis nequit convenienter repurgari.

At verò nec ista tempestatum indebita vicissitudo satis est, ut abortum provocet, sed tantùm disponit, ut is, quacumque alia de causa, vel interna, vel externa accedente, subsequatur; quamobrem tunc abortient Utero gerentes, cùm animi motionibus perturbatæ, aut immodicis exercitationibus commotę, aut laxiori victu, potuque usæ, cumulatas, ex præcedenti Temporum vicissitudine, detentasque humorum superfluitates, veluti consopitas excitent, & exagitent; unde Uterus, ejusque vasa laxentur, atque lubriciores viæ redditæ deponant, quod interius est reconditum. Hinc in Aphorismo adjectum est, ex quacumque occasione gravidas abortire, veluti quæ commoveat, agitetque excrementa, per Hyemem austrinam congesta, atque ab aquilonio Vere detenta, ut hæc commota, & agitata delaxent vasa Uteri, & abortum afferant. Contingit autem, fœtum potissimùm ab his labefactari, quia, tenerior cùm sit, facilè quascumque alterationes suscipit, & succumbit.

Quòd si Causæ istæ externæ desint, nullamque præbeant Utero gerentes ejuscemodi perturbationis occasionem, adeòque ad legitimum pariendi tempus perveniant, fore adhuc subdit Hippocrates, ut ipsæ partus edant imbecilles, & valetudinarios; quippe humores illi anteà cumulati, per partum fieri nequit, quin commoveantur, & commoti tenellum fœtum non inficiant, & perturbent. Sed & verendum valdè, nè per tempora partum præcedentia, ad Uterum cum fœtus alimento delati, teneras ejus partes etiam fœdaverint, & coinquinarint unà sanguinem; unde postmodum languor, & mala valetudo, vel etiam interitus statim à partu, cùm præsertim Aeri, per aquiloniam tempestatem algido, subiiciuntur.

Hæc speciatim de gravidis, atque enixis adnotat; Cæteris verò hominibus difficultates Intestinorum, & siccas lippitudines accidere subdit. Vocantur autem siccæ lippitudines, ut explicat *in Comm.* Galenus, quæ sunt sine fluxu, nam cum oculis illachrymantibus humidæ dicuntur. At verò lippitudines potiùs graciles, & picrocholos corripient; obesos verò, & humidos, intestinorum difficultates: quod & idem Hippocrates exposuit *c. lib. de Aer. aq. & loc.* inquiens: *Pituitosis igitur difficultates intestinorum fieri, verisimile est, & mulieribus, pituita de Cerebro defluente, propter naturam humidiorem; biliosis autem lippitudines siccas propter Carnis caliditatem, ac siccitatem.*

Denique Senioribus accidere ait distillationes, quæ citò interiment. Has autem non simplices esse, quales ad os, & nares, feruntur, manifestè deducitur ex eo, quòd hìc in textu subiicitur, citò interimere; & clariùs explicatur *c. lib. de Aer. Aq. & loc.* ubi *propter raritatem, & eliquationem venarum* ejusmodi defluxiones in Senibus fieri dicitur, quibus *aliqui repentè pereant, & alii semisiderati dex-*

dextera, aut sinistra parte fiant. Modò etsi defluxiones, distillationesque in Senibus difficulter concoquantur, non tamen repentè interimere solent, aut siderationem afferre. Quare putandum, ex aquilonia tempestate Cerebrum, per Hyemem Austrinam humoribus aquosis, & crassis repletum, quodammodò comprimi, ejusque ductus, atque emissaria impediri, quo minùs valeat seipsum ab hisce superfluitatibus repurgare, quæ propterea ex vitio per moram, & per frigidum aerem contracto, si principium nervorum, & nervos ipsos occupent, Apoplexiam, vel Hemiplexiam afferent; si verò venas, aut Vasa lymphatica subeant, lęvitates Intestinorum, & Hydropes, similesque alios morbos parient; ut ipsemet prosequitur *cit. lib. de Aere, Aq. & Loc.* quin & si in pulmones decumbant, & Cordis vascula pervadant, citò etiam interiment. Hæc autem facilius videntur Senioribus evenire, quippe qui distillationibus obnoxii sunt, & Capite, ac pectore prælanguidi, ambarum partium ægritudinibus sæpenumero laborare solent.

Quoniam verò hęc mala Senioribus accidere inquit, verisimile admodùm est prænotata Juniores arripere; quamobrem rationi consentaneum videtur, non solùm pro ætatum diversitate, sed etiam pro cujusque varia constitutione, & Corporis habitudine, vitaque anteacta, diversimodè cùm viros, tum fœminas, tum Juvenes, tum Senes, tum pingues, tum macilentos, ab ejusmodi Tempestate laboraturos, iis verò præsertim in partibus, quæ affectæ, debilesque fuerint.

Num autem ægritudines hìc ab Hippocrate recensitæ, ipso quidem Vere, an verò succedente Æstate futuræ sint, non convenit inter Expositores. Verùm cùm in Aphorismo dicatur: *quibus partus in Ver incidit;* Et *in lib. de Aer. aq. & locis* scriptum sit: *Primùm quidem mulieres, quibus partus ad Ver instat:* planè fateri oportet, abortus, & funestos exitus infantum, ipso verno tempore eventuros: si enim supervixerint, interitus periculum evasi, atque usu lactis perpurgati conceptam in Utero malitiam futurum ut deponant, & salubriorem induant constitutionem; Multùm enim ad id valet, nec non ad permutandas naturas, ac mores ipsos, proba lactis conditio, ut alias ostendimus. Celsus etiam *lib. 2. cap. 1.* hanc Hippocratis sententiam interpretatus sic habet: *si Austri, pluviæque Hyemem occuparunt; Ver autem frigidum, & siccum est: gravidæ quidem fœminæ, quibus tum adest partus, abortu periclitantur; hæ verò, quæ gignunt, imbecillos, vixque vitales edunt.* Quibus planè ostendit, fœminas ipso Vere parientes periclitari. Cæteræ verò ægritudines, aliis contingentes, pro Corporum, & habituum varietate, poterunt in sequentem etiam Æstatem protendi, & populariter grassari; Sed enim tunc potissimùm morbi inde provenientes observabuntur, cùm superfluitates humorum detentæ viscera opprimunt, & inficiunt; istæ verò non nisi ex aquilonio Vere detinentur, adeòque tunc ægritudines parient, citiùs tamen, vel serius, pro Corporum varietate, & humorum superabundantium dispositione. Si autem ad Æstatem usque protraherentur, facilè possent æstivo calore attenuari, dissolvi, atque etiam per sudorem educi.

Quid postremò agendum sit, ut, quoad fieri possit, ejusmodi calamitatibus occurratur, breviter referamus.

mus. Et quidem si ab inquinamentis, & aquositatibus detentis, hæc mala imminent, ratio dictare videtur, illis potissimùm repurgandis incumbendum, indicta quoque diæta, quę valeat sanguinem puriorem progignere, Capite una simul, & Ventre roboratis. Quamobrem cibi vitentur humectantes, atque obstruentes, potus rerum gelidarum, somnus immoderatus; ipseque Aer aquilonius, & frigorificus, & quæcumque possunt sanguinem obtundere, & perspirationem impedire. Venter in Utero gerentibus præsertim assiduò foveatur aromatibus, ac sæpè etiam tum is, tum lumbi spiritu vini purissimo, tinctura Kermes; necnon Emplastro Comitissæ dicto, de crusta panis Montagnanę, aliisque roborentur, cavendo ab his, quę vel bene, vel malè olent, itemque trepidatione, saltu, ac vehementibus animi pathematis. Succum Astaci contusi, & expressi cum Vino semel, aut bis, singulis mensibus exhibitum ab abortu præcavere scribit Hartmanus. E Vitriolo romano ad Solem in calcis formam redacto, atque pelle Arietina acu pertusa incluso, instar Zonæ, lumbis gestato, præcautas ab abortu plerasque prægnantes vidi, quibus levi quacumque ex causa is aliàs accidisset. Idipsum haberi à Magnete adnotat Helmontius *de Magnet. vuln. curat.*

Infantes jam editi, si debiles videantur, præter fotus externos, vegeto lacte ex sanis nutricibus alantur, & oleo macis perungantur, stomacho, & spina, atque intereà detineantur in locis calidis, ut Aeris inclementiam evitent.

Cæterùm in aliis proderunt, quæ cumulatos humores educunt, sudores movent, & Ventriculum, ac Cerebrum roborant, servata intereà convenienti diæta, pro Corporum affectorum diversitate.

APHORISMUS XIII.

Si verò Aestas sicca fuerit, & Aquilonia; Autumnus verò pluviosus, & Australis, dolores capitis vehementes ad Hyemem fiunt, & tusses, Raucedines, atque Gravedines, quibusdam autem & Tabes. V. lib. de Aere, aq. & loc.

A Constitutionibus Tempestatis hyemalis, & vernæ, æqualitatem non servantium, transit Hippocrates ad alias duas Æstivam, & Autumnalem examinandas, cùm suas quoque patiuntur alterationes. Primùm itaque considerat ea, quæ contingunt ex Æstate sicca, & aquilonia, superveniente Autumno pluvioso, & Australi. Cùm autem inquirit Constitutiones Æstatis, & Autumni, nullam rationem habet Veris, & Hyemis, fortè quia existimat eas suas habitudines servasse, adeòque pręcedentes memoratas vicissitudines haudquaquam subiisse, ne scilicet quis ea ratione putaret ex Æstate sicca, & aquilonia, atque Autumno pluvioso, & australi, una cùm inæqualitatibus reliquarum duarum tempestatum, futuras esse ægritudines, quas hìc in Hyeme succedente recenset. Quare sicuti bina ibi, sic & hìc duo solùm inter se comparat Anni tempora vicissim permutata.

Inquit itaque: *si Aestas sicca fuerit*, ideſt plusquam naturalis illius conditio esse consuevit, atque adeò, vel ob imbrium inopiam, quibus non raró humescere solet, vel ob ventos boreales per idem tempus spirantes, omnemque Aeris humorem absumentes, vel denique, si Etesiæ, Venti anniversarii, Aeris æstum quotannis

nis temperantes, fortasse per Æstatem non spirent, ita sanè dies Caniculares, procul dubio fervidiores observabuntur, ut & Tellus ipsa, præ nimia ariditate, plures in hiatus diducatur. His quoque de caussis siccum Aerem appellamus, cùm vaporum est expers, & pluviis caret; ac ventis vapores, & nubes dissipantibus percellitur. Hinc idem Hippocrates adjecit, *si sicca fuerit*, *& aquilonaris:* sicca planè, à perflantibus Ventis aquilonaribus. In hanc eamdem sententiam concessit Celsus *lib.2.cap.1.* qui sic Aphorismum latinè vertit: *si sicca Aestas aquilones habuit*, *Autumno verò imbres*, *Austrique sunt*, *tota Hyeme, quę proxima est, tussis*, *destillatio*, *raucitas*; *in quibusdam etiam tabes oriuntur.*

Siccam, & Aquiloniam Æstatem si Autumnus exceperit pluviosus, & Australis, ad Hyemem, inquit, dolores capitis vehementes fieri: Non enim satis est Autumnum fore pluviosum, sed Australem pariter esse oportet; quandoquidem solent pluviæ per Autumnum ingentes fieri, præsertim sub ortu Arcturi, & Plejadum occasu, quæ tamen absque Ventis austrinis, sed plerumque cum occiduis contingunt; ut propterea peculiarem habendam voluerit rationem ventorum Australium, qui majora, quàm imbres, damna nobis incutiunt: hi enim sæpissimè simplices, ac tempestivi, non leve emolumentum cunctis animantibus afferunt, ipsomet Autumno, vel ineunte, vel vigente, si præcipuè ferantur à Ventis salubrioribus: At verò cùm Ventis Australibus, omninò nocent; quippe Austri infestissimi sunt, ex superiùs traditis. Quamobrem non immeritò conjunxit Hippocrates pluviosam simul, & Australem Autumni tempestatem, qua scilicet Caput gravetur, & destillationes promoveantur, cum pulmonis læsione.

Dolores Capitis, qui exindè portenduntur, dicuntur esse vehementes, quoniam ex imbribus, & Austris Autumnalibus Caput multis humoribus, aqueisque succis repleri contingit, qui per meninges, cæterasq; partes nervis contextas diffusi dolores pariunt.

Atqui fieri potest, ut ab humentibus succis, & ab aquositatibus dolor excitetur, isque vehemens, ut hìc advertit Hippocrates? cùm tamen ex doctrina Galenicorum humida intemperies dolorifica esse nequeat, veluti quæ potiùs hebetet, & obtundat, atque sola corpulentia gravet, quàm molestum sensum inferat, qui est illis Dolor.

Verùm si molesta in sensu Tactus perceptio dolor est, quæcumque vim habent poros Corporis scindere, dilatare, contrahere, aut aliter à consueto situ distorquere, poterunt quoque dolorem inferre, & eo vehementiorem, quo violentius afficient. Modò humores cujusvis generis id præstabunt, si malitia pungant, scindant, erodant; si multitudine comprimant, distendant, ac dirumpant; si motu affatim irruant, vel interciso cursu alicubi hæreant. Porrò aquosi humores per pluviosam, & Austrinam tempestatem in Capite collecti, ob salsilaginem, aut acritatem subindè contractam, & multitudine, qua sunt cumulati, & violentia, qua sunt intrusi, vellicando, distendendo, opplendo, & tumefaciendo, dolores vehementissimos incutient. Sed etsi nullum suapte natura dolorem excitarent, saltem perspirationem, & circumfluum sanguinem, si sola corpulentia impediant, & retardent, nocui, & molesti partibus erunt, adeò-

que doloris Causam dantes dolorifici evadent. Sed enim Vasa lymphatica, quæ multa per Caput circumquaque feruntur, & Cerebri corticem, ac Meninges perreptant, plurimùm aquosis ejuscemodi superfluitatibus, per Austrinam tempestatem à sanguine refluis, oppleri observantur; itemque glandulæ Corporis universæ iisdem imbibi, quæ deindè à superveniente frigore hyemali compressæ hæc eadem, & graviora mala progignent, corruptiones, Tabes, Hydropes, tumores. Hinc autem contingit desinere non raro vehementes, ac diuturnos ejusmodi Capitis dolores spontina è naribus hæmorrhagia, vel sanie ex auribus prodeunte, aut acriori ex iisdem naribus destillante, vel per poros Cutis, aut in vias urinarias prolabente, post acutas febres de genere earum, quas Galenus vocavit ardentes spurias.

Eadem ratione, & Tusses per Hyemem aderunt, & Raucitates, & Gravedines, prout aquosi humores, vel pectus, vel guttur, vel nasum occupaverint. Siquidem Cerebrum, magnæ glandulæ ab Hippocrate comparatum, cùm aquositatibus repletum hyberno deindè frigore constipatur, & quodammodò costringitur, si protrudat in Nares, Coryzam, si in Guttur, & Asperam Arteriam, Raucitatem, si in Pectus, & Pulmonem, Tussim ingenerabit, aliasque etiam ægritudines, pro vario in alias partes vitiosorum humorum illapsu. Has autem solummodò Hippocrates memoravit, veluti eas, quæ partes Cerebro proximiores affectas denotant, promptiusque cum eodem laborante compatientes, & per glandulas attiguas, excurrentes, vel stagnantes humores solitas excipere.

Denique in fine Aphorismi additur: *Quibusdam autem & Tabes.* Verùm de qua Tabe intelligat, potest etiam hìc dubitari. Et quamvis de quacumq; extenuatione exponi possit; attamen cohærebit magis Hippocratis menti, si ea speciatim explanetur, quæ Pulmoniaca appellatur: siquidem in textu græco scribitur *phthisis*, quæ propriè Pulmonis affectio est, & verisimilius induci videtur ex pluviosa, & Austrina Autumni tempestate, qua nedum Caput, sed etiam Pulmonem superfluitatibus aqueis repleri contingit, ac postmodùm illarum repurgationem impediri à superveniente Hyeme Pectori potissimùm, & Pulmoni inimica. Quamquam autem humores isti in pulmonibus hærentes sæpenumero acritudinem, acorem, vel salsedinem contrahant, etiam ex vitiato partis alimento, & ex consimili conditione, quam sortiri solent detenti halitus, ac vapores è toto Corpore expirantes, itemque sudores, & urinæ; nihilo tamen minùs consueverunt adhuc omni malitia exuti sola corpulentia, si diutiùs restagnent, non leviter Pulmonem inficere, & Tabem, ac Phthisim inferre. Unde Hippocrates 7. *Aphor.* 38. *Destillationes*, inquit, *in Ventrem superiorem*, (idest in Thoracem), *suppurantur intra viginti dies*. Ubi cùm usus sit græca voce *Catarrhi*, profectò ab humoribus vulgò pituitosis dictis, seù lymphaticis, illas pendere existimandùm.

Qui autem isti sint, quos Tabes ex hac Constitutione sit vexatura, Hippocrates tacuit. Profectò non omnes eo morbi genere affectum iri liquet, ex dictione, *Quibusdam*, qua aliquos dumtaxat Tabe laboraturos indicatur. Galenus *in Comment.* interpretatur, *qui ad hunc morbum apti natura sunt, utpotè qui angusto sunt pectore, & quibus à Capite*

ad

ad Pulmonem fluxio defertur. Sed clariùs ex eodem Hippocrate 1.& 3. *Epidem.* videntur esse, quibus scapulæ instar alarum sunt exporrectæ, pectus angustum, collum oblongum, caput magnum, ut in gracilibus, qui sanguinem natura nacti sunt acriorem, tenuioremque, modico glutine, & multo sero scatentem; unde cùm à præcedenti tempestate pluviosa, & australi, Pulmones, & Cerebrum abundantiori sero perfundantur, facilè in Tabem incidunt, labe nimirùm per sanguinem illata. Harum imminentium ægritudinum præcautiones ex anteà traditis facilè innotescent, præterea, quæ inferiùs afferemus.

APHORISMUS XIV.

Si verò Aquilonius, & siccus, iis, qui naturam habent humidiorem, & mulieribus conferet; reliquis autem erunt lippitudines siccæ, & febres acutæ, & diuturnæ; nonnullis verò morbi melancholici.

APhorismus hic præcedenti adnectendus est, ut ex utroque unica sententia colligatur, veluti serie quadam continuata plures in unum locum transtulit Celsus *c. lib.2. cap.1.* qui postquam ægritudines ex Æstate aquilonari, & Autumno austrino ex eodem Hippocrate commemoraverit, statim subjunxit: *sin autem Autumnus quoque æquè siccus iisdem aquilonibus perflatur, omnibus quidem mollioribus corporibus, inter quæ muliebria esse proposui, secunda valetudo contingit; durioribus verò instare possunt aridæ lippitudines; & febres partim acutæ partim longæ, & hi morbi, qui ex atrabile nascuntur*; quin & Hippocrates ipse *cit. lib. de Aere, aquis, & locis*, uti præcedentis appendicem hanc eamdem sententiam his verbis describit: *Quòd si Borealis sit Autumnus, & siccus, & neque sub Arcturo pluviosus, confert pituitosis natura, & maximè his, qui humidi sunt, & mulieribus; biliosis autem infestissima est hæc constitutio: valdè enim exsiccantur, acciduntque eis lippitudines aridæ, & febres acutæ, ac diuturnæ, & aliquibus bilis atra; siquidem quod liquidissimum, & aquosissimum in bile est, consumitur: densissimum verò, & acerrimum remanet: quod idem accidit, secundùm eamdem rationem, sanguini, unde hi morbi his accidunt*. Unde sic affectum Autumnum succedere Æstati pari modo siccæ, & aquilonari anteà descriptæ, manifestissimè demonstrat, ut ex contextu ejusdem loci liquidò patet. Ejusdem quoque sententiæ est Galenus, qui in *comm. hujus Aphorismi, Apparet*, inquit, *sermonem nunc habitum non esse integrum Aphorismum, sed partem secundam unius Aphorismi, cujus priorem partem nuper, seù paulò ante destitimus explanare*. Conferendus his item est Aristoteles, qui *lib.1. problem.11.* Causam secundæ valetudinis in mulieribus, & pituitosis, ex sicca, & aquilonari Æstatis, & Autumni constitutione inquirit. Et mox *probl.12.* cur biliosi exindè infestentur, examinat, continuata omninò oratione, sub eadem Æstatis, & Autumni sicca, & aquilonia tempestate.

Confert autem sicca hæc, & aquilonaris constitutio Corporibus humidioribus, absumptis nimirùm, vel compressis, deductisque ad vias urinæ aquosis superfluitatibus, quibus illa, ut & muliebria, superabundant; Cæteris verò, ideſt biliosis, ut idem Hippocrates explicat, sive, ut ma-

mavult Celsus, durioribus corporibus infestissima est hæc sicca Temporis constitutio, quæ illa magis extenuat, exsiccat, & obdurat; quinimmò aridis lippitudinibus, & febribus acutis, ac diuturnis afficit: acutis quidem, quibus sanguis, & bilis ipsa tenuior, acriorque fit; diuturnis verò, quibus acidior, & consistentior, pro aliarum rerum nonnaturalium usu vario, ab ejusmodi Corporibus anteà servato; unde adjectum est in Aphorismo, *nonnullis etiam Morbi melancholici*: Cujus rationem idem Hippocrates *cap. lib. de Aere, aq. & loc.* afferens, inquit: *quod liquidissimum, & aquosissimum in bile est, consumitur, densissimum verò, & acerrimum remanet; quod idem accidit secundùm eamdem rationem & sanguini; unde hi morbi his accidunt*. Quemadmodùm autem picrocholis, & gracilibus anteà dixerat acutas febres, & lippitudines siccas evenire; ita nunc durioris texturę Corporibus, & sanguinem nactis consistentiorem, Morbos melancholicos, puta scirrhos, affectiones hypochondriacas, deliria melancholica, idque genus alia accidere portendit.

Hæc quippe longè notiora sunt, quàm ut fusiori egeant explanatione. Verùm quod de longis Gravedinibus à quibusdam memoratur, penitùs non consonat: nam quæ unquam ratio afferri poterit, quæ suadeat longas Gravedines ex Æstate, & Autumno siccis, atque aquilonaribus, futuras? cùm per ejusmodi exarefacientem tempestatem, si quæ in Corporibus humidæ superfluitates collectæ erant, satis, superque extenuari, consumi, & egeri possint. Quocirca nec illarum, nec alterius humidæ ægritudinis, ne verbum quidem fecit Hippocrates, *in lib. de Aere, aquis, & locis c.* Sed & neque diligentissimus sententiarum ejus Compilator Celsus, qui sic locum hunc, ut anteà dictum, est rectissimè interpretatus: *durioribus verò instare possunt, & aridæ lippitudines, & febres partim acutæ, partim longæ, & hi morbi, qui ex atrabile nascuntur*. Quamobrem jure optimo Fuchsius existimat *librarium errore quodam*, Κόρυζαι *scripsisse, pro* πολιχρονίο, *quòd ab una in aliam dictionem facilis sit lapsus*. Neque verò his contentus Cardanus, hanc errandi Causam Galeno adscribere non veretur, cùm inquit: *Galenus suo more, legit in utroque textu Gravedines, seù* Κόρυζαι, *& utriusque omittit expositionem: Gravis, & accuratus certè Expositor, dignusque pro quo quidam tantùm digladientur*. Et paulò ante scripserat: *legi debet. Et diuturnæ: non Gravedines. Litera enim græca corrupta erat ex* Πυρετοὶ ὀξέες χρονικαὶ *pro* Κόρυζαι.

V. Fuch. h.l qui alia plura in idem argumentum congerit.

At verò cur eam hìc omiserit Hippocrates constitutionem, quam *eodem libro de Aere, aquis, & locis* inter jam relatas descripserat, ex Æstate nimirùm pluviosa, & austrina, similique Autumno, indeque futuram Hyemem morbidam, pituitosis quidem per febres ardentes spurias dictas, biliosis verò per costarum, & pulmonis inflammationes, non est facilè divinare: sicut pariter cur alias temporum conjugationes deseruerit quas Galenus comminiscitur, atque artificiali schemate effingit Cardanus, pluribus identidem in eumdem Galenum invectus, de Regionibus temperatis, & de ordine temporum ex ortibus, & occasibus stellarum. Verùm credere licet voluisse has solùm veluti in cæterarum exemplum Hippocratem afferre, ut inde discerent

V. Gal. 1. epidem. constit. 1 comm. 1. & 3. epid. constit. 3.

Me-

Medici, qua de caufa ipfemet fcripferit initio hujus Libri Temporum mutationes morbos parere. At quid eft, quod nobis mortalibus non officiat? Currant, procedantque Anni, Annique tempeftates, ea feriè, ea falubritate, quam fibi fingit Heurnius, fortè Homines non ægrotabunt, non obibunt? Aer ipfe, quem affiduo in ipfiufmet vitæ tuitionem infpiramus, nobis nocumento eft: Cibo, quo vefcimur, gravamur: Aqua fiti fedandæ peraccommoda, fi frigidior debilitat, fi abundantior opprimit, fi importuna delaxat: Vino reficimur, exacuimur, amiffumque refumimus vigorem; Sed & dolemus, inebriamur, ftupefcimus: Somnus, qui feffa membra levat, otium parturit, hebetat Cerebrum; & Vigilia, quæ fpiritus, & fanguinem acuit, infirmat. Sed & quo tempore re quapiam delectamur, faftidimur; & gaudium ipfum, tam nobis optabile, & jucundum, fępiffimè exanimat; nec ulla res eft, quæ profit, quin ex adverfo ftatim, ~~& ultro~~, non obfit. Quamobrem ruimus adhuc in ægritudines, & in Mortem, etfi Anni tempeftates profperè, falubriterq; procedant: *Quotidie enim morimur*, inquit Seneca, *quotidiè demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque cùm crefcimus, vita decrefcit, & hunc ipfum, quem agimus diem, cum morte dividimus*. Et alter Tragicus

Not. fuper 11. aphor. V. etiam Hipp. de Aer. aq. & loc.

V. Sen. epift. 24.

Vbique mors eft, optimè hoc cavit Deus:
Eripere Vitam nemo non homini poteft;
At nemo Mortem: mille ad hanc aditus patent.

APHORISMUS XV.

Ex Anni autem Conftitutionibus (in univerfum) ficcitates imbribus funt falubriores, & minùs mortiferæ.

CUm fuperioribus Aphorifmis diverfas Temporum Conftitutiones retuliffet, eafque tum ficcas, & aquilonias, tum pluviofas, & auftrales, ex quibus ægritudines varias imminere dixit; nunc omnes fimul unico, fed generaliori Aphorifmo, inter fe comparans decernit, ficcitates femper imbribus effe falubriores, minufque mortiferas. Et generatim inquit, (modò fi cætera ex æquo procedant) ficcæ conftitutiones pluviofis funt falubriores. Aer enim fuapte natura talis eft conditionis, qualem Animalium vita videtur exigere; quocirca fi ex imbribus humidior evadat, ficuti ad complura Vitæ munia, prefertim ad fanguinis floriditatem, & Pulmonis perpurgationem erit ineptus, ita morbis inducendis materiam fuppeditabit: atqui fæpiffimè quoque ex humefcente fanguine, & aquofis fuperfluitatibus ægrotamus, quæ nec regi, nec exactè confici queunt, cùm fanguinem hebetent, vifcera infarciant, & inquinent, & non raro in quafdam partes vitæ magis neceffarias delatæ morbos afferant immedicabiles. Sed præterea Aer imbribus, & ventis auftralibus immodicè humefactus, & craffior effectus, non modò obeft, dum infpiratur, fed etiam contactu fuo impedit, quo minùs infenfibilis perfpiratio rectè procedat, ut anteà quoque monuimus. Contra verò ejufcemodi humore vacuus, & infenfibilem perfpirationem adjuvat, & meliùs internas fuperfluitates è fan-

guine absorbens per Pulmones expiratione repurgat; unde experimur nedum siccas Temporum constitutiones, sed etiam Regiones, in quibus Aer tenuior, & siccior est, salubriores omninò esse iis, quæ humidiorem, & crassiorem illum sunt sortitæ.

At plura adversùs hanc Hippocratis sententiam pugnare videntur. Primò, quia Vita ex Aristotele dicitur, *Mansio Caloris in humido*; quamobrem videtur salubrior statuenda humida Anni constitutio, veluti Vitæ congener, neutiquam sicca illi contraria. Hinc Senes idcircò ad interitum festinare dicuntur, quia per ætates, ficciores semper fiunt. Deindè, quoniam ex Hippocrate 1. *Aph*.16. Victus humidus commendatur Pueris: Pueri autem humidi sunt, utque in eadem humida natura conserventur, humidus victus illis præscribitur. Præter ea, hoc eodem 3.*Aph*.9.dicitur, in Autumno exitiales morbos fieri; Ver autem saluberrimum esse, & minimè exitiosum: atqui Ver humidum est, Autumnus verò siccus, ut propterea Tabidis nocuus dicatur. Insuper. Pueritia omnium ætatum optima censetur, quia humida; Senectus autem pessima, quia sicca. Tandem, propria Aeris qualitas, & Natura, humida ponitur; igitur humida, & non sicca constitutio, veluti salubrior anteferenda est, cùm per illam Aer in suo naturali statu servetur.

Verùm hęc facillimè diluuntur iisdem planè Criteriis Aristoteleis, Galenicisque. Et quidem Vitam egere humido dicemus, sed proprio, consentaneo, & alibili, ut idem Aristoteles advertit, non autem extraneo, incongruenti, & aqueo, quo potiùs illa extinguitur, quàm foveatur; quocirca Vita comparatur ab eisdem flammulæ, quæ oleo eget, ut conservetur: Modò Hippocrates hìc humidum ex imbribus externum insalubre ait. Humidum victum, ideft liquidum, & potabilem pueris febrientibus Hippocratem commendasse in commentario illius Aphorismi cum Heurnio exposuimus: Etenim is non vult alendos esse febricitantes cibis duris, solidisque, sed potabilibus, juxta ea, quæ *Aphor.* 11. 2. clariùs explanavit. Autumnus non siccitate, sed summa vicissitudine exitiosos morbos parturit, ut suo loco dictum est. Et Senes ad interitum festinant ab effœto sanguine, & à Viscerum languore. Sed etsi ex siccitate mors contingeret, illa extrema esse debet, quæ vitæ fomitem exhauriat; secus verò, quæ moderata est, & externa, superfluum humidum absumendo, vitæ potiùs opitulatur, quàm adversetur. Postremò Aer sua natura nec calidus, nec frigidus, nec humidus est, sed fluidus, & permeabilis, cujuscumque alterationis suscipiendæ capax, atq; tunc solùm à sua naturali conditione desciscere videtur, cùm nimiùm densatur, & crassescit, vel plus justo rarescit, & distrahitur, ut proindè immobilis, ac impermeabilis evadat, quemadmodùm Florentinis, & Boylæis experimentis jam satis innotuit: sic enim præter naturam affectus vim patitur, & Animantibus cunctis infensissimus fit, ut etiam illas vita privet.

Constat ergo siccitates esse imbribus salubriores. Sed cur etiam minùs mortiferæ sint, cùm cæteroqui dictum sit in siccitatibus febres acutas fieri? Cardanus distinguit febres acutas à morbis acutis, & ex 1. *epid. Constit*.1.& 2.*epid.sect*.3. colligit, acutas febres magna ex parte non esse mortiferas, quemadmodùm vel ex

Ter-

Tertianis intermittentibus deducere est. Verùm hujus Ratio petenda est ex Aphorismo sequenti.

APHORISMUS XVI.

Morbi in pluviarum multitudine magna ex parte fiunt, febres longæ, alvi profluvia, putredines, morbi Comitiales, & Apoplexiæ, & Anginæ. In siccitatibus autem Tabitudines, lippitudines, articulorum dolores, stillicidia urinæ, & difficultates intestinorum.

UT quisque Rationem præcedentis Aphorismi deducat, enarrat hoc loco Hippocrates ægritudines, quæ ex multis imbribus, & quæ ex siccitatibus oriuntur: ex his namque inter se invicem comparatis facilè innotescit, longe graviores esse, quæ in imbribus, quàm quæ in siccitatibus contingunt. Hinc plerisque visum est, & præsertim Heurnio, ità ex græco in latinum sermonem hunc vertere: *Namque assiduis imbribus, qui Morbi incidunt, hujusmodi ferè sunt febres diuturnæ*, &c. Quare consentaneum videtur voluisse Hippocratem, argumento à morbis ipsis per ejusmodi tempora vagantibus desumpto, præcedentem Aphorismum demonstrare, quod minimè advertit *in comment.* Galenus.

Febres diuturnas pluviosa constitutione oriri posse patet ex anteà traditis, quoniam per eam plurimæ aquosæ superfluitates cumulantur, quæ sanguinem inficiunt, atque ad indebitè fermentescendum disponũt: cùmque partim multitudine, partim etiam crassitie diuturnum tempus exigant, ut dissolvantur, longas propterea febres pariunt.

Eadem fermè de causa alvi profluvia ex humida constitutione proficiscuntur. Siquidem istiusmodi excrementa plerumque deferuntur in Intestina, & alvum plus æquo lubricam reddunt. Et quidem alvi profluvia hic, haudquaquam Dysenteriæ, aut Diarrhœæ, sed alvi dejectiones ab accuratioribus Interpretibus exponuntur, ut ex ipso textu græco palàm fit, ac manifestissimè deducitur ex Celso, qui sententiam istam sic est interpretatus: *In siccitatibus acutæ febres, lippitudines, tormina, urinæ difficultas, articulorum dolores oriuntur. Per imbres, longæ febres, alvi dejectiones, angina, cancri, morbi comitiales, resolutio nervorum, quam Paralysim Græci nominant.* Quin & Dysenteriæ connumerantur potiùs ab Hippocrate inter ægritudines siccæ constitutionis. Quare Ventris laxitates, Intestinorum lævores, & citrà dolorem uberiores egestiones designantur. c. lib. 2. cap. 1.

Putredines hoc loco non solùm intelligendæ sunt humorum, sed etiam partium solidarum, quales in Gangræna, & Sphacelo: quippè in Tempestatibus humidioribus nedùm humores à naturali sua constitutione declinant, adeòque corrumpi possunt, verùm etiam membra Corporis flaccescunt, & in putrefactionem abeunt; unde postmodùm Gangrænæ, & ulcera sordida, malique moris. V. lib 2. prædict. V. Pison. & Vvepfer de Apoplex.

Morbi Comitiales, & Attoniti, facilè etiam ex largis imbribus eveniunt, cùm ex ipsis graviter Cerebrum afficiatur, & pravis humoribus gravetur; unde sensus, & motus torpor, atque abolitio.

Anginæ, seu gutturis, & faucium tumores ab humoribus eas in partes confluentibus gignuntur. Plerumq; autem ex pluvia tempestate Tonsillæ, adenes ibidem sitæ, ab abundan-

dantioris lymphæ confluxu tumefiunt, & Anginas, quas spurias vocant, inferunt; itemque Raucitates, & Tusses, Bronchoceles, & Parotides, pro circumjacentium partium affectarum diversitate, & à varia stagnantis lymphæ conditione.

Neque verò hæ solùm ægritudines ex multis imbribus contingunt, sed & aliæ plures consimilis naturæ accidere possunt, non minùs graves, quàm antedictæ, quippè, ut anteà notatum est, videmur ità natura comparati, ut molestiùs humido, quàm sicco tempore afficiamur, & potiùs inutilium humorum copia, quàm inopia salutarium: quamobrem meritò Hippocrates morbos in pluviarum multitudine contingentes, periculosiores longè iis esse inquit, qui in siccitatibus eveniunt. Tabitudines namque etsi sæpesepiùs ad mortem quoque perducant ægrotantes, in longius tamen tempus protrahuntur, & inducias præbent, quæ sanè sperandæ non sunt à prænarratis ægritudinibus. Præterquamquod Galenus, memoratas hìc Tabitudines ad oculorum lippitudines ait esse referendas; ut proindè putet in siccitatibus Lippitudines tabidas fieri, seu ad tabem oculorum terminari: lippitudines autem periculi sunt expertes. Articulorum dolores, & urinæ stillicidia, non dissimiliter diù producuntur, & ferè cum ægrotantibus consenescunt. At verò ejuscemodi affectiones in siccitatibus contingunt potiùs ab acribus, & salsis humoribus, qui tunc magis exacuuntur, & tenujores redditi promptiùs artuum juncturas subeunt, & periostia lacessunt, vel cum sero urinario commisti, mingendi difficultatem pariunt, sive ad Stranguriam, sive ad Dysuriam illam referamus. Quare collatis invicem siccis, & pluviosis tempestatibus, facilè nunc decernere erit, longè graviores, & periculosiores esse, quæ cum imbribus, quàm quæ ex siccitatibus contingunt.

APHORISMUS XVII.

Quotidianæ autem constitutiones, aquiloniæ quidem cogunt Corpora; firmiora, & agiliora, coloratoria, & melius audientia faciunt, & alvos exsiccant, oculos mordent, & si pectus dolor aliquis priùs obsederit, dolorem augent. Austrinæ diffundunt Corpora, & humectant, auditum obtundunt, capita aggravant, & Vertigines faciunt, oculis, atque Corporibus difficilem motum præstant, & alvos humectant,

Comparat hoc etiam Aphorismo Hippocrates quosdam alios effectus, qui à constitutionibus siccis, & humidis oriuntur, & fortasse, ut manifestiùs ostendat humidæ, atque austrinæ tempestatis incommoda, longè graviora esse iis, quæ à sicca, & aquilonari proveniunt. Sed & quæ ex hac accedant Corpori emolumenta, simul una commemorat, ut nimirùm omni ex parte concludat salubriores semper esse siccas constitutiones austrinis, & pluviosis.

At hìc non videtur de totius Anni, vel integræ alicujus tempestatis constitutione, sermonem habere, sed de illis tantummodò vicissitudinibus, quæ in dies per quæcumq; Anni tempora contingunt, cùm Aer alternè mutatur, & oppositarum alterationum Aquilonis, & Austri vices subit. Verumtamen si quotidianis mutationibus aquiloniis, vel austrinis hos effectus parturit, procul dubio majores, diuturnioresque erit

alla-

allaturus, cùm integra tempestate non dissimiliter perflatur, ut anteà Aphorismo V. notatum est; ut propterea Celsus inter ea, quæ Tempestates consequuntur, retulerit *libr.* 2.*cap.* 1. Aquilonem Ventrem adstringere, dolores lateris, & pectoris afferre, sanum tamen Corpus spissare, & mobilius, atque expeditius reddere; Austrum verò aures hebetare, alvum solvere, & totum Corpus languidum efficere.

Aquilonares autem Constitutiones Corpora cogere, seu densare, certo certius est: siquidem humidas superfluitates absumit, poros constipat, & constipando membra condensat; unde totius Corporis firmitudo. Hac etiam de causa frigidas, & septemtrionales Regiones incolentes, durioris, firmiorisque texturæ observantur, atque laborum omnium patientiores; Unde fortassè finxit etiam Antiquitas fortitudinem, & impenetrabilitatem in Corporibus exoriri. Nedùm autem firmitatem, sed etiam agilitatem aquilonares venti conferunt, nam exhaustis humidis superfluitatibus, atque aqueis excrementis, quibus plurimùm Corpora gravantur, & hebetantur, illa graciliora reddita, fiunt quoque agiliora. Eadem etiam ratione videntur reddi posse coloratiora, quippe obesa, succiplena, & humida, plerumque decolorata, & pallida observantur.

Quòd meliùs audientia fiant, patet similiter ex his, quæ super Aphorismo V. dicta sunt, ubi Austrum auditum hebetare scripsit Hippocrates. Fit namque sæpenumero surditas, vel subsurditas, ob tympanum, seu membranam illam, primum à secundo meatu auditionis disterminantem, nimia serositate laxatam, quò appulsus Aer eam non concitat motionem, percussionemque, quæ satis sit auditioni perficiendæ, unde vel sonus non percipitur, vel obtusè admodùm, quemadmodùm experimur in Tympano bellico madefacto, si tum pulsetur: quod tamen ingentem sonitum edit, cùm tensum, siccumque evaserit.

Alvos præterea exsiccari in constitutionibus aquiloniis, seu constipari, & obdurescere, ut excrementa promptè non deponant, anteà quoque ostensum est, cùm & egestiones quæcumque deficiant per ejusmodi siccam, frigidamque constitutionem, urina solùm copiosiori plerumque perseverante, compresso è glandulis, & tubulis aquosis latice per universum Corpus disperso.

Additur & hìc *oculos morderi*, hoc est ardorem, ac pruritum in oculis, & palpebris exsiccari: aut quia impeditæ perspirationes oculos petunt, & per membranas, præsertim adnatam, diffusæ molestam inferunt motionem; aut quia corrugatione ibidem inducta præterfluentem sanguinem venæ ex arteriis promptè non excipiunt, sed quodammodò retardant; unde etiam aridæ lippitudines. Nec mirum, si præ cæteris partibus oculi in his constitutionibus afficiantur, veluti qui obnoxii sunt cuicumque Aeris alterationi, omnemq; ejus vim primi sentiunt.

Augent quoque frigidi, siccique Aquilones dolores pectoris, si priùs isti partes illas obsederint. Siccitas enim, faucium, & gutturis asperitatem inducit, unde Tussis facilè exoritur, quàm deinde dolor pectoris insequitur; cumque frigus eidem quoque infensum sit, profectò si anteà doluerit, longè graviùs ab aquilonia constitutione afficietur, per quam utrumque jungitur Pectori molestissimum.

A Constitutionibus verò Austrinis Corpora delaxantur, & humefiunt: nam Austri humidi sunt, & pluviosi; Auditus obtunditur, immò & reliqui sensus omnes hebetantur, Caput gravatur, & multis repletur excrementis, unde Vertigines, & hebetudines oculorum, atque totius Corporis ad motum impotentia, & ad cæteras operationes, præsertim animales, obeundas ineptitudo, ob nervorum scilicet laxitatem, à sanguine, ejusque nutritio liquore serosiori. Alvi denique lubriciores fiunt, tum ex mala digestione, quæ, flante Austro, fieri solet, tum ex facili inutilium humorum per humectiores ductus ad alvum depositione, præsertim quia fibræ Intestinorum per idem tempus austrinum promptè admodùm laxantur, ipsæq; fæces humidiores redditæ faciliùs quoque egeruntur. Quæ sanè cùm ex anteà demonstratis notissima sint, ulteriori non egent explicatione.

Solùm paulò uberiùs Vertiginis causam examinemus. Equidem non benè constare videtur, quòd ex dialibus Austris, & ex diebus austrinis fugacibus, Vertigines oriantur: quippè Hippocrates ægritudines referens ex austrina, & diuturna tempestate imminentes, nè verbum quidem fecit Vertiginis, quam procul dubio veluti cæteris periculosiorem recensere debuisset, eoque magis si ex diurnis Aeris mutationibus, atque alterationibus ab Austro diali oriundam fateatur. Jure ergo existimat Cardanus legendum cum Theodoro Gaza (*cui uni plus credendum esse*, inquit, *in hac causa, quàm universis Interpretibus latinis, ut qui Græcus natus sit, & exquisitissimam scripserit Græcam Grammaticam, ut rationem dicendi nemo meliùs callere potuerit*:) *Vertigines in oculis fieri*, pro eo, quod scriptum est sejunctim: *Vertigines faciunt, Oculis, atque Corporibus difficilem motum præstant*. Addit præterea nequaquam potuisse Hippocratem de Vertigine Cerebri, quæ cum Comitiali morbo convenit, sermonem habere, eo quòd unius diei constitutio minimè possit materiam congregare Comitiali, aut Siderationi aptam. Verùm quænam sit hæc oculorum Vertigo ipse non explicat. Putaverim Ego esse quandam in visu Trepidationem, cùm objecta per Aerem vapidum spectata quasi trepidare, concuti, & vacillare videntur. Id autem quamvis in oculis, ipsisque nervis ocularibus, & in tunica Reticulari fieri possit, perturbata per serositates objectorum repræsentatione: sæpiùs tamen contingit ex radiorum Solarium in crassiori Aere refractione, atque luminis ad oculos pertingentis quadam veluti inflexione, titubationeque. Sæpissimè enim idipsum experimur cùm fluctuantem aquam, scintillantes igniculos, & tremulum lumen candelarum ex sevo confectarum attentiùs intuemur. At verò accidit facillimè per austrinas constitutiones Aerem istiusmodi perturbationem subire, cùm turbulentus simul fiat, crassus, & radiis Solaribus confertus; sed & oculi unà quoque per idem tempus hebetantur, & caligine suffunduntur, ut propterea malè objecta corpora cernere queant, vel nonnisi cominùs, præsertim cùm à densis nubibus Aer sit tenebricosus, aut luce crepera vix sublucidus.

APHO-

APHORISMUS XVIII.

Quantum ad Tempora Anni. Vere quidem, & prima Aestate Pueri, & qui hos proximè sequuntur ætate, optimè degunt, & sani sunt maximè; Aestate verò, & Autumno aliquatenùs Senes: per reliquum autem Autumnum, & Hyemem, qui mediam ætatem habent.

PRosequitur nunc Hippocrates singulis Hominum ætatibus convenientia Anni Tempora explicare, cùm inferiùs ęgritudines iisdem contingentes sit enarraturus.

Enumerat autem quatuor tantummodò Temporum mutationes, aut quia istæ sensibiliores sunt, & vulgò magis receptæ; aut quia de Regionibus in Zonis, & Climatibus Temperatis solùm sermonem habere voluit; aut quia demùm in his tantùm observationes suas instituit, cùm ea, quæ experimentis competit, consultò scrisperit, & Posteris tradiderit.

Facto itaque initio à prima Anni ætate, seu Vere, Pueros inquit optimè sub illo valere, quibus & Adolescentes adjunxit, ut significare videntur verba illa: *& qui hos proximè sequuntur ætate*. Etenim Hippocrates non quatuor ætates solùm in Hominum Vita, quemadmodùm visus est edocere Galenus, sed multò plures distinxit; quamobrem Celsus meritò eos hìc interpretatur, qui illis ætate vicini, proximi, conjunctique sunt: atqui proximi, & conjuncti Pueris sunt Adolescentes. Sic pariter cum Vere primam Æstatem, seu illius principium conjunxit, quod ejusdem sit ferè conditionis: quamquam Galenus superstitiosè nimis Adolescentes Vere, Æstatis verò initio Pueros salubriter vivere commentatus est. Æstate autem, & Autumno non omninò, sed aliqua ex parte Senes sanos degere, & per reliquum Anni tempus, atque succedente Hyeme eos, qui mediam, seu consistentem ætatem habent.

Quibus Hippocratem reprehendere libido est, quique nodum in scirpo quærunt, multa in hoc Aphorismo notant. Primùm, illum redarguunt oblivionis, quòd superioribus Aphorismis dixerit Naturarum aliàs quidem ad Æstatem, aliàs verò ad Hyemem benè, malève se habere: quò sanè inquiunt satis fuisse constitutum, quod hic inutiliter videtur repetitum, cùm & Pueri, & Juvenes, & Senes sub generali ætatum consideratione omninò comprehendantur. Addunt insuper non rectè dictum ab eodem: *Vere pueros, & qui proximè sequuntur ætate*, scilicet Adolescentes, *optimè degere*; cùm id tempus sua natura sit cunctis saluberrimum, ideòque non solùm Pueris, & Adolescentibus, sed etiam Juvenibus, atque in consistenti, ac senili ætate constitutis, documento ejusdem Hippocratis *Aphorismo* 9. Si prætereà, subdunt, Pueri Vere, ob consimilem Naturam, & Temperiei commoderationem, benè se habent, cur est, ut etiam primam Æstatem addiderit? quæ cæteroqui calorem præsefert aliquanto prævalentiorem puerili ætati penitùs incongruentem, cùm hęc undequaque moderamine fruatur, & gaudeat. Sed nec omninò videtur verum, Pueros Vere optimè degere, nam ex infrà dicendis constabit per id tempus sanguineis morbis illos corripi.

De Senibus quoque addunt, quòd licèt benè se habeant Æstate, Autumno tamen ii malè vivant: quippè Autu-

Autumnus tabidis malus dicitur, inter quos Senes ab eodem Hippocrate referuntur, 2. *de Morbis*; isque, utpote inæqualis, utrisque exitiosus esse solet, Senibus autem potissimùm, ob maximum ejus ætatis languorem. Sed & perperam illis videtur adjectum, *Aestate verò, & Autumno aliquatenùs Senes*: quasi hi non omninò bene se habeant Æstate, cùm tamen senilis calor veluti imbecillis, & infractus, quàm maximè foveatur, & adjuvetur ab ambientis Aeris æstivo calore.

Ampliùs, qui in media, seu consistenti sunt ætate, nec videntur rationabiliter dici posse salubriorem vitam ducere per reliquum Autumni tempus, & in Hyeme; quandoquidem hi frigidi quoque, & sicci dicuntur, atque melancholicis ægritudinibus obnoxii, minùsque ferentes Autumnales Aeris vicissitudines, atque inæqualitates.

Denique cùm hoc loco Hippocrates de Temporibus agat, quæ singularum ætatum Temperaturis congruant, ut videntur denotare verba illa: *sani sunt maximè*: certe, quemadmodùm Puerilis ætas, & quę proxime hanc sequitur, ob consimilem temperaturam, bene se Vere habebit, & optima sanitate fruetur; ita ex adverso Senilis Hyeme, & Juvenilis Æstate optime degebit, cùm aliàs ab eodem dictum sit, minùs periclitari eos, qui Tempori magis congruunt in suis Temperiebus.

At isti injuste nimis Hippocratem arguunt, cui manifestæ rationes, & experientiæ suffragantur. Et quidem *Aphorismo* 2. *hujus libri*, generalem tantummodò rationem habuit naturarum, quòd aliæ ad Æstatem, & aliæ ad Hyemem bene, malève se haberent; ubi nedùm salubritatis, sed etiam proclivitatis ad ægritudines contrahendas meminit: At hìc, restrictiori sermone, ætates memorat, quæ in Anni tempestatibus salubriùs degunt; unde quod ibi generaliter protulit, hìc speciatim singulis ętatibus adscribit. Ver, quamvis sua natura saluberrimum sit, maxime tamen puerorum sanitati conducit. Et tametsi Senes bene quoque se habeant Verno tempore, relati scilicet ad cæteras præcedentes tempestates, adhuc tamen salubriorem vitam ducunt Æstate, cùm nimirùm calidior Aer vividiores reddit cunctas eorumdem operationes. Dixit etiam *prima Aestate* Pueros, & Adolescentes eadem salubritate frui, quoniam principium Æstatis eamdem referre solet cum Veris fine temperiem, & conditionem, cùm per id tempus Aer non adeò fervidus sit, ut mollem puerilium carnium texturam exsolvere, & eliquare queat, prę sertim si initium Aestatis ea distributione sumatur, qua idem Hippocrates juxtà morem Antiquorum ab ortu Vergiliarum ad Solstitium æstivum facere consueverat. Cæterùm, quòd tunc ægrotare aliquandò illis accidat, non inde fit, ut plerumque, & maxima ex parte salubriùs non degant: quippe cunctis temporibus, omnibus ægritudinum generibus Homines in unaquaque ætate laborare possunt, tùm præsertim, cùm præpotens causa ægrotare faciens præcesserit.

Autumnus Senibus plane periculosus est. Neque verò, inquit Hippocrates, salubriter illos vivere tempore Autumnali, sed tantùm *aliquatenùs*, seu *aliquantisper*; si potissimùm Æstatis conditionem referat; unde disjunctim legendum, *Aestate verò, & Autumno aliquatenùs*: ita ut sensus fiat, Senes Aestate quidem bene degere; Autumno verò

ali-

aliquatenùs, ideſt aliqua ex parte, præcipue inter illius initia, & cùm conſimilem Aeſtati conſtitutionem participaverit: id quod præſertim fieri ſolet, ipſo ineunte. Per reliquum autem Autumni tempus, & Hyemem, bene ſe habebunt conſiſtentem, ac mediam ætatem adepti, qui non ſolùm Viri, ſed & Juvenes, intelligendi ſunt, utque commentatur Heurnius, etiam à XXV. anno ad XL. producti, comprehendentes nimirùm Juventutem, & Virilitatis initia, cùm reliquum ætatis virilis referatur Hippocrati ad crudam Senectutem, quæ, ex mente ejuſdem Auctoris, initium ſumit à ſeptimo annorum ſeptenario: tunc enim vires robuſtæ ſunt, & ſanguis vegetior; unde Autumni inæqualitatem nedùm ferent, qui in media, conſtantique ætate ſunt, ſed etiam ſuperabunt Hyemalis temporis rigorem. Clariùs proinde Celſus hanc ſententiam eſt interpretatus, ut Juvenes Hyeme, quique inter Juventam, & Senectutem ſunt, ſalubriorem vitam ducere ſcripſerit. Accedit, quòd conſiſtentem ætatem nacti, fiunt omni ex parte prudentiores, ut quaſcumque cauſas externas vitare, & ab Aeris viciſſitudinibus, atque alterationibus ſe tueri, quàm optime calleant. Denique puerilis ætas, veluti in moderamine ſita, Vere cæteris temporibus temperatiori, meliùs ſe habet: porrò id mediocritatis eſt, ut in alterutram partem vergens, à ſanitate declinet. At verò intemperatæ Naturæ à mediocritate recedentes, ut in ſalubritatem revocentur, in oppoſitum quodammodò ſtatum ducendæ ſunt; unde in oppoſitis ſibi tempeſtatibus melius degunt, ut aliàs etiam meminimus; quamobrem Juvenes, & Viri ante annum quinquageſimum floridiori ſanguine prædití, ſicut Aeſtatis ardorem non bene ſufferunt, ità hybernum frigus meliùs ſuſtinent, immò exinde ſalubriùs vivunt, ſanguine in contractiorem craſim reſtituto.

APHORISMUS XIX.

Morbi omnes quidem in omnibus temporibus fiunt, quidam verò magis in quibuſdam ipſorum & fiunt, & exacerbantur.

QUoniam hucuſque Hippocrates ægritudines in diverſis Anni conſtitutionibus, ac tempeſtatibus evenientes retulit, atque in poſterum erat enarraturus, ne quis inde crederet eas nonniſi his vigentibus futuras, in reliquis verò nequaquam, admonet hoc Aphoriſmo Medicos, ut unoquoque tempore, ac vigente quacumque Anni tempeſtate, conſtitutioneque, cujuſque morbi periculum timeant, cùm quolibet tempore illi accidere poſſint, & vagè omnia Corpora afficere. Sunt tamen illorum plerique, qui magis uno, quàm alio Anni tempore obſervantur, & affligunt; Unde nonnulli potiùs Aeſtate, quàm Hyeme, alii Autumno potiùs, quàm Aeſtate: ſic experimur pleuritides, catarrhos, paralyſes, ſopores Hyeme potiùs evenire, quàm Aeſtate; febres ardentes, tertianas, variolas, morbillas, eryſipelata, magis Aeſtate, quàm Hyeme. Sunt & alii, qui licet fieri quidem poſſint quocumque anni tempore, magis tamen alio increbeſcunt, & exacerbantur: Hydropes enim aliquandò contingunt Aeſtate; exacerbantur autem Hyeme: ut & Quartanæ febres Aeſtate, & ſæpeſæpius Autumno invadentes, graviores, infenſioreſque obſervantur brumali tempore. Verumtamen à Cauſis peten-

petenda eſt iſtiuſmodi morborum varietas; etenim qui omninò ab Aere pendere videntur, licèt ſoleant eſſe communes, univerſales, & Epidemii, poſſunt nihilominùs certò quodam Anni tempore exacerbari, ac vigere; A cibis verò, laboribus, animi pathematibus, aliiſque cauſis inducti, ſicuti particulares plerumque ſunt, ità peculiaribus mutationibus permutantur, quarum certa ratio haberi nequit, cùm ferè indefinitæ illæ ſint.

A propriis, & peculiaribus etiam Corporum conſtitutionibus, atque habitudinibus ſępenumero accidit, ut morbi quoſdam ſolùm arripiant, cùm aliqui unius, & alii alius conſtitutionis, aut habitndinis ſint immunes. Atque hinc fit, cur graciles aliquandò ægrotent, & obeſi ſalubriter degant, ut & Pueri infirmentur, non Senes, fœminæ, non mares, ſedentariam vitam ducentes, haudquaquam exercitiis dediti, vel contrà. Refert Cardanus olim Patavii gravi quodam morbi genere fuiſſe Hebręos ſolùm affectos, alios minimè, & Baſileæ aliàs, peſtilenti ægritudine Cives dumtaxat laboraſſe, non advenas; fortè quia ex vitio à cibis, potibuſque jam pridem in communem uſum habitis illorum habitudo, atque Corporum conſtitutio eam contraxerat in humoribus, & ſanguine diſpoſitionem, ut luem illam ſoli Cives incurrerent, non Exteri, alio victus genere uſi. Anno 1618. ſolos pueros per univerſam ferè Italiam, ſed immaniùs per Regnum Neapolitanum Angina maligna ſuſtulit, cujus deinceps contagione interjerunt ſuccedentibus annis omnis ferè generis quadrupedia cornigera, præſertim boves. Huc etiam referri poſſunt morbi illi, qui Endemii, ſeu Patrii appellantur, qui ſcilicet peculiares tantummodò Regiones infeſtant, ut eſt Scorbutus, familiaris Germanis, Hollandis, Danis, & Anglis. Sic pariter fuit Lepra apud Hebræos, Elephantiaſis apud Græcos, Mentagra Romanis tempore Plinii, Sudor Anglicus, Plica Polona, & Syphillis, ſeu Morbus Americanus.

Unde autem Morbi omnes omnibus indiſcriminatim, & univerſis Anni temporibus contingere poſſint, ratio deſumenda videtur ex eo, quia Morbi potiùs ab internis Cauſis, putà humoribus præter naturam affectis, quàm ab externis, & procatarcticis, quæ vulgò occaſiones appellantur, exoriuntur: cùmque illi quocumque Anni tempore infici poſſint, atque diverſimodè permutari, inverti, & à conſueto, ac naturali more deſciſcere, poterunt quoque, quandocumque malè affecti fuerint, omnes, & quoſcumque morbos in quibuſvis Corporibus parere. At verò, quia non tàm facilè ſponte ſua vitiantur, niſi ab Aere, cibis, ac potibus, cæteriſque cauſis, nonnaturalibus dictis, perturbentur; hinc fit, ut ſæpenumerò iſtas diverſimodè Corpora alterantes morbi conſequantur, & aliquandò magis, aut minùs exacerbantur, pro varia earumdem, & Corporum affectorum conditione.

APHORISMUS XX.

Vere etenim Furores, & Morbi melãcholici, & Comitiales, & profluvia ſanguinis, & Anginę, & Gravedines, & Raucedines, & Lepræ, & Tuſſes, & Impetigines, & Vitiligines, & poſtulæ ulceroſæ plurimæ, & tubercula, & Articulorum dolores.

ENumerat nunc Hippocrates hoc, & ſequentibus Aphoriſmis ægri-

ægritudines; quæ singulis Anni temporibus plerumque accidunt. Facto autem initio à Vere, inquit, Furores, morbos melancholicos, Comitiales, aliosque eo tempore evenire; non quòd hi solùm, ea Anni tempestate contingant, sed ut plurimùm: cùm & alii plures, consimilem naturam participantes, per idem tempus observari possint, ubi præsertim nil obstiterit, quòd ratione propriarum constitutionum, & ætatum, vel etiam peculiaris Climatis, & Regionis, aut demùm causa ciborum, potuum, exercitiorum, cæterarumque Rerum nonnaturalium, Vernalis temporis dispositionem perverterit, atque immutaverit.

At hìc illicò se exhibet enucleanda non levis in Hippocrate Contradictio. Is enim *Aphor.9.hujus*, Ver saluberrimum confitetur, & minimè exitiale, indicans exindè vel nullos, vel levissimos morbos Veris tempore evenire: modò enarrati morbi, & multi sunt, & pessimi, quales potissimũ Comitiales, sanguinis profluvia, Anginę, Lepræ, pustulæ ulcerosę, à quibus non rarò periclitari, & perire ægrotantes cunctis notum.

Conatur Galenus *in Comm.* contradictionem hanc solvere, & utramque sententiam in commodum sensum referre, saluberrimum inquiens bene dici Ver, etsi hos pariat Morbos, quoniam à centro Corporis ad ejusdem habitum humores vitiosos educit: nam hoc ipso tempore profundum Corporis expurgatur, vitiosis humoribus à partibus principalibus ad Cutem pervenientibus, vel ad loca viliora transpositis. Sed & alii enarratos morbos à sola sanguinis plenitudine ortos putant, quæ comparata ad cacochymiam levior, & quodammodò salubrior censenda videtur. Verùm adscripsit Hippocrates Aphorismo IX. Verni temporis constitutionem sanis Corporibus congruentem, quibus procul dubio saluberrima est; At verò Corpora recrementis inquinata, & malè affecta, cùm adventante Vere alterantur, & morbosa fiunt, in ea potissimùm mala incidunt, quæ hoc Aphorismo recensentur: Hæc enim est differentia inter tempus vernale, & cæteras Anni tempestates, ut illud, nisi Corpora impura fuerint, & pravis succis imbuta, in optima salubritate tueatur; reliquæ verò tempestates, etiamsi Corpora bene se habeant, adhuc tamen malè afficiant, & alterent; quippe Æstate sudoribus, oris amarore, siti, ciborum fastidio, cruditate, lassitudine, anxietate, plurimùm vexantur; quin & excandescente sanguine, facillimè corripiuntur febribus, doloribus, vigiliis, diarrhœis, cæterisque gravioribus symptomatis, humorum omnium acritatem, tenuitatemque ab æstu consequentibus: & Hyeme catarrhi, tusses, gravedines, raucitates, perfrigerationes fiunt: At Vere nil horum accidit, sed Corpus ab Aere temperato in summa mediocritate constitutum omni ferè vitio caret; quamobrem nisi humores pravi, & excrementa alicubi restagnaverint, sanè morbi nulli per id tempus aderunt.

Quo autem pacto Furores, & Morbi melancholici, ac Comitiales, sicut pariter lepræ, pustulæ, & dolores articulorum Vere accidere possint, quave ratione inter Vernales ægritudines hìc recenseantur, alia est hujus loci gravior difficultas; cùm alioqui referendæ illæ videantur inter Morbos hyemales, præsertim quia ex superioribus Aphorismis major pars horum in Constitutionibus pluviosis, & Austrinis evenire dicta

dicta est: Austrinæ autem, & pluviosæ Constitutiones, quàm maximè vigere observantur Hyeme, non Vere. At huic facilè occurret, qui ratum habuerit, Morbos Vere contingentes, ex peculiari ejusdem constitutione, sequi vitium sanguinis, cùm hic eo tempore internam subeat commotionem, atque partium inutilium sensibiliorem planè secretionem, exsolutionemque; quin & manifestius fermentescat, increscat, & moveatur, eo prorsus modo, quo per idem tempus experimur succos alibiles adaugeri, & promptius, uberiusque poros, fibrasque Arborum subire. Quoniam verò sanguis per partium texturam transiens, præcedenti Hyeme, non tam commodè à suis impuritatibus potuit depurari, accedente Vere, quo Carnium textura laxior fit, & ductus, ac secernicula Corporis patentiora evadunt, meliùs ille repurgatur, ut penè novam videatur induere naturam. Quò etiam fit, ut vagantes per Hyemem Quartanæ, aliæque horrificæ febres, eodem Verno tempore desinant, secretis nimirùm, depulsisq; sanguinis inquinamentis. Idipsum comprobare licèt, analogia Microcosmi cum Macrocosmo, in aquis thermalibus, quæ sponte sua per eadem tempora è Terræ Visceribus erumpunt, & vires suas exerunt longè cæteris temporibus efficaciores. At verò quis non videt Venas, & Arterias Vernali tempore turgere, pulsus fieri elatiores, roseo colore vultum præcipuè decorari, urinas augeri, capillos renasci, & sanguinem ipsum vegetiorem redditum, sponte sua plerisque è naribus extillare. Si ergo sanguis Vere ejusmodi mutationes subit, non mirùm si morbi tunc sanguinei exoriantur, quos hoc loco memorat Hippocrates, ubi aliquod vitium is contraxerit, secretis nimirùm, depulsisque impuritatibus. Et quoniam præcedenti Hyeme plerumque sanguis ex constipata cute, ac perspiratione impedita, acorem, aut acritatem contrahit; idcircò furores, morbi melancholici, lepræ, aliæque similes ægritudines contingunt, variæ solùm, pro varietate partium, in quas excrementosi humores deponuntur.

v. Hipp. l. de Nat. ham.

Furores hoc loco memorati, non sunt, qui cum febre accidunt, cujusmodi est Phrenitis; sed solùm communi nomine dicti, Mentis motiones, seù desipientiæ, quas idem Hippocrates unico vocabulo est complexus, cùm inquit *6. Aphor. 53. desipientiæ, quæ cum risu fiunt, securiores, quæ verò cum studio, periculosiores*. Distinxit autem alibi idem Auctor quatuor classes deliramentorum, quæ scilicet cum feritate, & impetu, ut in Phrenitide, & Mania; quæ cum mœstitia, & timore, ut in Melancholia, cum mansuetudine, & fatuitate, ut in Insania, & Stupiditate; & demùm quæ cum risu, & lætitia, ut in Amore, Gaudio, & Ebrietate. Modò videtur hìc, vel, generali quodam delirio, seù mentis depravatione, furorem designasse; vel eam tantùm desipientiæ speciem, quæ cum risu, & gaudio evenit; cùm hujusce generis desipientia à sanguine potissimùm vegetiori, vividiorique pendere soleat. Non incongruè etiam intelligi posset delirium Melancholicum, quodammodò indicatum in textu: siquidem sanguis acore quodam per præcedentem Hyemem infectus, & adventante Vere repurgatus, facilè ejusmodi acidas superfluitates liberiori meatu per laxiorem viscerum texturam traiicit, & in glandulas per Cerebri corticem dispersas deducit, vel aliò deponit; unde Cerebrum in suis

fun-

functionibus animalibus depravetur: quandoquidem, docente eodem Hippocrate, affecto Liene, atque ſiniſtro hypochondrio fortiter pulſante, Mens illicò commovetur: Et alibi, in morbis melancholicis furorem quoque eveni re dicitur; & *6. Epid. ſ.3.* ſanguineum Corpus in melancholiam, biliosum in furorem tranſire fertur. Quamobrem non immeritò hìc Furores, vel generatim Mentis motiones, vel deſipientias cum gaudio, & amore, vel etiam cum vehementi quadam in hæc applicatione, quæ internos ſenſus fatiget, ſive idiopathicè, ſive ſympathicè, poſſumus congruenter interpretari.

6. Aphor. 56.

Pro morbis autem Melancholicis, nedum deliria melancholica, ut plerique vertunt, ſed quæcumque aliæ ægritudines, à melancholicis, tartareis, & acidis ſuccis progenitæ, ſumi poſſunt, ut conſueverunt, eſſe Strumæ, obſtructiones, tumores duri, hypocondriacæ affectiones, & ſimiles. Acidum enim, quod in fermentis Viſcerum, cæteriſque liquoribus vi, aut copia exorbitat, & per Hyemem veluti ſopitum fortè hæſit, Verno tempore dilutiùs effluit, & varias partes petens patentiùs inficit, diverſaſque ægritudines parit, pro Corporum, & ætatum diverſitate; Unde lympham, ſanguinem, ſuccum alibilem, cæteroſque humores in viſceribus, & glandulis figens, diverſimodè quoque præter naturam afficiet. Jure ergo notantur hìc potiſſimùm ab Hippocrate morbi melancholici, puta ab ejuſmodi ſuccis melancholicis, & acidis inducti; quoniam hi præſertim Vere in Corporibus malè affectis ex præcedenti hyberno tempore exoriri poſſunt, repurgato nimirùm ſanguine à fęculentis hiſce humoribus acidis, per Hyemem cumulatis. Qua etiam ratione Comitiales morbos fieri dicendum eſt, ut qui Hyeme veluti latuere, mox Vere prodeant, exuta quodammodò Natura veterem, fædamque humorum omnium, & præſertim ſanguinis conditionem, renaſcentis Anni beneficio.

Verùm hìc dubitare contingit, cur Hippocrates retulerit morbos Verno tempore contingentes ad eos potiſſimùm, qui Caput, & Cerebrum divexant; alius autem interni Viſceris ęgritudinum non meminerit? At cùm Vernales Morbi metaſtaſis, & abſceſſus naturam referant, quòd impuritates ſanguinis tunc temporis ſecernantur, & iſtæ plerumque in glandulas abſcedant, proindè fit, ut Cerebrum, quod magna glandula dicitur, potiſſimùm ex illarum decubitu afficiatur. Neque verò Cerebrum ſolùm, ſed etiam circumjacentes glandulæ faucium, & colli, non rarò inficiuntur, & ejuſcemodi ſuperfluitatibus imbuuntur. Quòd autem Abſceſſus morbi iſti rationem referant, clarè deduci poteſt ex eo, quòd Hippocrates inter Vernales ægritudines retulerit quoque Impetigines, Vitiligines, Lepras, puſtulas, & tubercula, quæ ſanè decubitus ſunt vitioſorum ſuccorum in glandulas ſubtercutaneas; quin & articularii dolores, hoc eodem loco memorati, pari modo ad Abſceſſus reducuntur, ut liquet. Sed tamen, non hinc quis credat, has ſolùm hoc Aphoriſmo deſcriptas ægritudines Verno tempore exoriri, cùm & aliæ, aliæq; ſimiles non diſſimiliter prodire poſſint, ſi fortaſsè in alias, aliaſque partes vitioſi illi humores, à ſanguine ſecreti, transferantur: quippe non rarò compertum eſt, per idem tempus & Pleuritides, & Peripneumonias, & Choleras, & Febres, aliuſque generis acutas ægritudines ſæviiſſe;

quamquam Hippocrates illas solùm, ut frequentiores, veluti in exemplum, Medicis objecerit; cùm & hæmorrhagias, & gravedines, & raucitates, & tusses pariter adjecerit.

Sanguinis profluvia frequentissima Vere esse solent, nedum per consuetos ductus Uteri in fœminis, & in maribus per mariscas, sed etiam per Nares, & Os: Sunt etenim plerique, qui quotannis, statuto quodam tempore vigentis Veris, hæmorrhagias narium patiuntur, quæ nisi sanguifera vasa ad certam quantitatem depleant, nulla arte cohiberi possunt; at verò spontè sua desinunt, statim atque sanguis deferbuerit, & in pristinam, naturalemque crasim fuerit restitutus. Novi etiam, qui singulis annis mense Majo per aliquot dies sanguinem expueret citrà cujusvis periculi suspicionem, immò cùm ante hoc tempus Capite doleret, totoque Corpore anxius, & anhelosus videretur, mox ab excreto sanguine levabatur adeò, ut meliorem habitudinem indueret, & salubriorem deinceps vitam viveret. Contingunt autem hæmorrhagiæ istæ, aut quia sanguis tunc vegetior, floridiorque redditus à suis conceptaculis spontè exilit; atque per teneriora, laxioraque venarum, & arteriolarum oscilla sibi quodammodò vias aperit, majorem fortè exquirens capacitatem, cùm illum pori partium satis excipere non valeant: aut quia acore per Hyemem contracto easdem lacessit, ac reserat: aut etiam quia partes ipsę Corporis molliores, laxioresque per id tempus redditæ, liberum luxurianti sanguini aditum præbent. Verumenimverò nec Hippocrates quācumque sanguinis eruptionem Vere contingentem hoc loco sumendam voluit, sed largam, & copiosam: nam inquit, *sanguinis profluvia*. Et quamvis non expresserit modum, & locum istiusmodi profusionis, nihilominùs credere licèt anastomosi potiùs prosilire, per hiantes venarum, aut arteriolarum fines, ubi illæ mutuò coeunt, & ex his in illas sanguis propellitur. Quòd si ex arteriolis egressus poros partium subeat, & uberiùs, quàm par sit, effluat, atque restagnet, inflammationes, ac apostemata parit. Hinc non immeritò in textu dicitur, inde Anginas quoque exoriri, cùm scilicet in glandulis, ac musculis faucium, & gutturis is hæret.

Non dissimiliter Raucitates, & Gravedines evenire credendum est, sive quòd serosiores diluti sanguinis superfluitates in os, & nares à Cerebro confluant; aut è vasis lymphaticis in eorumdem glandulas derivent; sive quòd solam in Aere mutationem à Solis accessu illæ consequantur. Siquidem ejus vi proximiora nostro Vertici signa perlustrantis ambiens calor sensibilior persentitur, unde attenuantur humores, & aquei vapores è Terraqueo globo uberiùs elati vapidum, pruinosum, ac nimbosum Aerem efficiunt, catarrhorum certissimum promotorem.

Lepræ hoc loco memoratę num revera illæ intelligendæ sint, quæ maximi apud Veteres horroris erant, & nedum insanabiles credebantur, sed etiam contagiosæ, dubitari potest: nam si ejusmodi conditionis, & naturæ Lepra foret, non videtur ex vernali constitutione illam posse oriri; quippe sanguis licèt Vere à suis impuritatibus repurgetur, nunquam tamen eam pertinget pravitatem, quæ tam horribilem, contagiosamq; affectionem pariat, ut non raro etiam instar pestis miserrimè patientes enecet. Accedit, quòd Hippocrates simul cum Lepra junxit Vitiligines, & Im-

Impetigines, quæ longè mitiores sunt Cutis ægritudines, utpotè citra vitæ periculum tolerabiles, & absque contagio. Quare alterius generis videtur statuenda, qualis nostra ætate Scabies, & Puerorum Porrigo est. Sed enim non eadem fuit Hebræorum, Græcorum, & Arabum Lepra, quamvis Mercurialis *lib. de Morbis Cutan.2.cap.5.* contendat Lepram Græcorum, seù Elephantiasim, esse Albaram nigram ab Avicenna descriptam *lib.4.f.3. tr.3. cap.1.* Eam namque differentiam statuit Marcellus Donatus *lib.1.de hist.med.mir.c.4.* inter Lepram Arabum, & Elephantiasim Græcorum, quòd illa tumorem pedum, & crurum, cum varicibus protuberantibus, & atro colore, referret, ex Rhasi *lib.9. ad Almansorem cap. 93.* Elephantiasis verò Græcorum universi Corporis fędum tumorem adjunctum haberet, adeò ut Paulus *lib.4.cap.1.* universi Corporis Cancrum appellaverit, & Galenus *lib.2.de Morbor. Causis cap.7.* Elephantiacis totam formam immutari tradiderit. At verò hoc morbi genus fusiùs describere visus est Aretęus *lib.2.cap.13.* *Tumores enim*, inquit, *alii juxta alios exurgunt, non dum quidem continui, sed crassi, & asperi, & interstitium tumorum discissum est, ut Elephantis Corium; venæ latæ sunt non sanguinis redundantia, sed cutis crassitudine: pili in omni Corpore præmoriuntur, in mento rari sunt, rara quoque in Capite cæsaries, quod verò majus est, intempestivi, cani, & calvitium affatim, subitique ingruunt, non multo post autem pubes, & mentum glabrescunt; quòd si qui pauci pili remaneant, hi magis dedecent, quàm qui defluxerunt, capitis cutis altiùs rescissa est, rimæ autem frequentes, profundæ, asperæ; tumores in facie duri, acuti, nonnunquã fastigio albido, basi viridiore, pulsus pusilli, graves, tardi; venæ temporum distentæ sunt, & sub lingua dentes nigricant, aures rubent, admista nigritie, ulcera fætida fiunt, & alia super alia exurgunt, &c.* Hæc ille.

Confe-rendus est idem Avic.l.3. f.22. tr.1. c.16. & l. 4.f.7. tr. 2. cap.9.

Rarissimum nostris temporibus hunc morbum, immò & Antiquioribus ignotum penè in Italia scribit Celsus *lib.3.cap.25.* peculiarem verò Ægypto, & Alexandriæ testatur Plin. *lib.26.cap.1.* & Gal.2.*de Arte curat. ad Glauc.cap.10.* At nunc in Belgio, & Gallia frequentem esse referunt Amatus Lusit. *Cent.2,cur.34.* & Valleriola *lib.6.enarr.5.* Contigit transactis annis videre hìc Neapoli Monachum quemdam Elephantiacum, qui licèt cùm aliis familiariter versaretur, nunquam tamen illos infecit; unde veritati consonat, quod ex Alexandro Tralliano *lib.2.probl.Med.42.* habet Mercurialis, minùs contagiosam esse Lepram in nostra Italia: quod pariter innuere visus est Aristoteles *Sect.ult probl.7:*

V. etiam Fuchs. 2. paradox. c.16.

Hinc modò deducere licet Lepram inter morbos vernos ab Hippocrate recensitam, non eam, quæ contagio inficit, putaturque incurabilis, sed, quæ *in fine 2.prorrhet.* mitior, faciliorisque dicitur curationis, esse intelligendam, veluti quæ à repurgamento sanguinis oriatur, sitque ad scabiei dirioris speciem referenda. Sub nomine autem Lepræ hìc ab Hippocrate indigitatur, ob quamdam solummodò analogiam, quia veluti Scabies cutaneus morbus est; quamquam Lepra etiam reliquarum partiũ, & humorũ vitiũ consequatur.

Impetigines, & Vitiligines morbi quoque cutanei sunt, solumque differre ponuntur, quòd non æque cutim fœdent, aut profundè inficiant.

Alphos, & Leucc.

Cæterùm in utrisque pili, & capilli radicitus eroduntur, ac defluunt, immò Cutis ipsa quandoque ad album, alipuando etiam ad nigrum, aut aliter coloratur. Contagione carent, nec aliud incommodum pariunt, quàm turpitudinis. Et licèt Veterum plerique scripserint graves esse ægritudines, & Paulus, Aetius, ac Serapion morbos fecerint incurabiles, hi tamen nunquam lethales appellarunt, sed solùm difficillimę Curationis; unde Celsus fœdas quidem illas nuncupavit, minimè verò periculosas. Fient autem solùm deteriores, cùm in ulcera desinunt, & præter Cutis læsionem, interiùs pervadunt, & viscera inficiunt. Nec tamen aliter contingunt Vere, quàm aliæ ægritudines cutim afficientes, à repurgati scilicet sanguinis in Cutim transpositione.

Nec alia de causa prodeunt Verno tempore pustulæ ulcerosæ, videlicet cùm inquinamenta sanguinis in Cutim delata, ibidem hærent, salsam, acrem, acidamve conditionem prę se ferentia; unde simul Cutim fœdent, & ulcerent. Quamobrem diversitas harum omnium cutanearum affectionum tota erit à diversa Cutis, & vitiati sanguinis conditione; ut propterea acidus, austerus, crassusq; humor in densiori cute Lepras; Impetigines verò, & Vitiligines, tenuis, & acer; salsus denique, & erodens, in Cute rariori, pustulas ulcerosas excitet.

Verisimile autem admodùm est hasce sanguinis superfluitates, priusquam ad Cutim tamquam ad universale Corporis emunctorium deferantur, & simul cum sanguine in venis, & arteriis, continentur, non tantæ esse pravitatis; nam si fortasse ejuscemodi vitium interiùs referrent, fieri non posset, quin viscera inficerent, & febres, inflammationes, cæterasque graviores ægritudines excitarent; unde credere est hujusmodi gravitatem contrahere, cùm ad habitum Corporis eruperint, ambientis Aeris potissimùm alteratione, atque succorum in glandulis subcutaneis mistione: tunc enim hærentes alienam induunt naturam, coagulationi, & corruptioni subiiciuntur, atque à perspirantibus halitibus exagitatæ, extraneas, inconvenientesq; fermentationes subeunt, degenerantque in fermenta undequaque vitæ dissentanea, & molesta; quò fit, ut ardorem, dolorem, & pruritum afferant, præsertim à pastu, & ex motu, vel cùm aeri calido Corpus exponitur.

Tubercula denique, & Articulorum dolores, fiunt pariter Verno tempore, abscedentibus ad cutim, & artus, iisdem excrementosis humoribus à sanguine, qui si serosi fuerint, magisque fluxiles, dolores; si verò crassi, & consistentes, tumores afferent.

Ne autem hæc damna malè affectis istiusmodi Corporibus ingruant, præstabit statim ineunte Vere, sanguinem ab ejusmodi inquinamentis repurgare, iis prę sertim medicamentorum generibus, quæ diaphoresim blandè movere apta sunt, sed & per reliqua Corporis emissaria crassiores succos promovere: in quam rem potissimùm conferre consueverunt, quæ ex Viperarum carnibus conficiuntur; itemque ex C.C. Antimonio diaphoretico, ejusque cerussa, Chalybe, cæterisque, præter ea, quæ, per alvum, & vias urinæ educendo, opportuniora videbuntur. Quòd si jam mala ista accesserint, proderit speciatim ad Insanias, Melancholias, cęterasque melancholicas affectiones Veratri usus: Ad profluvia sanguinis Vi-

Vitriolum, spiritu, & oleo orbatum, atque externè ad calcis formam redactum: Ad Impetigines, & Vitiligines præter diaphoretica, quidquid ex sulphure præparatur; Ad Lepram, & Elephantiasim, omnisque generis pustulas, Vinum Viperinum, ac mistura Alexipharmaca ex Carnibus, Corde, & Hepate earumdem Viperarum concinnata, extrinsecùs verò aqua Calcis, & Cerussæ stibii, descriptione Angeli Salæ. Alia plura ad idem facientia peti poterunt ex nostra Praxi jam pridem in lucem edita.

APHORISMUS XXI.

Aestate autem nonnulli horum, & febres continuæ, & ardentes, & tertianæ febres, & quartanæ, & vomitus, & alvi profluvia, & lippitudines oculorum, & aurium dolores, & oris ulcerationes, genitalium putredines, & sudores.

PRogreditur Hippocrates ęstivas ęgritudines enarrare, illasque ait partim Veri convenire, partim proprias, & peculiares Æstatis esse; quare initio hujus inquit: *Aestate autem nonnulli horum*. Quinam autem isti morbi sint, non explicat. Verisimile tamen videtur eos esse, qui majorem retinent analogiam cum æstu illius tempestatis, atque ab humoribus pendere possunt tenuioribus, & acribus, ut sunt profluvia sanguinis, impetigines, pustulæ, ulcera, anginę. Sanguis etenim, vel tenuior redditus, vel acrior, facilè per Æstatem venas aperire, cutim ulcerare, & musculos gutturis, ac faucium inflammare potest.

Præter hos, fieri etiam Æstate ait febres continuas, & ardentes, & tertianas, non quòd reliquæ adhuc febres in Æstate fieri nequeant, sed quòd hę potissimùm, à vehementi æstu illius Tempestatis. At unde tres hìc relatę febrium species inter sese differant, disquirere supervacaneum non erit, cùm distinctis nedum nominibus, sed & proprietatibus, atque effectibus, illas experiamur.

Galenici febres Ardentes, & Tertianas, tum continuas, tum intermittentes, loco solùm differre ajunt, materia verò omninò convenire: quippe bilem, quam in venis collocant, & naturalem appellant, communem harum omnium febrium materiam, cùm putruerit, constituunt; verùm si in Venis majoribus, & circa præcordia, Ardentem; si in venis minoribus, aut earumdem apicibus, Tertianam continuam; si demum extra venas diffusa in habitu Corporis putredinem contraxerit, Tertianam intermittentem pariat.

Verùm hæc Recentioribus non probantur, qui plurimis rationibus, atque experimentis, evictam, falsamque demonstrarunt hanc de quaternario humorum intra venas numero doctrinam: & si qui unquam in venis, venarumque apicibus putresceret, vicissim per arterias circumiret, & universum sanguinem inficeret; immò adhuc è Venis minoribus in majores immitti oporteret, ut Cor præter naturam alteraret; Sed & neque bilis ista intra venas putrescens posset unquam ad habitum Corporis, aliove extramitti sine vasorum diruptione, atque ingenti sanguinis effusione. Quæ præterea de fuliginibus putridis, effumantibus ad Cor, ipsi commentantur, vana omninò sunt; nam si putridę essent, excurrendo per venas, sanguinem, reliquosque humores inevitabiliter inficerent, perenni cum iisdem societate; quin improbabile prorsùs est, unum humorem in-

tra venas putrescere, cæteris una simul commistis non æquè in putredinem adactis, præsertim cùm pituita, vel melancholia in Quotidianis, & Quartanis febribus putruerint, immunibus intereà à putredine bile, & sanguine, ad illam contrahendam aptioribus. At de hac re fusiùs egimus in tractatu de Febribus, ubi ad fermenta, fermentationemque variam in sanguine inductam omnia retulimus. Illud autem nunc hisce tribus febrium speciebus hoc loco ab Hippocrate memoratis commune videtur, quòd acritudinem in sanguine inductam consequantur, per quam facillimè is ad fermentescendum disponitur, unde postmodùm ardores, inquietudines, sitis, vigiliæ, insomnia perturbata, deliria, vomitus, cardialgiæ, diarrhϾ, aliaque id genus oriuntur.

Atque hinc est cur Æstate potissimùm eveniant, cùm scilicet Aeris æstu attenuantur humores, sanguinis motus celerior fit, aquei liquores per sudorem uberrimè egeruntur, adeòq; in cunctis humoribus facilis commotio, ac fermentatio concitatur, cum acritate, ac sulphurea quadam inflammabilitate, quam sępissimè istiusmodi febres tertianæ, & ardentes comitantur, stipatæ symptomatis idipsum omninò attestantibus.

At mirum fortasè videbitur, cur Hippocrates inter morbos æstivos Quartanas febres referat, quas idem sequenti Aphorismo cum Autumnalibus junxit. Et quidem plerique Interpretes expungendas esse arbitrantur, quod neque in antiquis exemplaribus, nec apud Theodorum Gazam fidissimum, diligentissimumque Expositorem, nec etiam apud Galenum in hoc Aphorismo memorentur. Sed & neque Celsus hanc eamdem sententiam interpretatus

V. Fuchs. & Card.

Quartanarum meminit. Quamobrem non immeritò perperam adjectas hoc loco illas existimant. Verùm cùm idem Auctor 2. *Aph.*25. æstivas Quartanas scripserit magna ex parte breves esse, atque experimentis innumeris compertum habeamus plures per idem tempus vagari, procul dubio nil vetabit, quin etiam cum æstivis ægritudinibus illas connumeremus. Fortè autem difficilè visum est Commentatoribus ad æstivos morbos quartanas febres referre, quoniam creditum ipsis est hactenus, à solo humore melancholico, qui ęstate vigere non putatur, illas exoriri. At cùm febres istæ non ab humoribus, sed à periodis, quas servant, sint desumptæ, planè poterunt omnes ab omnibus, & singulis humoribus depravatis, ad certum tamen tempus cumulatis, ac fermentescentibus, progigni, ut aliàs à Nobis est demonstratum; sed enim, Hippocratis ætate, maximus error erat velle à succis febres periodicas determinare, cùm tum in confesso cunctis esset ab uno, eodemque humore, quascumque febres proficisci; unde ab eodem Hippocrate proditum est, omnes febres à bile fieri, diversimodè tamen affecta.

Vomitus Æstate faciles esse solent, tum quia Ventriculus eo tempore gravari solet excrementis ex mala ciborum digestione cumulatis, ab fermentorum dissolventium hebetudine, tum quia malè confectus, degeneratusque chylus, in acres, fastidientesque humores versus, infensa quadam oleositate Ventriculum nausea, & subversione afficit, atque ad vomendum lacessit, cujus indicio est oris amarities, sitis, ciborum fastidium, & quædam stomachi laxitas, ac molesta perturbatio; unde promta, & facilis vomitio. Quòd si fortassè succi isti vel sponte sua defluant, vel

vel adigente Ventriculo per fibras in Pylorum, & Inteſtina protrudantur, everſis una ſimul humoribus è ductu Pancreatico, & Cholidico eodem confluentibus, alvi profluvia contingunt, quæ hìc græco nomine diarrhœæ ſpecialiùs appellantur; idque potiſſimùm, cùm alimenta labiliora fuerint, veluti fructus horarii dicti, qui fermenta ipſa pervertant magis, ac diluant, atque inteſtina laxent, indeque facillimè ſeceſſus moveant. Sed tamen æſtivo tempore bilioſæ ſuperfluitates è ſanguine copioſiores cumulantur, atque in Cyſtim, & cholidochum deducuntur, itemque liquor Pancreaticus acrior, & tenuior eſſe ſolet, qui & potentiùs exſolvit, & vehementiorem cum felleo humore fermentationem excitat, & acriùs quoque inteſtina ad motum periſtalticum proritat; undè nedùm diarrhœæ, ſed etiam dyſenteriæ, atque choleræ, aliæque ſimiles egeſtiones inferri poſſunt.

De Oculorum lippitudinibus res eſt evidens, quod ſæpiùs in Æſtate vagentur, à nimio Aeris æſtu, à pulvere, à lumine tunc conſertiori. Num autem humidæ, vel ſiccæ hìc intelligantur, nonnulli ambigunt. Et quamvis de utriſque ſermo videatur habitus, cùm ab æſtu ſiccæ, atque à defluente in oculos liquato per calorem ſeroſo humore humidæ dici poſſint, quia tamen Hippocrates alibi ſiccas expreſſit, hìc reticuit, videtur humidas voluiſſe notare, nàm cùm illas maluerit intelligere, ſiccas ſemper lippitudines in Aphoriſmis adjecit. Sed tamen opinari licebit, tum humidas, tum ſiccas hoc loco conſideratas, utpote indefinitè ſumptas: humidas quidem in obeſioribus, & ſucciplenis; ſiccas verò in picrocholis, & gracilibus.

At major difficultas eſt de Aurium doloribus: ſiquidem hi potiùs Hyemis, quàm Æſtatis ægritudines videntur, quemadmodùm idem Hippocrates anteà retulit: quippè hujuſmodi dolores à delabentibus è Capite in aures excrementoſis humoribus progigni ſolent, qui cùm Hyeme potiſſimùm ſuperabundent, & Caput oppleant, non videntur propterea æſtivo etiam tempore prævalere, in aures deferri, & dolores incutere: quòd ſi non minùs Hyeme, quàm Æſtate vigeant, & ejuſmodi mala pariant, profectò nullum tempus ab hac aurium moleſtia immune erit, cùm cæteroqui æſtivum tempus vim habeat quaſcumque ſeroſas ſuperfluitates, ſaltem per ſudorem, abſumendi. Verùm Aurium dolores cùm varii eſſe poſſint à varietate delabentium humorum, poterunt quoque aliis anni temporibus inferri. Hyeme namque, & in Conſtitutionibus auſtrinis à lympha Caput gravante, aures dolebunt, dolore tamen obtuſiori, unde etiam ſubſurditates fieri anteà notatum eſt; At verò Æſtate, dolores pungentes, & acerbiores accident, ab humoribus tenuioribus, & acrioribus illati: modò hos aures petere manifeſte docuit Hippocrates 4. *Aphor.* 28. inquiens: *Quibus bilioſæ ſunt dejectiones, hæ ſuperveniente ſurditate ceſſant, & quibus ſurditas adeſt, ſupervenientibus bilioſis dejectionibus, ceſſat.* Et *tex.* 60. *ejuſdem libri*: *Quibus in Febribus aures obſurduerunt, ſanguis ex naribus fluens, aut alvus turbata, ſolvit morbum.*

Oris exulcerationes fieri etiam poſſunt Æſtate, vel ab illabente ſero tunc temporis acriori, vel à conſimili ſalivarii roris vitio, vel ab halitibus è Ventriculo malè affecto elevatis,

vel

veleti am à molestis acrium, & erodentium succorum vomitionibus, quibus non rarò & os, & fauces, & guttur, & dentes graviter offenduntur.

Genitalium putredines hìc memoratæ, exponuntur à quibusdam pudendorum ulcerationes, ut pubis simul, & sedis, adjacentiumque partium vitia denotentur. Illæ autem non solùm fieri possunt propter decubitum humorum acrium ad eas partes, sed etiam ob sudores, furfures, egestionesque alias per cutim æstivo tempore frequentiores, quæ nisi convenienter abstergantur, & repurgentur, procul dubio pustulas, & putrefactiones afferent, humida præsertim, & austrina constitutione; cùmque hujusmodi mala pudendis accidant ab iterato sudore, proindè addit Hippocrates in textu *Sudores*: Et quidem hi, peculiares sunt ejus tempestatis evacuationes, à tenuitate simul humorum, & à majori pororum Cutis laxitate. Neque verò simplices sudores intelligit, sed pustulas quasdam, quæ per id tempus à mordacibus sudoribus in cute erumpere solent. Græce enim scribitur ἵδρωα, latinè sudamina, quæ pustulæ sunt tenues, & rubræ per totum corpus dispersæ, aquea materia sudoris emula repletæ, & non rarò ardorem ingentem, ac pruritum molestum afferunt. Oriuntur à lympha, vel à sanguinis sero acriori, salsilagine muriatica prædito, ambientis Aeris æstu attenuato, atque ad habitum Corporis transmisso.

V. Hipp. 3. Epid. const. 3.

Cæterùm, quæ aliàs ad fugandas febres à nobis sunt recensita, hìc in usum revocari poterunt, ut ipsis per Æstatem imminentibus occurramus: præprimis autem repurgato sanguine, correctisque fermentis viscerum, unde ejusmodi labem exoriri suspicio est. Nec dissimiliter in cæteris ægritudinibus hoc Aphorismo memoratis operandum, cùm omnes ab eodem fonte proficiscantur. Cùmque hæc ex alibi dictis notissima sint, non est ut longiùs in iis enarrandis immoremur.

APHORISMUS XXII.

Autumno verò plurimi æstivi morbi fiunt, & febres Quartanæ, & Erraticæ, & Lienes, Aquæ inter cutem, & Tabes, & stillicidia Urinæ, & difficultates Intestinorum, & levitates Intestinorum, & Coxendicum dolores, & Anginæ, & Asthmata, Volvuli, Morbi comitiales, Furores, Melancholiæ.

Sicuti in Æstate dixerat, nonnullos Vernos morbos eo tempore contingere; ità nunc plurimos æstivos adhuc Autumno fieri asserit. Et quidem credibile est, eos Autumno etiam evenire, potissimùm inter illius initia, qui propter communem utriusque tempestatis, desinentis scilicet, & incipientis, habitudinem, maximam cognationem habent, & eorumdem succorum vitia, consequuntur, veluti sunt Tertianæ febres, tum continuæ, tum intermittentes. Sed præterea recenset speciatim Autumno vagari Quartanas febres, & Erraticas, & Lienes, nimirùm tumefactos, & obstructos, Aquas inter cutem, græcè Hydropes, Tabes, Urinæ stillicidia, lævitates, & difficultates Intestinorum, aliasque.

De Quartanis febribus nulli dubium est, quòd inter autumnales ægritudines sint recensendæ, cùm ab acidis, tartareis, seu melancholicis succis progigni perhibeantur, qui Autumno vigere solent. Erraticæ

etiam

etiam febres ejuſdem tempeſtatis peculiares dici debent, tum quia Autumnus ob ſui inæqualitatem heterogeneorum ſuccorum cauſa eſt, qui variè, differenterque corpora inficiunt; tum etiam quia humores ex præcedenti Aeſtate ad Cutim commoti, atque ſudoribus exſoluti, Autumno detinentur, ac ſparſim per membra Corporis diffuſi, inæqualiter illorum fermenta, & ſanguinem ipſum alterant, ideòque Erraticas pariunt ægritudines. Dicuntur autem febres Erraticæ, quæ certam periodum, & eumdem invaſionis modum non ſervant, ſed modò diebus ſingulis, ſed diverſis horis, modò alternis, & interruptis adoriuntur, & ægros affligunt, aliquandò noctu ingraveſcunt, interdiù quandoque, nonnunquam cum rigore, aut horrore, aliquandò ſine illo, modò his, modò aliis ſymptomatis ſtipatæ, de quibus ſcripſit Hippocrates *libr. de rat. vict. in acutis*: *Inconſtantes, & erraticos morbos curare non expedit, priuſquam conſtiterint*: ideſt, certa lege, & periodo invadere cæperint.

His plerique adjungendas eſſe contendunt febres illas, quæ Quintanæ, Sextanæ, & Septimanæ vocantur ab eodem Hippocrate 1. *Epidem.* moti authoritate Galeni negantis ibidem Quintanas, Sextanas, & Septimanas febres, eaſque ex accidenti tantùm haberi poſſe, putà cùm quis ex periodica febre convaleſcens ob errorem in victus genere commiſſum, febrem Ephemeram incurrat, quæ ab ultima acceſſione febris periodicæ diſtet intervallo quinque, ſex, aut ſeptem dierum, unde poſſit quintana, ſextana, aut ſeptimana appellari. At verò iſti longè, lateque falluntur: Etenim Hippocrates non febres ibidem ex accidenti, & irregulariter inductas deſcribit, ſed periodicas, & ordinatas, illaſque veluti ſæpiùs obſervatas memorat; Erraticas verò febres haudquaquam convenire poſſe cum quintanis, ſextanis, aut ſeptimanis, inter periodicas ab eodem Hippocrate relatis, evincitur clariſſimè ex Celſo, qui erraticas, incertas vertit, quæ ſcilicet nullum ſtatum tempus, nec ullum acceſſionum, & remiſſionum ordinem ſervant, quemadmodùm habent periodicæ. Error autem iſtorum inde ortum habuit, quia putarunt cum Galeno à diverſis ſpecie humoribus periodicas febres diſtingui, putà Tertianas à bile, Quartanas à melancholia, & Quotidianas à pituita, cùm tamen potiùs à reditu, & circuitu, quem referunt, tales appellandæ ſint. V. hiſtor. Cleanactidis 1. epidem.

Lienis tumores à reſtagnante ibidem ſanguine acidiori, ac melancholico fieri, apud omnes in confeſſo eſt; unde lienoſi colore liveſcunt, ventre tument, ſiniſtro præſertim hypochondrio, reliquo Corpore macreſcunt, & in cunctis operationibus hebetes evadunt; Hinc notavit idem Hippocrates *lib. de loc. in hom.* eo vivaciores, ſalubrioreſque fieri homines, quo lien magis detumuerit, & mole fuerit imminutus; at contrà valetudinarios eſſe, quibus increbruerit; quamobrem Alciatus illum comparavit Fiſco, qui alienis opibus diteſcit, inquiens, *libr. 2. Embl. 97.*

Splene aucto, reliqui tabeſcunt Corporis artus:
Fiſco aucto, arguitur civica pauperies.

Sed unde id accidat, difficile eſt determinare. Qui illum cum Jecore ſanguinis officinam credidere, plus juſto per ramum ſplenicum chylum Hepati ſubtractum ad ſe trahere arbitran-

bitrantur. Thomas Bartholinus, acidum sanguinem fermentantem reliquo Corpori detrahere putat, indeque maciem universalem exoriri. At existimaverim Ego vicissim sanguinem, & lienem infici crassitie, & acore, eòque veluti inutili corpus non ali, sed potiùs coinquinari, ac macrescere; hunc verò obstrui, & tumefieri.

Eximi cæpit nunc ultimò Lien è Canibus in Anglia, & Bartholinus *in Anatome Renov.* refert se ejusmodi extractionem felici cum successu vidisse institutam coram Friderico III. Rege Danorum, animalibus exindè superstitibus sanis, & agilibus. Lienes etiam è Canibus exemptos vita superstite testatur Barbette *prax. lib.3.cap.*10. In Vetula etiam splenis scirrho laborante tentatam fatetur Leonardus Fioravante, quæ supervixit, atque aliam memorat Clerkius in Rustico quodam apud Bonetum *Med.sept.tom.*1.*lib.*3.*s.*20.*cap.*12. Fabulosam nihilominùs illam putat idem Bartholinus in hominibus, quippe qui subindè vasa plurima frangi necesse dicat, non sine vitæ periculo: additque invectam esse hanc fabulam à Plinio, & antiqua Eresistrati opinione, qui lienem frustrà animantibus à Natura inditum affirmabat, cùm quæ urinaria Vesica carent, liene quoque sint orbata. At non video qua ratione idipsum peragi non possit in hominibus, quod in cæteris animalibus actum ipsemet Bartholinus, aliique fatentur, nisi solùm ex imminenti vitæ periculo ab infelici ejus operationis eventu: non etenim tam temerè licet humanum corium æquè, ac belluinum negotiari.

Et in Epist.

A tumoribus, & obstructionibus Splenis sæpe Hydrops oritur, latinè Aqua intercus, cùm exinde aqua intercutem collecta tumorem efficiat, non rarò etiam universalem, qui si digitis comprimatur, foveam relinquit. Veteres existimarunt aquam hanc in Hydropicis colligi, aut vitio Hepatis in aquosum humorem chylum commutantis, aut ex abundantiori melancholico Lienis humore, qui ab Hippocrate sub nomine aquæ fuit pluries indigitatus. Sed nuperrimis observationibus jam innotuit à lympha, è suis vasis relaxatis, aut diruptis, exiliente provenire, quæ si in toto Corpore colligatur Anasarcam, si in imo Ventre Ascitem, si in solo Capite Hydrocephalon, si in scroto Hydrocelem, atque alibi, alias hydropises particulares pariat; Cùmque vasa ista plurima per Jecur, & Lienem diffundantur, propterea fit, ut ex illorum affectionibus sæpesæpiùs Hydropes oriantur.

V.Gal.2. progn. comm. 1.

Quòd Tabes in Autumno plerumq; contingant, superiùs quoque notatum est; immò quòd eo tempore tabidi malè se habeant, & periclitentur, docuit hoc eodem libro Hippocrates. Videtur autem macies tunc fieri sensibilior, quoniam ob temporis inæqualitatem sanguis per Pulmonem trajectus diversimodè afficitur, & iteratis Aeris vicissitudinibus perpetim alteratur, atque à blanda sua indole, partibus nutriendis amica, non parùm declinat. Sed & humani Corporis habitudo, non minùs, ac cæterorum viventium, ea anni tempestate, non leviter permutatur; tunc quippe quemadmodùm Arbores, & Plantæ universæ defrondent, ac veluti succo nutritio privatæ, contabescunt; ita pro modulo suo humana Corpora nutricationibus deficiunt, eaque potissimùm, quæ gracilia sunt, & sanguinem sunt nacta morbosiorem, vel saltem minùs defæcatum; Atqui longe graviùs

viùs degunt, qui tabidi sunt à Pulmonis vitio, ut anteà fusiùs ostensum est *Aphor.* 10.

Stillicidia Urinæ, græcè strangurię, frequenter Autumno inchoant, & frequentiùs quoque exasperantur. Cùm enim hæ ab humorum in illos ductus confluentium acritate, aut ab ulcere ibidem contracto, aut etiam ab angustia, tuberculis, calculis, arenulis, glutinosisque succis inducta, procedant, sane per Autumni tempus, quo hæc omnia increscere solent, vel incipiunt, vel augescunt.

Referuntur insuper inter ægritudines Autumnales difficultates, & lævitates Intestinorum, quæ licet oppositis de causis evenire videantur, ut propterea à Celso *lib.* 2. *cap.* 1. ac Theodoro Gaza, sint in expositione hujus Aphorismi prætermissæ Dysenteriæ, non tamen eas simul inferri credendum est, sed prout illæ diversis in Corporibus prævaluerint. Et quidem si in alvum superfluitates humorales per æstatem cumulatæ, atque mox Autumnali tempore compressæ, ac depravatæ, deponantur, orientur Dysenteriæ; si verò delaxentur viæ intestinorum, ac succi dissolventes diluantur, contingent Lienteriæ. Congestæ cruditates ab immodico usu fructuum, ab intempestivis potationibus gelidarum aquarum, idque genus aliis, idipsum parere possunt, modò invertant, depravent, corrumpant, tum fermenta Stomachi, tum Intestinorum liquores, alimentorum dissolutioni, ac secretiori inservientes. Sed & difficiles, ac dolentes egestiones non raro insequuntur fæcum duritiem, atque viscosos, hærentesque succos vellicante acore molestos, ut in Tenesmo, qui Autumnali præsertim tempore ab iisdem suprà memoratis Causis fieri consuevit.

Coxendicum dolores, græcè Ischiades, inferri dicuntur à luxatione ejus articuli, quo Ischium cum Ilio jungitur: luxationem autem hanc efficiunt crassi, glutinosique humores, qui in cavum juncturæ horum ossium inseruntur, & Ischium præsertim, seu Coxam in sensu, motuque divexant, & membranas circumvestientes nervulis fere innumeris refertas acerbissimò dolore excruciant. Solet etiam non raro insequi vitium depluentis succi in medullarem Ischii substantiam, qui membranulam circumambientem vellicet, & compungat. Non semel quoque observatum est, dolorem hunc oriri ab affecto perioſtio, quo deinde siderato fit, ut coxa universa sensim Paralysim, & totius cruris Tabem incurrat.

De Anginis nil est aliud, quod hìc repetamus, cùm de iis alibi à nobis actum sit. Solùm adnotare juvabit, progigni illas Autumno partim ab ambiente Aere inæqualiter affecto, & gutturis, ac faucium musculos exasperante, partim etiam à detentis halitibus, qui ad organa vocis potissimùm delati inflammationem, & tum deglutitionis, tum respirationis difficultatem pariant.

Si verò decumbant humores in Pulmonem, ac ductus Aeris impediant, graventque sua corpulentia spongiosam, raramque ejus visceris substantiam, Asthma exoritur, seu creber anhelitus, gravior tamen, vel levior, pro majori, vel minori ejusdem infarctu. Videtur autem hoc loco Hippocrates eam solummodò speciem designare voluisse, quæ difficilem quidem efficit spirationem, sed absque multo conatu, & ronchis, ut accidit in Orthopnæa; quamobrem non immeritò usus est nomine

mine Asthmatis, quamvis Cardanus anhelationes exponat.

Volvuli græcè Ilei, ab Intestino Ileo, & Volvulo, quod speciatim in his affici putatur, morbi sunt, in quibus nil per alvum egeri potest, sed fæces sursum, inverso motu peristaltico, delatæ, per os excernuntur. Quamquam Hippocrates in Epidemiis memoret fœminam quamdam volvulosam modicos quosdam secessus habuisse, eorum forte humorum, qui postrema intestina occupaverant. Frequentiores causæ hujus affectionis esse consueverunt inflammatio Ilei intestini, aut circumsiti Mesenterii; duriora plus justo excrementa, glutinosisque succis referta; atque ejusdem Intestini convolutio, vel delapsus. Modò, quæ ex his Autumno sæpius accidat, videtur à fæcibus constipatis, compactisque succis oriri; unde etiam delabi, & contorqueri queat Intestinum.

Comitiales Morbi per idem tempus fieri dicuntur à Galeno propter Aeris inæqualitatem, quæ maxime apta esse solet tum ad debilitandum Caput, tum ad heterogeneos humores inducendos, præsertim melancholicos, & acidos; unde illi plerumque excitantur. Hinc Hippocrates in Epidemiis inquit: *Melancholici fiunt Epileptici, & Epileptici Melancholici: Et qui morbo sacro corripiuntur quartana superveniente liberantur*, translato scilicet vitioso humore è Cerebro in partes Corporis inferiores, atque per febrim sensim absumpto.

Eodem modò dici possunt progeniti Furores, & Melancholiæ, quæ ægritudines sunt valde Melancholicis familiares, in quibus acidum adeò prævalet, ut sæpenumerò ad timorem, & mestitiam cuncta conspirent.

Ne autem mala ista ingruant, oportebit statim ac opportunum tempus incipientis Autumni tulerit, Corpora his obnoxia ejuscemodi superfluitatibus repurgare, atque salubriori, temperatiorique victu alere. Quocirca ex Hippocrate Galenus *Comm.* 47. 6. *Aphor.* commendat in iis, qui ægri futuri sunt, convenientem purgationem malè affectorum humorum, ut subindè prævertatur illorum malitia, atque imminens, aut futurus Morbus prohibeatur; Neque solùm purgatione satis erit superabundantes, vitiososque succos educere, sed & ultrà opus erit relictum fortassè in sanguine, aut viscerum fermentis vitium emendare, usu præsertim medicamentorum acido, Autumno vaganti, occurrentium, qualia sunt, quæ ex chalybe conficiuntur. Postquam autem Morbi advenerint, oppugnato iis, quæ in nostra Praxi sigillatim sunt recensita.

APHORISMUS XXIII.

Hyeme verò Morbi laterales, & Pulmonis inflammationes, Gravedines, & Raucedines, Tusses, dolores pectoris, laterum, lumborum, & Capitis Vertigines, & Apoplexiæ.

NUm in hoc etiam Aphorismo inter morbos hyemales referendi sint nonnulli ex Autumnalibus, quemadmodùm in cæteris Anni tempestatibus anteà notavit Hippocrates, valdè dubitat *in Comm.* Gal. Sed parum refert, *sive ex communi voluerit*, ut ipsemet subdit, *hoc quoque in loco Nos subaudire dictorum aliquid; sive simpliciter pronunciare, tanquam nihil autumnale tempus cum hyemali communicet.*

Ve-

Verum enim verò voluit solùm hìc ægritudines hybernas referre, quæ frequentiores, urgentioresque esse solent, omissis aliis, quæ communes forent, & tacitè subintelligi viderentur.

Primò autem Pleuritides, seu Morbos laterales recenset; mox addit dolores pectoris, & laterum, ne quis putet, eumdem morbum sub diversis vocibus inutiliter repetitum significare. Et quidem morbos laterales hìc intelligi proprie pleuritides, græcus Codex manifestè declarat; laterum verò, & pectoris dolores solummodò ad musculos, & partes externas Thoracis pertinere putandum est, cùm non raro doleant solùm Costæ, & partes exteriores pectoris citrà inflammationem, à solo confluxu serosioris lymphæ in glandulas ejusdem subtercutaneas, vel etiam ab impedita perspiratione. Addidit insuper Pectoris, & laterum, desumpta nimirum differentia nominis à loco potiùs, quàm à natura ægritudinis, quoniam aliquandò dolent partes Thoracis anteriores, quas pectus appellamus; quandoque verò latera, & partes ejusdem posteriores, scapulæ, dorsum.

At unde Morbi laterales, qui inflammationem præseferunt, hyberno tempore algido contingant? Profectò eos progigni fatendum ab impeditis, detentisque halitibus, qui cùm pectoris internas partes ab inspirato frigido aere non leviter affectas, potissimùm invadant, propterea Pleuritides, & Peripneumoniæ suboriantur. Accedit, quòd hyemali tempore sanguis consistentior fit, atque glutinosis, acidisque succis inficitur, qui exiles, angustasq; pleuræ arteriolas pervadere nequeuntes, facile in his hærent, & inflammationem inducunt. Eadem ratione Pulmonis Inflammationes per idem tempus accidunt, atque eo magis, quo Aer impurus, & nitratis vaporibus refertus ejusmodi consistentiam in sanguine adjuverit, transitu per pulmonis vasa habito, ubi Aer cum illo commiscetur, observatione Lovverii.

Gravedines, & Raucitates Hyeme potissimùm vagari notissimum est, tum à serosis humoribus tunc vigentibus, tum ab humidis, & austrinis Aeris alterationibus, Cerebrum, cunctasque glandulas gravantibus, ut alibi etiam notavimus. Cùm verò non solùm Caput asperæ Arteriæ, sed etiam bronchia, & Pulmo ipse immodicè irrigantur, quinimmò (ut sæpe evenit) quodammodò obstruuntur, Tusses quoque fiunt, & Anhelationes, aliæque pejores Pectoris, & Pulmonis ægritudines.

Quòd si humores isti, vaporesque internam pectoris partem non occupent, sed potiùs externam, quę Costis adjacet, dolores afferent laterum, & lumborum, læsis nimirùm musculis ibidem dispositis; cùmque partes istæ mutuò communicent inter sese, propterea fit, ut non rarò simul unà compatiantur, quare ægrotantes ipsi indiscriminatim de dolore dorsi, scapularum, laterum, & lumborum conqueruntur, & vicissim unum pro altero accusant.

Non dissimili modò Capitis dolores fiunt, cùm humores, vaporesq; meninges Cerebri, aut pericranium afficiunt. Multoties autem Catarrhos prænunciant: quippe ii primùm in Capite cumulantur, mox alias partes petunt, & alias, diversasque affectiones, pro partium affectarum diversitate, parturiunt.

Vertigines demùm, & Apoplexias anteà quoque retulit Hippocrates

eve-

evenire ex constitutionibus Austrinis, & pluviosis, quæ cùm potissimùm hyemali tempore contingant, non mirum si illæ inter hybernos morbos hoc loco recenseantur. Adjectós quoque legimus in græco Codice Lethargos, quos non dissimiliter oriri per easdem Austrinas Hyemis constitutiones palàm unicuique est. Et licet Galenus *in hujus Aphorismi Commentario* illorum non meminerit, hanc eamdem tamen Hippocratis sententiam referens 8. *de plac. Hipp. & Plat.* cum gravedine, raucitate, & tussi, lethargos etiam connumerat.

Hybernis modò hisce calamitatibus præcipuè occurremus indicta victus ratione, quæ cumulatas fortasse humidas superfluitates, atque inductos jam crassos, acidosq; succos diluat, & absumat; itemque exhibitis medicamentis alkali volatili præditis, quæ unà simul valeant Viscera, & præsertim Cerebrum roborare, sanguinem vividiorem reddere, crassos succos attenuare, atque per suos ductus, prout res ipsa exigere videbitur, deducere. Hac sanè ratione plures catarrhis obnoxii salubriùs Hyeme, quum frequenter ægrotare consueverant, in posterum degerunt, quàm Æstate.

APHORISMUS XXIV.

In Aestatibus autem talia contingunt: Parvis, & nuper natis Puerulis, oris ulcera (quæ Aphthæ vocantur) Vomitus, tusses, vigiliæ, pavores, umbilici inflammationes, aurium humiditates.

A Morbis Anni temporum, ad eos transit Hippocrates, qui ætatibus contingunt, & in iis ordinem, ac doctrinæ connexionem præ cæteris servat. Distinguit enim illas in septem, ac primam, quæ Infantilis dicitur, ab ortu ad septimum mensem, cùm pueruli dentire incipiunt, obnoxiam ait Aphthis, vomitui, tussi, vigiliæ, pavoribus, umbilici inflammationibus, & aurium humiditatibus, non quòd his solùm, sed quòd præ cæteris; Quoniam à subita mutatione, quam nuper nati subire coguntur, tum Aeris, tum alimenti, necesse est sanguinem, aliosque liquores, & Viscera universa quadantenùs alterari; unde ejusmodi ægritudines prodeant.

Aphthæ illis accidunt, vel à lacte acri, & salso, vel à sero, & lympha per ductus salivarios in palatum delabente. Sunt namque Aphthæ oris ulcuscula, quæ palatum, linguam, & fauces non raro exedunt, si præsertim diutiùs serpant: albicant, & multoties totum oris cavum occupantes, suctioni impedimento sunt, & nisi citò succurratur, mortem inferunt. Solent etiam subsequi gallicam à parentibus, & nutricibus contagionem, & quandoque etiam ex lue infectorum osculis, amplexibus, halitu, proficisci, cùm tenellæ infantium Carnes facilè quacumque de causa infici possunt. Neque verò solùm Pueris, sed etiam adultioribus illas accidisse compertum est, adhuc venenatas, contagiosasque, & Hippocrates 3. *Epidem.* memorat viguisse olim quasdam Aphthas deleterias, & contagiosas à pestilenti constitutione.

A lactis etiam vitio Vomitus sæpissimè Puerulis accidit, vel quia in ventriculo acescit, & coagulatur, vel quia sero abundans fibras laxat, atque adeò ad vomendum lacessit. Potest prætereà è Vermibus vomitus inferri, sicut etiam à Ventriculi languore,

guore, cùm non raro qui diù frigido Aeri expositi fuere, vomitionibus corripiantur, quique lac suxerunt à Nutricibus cibos fastidientibus, aut perperam pastis, ob malam esculentorum conditionem.

Ab Aere tusses fiunt: cùm enim recens in lucem editi Aerem inspirent inæqualiter affectum, & plerumque frigidum, non mirùm si tussi corripiantur, quòd si fortasse, præter Aeris alterationem, delabantur etiam serosi humores in Tracheam, & bronchia Pulmonis, non solùm Tussis orietur molestior, sed etiam periculosa, à qua facilè pueruli suffocari possunt, cùm nequeant sufficienter extussire, & excreare; quamobrem, stagnantibus humoribus in Pulmone, facilè opprimuntur, & suffocantur.

Vigiliæ accidunt puerulis, vel causa tussis, vel ob Ventris tormina, quibus plurimùm obnoxii sunt, vel propter immodicas egestiones ex corrupto lacte progenitas, quæ illis non levem molestiam afferunt, vel ob easdem retardatas, ac diminutas, unde Intestina distendantur, & dolorem excitent. His accedunt etiam, quæ ab Umbilico recenter exsecto iis accidunt; quippe in eam partem quandoque sanguis irruit, ichores confluunt, & tumefaciendo non rarò Exomphalon inducunt. Non tamen vigiliæ istæ diuturnæ admodùm erunt, quemadmodùm in Adultioribus, & Senibus, sed solùm comparatæ ad statum, conditionemque illius ætatis; siquidem puelli proclives sponte natura sunt ad somnum, ut propterea majorem temporis partem dormiendo consumant. Cùm ergo à consueto, naturalique statu recessum faciunt, vigiles dicuntur.

Pavores proprii sunt illius ætatis. Cùm enim pueruli insueti sint, commotiones, strepitus, aliasque perturbationes pati, quacumque proindè de causa percelluntur, contremiscunt, & pavent. Quòd si à lacte in Ventriculo, aut Intestinis corrupto, vel coacto, ac ferè in caseum verso, originem trahant, profectò compunctiones præerunt, unde non solùm pavores, sed etiam motus spasmodici, atque Epileptici subsequentur, aut sola per fibras nerveas perculsione, aut etiam infensa per easdem evaporatione in Cerebrum perlata.

Umbilici Inflammationes Puerulis quoque frequentissimæ sunt, tùm ob nuperam umbilicalium vasorum resectionem, ubi sanguis facilè stagnat; tum à vagitu, quo partes illę intumescunt, & inflammantur. Sed & non rarò vasa ipsa delaxantur, & sanguinem effundunt, non sine vitę periculo; quamobrem Obstetrices statim à partu arctè illa vinciunt, & postquam fuerint rescissa pulvere coccineo, aliove astringente inspergunt, ut sanguinem sistant, & inflammationem inhibeant.

Aurium humiditates sæpè etiam Puerulos molestant, Cerebro per eam ætatem laxiori, atque humoribus tum ex Aere, tum ex lacte, scatente. Notavit autem specialiter Hippocrates humidas Aurium sordes, quia reliquæ per nares, & os, sine dubio ejusmodi sunt; quæ verò ex auribus prodeunt compactiores natura esse solent, & longè cæteris parciores. Neque tamen solùm per aures, sed etiam per totum Caput, collum, & faciem serosa excrementa repurgantur, immò aliquando nec satis, ut & colli glandulæ non intumescant, strumarum instar, non sine graviori malo.

Ut igitur ab his infantes præcaveantur, statim à partu cochleare unum olei amgydalarum dulcium sim-

simplici expressione eliciti, & sacchato rosato commisti sorbeant; mox injurias ambientis Aeris evitent, deindè lac sugant à nutricibus sanis, optimè altis, sobriis, juvenibus, hilaribus, & bonæ constitutionis. Præferendum autem semper foret maternum, veluti magis analogum ei, quod intra Uterum saltem ultimis diebus cessit illis in alimentum; idque nedum ad Corporis salubritatem facere, sed etiam ad mores, ostendere satagit Phavorinus apud Gellium. Inde enim ea præsertim beneficia Lib. 12. cap. 1. prodeunt, quæ è Colostro exsucto oriri palàm est, quippe est hoc illis utilissimum medicamentum ad repurgandas universas Ventris sordes, inhibendasque lactis coagulationes; unde tot, ac tanta mala Infantibus contingunt. Sed quis unquam id vulgo, ac ignaris Medicis persuaserit? hi enim primum lac è mammis prodiens adeò nocuum existimant, ut pro veneno habeant. Cæterùm omnia alia remedia, aut vana sunt, aut nocua, præsertim si interiùs adhibeantur; cùm tenelli puerulì nil quidpiam aliud sufferant ore assumptum, quàm purum lac; quandoquidem Ventriculi fermentum nulli alii, quàm lacti dissolvendo, tum est aptum, per mollem, laxamque ejus ætatis constitutionem.

APHORISMUS XXV.

In progressu verò, cùm iam dentire incipiunt, gingivarum prurigines, febres, convulsiones, alvi profluvia, & maximè cùm caninos edunt dentes, & iis præsertim pueris, qui crassissimi sunt, & alvos duras habent.

PLerumque incipiunt dentire Pueri septimo mense; sed tamen & ante hoc tempus quoque passim experimur, immò & quosdam cum dentibus intra uterum progenitis prodiisse, & vidimus nos, & alii plurimi fatentur; unde dentatos illos dici refert Plinius: Hinc autem Lib. 7. c. 19. non reverà nasci dentes putandum, quasi verò post aliorum ossium structuram generentur, sed solùm per eam ætatem erumpere, & conspicuos fieri, nimirùm è maxillarum alveolis, in gingivarum fastigium productos; quamobrem has quodammodò perforari, ac lacerari contingit; unde tantus dolor, cum pruritu, febribus, aliisque symptomatis. Indicio autem est mandendi aviditas, qua nimiùm anxii, & lac iterato sugunt, & mammarum papillas mordent, & quidquid illis offertur, dolentibus gingivis apponunt, ut veluti à Natura edocti dentium eruptionem coadjuvent. In quam eamdem rem peritæ nutrices pastillos huic usui conferentes conficiunt, & dentientibus puerulis data opera mandendos exhibent.

Accidunt hoc eodem quoq; tempore febres; sive quòd adveniant symptomaticæ à dolore, & inquietudine puellorum, sive ab impetu Naturæ, dentium eruptionem promoventis; sive etiam à permutatione fermentorum, quæ in cibos deinceps mandendos in Ventriculo acuuntur; ut proindè fermentatione excedenti in sanguine inducta febris oriatur, quæ illius ætatis comes est indissolubilis. Si tum enim incipiunt Pueri solidiores cibos exquirere, & mandere, planè fermenta exigunt valentiora, quæ illos conficiant. Hac propterea de causa sanguis mutatur, felleus humor cumulatior fit, urinæ coloratiores apparent, fæces compactiores, furfures abundantiores,

inno-

innovati, permutatique Corporis argumenta.

Convulsiones, seù motus Convulsivi per hoc etiam tempus accidunt, vellicatis nimirùm Nervis à vaporibus, vel humoribus ex mala lactis, aliorumque ciborum commistione progenitis; siquidem facilè lac acescit, & corrumpitur à miscela cujusvis alterius rei cum illo non consentientis; unde hæc, & alia graviora mala oriri possunt. Non tamen est necesse, ut humores, aut vapores ex vitiato lacte, & cibo degenerati, Cerebrum, & nervorum principium petant, cùm si tantùm Intestina vellicent, Pylorum, Ventriculum, in Puerulis, motus excitent convulsivos, ob nimiam partium teneritudinem, vel saltem cruciatus, tormina, inquietudines, dentium stridores, vagitus, & ejulatus.

Quemadmodùm vitiosi succi, si Cerebrum, & nervos afficiant, Convulsiones, & Epilepticos motus pariunt; ita si ad alvum vergant, afferunt Diarrhœas, ex levissima etiam causa fieri solitas in illa ætate; unde Hippocrates *peculiari libello de Tentitione* inquit: *Quibus in dentitione alvus plus subducit, minùs convelluntur: qui verò dentientes habitiores manent, & altiore somno utuntur, magis obnoxii sunt convulsioni. Qui hyeme dentiunt, reliquis similibus existentibus, meliùs liberantur: non omnes in dentitione convulsi moriuntur, sed multi etiam servantur, &c.* Itaque juxta humoris abundantiam, & in unam, aut aliam partem Corporis inclinationem, diversa contingunt pueris dentientibus accidentia; ut proindè jure dictum sit, quibus alvus plus subducitur, minùs convelluntur, deposito nimirùm ad alvum humore. Quid autem pro alvi profluviis intellexerit Hippocrates dubitari potest. In Græco Codice scribitur διάῤῥοιαι, ægritudines quidem alvi, atque ex humoribus acribus, & biliosis progigni putatæ. Verùm pueruli neque humores istos generare dicuntur ex Galeno, neque in alvi profluviis humores egerunt acres, amaros, & biliosos, ut patet ex linctu canum, qui egestas ejusmodi puellorum fæces avidissimè devorant. Hinc crediderim Diarrhœam hìc intelligi latissima planè significatione, ut omnem, & quamcumque excedentem alvi evacuationem complectatur; quippe in puellis egestiones immoderatæ pendent solùm ab indigesto, & degenerato lacte, quod licèt colorem aliquando referat flavescentem, non tamen acritatem, aut amarorem sapit, nec biliosam, felleamque conditionem, sed solius serosæ, nec omninò butyro exutæ portionis depravatæ materia est: serum namque, & butyrum cùm permutantur sæpissimè flavum colorem exhibent; præterquamquòd à varia, diversaque mistura cæterorum succorum, atque à depravatis secretionibus, non raró etiam in adultioribus, hi, aliique colores in excretis observari consueverunt, ut propterea nimiùm coloribus credendum non sit, quòd & aliàs à nobis est notatum.

Hæc autem illi potissimùm ætati accidere subdit Hippocrates, cui dentes canini erumpunt; suntque hi, quos Græci Cynodontas appellant, vel quòd Canum dentibus exertis similitudinem referant, vel quòd soliditate, & acutie ad instar illorum cæteris præstent, & utrinque superni duo, totidemque inferni, quatuor primoribus, & incisoribus adjacent, duritie, firmitate, ac longitudine præcellentiores, cùm his res durissimas frangere soleamus. Aliquando,

ſtatim ac anteriores comparuerint, renaſcuntur; interdùm etiam poſteà ad annum, pro varia ſcilicet Corporum conſtitutione: quocumque autem tempore prodeant, ſemper ſunt cæteris moleſtiores.

Qua autem ratione iis præſertim iſta aſperiùs accidant, qui craſſiſſimi ſunt, & alvos duras, adſtrictaſque habent, majoris videtur ponderis difficultas. Galenus *in Commentario* id retulit ad convulſiones tantùm, ut proindè velit craſſiſſimos, & alvos duras habentes, convulſionibus magis affici, quoniam, inquit, iſti plenum Corpus habent, & abundans ſuperfluitatibus, ideòque convulſionibus facilè capiuntur. Sed reverà adjecta hæc verba referenda ſunt ad omnes antedictas affectiones, ut ſenſus fiat, eos potiſſimùm puerulos prænarratis ægritudinibus obnoxios eſſe, qui craſſioris, ſeù obeſioris ſunt conſtitutionis, quoniam his humores inſunt copioſiores, excrementa ſeroſa cumulatiora, laxiores carnes, & minùs ſana Corporis habitudo, ut alibi edocet Hippocrates.

Sed cur etiam adjectum ſit, *& qui alvos duras habent*: cùm cæteroqui alvos duras nacti temperiem, & habitudinem præſeferant aridam, & exſuccam, carentem excrementis. Verùm duras alvos habentes à transfluxu humidarum ſuperfluitatum in alias partes Corporis; hìc ſubaudiuntur, in quibus ſcilicet areſcunt, & conſtipantur fæces, quia ſeroſiora excrementa detinentur, & alio vergunt, quo confluere non deberent; quamobrem ſanguis, lympha, liquor nervorum, aliique peculiares viſcerum humores, illis imbuti, ac malè affecti, febres excitabunt, convulſiones, dolores, aliaque incommoda graviora; Atqui in inteſtina fortaſsè delati, magis vellicabunt, & compungent, acriuſque torquentes, nedum alvi profluvia, ſed etiam tormina, lancinanteſque dolores inferent; cùm gravius diarrhœis afficiantur, qui ſtyptica ſunt alvo, quàm qui lubrica, vel ob deſuetudinem, vel ob exquiſitiorem partium ſenſum, vel ob majorem confluentium ſuccorum in illis acritatem. Sunt etiam qui putant dictiones illas disjunctim eſſe legendas, ut qui craſſiſſimi ſunt, obnoxii fiant prædictis affectionibus ex una, atque ex altera, qui alvos duras habent: utraque enim cauſa efficax eſſe poteſt convulſionis, aliarumque ægritudinum in hoc Aphoriſmo memoratarum: Et quidem hæc indicia tantùm ſunt pravę habitudinis, & exuperantis in Corpore morbificæ ſuperfluitatis. Verumtamen duram alvum habentes non omninò ſtyptici, & ſuppreſſione fæcum laborantes intelligendi ſunt, ſed qui non adeò lubricam alvum ſunt ſortiti, cùm pueruli univerſim ſolutum Ventrem habeant: quare ſtyptici ſolùm dicentur relati ad eos, qui ſolito lubriciorem nacti ſunt.

Tametſi hos dumtaxat dentitionis morbos recenſeat hoc loco Hippocrates, non tamen quis negaverit alios plures præter eos accidere poſſe: Etenim experimur per hoc idem tempus obnoxios eſſe puerulos Variolis, & Morbillis, quorum tamen nulla invenitur facta mentio apud Hippocratem, Galenum, cæteroſque veteres græcos Medicinæ ſcriptores, cùm ab Arabibus ſolùm in hæc noſtra tempora viguiſſe memorentur, ut latius infrà. Cæterùm his non aliter ac de aliis anteà dictum, convenienti lacte, uſuque rerum, dentitionem promoventium, providendum erit.

APHO-

APHORISMUS XXVI.

Cum verò jam magis adoleverint, tonſillę, & vertebrę, quę eſt in occipitio, ad interiora luxationes, crebri anhelitus, calculi, lumbrici rotundi, aſcarides, verrucę, ſatyrię, ſtrangurię, ſtrumę, & alia tubercula, ſed precipuè antedicta.

RECenſet jam tertiò Hippocrates ægritudines Pueritiæ provectioris, quæ ad duodecimum, vel decimumquartum annum extenditur, atque in ea ait primùm accidere tonſillas. Sunt autem Tonſillæ, glandulæ illæ, quæ ad radicem linguæ jacent, & cùm tumefiunt, ac inflammantur, ductuum Aeris, & cibi, anguſtiam afferunt, unde difficiles deglutitiones, & reſpirationes exoriuntur, quamobrem à Græcis pariſthmia appellantur. Ejuſmodi ergo inflammationes glandularum, aliarumque partium adjacentium, familiares ſunt Adoleſcentulis, aut quia ſanguis per eam ætatem vegetior, & abundantior factus nequit commodè intra proprios ductus contineri, ut propterea in vicinas partes effluat; aut quia refluentes per ſuos ductus à Capite lymphicos, & pituitoſos humores glandulæ iſtæ excipiunt, & tumefiunt, atque impedito aliquatenus in ipſis ſanguinis circuitu, nec illo ſat benè repurgato, ſimiles exoriuntur inflammationes.

Mox ſubdit, *Vertebræ occipitis ad interiora luxationes*. Hæ fiunt in pueris, vel à tumoribus, & inflammationibus muſculorum, & glandularum colli, ſiquidem eam ætatem valdè ſtrumis obnoxiam experimur; vel etiam ab illapſu crudorum humorum in interſtitia vertebrarum, quandoquidem laxatis, amplificatiſque viis, quæ muſculos, & ligamenta illarum interjacent, ob ætatem accretioni ſummè vacantem, promptius è Capite confluunt humores in vertebras, tunc magis motu exagitatas; unde facilè poſtmodum luxationes exoriuntur. Quòd ſi ulteriùs contingat impediri reſpirationem ab hujuſmodi vertebrarum Cervicis luxationibus, lethalis exurgit Angina, ut docet idem Hippocrates 2. *de morbis*.

Crebri præterea anhelitus iiſdem contingunt à congeſtis crudis humoribus in ductibus Pulmonum. Pueri etenim voraciſſimi ſunt, & facilè crudum nec bene elaboratum chylum conficiunt, qui deindè per ramum thoracicum in pulmonem perlatus, præ vaſorum anguſtia, & Viſceris laxitate, hæreſcit, & anhelitum inducit. Sed & comprimitur ſæpenumero Pulmo, atque in ſuo motu quadantenùs impeditur à ſanguine, tunc temporis vegetius fermenteſcente, & per Aeris miſturam vaſa ſpiritalia efficacius amplificante: quo fortaſsè argumento Galenus adnotavit 9. *meth.cap.*4. & 5. Synochas febres ex ſanguine progenitas Aſthmaticas eſſe, quoniam efferveſcens ſanguis pulmonis ductus vehementer dilatat, ejuſque ſubſtantiam opprimit, unde anhelitus, & Aſthma.

Calculi inſuper his fiunt, magis tamen in Veſica, quàm in Renibus: Iſti enim molles, & laxi cùm ſint, meatuſque habeant, qui per eam ætatem promptè expanduntur non tam facilè crudos, craſſoſque ſuccos detinent, ſed ultrò illos ſine ullo impedimento in Veſicæ cavum delabi ſinunt, ubi diutius hærentes in calculos vertuntur, adiuvante plurimum ſale illo urinario tenaces iſtos, tar-

tartareosque succos figente, & coagulante. Deponi autem crudos, crassosque succos, & quidem plurimos in Vesicam patet evidenter ex eo, quia puerorum urina multo, inutilique sedimento scatet, quod, cùm illa consistit, subsidet, & fundo matulæ hæret.

Lumbrici etiam sunt admodùm Pueris familiares, & tum teretes, tum ascarides dicti, de quibus latè Galenus *in Commentario hujus*. Modum autem, & locum generationis istorum, diversosque affectus exindè provenientes non est ut hìc diutiùs inquiramus; Sat enim ab aliis magnę notæ Viris de illis actum: solùm tamen addam, quòd quemadmodùm hi familiares sunt pueris, ita nullius periculi esse solent: quamvis si teretes Ventriculum occupent, vomitus, convulsiones, febres, & dolores pariant non omninò contemnendos.

Verrucæ, vulgò porri, sunt tubercula dura in cute erumpentia, rotunda, & sensus expertia. Sponte sua sæpenumero abscedunt, & exiccantur; aliquando verò etiam acribus, & erodentibus medicamentis non cedunt, atque ad plures annos perdurant. Comparent autem puerili hac ætate transpositis in cutim consistentioribus succis glandularum subtercutanearum, repurgatoque sanguine ab excrementis tartareis, & fæculentis, in callos veluti degenerantibus.

Satyriæ quænam sint, non adhuc benè constat inter Expositores. Galenus *in Commentario* ne verbum quidem de illis facit; meminit tamen earum alibi, referens voces Hippocratis rariores, vocavitque satyriasmos, vel potius satyrismos; tumores scilicet circa aures erumpentes, & 8. *de plac. Hippocrat. & Plat.* ferè cum strumis confundere videtur. Sed & ex eodem Hippocrate satyriasmus, vel satyriasis diversas ægritudines significat; aliquando Elephantiasim, quòd Elephantiaci, more Satyrorum, in Venerem ferantur: quandoque pudendi perpetuam tensionem; & interdùm aurium retorsionem, & labiorum tumefactionem, quo etiam vitio Satyri laborabant. Hoc autem loco satyriasmum, subdit Heurnius, speciem quamdam esse parotidis. Verùm ex eo, quòd Galenus in contextu vocem hanc omiserit, nonnulli putarunt fuisse perperam in græco Codice adjectam, vel cum strumis convenire, vel etiam pro satyriasmo legendam seiriasim, ut mavult Hieremias Triverius, vel denique phthiriasim, qui morbus est pedicularis, quammaximè familiaris pueris.

Stranguriæ non rarò etiam Pueris accidunt, iis præsertim, qui cum lotio arenulas, & viscosos succos emittunt, aut Vesicæ calculo laborant; quamobrem non dissimili ex causa in his fiunt, ac in aliis dictum est.

Strumæ, & alia tubercula, tum in glandulis cervicis, tum in cæteris aliis partibus glandulosis erumpentia, à decubitu, & secretione humorum dependent: cùmque glandulæ colli potissimùm depositos è Capite inutiles succos excipiant, propterea fit, ut strumas, aliosque tumores his consimiles contrahant: ejusmodi autem crassis, crudisque glandularum tumefactionibus pueri præ cæteris subiiciuntur, ob nimiam voracitatem, malamque chylosis elaborationem.

Per hanc eamdem ætatem solent Variolæ, & Morbilli comparere, nostra tempestate adeò pueris familiares, ut vix unum, aut alterum invenias ab his immunem. De his

apud

apud Hippocratem, Galenum, cæteroſque Græcos Auctores nulla mentio facta reperitur: qui autem primi illorum meminere, fuerunt Arabes. Et quamvis ab Hippocrate memorentur in libris Epidemiorum puſtulæ, exanthemata, & turbecula cutanea, illa tamen potius peſtilentiarum ſymptomata fuere, omninò differentia à Morbillorum, & Variolarum proprietatibus, quippe indiſcriminatim quamcumque ætatem afficiebant; neque verò figuram, circumſcriptionem, quantitatem, procedendi modum, reſolutionem, & generalem totius Corporis ex illarum eruptione affectionem referebant, quemadmodùm noſtra ætate ſervare Morbillos, & Variolas experimur. Hinc Mercurialis 1. *de Puerorum Morbis*, inter morbos noviter inductos Variolas, & Morbillos revocare non veretur, idipſum quoque deducens ex innumeris Veterum Medicorum teſtimoniis.

Verùm unde Variolæ, & Morbilli originem traxerint, non modica eſt inter ſcriptores controverſia. Arabibus addicti ad ſanguinem maternum illam referunt, quo nimirùm, inquiunt, pravis humoribus inquinato altos intra uterum ultimis ſaltem menſibus, infantes, fieri poſtmodùm obnoxios ejuſcemodi criticæ eruptioni. At hoc vitium in ſanguine ſicuti fingitur univerſale, ita univerſos afficere debuiſſet, etiam ante Arabum tempora. Sunt quoque qui non ſemel, ſed bis, & ter, & in prima, & in media, & in ultima ætate Variolas paſſi ſunt, atque hi, etſi anteà febribus laboraſſent, cùm tamen ſanguis priori fermentatione ſubactus, fuerit omninò repurgatus, & per febrim nihil principio proruperit, ſed nonniſi media, vel poſtrema hominis ætate. Accedit quòd Indi occidentalium regionum antequam commercium cum Europæis iniiſſent, iſtius contagionis immunes extitere; & ſicuti ab ipſis Hiſpani luem veneream in noſtrates, ita in eos noſtras variolas tranſtulerunt.

Alii ad malignos ſyderum influxus cauſam novæ hujus infectionis retulerunt; quo enim tempore vagari primùm viſæ illæ ſunt, viguiſſe ajunt trium planetarum, Martis, Veneris, & Saturni conjunctionem in ſigno Geminorum, pari fermè ratione, ac in aliis peſtilentiis, atque in ipſa lue Venerea expertum ajunt. At, eſtò ſyderum influentias hæc agere admittamus, quis ſibi perſuadeat, ut iiſdem deſinentibus, non fuiſſe uſque adeò defectura, ut cæteris Epidemiis accidiſſe obſervatum eſt? Neque inſuper veriſimile videtur ejuſcemodi malignas ſyderum conjunctiones ſuperioribus Seculis defuiſſe, cùm pluries adhuc Mars, Venus, & Saturnus ab Orbe condito juncti ſint, atque in poſterum etiam ſint coituri.

Revocant alii cum Fernelio novam hanc Variolarum, & Morbillorum apparitionem ad communes cauſas Epidemiarum ægritudinum, Aerem nimirùm, & Alimenta. Aer ſiquidem pravis, diverſiſque vaporibus infectus, variè quoque ſanguinem in humanis Corporibus, & præſertim in teneris puellis, alterat, exagitatque; unde novas ægritudines excitet. Cibi etiam idipſum efficiunt, ſi mali, ſi varii, ſi diſſentanei, ſi inſueti, ſi degeneres ſint, atque eo magis in debilioribus corporibus, qualia ſunt puerorum, quibus, præ carnium mollitie, & raritate, quodcumque vitium impingitur, & inhæret: cùm autem in lucem editos lac paverit, deindè duriuſcula alimenta, poſtmodùm ſolidiora, ac difficiliora, & deinceps multa, & varia,

proindè fieri, ſubdunt, ut ſanguis diverſimodè affectus tandem erumpere cogatur in Variolas, & Morbillos ad ſui repurgationem. At ſumpta hæc ab Aere, & cibis, nimis lata, & univerſalis cauſa videtur cujuſcumque ægritudinis. Præterea alterationes, perturbationeſque Aeris ſemper extitere, atque in cibis per Infantilem, & Puerilem ætatem eædem ubique fuerunt, & perpetuæ mutationes. Cur ergo non anteà, quàm à temporibus Arabum, Variolis, & Morbillis pueros ſubjecerint?

V. Hipp. l. de nat. hum. & de flat.

Verumtamen inficias non iverim ad Morbillorum, & Variolarum eruptionem ſanguinem omninò in indebitam, ingentemque fermentationem adigi, ut manifeſtè teſtantur febres, quæ illas præcedunt, vehementiſſimæ, inquietudine, vomitu, mentis motione, ſopore, motibus convulſivis, pavoribus, anhelationibus, æſtuationibus, tuſſi, ſiti, aliiſque graviſſimis ſymptomatis ſtipatæ. Fermentum autem iſtud in ſanguine inductum ejus profectò conditionis eſſe debet, ut veneni, & maligni miaſmatis naturam redoleat, cùm non ſolùm graviter inficiat affectos, & non raro ad necem perducat, cum notis peſtilentibus morbis communibus, ſed etiam contagione in alios, alioſque pueros, & juniores, & adultiores diffundatur, ut propterea pluries evenerit devaſtari omninò provincias integras ex puerorum, & quandoque etiam virorum internecione à Variolis, & Morbillis. Pueri verò plerumque afficiuntur, utpotè qui carnes habent teneriores, facilè ejuſmodi miaſmata ſuſcipientes, & ſanguinem inſtar muſti ſponte ſua promptiſſimè fermenteſcentem. Hinc modò fieri quidem poteſt, ut primùm ex mala alicujus habitudine ingeneretur in ſanguine, & in fermentis viſcerum ejus moris pravitas, ut deindè in peſtilens, contagioſumque venenum commutetur, quod in cæteros illius conſuetudine uſos tranſmigratione quadam etiam per halitus, vel per fomitem, transfundatur. Non raro verò ſemel Variolis, aut Morbillis infecti, iterùm, iterùmque in eoſdem relabuntur: quia ex vita perperam in uſu ſex rerum nonnaturalium anteacta tale vitium in ſanguine contraxerunt, quod peſtilens ejuſcemodi venenum videatur æmulari, & exolvendo ſanguinem fermentatione ſubactum in cutim adigat, & Morbillos, ac Variolas renovet. Atqui diverſimodè affectus ſanguis, diverſas quoque parere poteſt infectiones, & multiformes referre venenorum naturas, ac proprietates, ut exindè comperiamus à quibuſdam figi, & concreſcere liquores Corporis, ab aliis diſſolvi, & extenuari, ab aliquibus quædam dumtaxat Corpora ægrotare, hujus, non alterius ſexus, aut ætatis, gracilia, non obeſa, exercitata, non otioſa, certo ſolùm victus genere, non alio alta, ſub proprio, non alieno Cœlo degentia, unius, non alius ditionis, & quandoque (quod admirabilius) hyeme, non æſtate, in locis ſalubrioribus, non paluſtribus, in urbibus, non in pagis, contagium diffunditur, & cautos magis, quàm qui ſine ulla ſuſpicione cum omnibus verſantur, & cunctis indiſcriminatim utuntur, inficit; ut propterea pleriſque videatur prodigioſum: cùm tamen hæc omnia accidere ſoleant à varia veneni conditione, variaque ſanguinis, & carnium habitudine, Corporum conſtitutione, cutis textura, animi perturbatione, aliiſque propemodùm in-

innumerabilibus, quibus humana Corpora perpetim fubiiciuntur, alterantur, atque momento ferè permutari poffunt. Hac eadem ratione paffim experimur obeffe uni, quod alteri prodeft, & quod femel, aut bis, & pluries contulit, aliàs nocere, fenectuti jucundum, & utile fieri, quod puerili, ac juvenili ætati infeftum fuerat, plerofque fub uno climate perpetuò ægrotare, fub alio valere, idque genus alia.

Ad fanguinem igitur vario modo affectum omnia ejufcemodi vitia referenda funt; fed tamen in pueris potiffimùm, & adolefcentibus facilior eft Variolarum, & Morbillorum eruptio, in quibus cutis raritas, & fanguinis floriditas effe folent, pro ejufmodi impuritatum repurgatione, aptiores, cùm enim aliàs à Nobis oftenfum fit fponte fua fanguinem, cæterofque liquores Corporis per ætates commutari, repurgarique, indeque texturam partium variari, proinde fieri, ut adolefcendi tempora fint hujufmodi cutaneis eruptionibus potiffimùm obnoxia: confert autem folummodò ad hæc Aer, promovendo in fanguine fermentationem, vel etiam tranfvehendo ex uno in alium inficientes halitus, ut in plures, vel omnes fermentationi concipiendæ difpofitos diffundatur. Et quamvis apud Arabes primùm feviiffe perhibeatur hujufce generis peftilens, contagiofumque venenum, non tamen hinc crediderim per vetuftiora etiam tempora, fi non hujus omninò conditionis, & efficacitatis, confimilis faltem malignitatis, perturbati, repurgatique fanguinis eruptiones extitiffe, quas fortafsè Hippocrates, aliique Græci Auctores, fub genere exanthematum, puftularum, & papularum, aliarumque cutanearum ægritudinum comprehenderunt: fic metaftafis, & apoftafis apud eumdem varia fignificant: fic fatyriafis, & melancholia: fic exanthemata ipfa diverfimodè ab eodem Hippocrate, & Galeno ufurpantur; ut propterea non temere quis fublimes papulas ad Morbillos, latiores verò ad Variolas referre poffet, Non tamen hinc negaverim longe immaniùs illas feviiffe Arabum, quàm aliorum ætate, ut tum populariter graffatæ, & univerfaliùs infecerint, & inevitabili fato ocyus affectos interemerint, quemadmodùm non ita pridem à Majoribus noftris accepimus de Angina peftilenti, quæ pueros quoque, prima hujus fæculi ætate, adeò vexavit, ut pauci fuerint, qui ab ea evaferint, efto Angina vetuftiffima ægritudo fit. Hoc idem de fudore Anglico, dyfenteria peftilenti, cæterifq; morbis epidemiis dicendum, qui licèt Veteribus cogniti, quandoq; tamen fiunt contagiofi, & mortiferi, ut propterea de illis fpeciatim agere pleriq; graviffimi Auctores conftituerint. Verùm mitiùs quandoque, quandoq; crudelius graffantur quorumdam morborum genera, quoniam, ut anteà animadverfum, non eodem femper modo fanguis inficitur, nec femper eamdem agendi, ac procedendi vim deleteria in illo concepta lues exferit ob variam caufarum difpofitionem, coitionem, & efficaciam. Atque hinc Variolas ipfas, & Morbillos una tempeftate omninò mortiferos, peftilentefque obfervamus; alia verò mitiffimos, & undequaque falutares.

V. Hipp. 6. epid. 2. 18. in hift. Simonis, & 6. Aphor. 9. Fuchf. 5. de fan. C. M c. 8. & 6. Aph. 9.

Cùm Variolæ, aut Morbilli erumpunt, cohibendi non funt, fed omni ftudio promovendi medicamentis diaphorefim adjuvantibus, & fanguinem à compage maligna exuentibus, non tamen adeò, ut exfolvant plus

jufto

justo, & partim illius vivificam dissipent. Quamobrem in Aere moderatè calido patientes detineantur, parcè alantur, & si fortè lac suxerint, nullis aliis ciborum generibus infarciantur, quoniam si in cæteris omnibus moderata diæta semper juvat, in his potissimùm omninò necessaria est: alvus nequaquam solvatur, nam lubrica perniciosa esse solet: oculi solùm foveantur virentibus frondibus absynthii, vel rutæ, aut etiam sæpiùs perfricentur smaragdo, crystallo, aliisque similibus, ne ab eruptione variolarum visu deficiant, aut aliter vitientur. Quòd si variolæ non promptè prodeant, sed in eruptione cunctentur, fortasse quia fermentum crassius est, nec tam facilè subactus fermentatione sanguis ab inutilibus portionibus extricatur, vel etiam pori Cutis arctiores sunt, quā tenacitas fermenti febrilis exigat, tunc sudorifica locum habebunt, & simul alexipharmaca roborantia; in adultioribus quidem Bezoardicum Minerale, vel Joviale, Antimonium diaphoreticum, Elixir proprietatis, & magnanimitatis, Spiritûs salis ammoniaci dulcis redditus, idque genus alia; in tenerioribus verò confectio alkermes, pulvis Viperarum, & Cornu Cervi, Aqua theriacalis Petri Salii, & Cardui benedicti. Neque verò his adeò indiscriminatim utendum, ut postquam eruperint, & maturitati subjectæ fuerint, adhuc exhibenda sint; cùm in posterùm satis sit patientem pannis coopertum detinere, & convenienti victus regimine uti. Falluntur autem, qui in apparitione Variolarum frigorificis ex adverso insistunt, ad reprimendum febris æstum; hinc enim cohibetur fermentatio tantopere in ipsis necessaria, & impeditur critica Variolarum eruptio, non fine manifesto vitæ periculo. Juvabit ergo pro re nata, summa prudentia uti, & modò efficacioribus, modò levioribus criticam hanc ad Cutim depositionem promovere, si tarda videatur; quandoque verò totum opus Naturę committere, cum scilicet res ipsa bene processerit, documento Hippocratis *Aph.20. primi*. Hac etenim ratione auxiliares manus Naturæ imbecilli præstabimus, cùm se sola fuerit impotens, nec tamen eidem salubriter operanti calcar in præcipitium addemus; quandoquidem fermantationes istiusmodi facillimè desinere possunt in totius sanguinis exolutionem, & ægrotantis interitum.

Ad strumas, seu scrophulas Hollerius commendat folia cupressi austero vino conspersa, & contusa, donec in unum corpus coeant, ad formam Cataplasmatis applicata. Linimentum conficit Zacutus ex radice Bryoniæ cum Terebinthina, & Cera, illudque mirabile deprædicat. Pinguedo serpentum à plerisq; commendatur, & à Severino nostro emplastrum de baccis lauri oleo chamemælino malaxatum. Internè verò prodesse feruntur, Radix scrophularię in pulverem redacta, cinis spongiarum, & pulvis ad strumas compositus Helmontii, atque arcanum duplicatum Mynsichti.

Ad Verrucas efficax dicitur sanguis Talpæ recens, & calidus: Cinis rorismarini, & corticū salicis ex Matthiolo: Chelidoniæ majoris folia contusa, ex Zacuto: & Lunæ radii per vitrum ustorium collecti ex Helmontio *Tr. Form. ort. n. 55.* & *tract. Magnum oportet n.29.*

Ad lumbricos summè valet spiritus vini umbilico infusus insperso mox pulvere Myrrhæ. Internè verò aqua, in qua Mercurius crudus ebullierit ex Helmontio. Riverius conficit

cit pilulam ex Mercurio dulci ad gr. iii, cum gr. vi. diagridii vapore ſulphuris correcti, atque modico conditurӕ roſarum perſicarum excepti ad formam boli, ſi tamen patiens adultior ſit. Parat alium Hartmannus ex Mercurio crudo ſaliva humana, vel acido citrii mortificato ad gr. xx. cui addit bezoini gr. ii. cum modico ejuſdem conditurӕ roſarum. Mirum enim quàm Vermibus Mercurius ſit infeſtus.

APHORISMUS XXVII.

Grandioribus autem, & jam accedentibus ad pubertatem plurima ex his, & febres diuturnę magis, & ex naribus profluvia ſanguinis.

GRandiores, & accedentes ad pubertatem intelliguntur, qui decimumquartum annum attingunt, cùm ſcilicet pubeſcere incipiunt, & ſemen emittere, quamvis ex Galeno, & ante, & poſt hoc tempus pubertas poſſit inchoare, pro varia carnium firmitudine, & virium robore. His quoque plurimӕ ex enarratis prӕcedentium ӕtatum ӕgritudinibus non diſſimiliter accidunt, ſed prӕtereà febres diuturnӕ, & ex naribus profluvia ſanguinis: Febres quidem diuturnӕ ob majorem crudorum ſuccorum copiam, quoniam, ut dictum voraces pueri cruditates facile incurrunt; unde febres, aliique morbi durationem diuturnam adipiſcuntur. Sed & non raró in graves, longaſque febres incidunt ex ea, quӕ per ſeminis effuſionem moleſtior admodum eſſe ſolet, cauſa, quippe per hanc ętatem ad Venerem acti innumeras ſubeunt calamitates, & mille patiuntur incommoda, ſive quòd abſtineant, ſive quòd illa impenſiùs abutantur, ut ſileam, quas ex diverſis, ac repentinis animi pathematibus ſufferunt alterationes. Ad hanc fortaſsè claſſem revocandӕ erunt, quӕ febres in fœmellis Chloroſes, & in maribus Eroticӕ appellantur, ad Tabem perducentes. Profluvia verò ſanguinis è naribus, non quidem ex eo, quòd abundantiùs generetur, ut benè notat *in comm.* Galenus, adversùs eos, qui ſtultè putant Naturam in ſuperfluis quandoque abundare, & ſanguinem affluentiùs progignere, ſed quia per hoc tempus minùs ex ipſo abſumitur, & tenujor, vividior, acriorque ſit, utpote qui per ӕtates ſenſim permutatur, quamobrem facilè poteſt exiles narium arteriolas, ac venulas reſerare, & hӕmorrhagias inferre.

APHORISMUS XXVIII.

Plurimi autem morbi puerulis judicantur, nonnulli quidem in quadraginta diebus, nonnulli in ſeptem menſibus, nonnulli verò in annis ſeptem; quidam verò jam ad pubem accedentibus. Qui verò permanſerint, nec in pubertate finierint, puerulis, aut fœminis, cùm menſtrua erumpunt, conſeneſcere conſueverunt.

MIrum ſanè videri debet, quàm anxii ſint Interpretes in perveſtiganda Hippocratis mente, num de acutis, an verò de chronicis ӕgritudinibus hunc ſcripſerit Aphoriſmum. Et Galenus *aut de diuturnis morbis prolatum*, inquit, *aut imperfectum ſermonem eſſe*; atque adeò omninò vult legendum: *Plurimi autem pueris diuturni morbi judicantur*. In quam eamdem ſententiam reliqui ferè omnes Expoſitores con-

conceſſerunt. At Cardanus non ſemel Galeno conviciatus, hic ſpeciatim illum ignaviæ notat, exiſtimans implicitè diuturnos comprehendi ſub græca voce Πάθεα, qua hoc loco Hippocrates uſus eſt. Verùm fruſtrà apud Medicos hæc agitari putaverim, ſi acutos morbos non raro protrahi, & in chronicos deſinere obſervamus: ſic non raro tertianæ febres, & ardentes, ut & malignæ acutiſſimæ, ſenſim ſolent miteſcere, & in longius tempus ægrotantes affligere, in alias, aliaſque ægritudines commutatæ. Ita quoque Pleuritides acutæ cæteroqui tranſeunt in Empyemata: Apoplexiæ in Paralyſes: Phrenitides in Inſanias, & Melancholias: Dyſenteriæ in Teneſmos: ut propterea paſſim experiamur quoſdam morbos ab initio eſſe omninò acutos, procedente mox tempore produci, & chronicos, annuos, ac conſeneſcentes fieri, permutata conditione, cauſa, parte affecta, aliave ſimili circumſtantia eorum, quæ morbis conſociantur. Non immeritò igitur Hippocrates indiſcriminatim morbos hic retulit, ſcilicet ut acutos ſimul, & chronicos comprehenderet; cujus rei non leve videtur eſſe argumentum, quod idem in Aphoriſmo appoſuit, nonnullos ſcilicet morbos judicari in quadraginta diebus, qui extremum acutis terminum conſtituunt. Profectò æſtimabilius eſt, quod idem Cardanus animadvertit, Menſes, & Annos hoc loco memoratos, non à morbi initio, ſed à nativitate ipſa puerorum, eſſe numerandos, ductus ejuſdem Hippocratis authoritate, cui & Celſum adhærere interpretatur. Idipſum quoque videntur indicare verba illa; *quidam verò jam ad pubem accedentibus; qui verò permanſerint, nec in pubertate finierint; aut cùm menſtrua erumpunt.* Quæ ſanè ad ætates puerorum, non ad morborum tempora referri poſſunt.

Senſus itaque Aphoriſmi eſt, morbos in Pueris terminum, aut remiſſionem ſortiri ab ipſa ætatum mutatione: cumque hæ mutationem ſubeant plerumque in ſeptenariis, idcircò de his mentionem faciens Hippocrates dixit, *in ſeptem menſibus: in ſeptem annis*: finem in illis deſignans ab ætate, non autem à temporibus morborum, aut à criticis diebus. Quòd ſi diù perſtiterint, atque ultrà pubertatem perduraverint, adhuc erumpentibus menſtruis in fœminis, & poſtquam ex ephebis exceſſerunt, in maribus, proculdubio inveteraſcunt, & cum ægris ipſis conſeneſcunt; undè idem Hippocrates 5. *aphor.* 7. *Quibuſcumque*, ait, *morbi comitiales fiunt, antè pubertatem mutationem accipiunt; quibuſcumque autem vigeſimo quinto, ferè commoriuntur.*

Ratio horum deſumenda eſt ex ſanguinis, aliorumque humorum, ſucceſſu temporis, mutatione; unde Craſis, & conſtitutio Corporis variat, atque per meliorem excrementorum repurgationem, viarum laxitatem, viſcerum vim, & efficaciam, univerſa Corporis œconomia in ſalubriorem ſtatum perducitur. Alibi autem à Nobis eſt oſtenſum, ſanguinem procedente tempore ſenſim permutari, ut ubi primùm dulcis nimiùm, & multò glutine ſatur eſt, in pueritia mox attenuatur, & portione vivifica fit prævalentior; deinde verò in pubertate, & adoleſcentia adhuc floridior, minuſque auctifica parte præditus obſervatur, atque in Juvenibus & tenujor, & vegetior, acriorque; in Viris tandem, ac Senibus magis, magiſque effœtus,

tus, vapidus, & poftremò acidus, & adeò exfolutus, ut vitæ tuendæ omninò inutilis evadat. Sic propemodùm Muftum ubi ex uvis recens eft expreffum, dulciffimum, glutinofumque eft, & fpiritibus vacuum; mox verò intumefcit, & fervet; ubi autem efferbuerit, clarefcit, & fenfim, depofita fæce tartarea, vigorem exerit, atque in perfectiffimum, robuftiffimumque Vinum evadit. Si autem, exagitationibus, æftu, flatibus auftrinis, aliifque, potiffimùm verò temporis diuturnitate, evaporet, & evanefcant, exolvitur, ac fubindè acefcit, aut fugit. Porrò hæc omnia fanguini contingunt per ætates, & unafimul vifceribus cunctis, quibus veluti colis traiicitur, ac repurgatur: fiquidem decurrentibus annis ipfa quoque firmantur, obdurefcunt, amplificantur. At quis unquam ejufmodi in partibus Corporis mutationes per ætates inficiabitur, cùm dentium cafus, vocis mutatio, menftruorum, & feminis profufio, pilorum eruptio, cutis corrugatio, calvitium, canities, & alia plura id manifeftiffimè atteftentur.

At verò verbum illud *judicantur*, non ità accipiendum videtur, ut femper in falutem pueriles morbos definere credendum fit, cùm & non raro in iifdem temporibus, ut Celfus advertit, maximè pueri periclitentur; quamobrem & malè, & bene eos per ejufmodi tēpora terminari, pro varia eorumdem conditione, intelligamus. Cæterùm quandocumq; pubertatem exceſſerint, atque à feminis, aut menftruorum eruptione minimè defierint, difficilem exitum plerumque nancifcuntur, aut etiam confenefcunt.

APHORISMUS XXIX.

Juvenibus autem fanguinis fpuitiones, tabes, febres acutæ, morbus comitialis, & alii, fed præcipuè antedicti.

Ad morbos Juventutis pergens Hippocrates, cùm vifus fit prætermififfe eos, qui ad Adolefcentiam pertinerent, ftatim à Galeno arguitur oblivionis. Sed neque hujus folùm, verum etiam quòd nec fatis plenè de morbis acutis dixerit, immò tertianas maximè, & febres ardentes omiferit; contra verò adjecerit morbum comitialem, qui potiùs puerilis eft, & ætatum mutatione fanatur. Denique Tabes, & fanguinis fpuitiones non ætatis ratione, fed ex accidenti Juvenibus evenire contendit. Unde concludit: *Quare meliùs fuerat ità fcribere Aphorifmum: Juvenibus autem eveniunt propè omnes alii morbi, quos diximus aliis accidere ætatibus, fed præcipuè ardores, & tertianæ febres.*

Verùm non temere is arguendus. Ad primum enim, quamvis non defint, qui pro Juvenibus Adolefcentes interpretentur, licebit nihilominùs vocem Juvenum ex græco codice congruentiùs retinere. Neque deinde ætatem Adolefcentiæ prætermifit, cùm eam ad Pubertatem anteà retulerit, quemadmodùm Heurnius quoque exiftimat: Puberes enim, & Adolefcentes in idem omninò tempus conveniunt, atque ab anno quartodecimo ad vigefimum primum, vel vigefimum quintum extenduntur.

Sanguinis fpuitiones intelliguntur, quæ ex gingivis, ore, faucibus, vel quæ ex afpera Arteria, & Pulmone emanant; quoniam per hanc ætatem fanguis tenuior, & acrior

crior redditus facile illarum partium arteriolas, & venulas reserare, aut erodere potest, præsertim autem cùm organa spiritus tum amplificentur, unde Vox gravior, & Respiratio crebrior, ac latior motus Cordis, & sanguis longe citatior observatur.

Tabes, seu Phthises, consequuntur spuitiones sanguinis: nam *ex sanguinis sputo, puris sputum, ex puris sputo phthisis*, 7. *aphor.* 15. *&* 16. Possunt quoque Tabes Juvenibus accidere ab acriori, tenujoriq; sanguine, qui sensim sua portione auctifica exutus nutriendis partibus inidoneus efficiatur, unde postmodùm totius Corporis extenuatio. Quòd autem Galenus ex accidenti solùm sputa sanguinis, & phthises his evenire crediderit, *aut quia vulnerantur, aut quia franguntur, aut saliunt, aut clamant vehementiùs, vel quia refrigerantur, aut humi cubant, aut replentur, aut propter aliquam ejuscemodi causam*; licèt verum quoque sit, non tamen huic dumtaxat ætati ab ejusmodi causis spuitiones accidere poterunt, sed cunctis propemodùm, potissimùm verò ætati puerili, quæ imperita, & inexperta magis, his omnibus ultrò se subiicit.

Febribus acutis Juvenes quacunque ex causa corripiuntur, quoniam in illis sanguis acrior, & volatilis, copiosiorem felleum humorem cumulat, & in cysti deponit, unde acutos morbos fieri apud Medicos in confesso est; quin eadem acritate, & volatili conditione, facillimè fermentationi, atque acutis, & brevibus ægritudinibus subiicitur; unde idem Hippocrates 1. *Aphor.* 14. *Senes* dixit *acutis morbis non corripi, quia frigidum est illorum Corpus*; Juvenes verò utpote calidissimos præ cæteris promptiùs affici. Sub his autem acutis febribus, & tertianas, & ardentes, aliasque similes ægritudines tacitè is comprehensas voluit, quicquid Galenus obgarriat.

Morbus comitialis licèt puerilis dicatur, & plerumque pueros afficiat, non hinc tamen cæteris quoque ætatibus contingere non posse fatendum, & præsertim juventuti, de qua speciatim scribit idem Hippocrates *lib. de morbo sacro*: Si post vigesimum quintum annum morbo sacro homines corripiantur, non sanari: quod etiam repetit Aphor. 5. *t.* 7. quocircà posse etiam hoc morbo Juvenes infestari, clarissimè demonstrat. Distinguenda autem est duplex Epilepsia, altera quidem Idiopathica vitio Cerebri inducta; altera Sympathica ab affectis aliis visceribus, præsertim Ventriculo, & Utero: Modò licèt Epilepsia proximam Cerebri læsione insequens Pueris magis sit familiaris, & mutatione ætatum sæpissimè sanetur, quæ tamen à consentientibus hypochrondriis, Ventriculo, & Utero fit, proculdubio Juvenes torquere poterit, quibus scilicet oris amarities, & acida cruditas, nausea, vomitus, atque inde vertigo, & insultationes epilepticæ frequentissimè contingunt.

Denique, cùm inquit, *& alii, sed præcipuè antedicti*, præter enarratos intelligit plures alios morbos posse Juvenes invadere, qui nimirùm vel affinitate temperiei ipsis congruunt, vel sanguinis, aliorumque humorum acritate promanant, vel à cruditatibus, & intemperantiis exoriuntur, vel denique in fœminis à menstruorum suppressione, atque hystericis affectionibus originem ducunt, adeòque cæteris ætatibus pro ratione communes esse solent.

lent. Hinc non est, cur Galenus tam malè de Hippocrate sentiat, & Aphorismum hunc prævertat, quippe qui peculiares solùm tradidit, alios implicitè sub his contentos, tacitè subintelligendos voluit; communes denique veluti in aliis Aphorismis memoratos, non sine ratione prætermisit.

APHORISMUS XXX.

Ultrà hanc ætatem progressis Asthma, morbi laterales, pulmonis inflammationes, lethargi, phrenitides, ardentes febres, diuturna profluvia, choleræ, difficultates, & lævitates Intestinornm, hæmorrhoides.

Ultrà hanc ætatem progressi communi voto exponuntur Viri, & ad ætatem consistentem perducti, à quinto circiter septenario ad septimum, vel octavum, aut paulò post, pro Corporum valetudine. His ergo plurimos quoque morbos accidere asserit hoc Aphorismo Hippocrates, sed præcipuè in sanguine, cæterisque liquoribus mutationem, atque variatam in visceribus texturam insequentes, à quibus ætates hominum mutari alibi à nobis ostensum est.

Et quidem Asthma, seu creber anhelitus, illis fiet ab humoribus crassis, & glutinosiori lympha è sanguine secreta, quæ facilè pulmonibus hæreat, & si fortasse acorem contrahat, & sanguinem pari vitio affectum præsignet, etiam pleuritidem, & peripneumoniam minetur, aliosve dolores, tumoresque, lateribus, & musculis respirationi inservientibus infensos.

Pari modo lethargi orientur, & phrenitides, si lymphici humores, aut sanguis ipse, per Cerebri meatus excurrentes, acido concreti, vel glutinosa portione plus justo referti, in meningibus, & plexibus, in Cerebri cortice, aut alibi remorantes, indebitæ fermentationi subiiciantur, & quamdam veluti phlogosim inferant. Neque solùm has Cerebri affectiones in ætate virili constitutos pati posse credere licebit, sed etiam deliria melancholica, Ecstases, Catalepses, aliasque ægritudines capitis ab acidis succis, aut halitibus dependentes.

Ardentes febres Juvenibus familiares, Viris quoque evenire posse inter initia saltem consistentis ætatis, ob utriusque analogiam, eadem ratione facilè deduci potest: sanguis enim promptè in utrisque fermentescit, & in ætate virili ob cutis densitatem ab impedita quadantenùs perspiratione, cuicumq; alterationi citiùs subiicitur; unde febres ardentes, & acutæ. Quamquam non rarò etiam acore infectus sanguis hærere solet in apicibus arteriolarum, qui propterea febres excitat vehementissimas, & quandoque etiam mali moris, ut aliàs in tractatu de febribus adnotavimus.

Diuturna profluvia, specialiùs per alvum fiunt, ab humorum acritudine, à mala ciborum digestione, & à confluxu aliorum succorum è cæteris partibus Corporis sensim languentibus.

His addit choleras, idest immodicas, subitasque per os, & alvum diversorum succorum evacuationes propter depravatos Ventriculi, & Intestinorum dissolventes succos, qui si deorsùm solummodò ferantur, in erodentes, lancinantesque degenerati, molestas admodùm dysenterias; in dilutos verò, ab acido corrupto, & effœto,

to, ad chylosim inepto, lienterias excitabunt.

Hæmorrhoides demùm virilem ætatem peculiariùs comitantur: in ea enim sanguis acore magis inficitur, promptiùsque hæret, unde nequit tam liberè remeare. Potissimùm autem Lienem, & Mesenterium afficit, è quibus Arteriæ Splenicæ, & Mesentericæ in alvum deductæ hæmorrhoidales efformant, sanguinem sæpissimè fundentes, ab ejusdem ibidem concreti vitio. Per hanc eamdem ætatem varices etiam fieri solent non dissimili ex causa progenitæ, à decubitu scilicet sanguinis fæculenti, & acidi, alicubi stagnantis.

Cæterùm his, qui in præfatas ægritudines lapsum fecerint, opitulabimur medicamentis partim acorem in humoribus valentibus infringere, & emendare, cujus præcipuè generis sunt, quæ ex chalybe, & alkalicis conficiuntur, partim etiam specifica virtute unicuique sigillatim occurrentibus, de quibus fusè egimus in Praxi.

APHORISMUS XXXI.

Senibus spirandi difficultates, destillationes cum tussi, urinæ stillicidia, & difficultates, articulorum dolores, & Renum, Vertigines, Apoplexię, habitus Corporis depravatio, pruritus totius Corporis, vigilię; alvi, oculorum, & narium humiditates; visus obtusus, glaucedines, auditus graves.

CLaudit postremò hunc Tertium Aphorismorum Librum Hippocrates ægritudinibus, quæ senectutem potissimùm solent infestare: principaliores autem ex innumeris hìc recenset, quippe nedùm istę, sed complures aliæ per eam ætatem vagari solent. Quam àutem senectutem is proprie voluerit intelligendam, dubitari hoc loco solet; Siquidem Hippocrates senilem ætatem in tres alias distinguere consuevit, crudam scilicet senectutem, mediam, & decrepitam. Verumtamen cùm nullam ejusmodi distinctionem hìc fecerit, sanè videtur, omnes voluisse comprehendere, quamvis ultimæ ægritudines in Aphorismo recensitæ potiùs ad maturam, quàm ad crudam pertineant, cùm nonnisi extremam viscerum, & sensuum labefactionem, ac virium languorem consequantur. Hanc eamdem sententiam ita vertit Celsus *lib. 2. cap. 1. In senectute spiritus, & urinę difficultas, gravedo, articulorum, & renum dolores, nervorum resolutiones, malus Corporis habitus, nocturnę vigilię, vitia longiora aurium, oculorum, etiam narium, pręcipueque soluta alvus, & quæ sequuntur hanc tormina, vel levitas intestinorum, cęteraque fusi ventris mala*. Ubi Senectutem voce quoque generaliori usurpavit.

Memoratæ hìc spirandi difficultates differunt à præcedentibus, quæ anteà aliis ætatibus sunt adscriptæ; quoniam Senes difficilem respirationem à languore potiùs subeunt: Siquidem, ut rectè monuit Plato *in Timęo*, non semper ab affecto pulmone, atque hærentibus ibidem crassis succis, difficultas respirationis proficiscitur, sed non raro etiam ab impotentia thoracis, & musculorum intercostalium, ac diaphragmatis, veluti Senibus accidit. Quamquam & laxitas pulmonis, & succorum ibidem concrescentium pondus idipsum quoque sæpe sępiùs efficiunt, utraque eidem ætati familiaria; quamobrem

mobrem adjectum eft in Aphorifmo *deftillationes cum tuffi*, quæ infarctum pulmonem denunciant: enim verò ingravefcente ętate cũcta penè vifcera imbecilliora fiunt, fanguis hebefcit, & lenti, vifcofique fucci plurimi ubique cumulantur, præfertim in partibus fua natura laxioribus. Sed & Senum Corpora nec bene, ne facilè perfpirant, quapropter plurima pars eorum, quæ infenfibiliter tranfpirare debent, interiùs detenta, vifcera, & fanguinem inficit, unde omnis generis catarrhi.

Cùm autem fucci ifti ad Renes, & Veficam confluunt, nedum ferum urinarium depravant, fed etiam ductus ipfos obftruunt, atque varias in ipfis ægritudines adducunt, præfertim verò Strangurias, & Dyfurias: Hæ namque fiunt potiffimùm in Senibus à vifcofis, acidifque fuccis, qui vel urinæ exitum interdicentes, vel urinam ipfam reddentes acriorem, mictui non levem moleftiam afferunt, & non raro in calculos, arenulafque converfi, gravando, aut vellicando, vehementer fphincterem mufculum excruciant: hic autem eo gravius afficitur, & laceffitur, quo Veficæ habitudo ad propulfionem impotentior evaferit, ob fenilis ætatis imbecillitatem.

Iifdem omninò de caufis contingunt dolores Articulorum, ut propterea qui humores ad vias urinæ præfatas afferunt affectiones, in artus delati pariunt arthritides, unde congeneres ejufmodi ægritudines experimur, atque iifdem penè medicamentorum generibus curari: Quoniam verò ferofiores plerumque humores, aut egeruntur, aut promtiùs difflantur, craffioribus detentis, proindè fit, ut hi in artubus tophos, in Renibus, & Vefica, calculos progignant, atque in aliis, aliifque partibus ftagnantes, alias, aliafque inferant graviffimas affectiones, & in Cerebro quidem Vertigines, Apoplexias, mentifque hebetudines, obftructis nimirùm vafis, in quibus liquor nervorum à fanguine fecernitur; in vifceribus imi Ventris Oppilationes, Hydropes, tumores; in oculis glaucedinem, & vifum obtufum; in auribus furditatem, atque alibi alias propemodùm infinitas.

Neque verò folùm quibufdam in partibus peculiares morbi contingunt, fed etiam toti penè Corpori, per cachexiam, feu depravatum habitum, ob malam ejufdem nutricationem, tum propter vitiatum in fanguine alimentum, tum propter defectum vifcerum malè tranfmutantium, repurgantiumque alibilem Corporis fubftantiam: equidem hęc omnia perperam aguntur in ætate fenili, cùm & facultates, & fpiritus, ac fermenta vifcerum fenfim, fenfimque deficiant, ex alibi probatis.

Quoniam autem ferum, lympha, cæterique liquores, atque fermenta potiffimùm glandularum per ultimas ætates fponte fua acorem contrahunt, & cum alicubi detinentur diutiùs, quàm par fit, etiam muriatica, aufteraque falfedine inficiuntur, idcircò fæpiffimè quoque accidit, ut Senes acido-falfis ichoribus abundent, qui detentis fuliginibus ex mala tranfpiratione commifti, longè pejores, moleftioresque fiunt; unde poftmodùm pruritus, puftulæ, & non raro etiam ulcufcula illis accidunt per univerfam ferè cutem difperfa. Atque hinc planè evenit, cur tantopere fenectus de totius Corporis æftu conqueratur, qui falsò à vulgaribus Medicis calidæ Jecoris intemperiei folet adfcribi, cùm ta-

 men

men per juventutem nullus viguerit.

Adhuc etiam vigiles admodùm sunt Senes: iis enim Cerebrum plurimùm exarescit, & liquor ille tum ipsi, tum nervis irrorandis addictus, vel multùm deficit, vel à naturali, convenientique humefactione descîscit; & quamvis Senes pituitosis scateant humoribus, hi tamen ad somnum conciliandum utiles non sunt, immò si quandoque Cerebrum impingant, gravando, atque obstruendo, potiùs soporem, atque Apoplexiam inferunt; atqui ros ille somno conciliando peropportunus, lenis, placidus, blandusque esse debet, quo scilicet Pueri potissimùm abundant; unde fit, ut somno præ cæteris indulgeant. Sed & senectus curarum plena est, quibus plerumque anxii, ac solliciti, exsomnes fiunt, cùm alioqui somnus requies animorum appelletur ab Homero.

Ex oculis prætereà, naribusque Senum solet plurimus excrementosus humor extillare, nam illorum Cerebrum multis perpetuò scatet inutilibus succis ex effœto sanguine, ejusq; sero, & lympha abundantiori, depositis, qui si fortasse detineantur præfatos morbos Capitis afferunt; si verò per consuetos ductus deferantur, & oculos, & nares plus justo humentes efficiunt, immò in os confluentes sputa multiplicant, & labia salivosa reddunt. Iisdem quoque incommodis Ventriculus afficitur, plerumque ex mala ciborum confectione, quandoque etiam ex illapsu consimilium succorum in glandulas, & meatus intestinorum; unde alvus lubricior evadit.

At verò nunquam ferè non obnoxii sunt Senes visus hebetudini, cùm rari admodùm sint, qui per eam ætatem videndi acie præpolleant; verumtamen haudquaquam solo languore, aut spirituum inopia, ut plerisque est creditum, sed potiùs humorum, aut tunicarum crassitie, vel extenuatione, situ, figura, & structura oculi per ætatem evariata, ut aliàs à nobis est ostensum. Cùm autem Visus hebetudo triplex observetur, aut in remotis solùm, aut in proximis objectis corporibus, aut in utrisque hinc prima dicitur Myopia, secunda Presbytia, tertia Amblyopia. Et quidem Myopes propiùs admota cernunt, remota vel nullatenùs, vel confusè admodùm: atque hoc vitii genus familiare potiùs est Juvenibus, unde ingravescente ętate sæpenumero corrigitur. Presbytæ verò remotiora distinctè, proximiora confusè vident, cujusmodi sunt Senes. Amblyopes tandem tum ad proxima, tùm ad remota deficiunt. Hinc autem liquet nequaquam ad spirituum copiam, vel inopiam, robur, aut languorem, visionis vitia esse referenda, quippe imbecilli Senes si proxima cernere nequeunt, multò minùs remota discernerent; & robusti Juvenes non tam exigerent, ut objecta forent oculis admota. Accidunt ergo ejusmodi visus hebetudines à vitiata tunicarum, humorumque structura, ac dispositione: Etenim in prioribus videndi vitiis Crystallinus humor non habet à Retina justam distantiam, sed vel ad eamdem propiùs accedit, ut in Presbytis, vel ab illa longiùs recedit, ut in Myopibus; quamobrem conspiciliorum ope plurimùm adjuvatur alteruter in his videndi defectus; nam in Presbytis Crystallus in lenticularem formam redacta, seù convexa; in Myopibus verò concava oculos juvat, sive ad proximiora, sive ad remotiora con-

conspicienda. Porrò hæc vel formatione, vel assuetudine, vel sola ætatum mutatione contingere solent, cùm sensim humores, & tunicæ oculorum ejusmodi permutationes in situ, ac dispositione, à naturali, debitaque constitutione, plerumque subeant.

Tertia denique hebetudinis species, tum ad proxima, tum ad remota objecta prospicienda, quandoque vitium sequitur illius tunicæ, quæ Cornea appellatur, fortè quia convenienti pelluciditate caret, sed vel crassior, vel rugosior, aliterve affecta, evadit opaca: aliquando ab humore Aqueo, Vitreo, vel Crystallino oritur, qui alieno, atque impuro humore maculatus lumen non benè admittit, ac excipit, nec ad Retinam clarè traiicit. Nonnunquam etiam in Retina ipsa, quæ simulacra rerum debet excipere, vitium latet, & distinctę visioni redditur inutilis.

Glaucedo pariter Senum oculis sæpissimè accidit, cùm humores, præsertim Crystallinus, crassescunt, & densiores fiunt, ut luminis in ipsos incidentis refractio à debita ratione variet, & glaucus color, cæsius, ac cæruleus, qualis Noctuarum, in oculis observetur. Evenit autem hoc vitium in persenum oculis, exarescentibus quodammodò humoribus, aqueo, & crystallino, ipsa sensim occidente senectute.

Tandem verò cùm sensus omnes in Senibus hebescant, tum potissimùm Auditus fit gravior; quin & Memoria, ac Mens ipsa in occidua illa ætate paulatim deficit.

Senilibus autem istiusmodi ægritudinibus, quoad ipsa ætas ferre poterit, bono potiùs victus regimine, quàm multis, & inutilibus medicamentis, occurrere debemus. Et quidem Cachexiam in ipsis moderabimur aromatum usu, atque ex his concinnatis elixiribus, julapiis, tincturis, spiritibus, & aquis, ut est julapium Vitale, Aqua vitæ Matthioli, Tinctura alkermes, Vinum aromaticum, Aroma philosophorum, Oleum cinnamomi, Electuarium è nucleis pineis, & è baccis juniperi compositum, atque id genus alia.

Pruritus Corporis ab effœto sanguine in acorem vergente inductus exquiret quoque medicamenta, quæ sanguinem ipsum repurgent, atque edulcent, superiùs recensita; cùmque ab impedita in Senibus perspiratione pruritus hic eveniat, conferent propterea unasimul leves perfrictiones cum pannis excalefactis, & aqua ardente irroratis, vel cum aquis thermalibus, potissimùm quę sulphuream, & nitrosalsam referunt conditionem.

Alvus humida in Senibus, potiùs optimo victu, quàm remediis curabitur.

Ad Oculorum tandem, & Narium defluxiones, si quæ præscribenda sunt, Ventriculum, & Caput roborent, ac sensus ipsos foveant, & acuant, qualia ex rore marino, succino, caryophyllis, cinnamomo, aliisque volanti alkali præditis, parantur, ut aliàs à nobis est notatum.

LUCÆ TOZZI
In Quartum librum Aphorismorum
HIPPOCRATIS
COMMENTARIA.

APHORISMUS I.

Uterogerentes sunt medicandæ, si materia turget, quarto mense, & usque ad septimum, sed hæ minùs: à juniore autem fœtu, & seniore abstinere oportet.



Uandoquidem Hippocrates in hoc libro per plures Aphorismos de recta purgantium medicamentorum ratione in ęgrotantibus verba faciat, initium ducit ab utero gerentibus, morbo affectis, cujus causa purgatio instituenda videatur; atque eas docet purgante medicamento tractari posse, si tamen materia turgeat, à quarto mense usque ad septimum; has autem minùs; in cæteris verò omninò abstinere oportere. Videtur itaque Aphorismus tria universim comprehendere: morbos nimirùm, in quibus gravidas purgare conveniat: tempus item opportunum, minusque periculosum ejuscemodi evacuationis: mox etiam tempora graviditatis lubriciora, adeòque cavenda.

Et quidem Catharticis medicamentis gravidas non esse commovendas, nisi gravi, & acuto morbo afficiantur, nemo unquam in dubium vertere ausus est, cùm subindè maximum tum ipsis, tum conceptis fœtibus detrimentum sit adfuturum ab abortu, qui à purgante medicamento procul dubio sequeretur, & quòd humores innoxios educeret; & quòd sanguinem, aliosque liquores funderet, atque alibilem succum perturbaret; & quòd Uterum, cæteraque Viscera naturalia lacessendo plurimùm concuteret, & contorqueret, adeòut existimaverit Averroes omnem medicinam solutivam Utero nocuam esse, ut quæ per ejusdem ductus, ac per meatus urinarios, vitiosos humores etiam promoveat.

Catharticis itaque tunc solùm utero gerentes subiiciunt, cùm acuto, gravique morbo corripiuntur, ac prætereà peccans humor, illius causa, efferus est, & motu irrequietus, sive, ut loquitur Hippocrates, turget, desumpto vocabulo ab Animalibus ad coitum concitatis. Cujus rationem tum hìc, tum alibi, & *comm.*10. *hujus libri*, attulit Galenus. *Nam cùm*, is inquit, *superabundantes humores moventur, & per totum corpus feruntur, nondùm in aliqua parte firmati, tunc ad eos expellendos Natura incitatur, & aliquo indiget manum porrigente, & hunc humorum motum ad alvum deducente, priusquam*

robur Corporis dissolvatur, *vel febris caliditas augeatur*, *aut ad aliquod membrum principale decumbant ii*, *qui per corpus vagantur humores*. Unde tria exigi videntur ad turgentiam in humoribus inducendam, impetus scilicet humorum, &, plusquam Natura postulat, in partes irruptio: Robur earumdem partium, quæ à seipsis illabentes humores propellant: ac denique Multitudo, quæ regi, aut cum reliquis excrementis Corporis sensim simul educi nequeat. Quamobrem turgens materia ex sui copia evacuationem expostulat, & causa mobilitatis facilem, ac promptam illam pollicetur, quæ sanè difficillimè succederet, si alicui parti hæreret, & consisteret; neque verò absque manifesto vitę periculo, si principem partem occuparet, aut in uterum decumberet, fœtui, & matri noxam certissimam allatura.

Sed quo genere purgantis medicamenti turgentes in utero gerentibus humores educendi sint, gravior videtur difficultas. Et Fuchsius *in expositione istius Aphorismi* præscribit medicamenta verè purgantia, etiam ex colocynthide, scammonio, turpetho, idque genus aliis. *Et quamquam ista medicamenta*, inquit, *vix citrà fœtus noxam sumantur*, *cùm ex Galeno* 2. *de victu Acutor. comm.* 12. *purgantium omnium medicamentorum natura*, *corporum*, *quę expurgantur*, *naturis contraria*, *atque deleteria sit*; *tamen præstat*, *hunc solùm ista ratione lędi*, *quàm ut nullo prorsùs dato*, *&* *matrem*, *&* *fœtum de vita periclitari patiamur*.

Verùm communior praxis ab his abstinet, & tutiùs putat licere uti levioribus, quæ satis sunt educendis humoribus turgentibus, & sponte sua mobilibus. Atqui abortus periculum nedùm à purgantis medicamenti natura, sed magis imminet ab irritamento, & concussione vehementi à catharticis fortioribus inducta: Quamobrem & Aloe, & Rhabarbarum quoque vitantur, quorum primum vasorùm oscilla facillimè aperit, & hæmorrhoides excitat, alterum verò per vias urinæ humores potenter promovet, ideòque attiguum Uterum facili negotio proritare, & lacessere potest.

De vomitoriis alia potest esse difficultas, num ista in usum purgandarum uterogerentium duci commodè queant. Et crediderim posse illa tutò præscribi, si tamen turgens humor Ventriculum petat, illumque ad nauseam disponat, subvertat, atque ad vomendum sollicitet. Eò namque ducendi sunt humores, quò Natura viam affectat, documento ejusdem Hippocratis 1. *aphor.* 21. quin & sæpissimè Uterogerentes spontaneas subire solent vomitiones, quibus à plerisque ægritudinibus vel præcaventur, vel vindicantur, qua etiam ratione partum in debitum tempus salubriter protrahunt, aliàs proculdubio abortituræ. Consentit quoque in id Hippocrates, 5. *epidem.* 18. ubi Uxorem Antimachi gravidam bimestrem à dejectorio medicamento mortuam scribit, eamque vivere potuisse, si aquam bibisset, & evomuisset.

An prætereà tutò quoque purgari possint Uterogerentes, si aliis ægritudinibus afficiantur, & vitiosi humores minimè turgeant, sed potiùs alicubi consistant? Equidem inficias non iverim, cùm vitiosus humor partem principem occupat. Quare in Apoplexiis, Convulsionibus, Lethargis, cæterisque Cerebri affectibus soporiferis nemo est, qui non au-

audacter purgans medicamentum exhibeat gravidis, etiamsi exindè periculum abortus immineat: præstat enim opitulari Matri, ne Mater, & fœtus simul periclitetur. In Uteri quoque affectionibus, & cùm pravus humor in illum irruit, ne abortus indè sequatur, consueverunt peritiores Practici impetentem humorem intercipere, & leni aliquo cathartico ad alvum deducere.

Quòd ad tempus verò magis opportunum ejuscemodi purgationis, statuit Hippocrates medium illud esse Gestationis, nempe à quarto mense usque ad septimum. Et quidem quartus mensis includitur; cùm ex græco Codice τετράμηνα quadrimestres interpretentur Fuchsius, & Heurnius; quasi verò istæ potissimùm purgationem sufferant, quòd fetus per vasa Umbilicalia tenaciùs Placentæ, & Utero tunc hæreat, nec tam facilè à concutiente cathartico dissocietur. Rectè pariter observat Heurnius quadrimestres fœtus intelligendos esse non in spatio temporis, sed in motus incœptione, cùm scilicet moveri cœperint; quippe tunc denotant membra cuncta firmiora jam evasisse: at verò fœtus in utero moveri incipiunt, si robore præcellant, circa tertium, & quartum mensem; unde idem Hippocrates 1. *epidem. sect. 3. ægr.* 13. spontaneas alvi turbationes in trimestri promovit, & quidem salubriter, quocirca gravida illa à febre decimaquarta die judicata est. De septimo autem mense major est difficultas. Putat Brasavolus etiam ab Hippocrate comprehendi. At excludendum arbitratur Fuchsius, quòd Hippocrates dixerit *usque ad septimum*: si enim, inquit, hunc excludere noluisset, profectò dixisset ad octavum usque: at verò octavus mensis periculosissimus est, & septimus non rarò partui dicatur. Verùm adjecta verba, *sed hæ minùs*, manifestè declarant etiam septimum voluisse inclusum, non tamen adeò tutum esse, veluti sextus, quintus, & quartus mensis, ut propterea quò uteri gestatio septimum propiùs attigerit, eò periculosior purgatio existimetur. Multum autem hìc tribuendum est solertiæ Medici, qui pro ratione Morbi, ejusque causæ, atque ægrotantis gravidæ constitutione, septimestrem catharsi subiiciet, vel eximet.

Postremò à juniore, & seniore fætu abstinere oportere, hoc est omninò catharsim cavere, necessum esse, in primis, & ultimis mensibus graviditatis, admonet Hippocrates, ex evidenti abortus, & vitæ periculo, tum Matris, tum Infantis; quoniam ex Galeno *in comm. Fetuum connexus cum Utero eamdem habent proportionem, quam fructus cum plantis. Hi siquidem in prima generatione debilioribus pediculis continentur, & ideò facilè decidunt, quando vehementior ventus ipsos concusserit; postea verò aucti difficilem habent à plantis dissolutionem: sicuti rursùs cùm perfecti sunt, sponte sua sine vi extrinseca decidunt. Eodem modo & conceptus, in primo quidem tempore seminis injectionis, si aliquandò saltare contigerit mulierem, aut in lubrico cadere, sive quovis alio modo, vel secundùm animam, vel secundùm corpus moveri vehementiùs, facillimè dirumpuntur; sic etiam quando iam perfecti sunt: tempore verò intermedio, firmiorem habent coalitum; quare mulier utero gerens potest fortiores motus sustinere, sine fœtus offensione*. Hactenùs Galenus. Hinc modò plenè constat, cur media tempora veluti ad purgandum tutiora permittan-

mittantur, prohibeantur verò priora, & posteriora, tanquàm periculosiora.

Illud tamen hìc superesset examinandum, quo pacto, quove coalitu adhærescat fœtus Utero materno, unde alimentum, & vitam mutuatur. At quoniam id à Nobis luculenter est ostensum in priori nostræ Medicinæ parte Theoretica, idcircò libenter illuc philologos remittimus.

APHORISMUS II.

In Medicationibus talia educere è Corpore, qualia sponte prodeunt, utile. Quæ verò contrario modo prodeunt, cohibere oportet.

QUod aliàs *Aphor.* 2. *lib.* 1. de quacumq; evacuatione sponte naturæ promota scripserat, nunc de sola purgatione, quæ Cathartici auxilio ab Arte peragitur, sermonem habet, atque inquit, in artificialibus purgationibus talia è Corpore esse educenda, qualia si spontè, & ultrò prodirent, egererentur; at contra, cohibenda esse, si alia ab his, quæ peccant, prodeant. Quare consulit hoc Aphorismo Hippocrates Medicos in Catharticis Naturam imitaturos. *Est autem imitatio*, inquit Galenus *in comm. tales in unoquoque morbo humores evacuare, quales novimus in spontinis prodesse evacuationibus*. Nomine verò talium, & qualium humorum, intelligendi sunt in specie peccantes; putà biliosi, lymphici, crassi, tartarei, acres, acidi, aliique, si fortasse plus justo superabundent, Naturam gravent, atque ægrotantem infestent. Affert Galenus exempla earum, quæ spontè fiunt, salutarium evacuationum, ex eodem Hippocrate desumpta, ut cùm aqua inter cutem laboranti, & lippitudinem, aut surditatem patienti, alvus solvitur; unde has easdem evacuationes arte promovere, utile putare est, cùm id peragatur, quod Natura sponte sua salubriter perficere consuevit, quamquam non semper ex voto succedere soleat.

Quoniam verò Hippocrates spontè prodeuntibus, artificiales evacuationes, salutares ut eveniant, comparavit indefinitè, jure hìc dubitare licet, quid pro spontè prodeuntibus intelligere voluerit, cùm & criticis, & symptomaticis illa aptari queant. Et quidem de criticis res in confesso est apud omnes, quoniam per illas Natura seipsam à molestiis exonerat, & ægros ab ægritudinibus vindicat: neque aliundè criticæ, & salutares dicuntur evacuationes, nisi quia per ipsas morbi judicantur, ac desinunt: At verò symptomaticæ tales non sunt, quibus non rarò Natura plurimùm elanguet, morbi ingravescunt, & sæpe etiam mors subsequitur, cùm tamen humores in illis spontè prodeant. Quamobrem non videtur Aphorismus indefinitè accipiendus de quibusvis spontè prodeuntibus, etiam symptomaticis. Hinc Fuchsius illum ita scribendum putat: *In usu medicamentorum purgantium talia è corpore educere oportet, qualia etiam si spontè prodirent, utilia essent*; ita ut sensus fiat: talia è Corpore esse educenda, qualia ubi spontè prodirent, utilia forent, idest qualia à Natura ipsa utiliter evacuarentur. Quo casu etiam symptomaticæ evacuationes salutares censendæ erunt, si ejus sint humoris, qui obest. Quocirca solent communiter dici confcrentes in genere causæ, quia morbifica causa per ipsas minuitur; malæ verò in genere signi, quòd signifi-

cent humorum multitudinem, vel pravitatem, unde partes gravatæ, vel irritatæ evacuationem moliantur.

Quemadmodùm autem purgationes ope medicamenti ab Arte promotæ salutares, utilesque sunt, si ejus sint humoris, qui peccat, quique sponte naturæ prodiret, si criticè egereretur; ità è converso malæ, & inutiles existimantur, si ea catharticis medicamentis vacuentur, quæ Natura non utiliter educeret: quamobrem consulit Hippocrates illas esse cohibendas. Sic oportebit fluentem immodicè sanguinem sistere, & alvum ex hypercatharsi, aut egestione alius humoris ab eo, qui educendus esset, firmare, & cohibere, remediis in hanc rem planè specialioribus.

Undè verò coniicere possit Medicus fore utilem, vel inutilem, artificialem ejusmodi evacuationem, ut sinenda, vel inhibenda sit, ab his, quæ conferre, & tolerari probaverint, judicium sumendum esse admonet. Quare sequentem Aphorismum subjungit, veluti istius appendicem.

APHORISMUS III.

Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & leviter ferunt. Contraria verò graviter.

CUm dixerit Hippocrates utile esse in purgationibus arte promotis talia educere è Corpore, qualia sponte naturæ prodirent, indicia nunc tradit proficientis ejuscemodi purgationis, desumpta ex eo, quòd conferat, morbus remittatur, & æger sufferat, cùm vires nullum, vel leve admodùm detrimentum ab illa patiantur.

Quamquam autem idipsum ferè docuerit *Aphor.2.lib.1.* ut propterea hic videatur inutiliter, & frustrà repetitus, non tamen eximendus, ut bene advertit Cardanus; nam ita nectitur præcedenti, ut oratio omninò mutila remaneret, si deesset: Sicut enim in evacuationibus ultroneis utilitas certa, & perseverans judicatur, si conferat, & toleretur, cùm scilicet talia egeruntur, qualia convenit evacuari, ita in evacuationibus medica ope proritatis emulumentum certò futurum coniicitur, si ea purgentur, quæ purgari oportet; & contra, si talia sint, educta qualia erant educenda, certò quidem conferet, & æger sufferet, ut proindè vicissim se res habeat ad utrumque. Qua sanè ratione putaverim facile his responderi posse, qui ausi sunt Hippocratem notare, quòd tùm hìc, tùm Aphor. 2. *pr.* nil quicquam se dignum scripserit, sed lippis, & tonsoribus notissimum, ut fusiùs à nobis alibi est excussum.

Hinc nullo negotio deducetur, neque conferre, neque tolerari evacuationem humorum, qui utiles, aut alibiles cùm sint, nullatenùs sunt educendi, sed graviorem noxam afferre, commotis, exasperatisque his, qui noxii sunt, & morbum faciunt. Hæc autem notiora sunt, quàm quæ notissima, propterea longiori non egent explicatione.

APHORISMUS IV.

Medicari Aestate superiores magis, Hyeme verò inferiores.

SUbaudire oportet Ventres, subdit *in comment.* Galenus; Itaut sensus sit, per Ventrem superiorem seu Stomachum magis Aesta-

Aestate, Hyeme verò per Intestina, seu Ventrem inferiorem purgandum esse. Et rationem affert, *quoniam qui tunc superabundat humor, flava bilis est, & tota natura animalis propter ambientem caliditatem magis ad superiora movetur*. Hyeme verò potiùs prævalent crudi, crassique succi, qui sponte sua deorsum feruntur, & tunicis intestinorum adhærescunt, ut proinde ad superiora difficillime deduci possint; quamobrem meliùs dejectoriis ad alvum ducuntur. Constat præterea experimentis per Aestatem os facillime amarescere, & Ventriculum, ejusque orificium superiùs ad vomendum sollicitari, sive quòd fermenta illuc ex arteriis gastricis corrivantia acriora sint; sive quòd sanguis ipse acrioribus, & veluti sulphureis partibus plùs æquo redundans in cystim felleam easdem uberiùs deponat; unde & urinæ per idem tempus flavescere magis soleant, & fæces, cæteraque Corporis excrementa pari colore inficiantur: quæ sane ex documento ejusdem Hippocratis promptam, & facilem pollicentur vomitionem.

Sed obstare sibi ipsi videtur Hippocrates *libr. de salubri victu* docens, *sex hybernis mensibus vomere utile esse, nam & pituitæ plus, & capitis gravitas subest; in Aestate verò clysmatum sit usus, & superiores Corporis partes per inferiores purgandæ.* Id ipsum protulit Celsus *lib.1.cap.3.* vomitum indicens utiliorem Hyeme, quàm Aestate, hanc eamdem procul dubio Hippocratis sententiam prosequutus. Licet autem plerisque visum sit librum hunc non Hippocrati, sed Polybio adscribere; nil tamen inde deducetur, quòd rationabiliter propositæ objectioni faciat satis; cùm & Polybius gravissimus quoque Auctor sit, neque sua vel ratione, vel experientia destituatur, ut etiam in hoc Celsum asseclam habere promeruerit. Neque verò satisfacit Galenus distinguens evacuationes vel ad totum Corpus spectantes, vel ad Ventriculum solùm, ut propterea velit Aphorismum hunc intelligendum de evacuatione totius Corporis per superiora Æstate promovenda, per inferiora Hyeme; effatum verò *de salubri diæta* restringendum ad solius Ventriculi exonerationem. Quoniam sive Æstas, sive Hyems fuerit, semper ac Ventriculus humoribus gravatur, vomitu exonerandus est, exigente id loci conditione, & humoris expurgandi promptitudine, quippè qui compendiosiori via statim educitur.

Verùm enimverò quocunque humore Ventriculus infarciatur faciliùs planè per vomitum, quàm dejectione exonerabitur, sive tempus æstivum sit, sive hyemale, cùm non à tempore, sed ab humoris evacuandi proclivitate, facilitateque, indicationes desumantur ejuscemodi specialium egestionum. Quoniam autem humores sub Æstate plerumq; Ventriculum occupant, atque à depravatis ejusdem digestionibus ægritudines inferunt, undè eo tempore faciles cruditates, nauseæ, oris amaritudines; propterea fit, ut promptius per vomitum egerantur. Faciunt in idem esus fructuum immoderatus, gelidæ potationes, balneationes, natatus, cæteraque his similia, quibus plurimum Ventriculus elanguet, & impuritatibus oneratur. Hinc compertum habemus cunctas propemodum ægritudines Æstate vagantes ab uno Ventriculo crudis humoribus oppresso exoriri, ut propterea

vomi-

vomitus opportunè concitatus momento veluti gravissimis cæteroqui ægritudinibus remedio fit. Sed & neque absolutè dixit Hippocrates Æstate per superiora duntaxat purgandum, etenim usus est voce comparativa *magis*; quasi verò dicere voluerit, plerumque Æstate per vomitum vitiosos humores esse educendos, quoniam isti plurimùm primos ductus gravare solent, aut circa Ventriculum stagnare. Quòd si fortasse alibi resideant, per alios ductus erunt evacuandi, quò nimirùm illi vergere videbuntur, modò loca ipsa sint conferentia. Ita quoque si Hyeme Ventriculus biliosis, ut vocant, succis, scateret, non infernè, sed supernè vacuandus foret, nulla habita ratione temporis, sed tantùm loci præter naturam oppleti, & promptè per superiora exonerandi; quia tamen Hyeme crassi humores intestina sæpiùs occupant, indè fit, ut faciliùs deiiciantur, cùm difficilè admodùm foret inverso intestinorum motu per stomachum illos protrudere, & per os expurgare, idque non sine gravi periculo. Cur autem humores vitiosi plerumque in Hyeme intestina, vel glandulas Mesenterii occupent, ratio peti potest nedùm ex eorumdem, qui sæpesæpiùs crassi, & viscosi esse solent, conditione, sed potissimùm ex tardiori secretione, quæ tunc peragitur: sicut enim Æstate ciborum digestio, seu dissolutio in Ventriculo languet, & tarda est; secretio verò in Intestinis celerrima fit, sive à fermentatorum acritate, sive à laxitate viarum: ita vice versa ciborum confectio Hyeme in Ventriculo citior est, cùm Ventres Hyeme, & Vere natura calidiores ab Hippocrate dicantur; at verò secretio, seu distributio tardior, unde etiam alvus adstrictior evadit, & pulsus eo tempore rariores fiunt. Accedit quòd somni longissimi per Hyemem adjuvant coctionem; vigiliæ, & motus per Æstatem facilitant distributionem, ut proindè mirum non sit, cur humores excrementosi Æstate potiùs Ventriculum occupent, Hyeme verò in Intestinis, & glandulis Mesenterii restagnent: quamobrem illi per vomitum, hi verò per dejectionem faciliùs educuntur.

Atque hinc modò contradicentia Hippocratis loca facilè erit in unum, concordemque sensum revocare: etenim idcircò hyemali tempore vomitum is commendavit, quia Ventriculum multa pituita repletum existimat, ut clariùs ejus latinus Interpres Celsus expressit; siquidem non à tempore, sed ab humore Ventriculum occupante indicatio vomendi desumitur; quare sive Æstas, sive Hyems sit, parùm refert, dummodò locus vomitioni paratus videatur.

Quod autem putaverit Musa Brasavolus vomitum Æstate commendatum, ad inaniendos superiores ventres, Caput scilicet, & Thoracem; planè nec Hippocrati, nec rationi, aut experimento cohæret. Hippocrates siquidem in diversis Capitis ægritudinibus alvi subductionem consulit, non vomitum; ut in surditate, oculorum dolore, cæterisque; quin & Galenus *in comm. hujus* nonnisi de Ventriculo solùm aphoristicam hanc sententiam est commentatus. Ratio verò tantùm abest, ut suadeat, Caput, & Thoracem per vomitum inaniri, ut potiùs expansa repleantur, & graviter ab impetente Ventriculo afficiantur; unde vomitus in affectibus oculorum, & pectoris, communi voto tamquam nocuus reprobatur. Experien-

rientia denique pluries constitit in harum partium ægritudinibus plurimùm vomitum obfuisse, & quibusdam sputum sanguinis, aliis oculorum inflammationem, & vehementissimum Capitis dolorem attulisse, ut propterea nemo sit, qui in praxi audeat, vomitoria in morbis partium superiorum præscribere, nisi tantùm cùm illi à laborante Ventriculo proficiscuntur, à cujus levamine illæ consanescant.

APHORISMUS V.

Sub Cane, & ante Canem, difficiles sunt medicationes.

QUàm opportunum tempus cõferat in purgantibus medicamentis adhibendis, ut subindè proficiant, & sine ullo incommodo utiliter ferantur, nedùm hìc, sed alibi pluries inculcavit Hippocrates, speciatim autem *lib. de Aere, aquis, & locis*, illorum usum inhibuit in magnis temporum mutationibus, itemque in solstitiis, & æquinoctiis. Considerandos quoque voluit inerrantium Astrorum exortus, præcipuè Canis, deinde Arcturi, & Plejadum occasum: unde non minimam partem conferre ad rem medicam Astronomiam ipsam censuit, tùm in prænoscendis, tùm in curandis ęgritudinibus, ut vix errare Medicum posse asserat, qui stellarum congressus præsentire, & observare novit.

Commodum nunc quoque, difficiles, & molestas admonet futuras purgationes sub Cane, & ante Canem: quod etiam edocuit *lib. de medicam. purgant. in fine* inquiens: *Tempore Aestatis à Canis ortu per dies quinquaginta vitare oportet, & non dare medicamentum, sed infusis per clysterem uti*. Quoniam ex Galeno *in comm. hujus, exusta tunc nostra natura, eam, quæ à medicamentis purgantibus existit, non fert acritudinem; quare & pluries purgati hoc tempore incidunt in febres, & natura ex æstu imbecillis, magis ex purgatione dissolvitur: & quidem purgatio hæc mala fiet, cùm calor aeris ambientis in partem trahat extrinsecam, contrariam ei, ad quam medicina ducit humores.*

Quodnam autem sit ejusmodi tempus *sub Cane, & ante Canem*, inquisitione dignum. Verùm oportet scire ex Astronomicis duos affigi Firmamento Asterismos Canis nomine appellatos, quorum alterum Canem majorem, alterum minorem faciunt. Ambo sunt in plaga Australi extrà Zodiacum, sed minor ab Aequinoctiali declinat ad Boream, major verò ad Austrum: Asterismo Canis minoris ad femur appingitur stella primæ magnitudinis Procyon dicta; In Asterismo verò Canis majoris ad mandibulam, & in oris hiatu affigitur Sirius, stella quoq; primę magnitudinis fulgidissima, quam Ptolemæus *in Almagesto*, stellarum pulcherrimam appellavit, quòd ob magnitudinem, & splendorem, præ cæteris longe admodùm micet, atq; scintillet; hæc verò per dies decem circiter post Procyonis ortum ex Horizonte cum Sole emergit. Cùm igitur dixit Hippocrates *sub Cane*, tempus illud intelligendum voluit, quo Sirius, & Canis major viget, sive cum Sole cosmicè oritur; *Ante Canem* verò, tempus, quo Procyon exortum Sirii præcedit.

Sed non bene convenit inter Auctores cuinam Cani nomen Caniculę propriè tribuendum sit. Equidem si vocem ipsam attendas, videtur convenire Cani minori, quem pro Canicula usurpant Tabulæ Alphonsinæ, Beda,

Beda, aliique: cui sententiæ favet quoque *Horatius libr. 3. ode 29.* inquiens.

....Jam Procyon furit,
Et stella vesani Leonis,
Sole dies referente siccos.

Et multò clariùs *Plinius libr.* 18. *cap.*28. *Ægypto verò Procyon matutino æstuosus, quod sidus apud Romanos non habet nomen, nisi Caniculam hanc velimus intelligi, hoc est minorem Canem, sanè ut in astris pingitur.* Bayerus *in sua Uranometria* utrumque Canem vocat Caniculam, quod & alii faciunt. At multo plures sunt, qui Caniculæ nomen Sirio attribuunt, & inter cæteros Astronomi, qui propterea Caniculares mutationes Cani majori, & Sirio adscribunt. Undè Manilius *Astronomic.*5.

Cùm verò in vastos surgit Nemeæus hiatus,
Exoriturque Canis, latratque Canicula, flammas
Et rapit igne suo, geminatque incendia Solis.
Qua subdente facem terris, radiosque movente
Dimicat in cineres Orbis, fatumque supremum
Sortitur, languetque suis Neptunus in undis
Et viridis nemori sanguis decedit, & herbis, &c.

Quamquam Galenus *primo Epidem. comm.*1.*const.prima* de Sirio hæc habet: *Hunc aliqui, nomine abutentes totius Sideris, Canem etiam nominant: atqui Cani universo Sideri est nomen; illi verò, quæ in ejus est mandibula, Caniculæ, quàm rectè Anticanem, non Canem appelles.* Idemque indicatum legimus ab Arato vetustissimo Poeta græco, cujus *Phœnomena* in latinum vertere dignatus est Cicero, referuntque in hanc rem illius carmina Fuchsius, & Cardanus. Sed & luculentiùs idem Aratus, Rufo Festo Paraphraste, de Sirio agens.

Aetheriæ Canis ille plagæ, cui plurimus ardor
Aestuat in mento.

Et mox:

Qui formidato sub nomine Sirius æthram
Urit, huic rutilos si Sol adflexerit axes,
Quantus corporibus, quantus labor imminet agris.

Quo insuper tempore uterque Canis oriatur, licèt aliter, aliterque apud Veteres scriptum sit, nostris tamen temporibus Cosmicus ortus Sirii incipit initio Augusti, Procyonis verò ad diem xxiv. Julii. At si ortum Heliacum spectemus, hujus accidit iii. Idus Augusti; illius verò xvii. Kalendas Septembris. Tempore autem Hippocratis, annis antè Christum natum CCCC. & in IV. Climate, quod per Rhodum Insulam transit, ortus Caniculæ referebatur ad pridie Idus Julii: & tempore Avicennæ, idest anno Christi MC. circiter, ad xvi Kalendas Augusti: idque fortasse ex Plinio *lib.* 2.*cap.*47. qui ad dies xv. ante Kalendas Augustas adscribit: & clariùs *libr.* 18. *cap.*28. *xvi. Kalendas Augusti Assiriæ Procyon exoritur; dein postridie ferè ubique confessum inter omnes sidus indicans, quod Canis ortum vocamus, Sole partem primam Leonis ingresso: hoc fit post solstitium xxiii. die.* Et rursùs *cap.* 29. *Plenilunium nocet ad iv. nonas Julii, cùm Aegypto Canicula exoritur, vel certè xvi. Cal. Augusti, cùm Italiæ.* Circa idem tempus illam oriri testatur quoque Ptolem. *lib. de inerr. stell. signif.* At verò Maginus anno Domini MDC. ad altitudinem Poli

Gr.45.

Gr. 45. ortum Caniculæ Cofmicum accidiffe fcribit iv. nonas Augufti. Et Argolus Romæ, anno MDCXLIII. ad pridie Kalendas ejufdem. Verumtamen variat femper illius ortus ne dum pro varia locorum latitudine; & poli elevatione, verùm etiam, quia ftellæ fixæ ex accuratiffimis obfervationibus Tychonis, cæterorumque Recentiorum Aftronomorum, quotannis in Ortum, fecundùm fignorum ordinem, feruntur fecunda 51.

Numerus Canicularium dierum varius adhuc dicitur ab Authoribus. Idem Argolus ad dies dumtaxat xxvi. contrahit, nempè à die xxiii. Julii (cùm Sol ingreditur amplitudinem Orbis lucis Sirii) ad diem xviii. Augufti. Maginus protrahit ad xxx. Keplerus ad xxxv. vel xxxx. At verò Hippocrates ad L. dies produxit. Hinc ad Idus ufque Septembris ex mente ejufdem purgantia medicamenta veluti toleratu difficilia, ac molefta, in noftris regionibus vitanda erunt.

Num infuper ex folo hujus temporis æftu immoderato exiftimaverit Hippocrates difficiles, ac moleftas futuras purgationes, an etiam ex peculiari Aftrorum vi, atque influxu, non aufim determinare. Quippè ex una parte non folùm fervida hæc, atque æftuofa tempora vitanda is monuit, fed etiam temperata, cujufmodi funt Æquinoctia, itemque occafus Arcturi, & Plejadum per Autumnum contingentes; quamobrem non à folo Aeris calore moleftiam purgantium deducit. Ex altera verò parte non levis ratio fuppetit ex Galeno fuperiùs adducta, quam latius funt profequuti Fuchfius, & Cardanus hoc loco, quòd eo tempore Natura imbecilla fit, Corpus exfuccum, & excalefactum, atque humores fponte fua ad habitum Corporis ferantur per fudores, ut propterea non tutò ad interiora duci poffint, ne ambobus inter fe pugnantibus Natura diftrahatur, aut penitus diffipetur. Expertum quoque dicunt in Caniculæ exortu Solem cæteroqui à vertice decliviorem, urentiorem, moleftioremque perfentiri: quin fcribit Plinius *lib.* 2. *cap.* 40. Maria, exoriente Sirio, plurimùm fervere, fluctuare in cellis Vina, Stagna moveri, Canes in rabiem agi, Apes ubertiffimè mellificare, Etefias ventos fpirare, aliofque plures effectus fanè admirandos in Terris percipi, qui non aliundè, quàm à vi, atque influxu fpeciali hujus fideris proficifci poffe videntur.

V. etiam lib. 11. cap. 14. & Mercurial. var. lec. l. 2. cap. 24. ex Arift. l. 5. de hift. anim. c. 12.

Sed, ut verum fatear, non video, qua ratione tot, ac tanta Caniculæ, & Sirio tribuantur, quæ in noftris Regionibus vel nulla funt, vel potiùs Soli, quàm ipfi debentur. Ea enim longè admodum à noftro vertice diffita eft, amplitudinem habens ortivam perquam proximam Tropico Capricorni, unde vix gr. 33. fuprà Horizontem affurgit, & tum potiffimùm à Sole remotiffima fit. Sed & quibus illa in vertice eft, non calorem, fed frigus affert, quo tempore cum Sole cofmicè exoriens, nobis fub Zona temperata degentibus æftum congeminare putatur, quippè tunc illis Hyems eft. Quod fi in errantibus Stellis quidpiã virtutis erga nos unquam ineffet, profectò id foret potiùs conferendum Regulo, Bafilifco, feu Cordi Leonis, Stellæ primæ magnitudinis, de natura quoque Martis, quæ tum juncta Soli, fignum ipfum Leonis peragranti, per idem tempus fuprà Horizontem emergit, Cælum mediat, & iterata circuitione revolvitur. Attamen negari non poteft maximè

ximè tunc etiam in urentiorem æstum conferre majorem in aere vaporosiori refractionem. Compertum enim habeo Aerem in his nostris Regionibus per hæc eadem tempora vaporibus fieri confertiorem; undè radii Solis, etsi aliquanto declivio-res, ad Tellurem trajecti, uberrimè, velut ex vitro ustorio, colliguntur, & quodammodò exurunt. Hinc quo die caliginosum Aerem antelucanis, vel vespertinis horis prospicimus, æstum longè admodum urentiorem futurum præsagire solemus, quem mox per diem experimur. Fieri autem per hæc tempora Aerem vaporibus confertiorem ipse crediderim ejusdem Solis vi, qui è Terraqueo globo in hiatus patentissimos dehiscente innumeros, variosque vapores elicit, cùmque hi per noctem nequeant deinde discuti, nec præ sui tenuitate in pluviam concrescere, per circumambientem propterea aerem dispersi, neque multum à Tellure sublimati, justa distantia, collectos Solis radios arctissimè in nos transfundunt, & ad igneum penè ardorem iterùm, iterùmque conduplicant. Hac ergo de causa fit, ut manè, & antè Solis exortum non leve frigus persentiamus, interdiù verò exæstuemus: In id quoque referre est, quamobrem per hoc idem tempus tam perniciosæ apud nos sint locorum mutationes: quippè Aer tum quoque ex hiante Tellure, variis, multigenisque evaporationibus inficitur, quæ non minimum officiunt respirationi, & sanguini per Pulmonem circulanti; & nisi per ingentes, iteratosque imbres, aut à flante Borea Aer omninò repurgetur, exitiosas ægritudines minatur, ut alibi etiam adnotavimus. Dixit autem Hippocrates *sub Cane, & ante Canem*, non vires, sed tempus potius exortus utriusque designans, cùm nimirum ea accidunt, quibus Aer æstuosior fit, & Corporum habitudines adeò afficiuntur, ut purgantium medicamentorum vim, commotionemque sufferre nequeant.

Quoniam verò Hippocrates de tempore ortus utriusque Canis expresse hoc Aphorismo meminit, planè audiendi non sunt, qui existimant, *sub Cane* illum voluisse oppositum tempus ortus Canis designare, atque adeò hyberni solstitii, intensiorisque frigoris dies referre: quamquam & hoc etiam tempus importunum Galeno censeatur, *lib. quos, quibus, & quando*, purgantibus adhibendis, cùm tum quoque difficiles, & molestæ admodum contingant purgationes, quòd humores non tam sint ad exitum parati, nec viæ laxæ, aut expeditæ. Id enim licèt verum sit, non tamen menti Hippocratis hoc in Aphorismo cohæret, cui solùm de tempore ortus Sirii, & Procyonis meminisse in animo fuit.

Verumenimverò non omninò cavenda dixit tempora vigentis utriusque Canis in usu purgantium medicamentorum, sed solùm per ea tempora purgationes difficiles, & molestas, idest non facilè tolerabiles, accidere. Siquidem illa dicitur ab eodem salutaris evacuatio, quę confert, & toleratur; modò hæc minimè videtur sufferri posse in diebus Canicularibus, ex anteà traditis. At si ægritudo talis per hæc tempora contingat, quæ exigat purgationem, profectò illa adhibenda, quoniam potissima indicatio agendi in morbis, non quidem à temporibus sumitur, sed à causis morbificis, atque ab his, quæ intrà Corpus sunt, non extrà. Sic Apoplecticos, Hydropicos, Colico dolore vexatos, aliosque tempore caniculari graviter

ter affectos, abſque ullo metu æſtus, aut Caniculæ, communiter in praxi catharticis curare adnituntur, ad humoris vitioſi depulſionem. Quamobrem hunc Aphoriſmum potiùs ſervandum interpretabimur in his, qui ab imminentibus ſe tueri, quàm à præſentibus morbis vindicari ſatagunt, & potiùs in Corporibus ſanis, vel neutris, quàm in morboſis, quæ ægritudine laborant cathartici uſum expoſtulante; etenim de his, qui adhuc ſunt ſani, ſed ægri futuri ſunt, ſcripſit Hippocrates *6. Aphoriſ.* 47. *Quibuſcumque venæ ſectio, vel medicatio convenit, hos Vere purgare, vel venam incidere oportet*, ad præveniendas imminentes per Aeſtatem ægritudines, ut fusè Galenus explicat in *comm. ejuſdem Aphor.* Quòd autem hos memoret Hippocrates, qui per medicamenta purgantia ſe tueri cupiunt, manifeſtè declarat Galenus hoc loco, inquiens: *quare & plures purgati hoc tempore incidunt in febres, & Natura ex æſtu imbecillis, magis ex purgatione diſſolvitur*. Si enim timor eſt, ne incidant in febres, procul dubio de non febrientibus, & morboſis ſermo eſt habitus.

APHORISMUS VI.

Graciles, & facilè vomentes, purgare ſuperiùs, caventes Hyemem.

Quemadmodùm præcedentibus Aphoriſmis de temporibus aptis, vel ineptis, ad vomitum, aut dejectionem, egit, ita nunc de Corporibus, illorumque habitudinibus verba facit. Et primùm Graciles, ac facilè Vomentes conſiderat, quos ait per ſuperiora purgandos eſſe. Pro Gracilibus autem non intelligendi ſunt Tabidi, quique ex morbo graciles evaſere; nam de his *Aph. VIII.* ſed qui obeſi, & carnoſi natura non ſunt. Plerumq; enim Graciles iſtiuſmodi ſolent eſſe Picrocholi, vulgò bilioſi, & cholerici, ut advertit *in comm.* Galenus, quibus venæ, & arteriæ latæ ſunt, ſanguis tenujor, & acrior, ac ſtomachus, atque os ingenti amarore ſuffunditur. Neque ſolùm iſtos ſatis eſt graciles eſſe, niſi etiam faciles ſint ad vomendum; Siquidem nimiùm valet promptitudo loci, & facilitas, ſeu diſpoſitio humoris, ſponte ſua vergentis ad ſupera: tales autem obſervantur, qui breve collum habent, thoracem latum, & Pylorum ex irritamento protinùs ſe invertentem ex coarctatione fibrarum circularium: Anatome quippè expertum eſt, vomiturientes ſortiri cholidochum ductum recta pergentem in pylorum, quò bilarius ſuccus ſuperabundans facilè irruit, & vomitum concitat. Itaque cùm hæc omnia plerumque concurrant in gracilibus, meritò per ſuperiora purgandi illi erunt. Adiicit tamen idem Galenus adverbium *magis*, nam magna ex parte, inquit, graciles ſunt bilioſi. Quòd ſi gracilitas talis ſit, qualis in melancholicis corporibus eſſe ſolet, quia in illis deſunt conditiones mox memoratæ, jure, ut inepta ad vomendum, excluduntur ab eodem Hippocrate *Aph.9.* inferiùs explicando.

Verùm undè accidat gracilitas iſta corporibus, curioſum eſt quæſitum. At qui conſideraverit partem ſanguinis glutinoſam, & albicantem, in Animalibus obeſioribus, & mole, & virtute plurimùm valere, tenuem verò, & dilutam nimis eſſe in gracilibus; planè cauſam utriuſque inveniet. Quæcumque enim animalia ſunt obeſa, & multo adipe

ſca-

ſcatentia, ſanguine quoque abundant glutinoſiori, qui facilè partibus appingitur, & hæreſcit pro nutricatu; quæ verò macilenta ſunt, modico glutine donantur, eoque plerumque dilutiori, ut propterea concreſcere non ſatis ſit, & in augmentum partium adhiberi. Hac eadem ratione contingit, Senes ſenſim extenuari, & contabeſcere, maraſmo, ut vocant, frigido, quoniam ſanguis in ipſis, ætatum progreſſu, tenujor, atque dilutior fit, & ſi fortaſsè concreſcat, potiùs à crudo, inutilique phlegmate craſſeſcit, quod partibus gravamen eſſe ſolet. Contra verò Pueri, ſanguinem ſortiri conſiſtentiorem, & glutine abundantem, in dies incrementum ſuſcipiunt, atque ad trinam dimenſionem vegetant.

Eſt tamen verum, quòd licet gracilia Corpora nacta ſint ſanguinem multo glutine non ſaturum, adeòq; modicè illa nutriantur, & creſcant, ſolent nihilominùs eſſe vegetiora, & validiora; quippe quæ ſanguinem habent acriorem, floridiorem, multiſque ſpiritibus refertum, quo ſanè privantur obeſa; ſed & Venæ quoque, ac Arteriæ in his obſervantur magis exiles, quæ tamen latiores ſunt in gracilibus; unde & pulſus in illis fiunt tardiores, minuſque validi; in his verò crebriores, & vehementiores; quin immò dicebat Hippocrates 2. *Aph.* 44. natura admodùm craſſos citiùs interire, quàm graciles: cujus rationem reddens Galenus *in comm.* inquit: *Anguſtæ enim ſunt horum Arteriæ, & Venæ, atque ob id paucum omninò ſanguinem habent, ſpiritumve, adeòut cùm ætate proceſſerint, citò ipſis, vel parvam ob cauſam, calor nativus dextruatur.*

Quoniam ergo gracilia Corpora tenujorem habent ſanguinem, felleum humorem plùs juſto cumulant, qui delatus, ut dictum, ad pylorum, facilem in illis vomitum excitat; cumque bilarius iſte ſuccus quodammodò etiam conferat excrementorum per alvum expulſioni, ne iſta magis Hyeme impediatur, quæ tardior per id tempus eſſe ſolet, proindè conſulit Hippocrates, cavendum Hyeme. Præterquamquod eo tempore bilis iners eſſe conſuevit, vel ſaltem à congeſtione excrementi mucoſi, ex tardiori diſtributione, emergentis, plurimùm retuſa; quàmobrem ſatiùs erit per eadem tempora alvum, ſi oportuerit, ſubducere, & tardas ipſius egeſtiones promovere, craſſos itemque ſuccos, & in plicis inteſtinorum impactos, detergere, & expurgare.

Sed mirum eſt, quòd Celſus exactiſſimus ſententiarum Hippocratis Compilator in re hac tam clara, atq; ab omnibus recepta, illi contradicere videatur, cùm aſſerat *libr.* 1. *cap.* 3. vomitum gracilibus, & imbecillum ſtomachum habentibus inutilem eſſe, utilem verò plenis, & bilioſis omnibus, ſi vel nimiùm ſe replerunt, vel parùm concoxerunt. Sed rectè utrumque conciliat Fuchſius, Celſum interpretatus, de gracilibus, qui vi morbi ſunt extenuati, ac Ventriculum languidum, & humoribus vacuum habent. Si enim is vomitum utilem eſſe ait plenis, & bilioſis omnibus, profectò graciles intelligit tabidos, exhauſtos, & viribus exſolutos.

Illud tandem erit advertendum, tunc graciles, & facilè vomentes per ſuperiora purgandos, cùm ægritudine laborant purgationem indicante, atque per vomitum opportuniùs: etenim in omni evacuatione neceſſe eſt primùm, quòd exigit, ineſſe;

inesse; mox etiam abesse, quod repugnat, ut illa convenienter instituatur, simulque conferat, & toleretur ab ægrotante.

APHORISMUS VII.

Vomentes verò difficulter, & mediocriter carnosos, per inferiora, caventes Aestatem.

Videtur hic Aphorismus præcedenti è converso scriptus: Sicut enim facilè vomentes ad vomitum inducendi sunt, ut in Ventriculum irruentes egerant humores inde prompte evacuandos; ità vomentes difficulter illum cavebunt, ne periculum dilacerationis venarum incurrant, potissimum in thorace. Quòd si prætereà carnosi sint, adhuc magis periclitabuntur ob nimiam Ventris compressionem, renixum musculorum, & vasorum exilitatem. Observat etiam Fuchsius non temerè adjectum esse *mediocriter*, græcè μέσως; quoniam qui mediocriter carnosi sunt, mediocri corporis habitu præditi, meliori fruuntur sanitate, & quandoque optima; quamobrem nulla evacuatione molestandi, ut dicitur 2. *Aph.36.& 37.* Cæterùm omninò pingues, & obesi, inepti sunt vomitioni, scatentque humoribus pituitosis, & tenacibus, hærentibus potissimùm in glandulis Mesenterii, & Intestinorum, qui proindè dejectoriis potiùs, quàm vomitoriis educi possunt.

Additur postremò cavendo Æstatem: & quidem nedum ex nuper traditis, verùm etiam quia carnosi, & obesi à purgantibus medicamentis facillimè eliquantur, & sanguis in illis funditur ad hypercatharsim usque, si præsertim medicamenta sumantur validiora, ut deducitur ex Galeno *comment. 36. & 37. ejusdem lib. 2. Aphor.* cùm & per Æstatem ejusmodi Corpora multis, & abundantibus sudoribus perfundantur. At quamquam cavendam dixerit Hippocrates Æstatem, non tamen reliqua anni tempora prohibuit, quæ alibi tutiora, & convenientiora promulgavit.

APHORISMUS VIII.

Tabidos verò per inferiora, caventes superiora.

Ne quis confunderet graciles, de quibus anteà, cum Tabidis, & à morbo extenuatis, adiicit hunc Aphorismum Hippocrates, quo admonet, Tabidos, græcè φθινώδεας, seu Phthisicos per superiora purgandos non esse, per quas scilicèt vias superiùs dixerat graciles purgari oportere.

At quamvis Galenus *in comm.* pro Tabidis Phthisicos, quique phthisim morbum patiuntur, sit interpretatus, videtur tamen inverisimile, hos voluisse Hippocratem comprehendere, nam qua causa, quave indicatione unquam phthisi laborantes ad vomitum sint deducendi, non bene constat, quippè qui exsucci, & macilenti, potiùs repleri, quàm evacuari expostulant. Quamobrem verisimiliùs exponit Cardanus eos hìc subintelligendos, qui ad tabem, & phthisim contrahendam proni sunt, quales describuntur ab eodem Galeno ex mente ipsius Hippocratis 1. *epidem.* thorace, & tergo restricti, ac scapulas habentes alarum instar exporrectas, atque ampliori capite præditi, destillationibus, in pulmonem, & thoracem irruentibus, obnoxii: in his enim pulmo mollis, & laxus admodum, cæteraque respira-

tionis instrumenta valdè debilia, facilè à confluentibus succis eroduntur; unde sanguinis sputum, Empyema, & Phthisis. Si his ergò vomitus indicitur, proculdubio periclitantur.

Mirari quoque subit, cur in Codice Leoniceni adjectum inveniatur *per inferiora*: cùm nec Heurnius, nec Fuchsius, neque Cardanus, aliusve ex recentioribus Aphorismorum Interpretibus id in suis versionibus habeant. Qua enim ratione, sive qui phthisi laborant, sive qui ad phthisim contrahendam sunt dispositi, quocumque medicamenti purgantis genere tractari possint, non facilè sibi quispiam persuadebit. Verùm tacite subintelligendum existimaverim, purgationem per inferiora potiùs moliendam esse, si fortasse Ventriculus cum adjunctis ductibus fuerit aliquo humore gravatus: quamvis enim ex humore in Ventriculo stagnante vomitus foret indicatus, ob malam tamen Pectoris, & Corporis habitudinem, vergentem ad Tabem, potiùs ad inferiora is ducendus erit, ne periculum diruptionis vasorum, & suffocationis subeatur, ut dictum. Medicamenta autem purgantia ex levioribùs seligenda forent, Manna, Casia, Rosa, Rhabarbarum, ne per acritudinem major in humoribus commotio excitetur, cùm alioqui satis sit in his blandè alvum subducere, & neque multum, neque universaliter evacuare, sed tantummodò Ventriculum, atque Intestina inutilibus succis oppleta, leniter inanire, & quodammodò abluere.

APHORISMUS IX.

Melancholicos verò pleniùs per inferiora; eadem ratione contraria apponentes.

SIcuti Tabidos interpretati sumus eos, qui ad Tabem sunt dispositi, non verò qui jam Tabidi, & Phthisici facti sunt; ita Melancholicos hìc sumere oportebit eos, qui habitu sunt melancholici, sive proclives sunt ad melancholicum habitum contrahendum, ad differentiam eorum, qui solent à Medicis appellari, Biliosi, Sanguinei, Pituitosi, ex dispositione, qua sunt affecti, hunc potiùs, non alium humorem cumulandi, vel etiam ex conditione sanguinis crassioris, & consistentioris, non verò tenuioris, acriorisque; Quamobrem Galeno visum est *lib. de humoribus*: & *comm. de Natura humana* biliosos appellare, qui in operationibus agiles nimium sunt, & cutis colore flavescentes; sanguineos, qui rubicundiores, & roseo colore suffusi, hilaresque; pituitosos, quibus cutis albicat, aquosa excrementa insunt, & operationes segnes fiunt; melancholicos denique, quorum fuscus color est, mens intenta, & cogitabunda, cum mœrore, & taciturnitate.

Hos itaque ait Hippocrates per inferiora purgandos esse, si necessitas expostulaverit, & quidem plenius, quàm in Tabidis dictum est, ob crassitiem, & densitatem humoris melancholici, qui non tam facilè purganti medicamento cedit, nec promptè per angustos meatus Corporis ad exitum deducitur. At verò *pleniùs*, non *vehementiùs* scriptum est; ut nimirum edoceamur iteratis potiùs

potiùs egestionibus, si oportuerit, melancholicos, & tartareos succos esse educendos, quàm unico, vehementique cathartico, quo magis furerent, & excandescerent, vel contrà tenaciùs hærerent, serosiori portione seposita: meliùs ea propter crassi isti, compactique succi blandis subducentibus parere consueverunt, quibus scilicet lubriciores redditi, & laxiores sibi faciunt vias, & commodius in alvum citrà molestiam deducuntur.

Adjecta denique verba: *eadem ratione contraria apponentes*, denunciant, pro varia ratione peccantium humorum, diversimodè Medicum se gerere oportere; ut proindè vitiosus humor, si promptus ad exitum videatur vomitu, fortè quia Ventriculum occupat, eo promovendus; si verò tunicis, glandulisque Intestinorum, aut Mesenterii hæserit, dejectione, magis, minusve valida, pro majori, vel minori ipsius, & patientis Corporis habitudine. Nisi etiam dicere velimus cum Argenterio, his in textu adjectis, significare voluisse Hippocratem melancholicum humorem per inferiora vacuandum esse, dummodò nil impediat Æstas, Corporis gracilitas, aut ad vomendum promptitudo, vel quidpiam aliud eorum, quæ pollicentur faciliorem per superiora evacuationem.

APHORISMUS X.

Medicari in valdè acutis, si materia turget, eadem die: tardare enim in talibus malum est.

JUbet hoc Aphorismo Hippocrates statim esse purgandum in valdè acutis morbis, si tamen materia turgeat, nulla expectata coctione, quam aliàs, in morbis curandis, evacuandisque humoribus, exigere visus est; atque rationem adiicit, quoniam tardare in his malum est.

Et quidem, quòd de purgatione illicò instituenda loquatur, patet ex verbo *Medicari*, quod alibi diximus sic passim à Græcis, & Latinis Scriptoribus expositum. Neque verò quidpiam aliud videtur posse significare; etenim ex superioribus Aphorismis continuatus semper sermo est habitus de purgatione per cathartica, ut propterea nec de missione sanguinis, nec de diuresi, aut diaphoresi promovenda liceat interpretari, sed solùm de dejectione, vel vomitu, prout humor in hanc, vel illam partem vergere videbitur.

Sed & valdè acuti morbi præterea intelligendi sunt peracuti, qui scilicet septimum diem non transcendunt: hi namque tanto cum impetu aggrediuntur, ut quàm citò omnia quatuor tempora transigant, & non rarò etiam vehementissimis symptomatibus socientur, de quibus idem Hippocrates *Aph.* 7. 1. *ubi morbus peracutus est, statim extremos habet labores.*

Vult autem medicandum statim, cùm materia turget: quamquam arbitratur Argenterius purgationem esse indicatam subitò, non ex turgentia, ut ipse loquitur, humorum, sed ex acutie, & vehementia subitanea ejuscemodi morborum, qui inducias non præbent, ut propterea delendas putet particulas illas, *si materia turget*. Verùm quòd non temerè turgens materia hìc sit apposita, suadent potissimùm, quæ aliàs à nobis sunt animadversa: Siquidem non omnis peracutus morbus indicat purgationem, cujusmodi sunt suffocans Angina, Ardens

acutissima, & Lipyria febris, quælibet inflammatio interna, idque genus aliæ ægritudines. Præterquamquod idem Hippocrates *Aph.* 22. 1. concocta medicanda docuit, cruda verò non movenda, neque in principiis, modò non turgeant. *Et Aphor.* 24. *ejusdem* : in acutis morbis, dixit, raro, & in principiis, medicinis purgantibus uti licere. Accedit quòd potior ratio exhibendi cathartica in peracutis desumpta videtur ex imminenti periculo decubitus humorum vagantium in membra vitæ principaliora, cum magno ejusdem discrimine: quod sanè deesse solet in acutis morbis, materia non turgente, cùm cæteroqui in peracutis æstus febrilis, sitis, humorum cruditas, tenuitas urinarum, vel earumdem turbatio, purgationem contraindicent. Quarè prudenter nos admonet Hippocrates 4.*de rat.vict. in acut.* 38: nedum abstinere oportere inter initia febrium, aliorumque morborum acutorum, à purgantibus, sed à quibuscumque medicamentis Naturam turbantibus, & humores dimoventibus. Et *lib. de Medic. purgant.* inhibet usum eorumdem in febribus vehementibus, quales sunt Ardentes, & peracutæ, sed solis clysteribus suadet molliendam alvum, si opus sit. Conferenda huc quoque sunt, quæ fusius attulimus in expositione *Aph.* 22. & 24. *Libri* 1.

Cùm igitur turget materia, dumtaxat purgare licebit inter initia, immò protinus, nulla data mora, priusquam scilicet robur Corporis dissolvatur, vel æstus febris augeatur, aut ad aliquod membrum principale decumbant ii, qui per Corpus vagantur humores, ut subdit *in comm.* Galenus: Idque profectò est, quod Hippocrates *in Aph.* inquit: *tardare in talibus malum*. Quòd si humores agitati, & commoti, alicubi per decubitum consistant, abstinendum planè à purgante medicamento, ne denuò commoveantur; & interiores, nobilioresque partes petant, modò tamen is sit factus in parte Corporis, quæ universam peccantem materiam capiat, cumque comitetur symptomatum abolitio, vel remissio, juxtà ea, quæ de abscessu salutari notantur à Practicis, & fusè referuntur à Galeno 2. & 6. *epidem.*

APHORISMUS XI.

Quibus adsunt tormina, & circà Umbilicum labores, & lumborum dolor, qui neque à medicamento, neque aliter solvitur, Hydrops siccus contrahitur.

CUM hactenus Hippocrates de temporibus, & constitutionibus Corporum egerit, in quibus purgatio instituenda foret, vel per supera, vel per infera, ad præcautionem, vel curationem morborum, hoc nunc Aphorismo memorat eos, qui licèt purgationem exigant, non tamen ab illa juvantur, sed ob repugnantem causam, vel partium discrasiam, in morbos graviores, & penè incurabiles delabuntur. Hinc videtur Aphorismus ad prognosim pertinere, qua præmuniri possit Medicus, ne suo fine frustratus infamia notetur, simulque præsagire sciat futurum ex mala naturalium viscerum habitudine morbum.

Inquit igitur, quibus tormina contingunt, & circà Umbilicum labores, seu anxietates, ac molestiæ, unà cum doloribus lumborum, undè

undè medicamentis subducentibus, vel aliter solventibus videantur tractandi, si his non proficiant, futurum, ut in siccum Hydropem incidant.

Tria sunt simul hìc commemoravit Hippocrates, Tormina, circa Umbilicum labores, & Lumborum dolorem; ut nimirùm his universam ferè Religionem naturalem affectam comprehenderet: Tormina pertinent ad Intestina; circà Umbilicum labores ad Mesenterium, Omentum, & Peritonæum; Lumborum denique dolores complectuntur utrumque hypochondrium, Jecur, Lienem, Pancreas, cum adjunctis partibus, & glandulis lumbaribus, & ubi potissimùm Peritonæum adnectitur. Quoties ergo ejusmodi partes afficiuntur, ac dolent, nec tam facilè medicamentis consanescunt, planè denunciant causam omninò rebellem, & contumacem, quæ ob reconditos anfractus, neque facilem inveniat aditum, sed potiùs exagitata, atque excussa solvatur in flatus, qui deindè distendendo, & inflando, Ventrem tumefaciant, & Hydropem siccum inducant.

Et quidem fiunt tormina à re quapiam tenaciùs hærente, & sensim in halitus evaporante, ideòque extendente, & contorquente plerumque cavitates Corporis ampliores, quales potissimùm Intestinorum, quæ distenta, utpotè sensu prædita acriori, cruciatus subeunt acerbissimos. Neque solùm molestantur Intestina ab his, quæ interiùs illorum cavum occupant, sed ab iis etiam, quę per Mesenterium, ejusque ductus illuc confluunt, atque gravando, irritando, vel inæqualiter afficiendo, non leviter divexant, & excruciant. Debent autem ista ejus esse conditionis, ut acidum austerum redoleant; ità enim & concrescentem substantiam in humoribus pariunt, & tormina, atque lancinantes dolores inferunt; Quamobrem Veteribus causa ejuscemodi cruciatuum pituita vitrea dicta est, & Recentioribus succus pancreaticus acidior redditus, indebiteque commistus glutinosiori chylo, & oleosiori felleo humori: qui proptereà plicis, cellulisque Intestinorum hærentes, & crassitie difficulter removeantur, & austera aciditate vellicent, compungant, & molestè nimis contorqueant universam Abdominis regionem.

Iisdem omninò ex causis contingunt circà Umbilicum labores, sive, ut Heurnius vertit, cruciatus: nam quæ interiùs Intestinorum involucra infestant, circà Umbilicum esse videntur, ubi potissimùm Intestinum Ileon omnium longissimum, maximèque anfractibus flexuosum residet, & ubi diutiùs fæces immorantur, innumerisque hiant osculis vasa chylifera, seu lactea, venæq; mesaraicæ dictæ.

Ad lumborum verò dolorem referuntur mala quæcumque pertinentia ad glandulas lumbares, Mesenterii centrum, Pancreas, utriusque Hypochondrii latera, atque his adjacentia viscera, quorum affectiones hoc loco Hippocrates sub generaliori nomine doloris complexus est. Sunt enim partes istæ sensu non modico præditæ ob innumeras nervorum propagines tum à pari vago, tum à vertebris lumbaribus, & ossis sacri, dependentes. Dolent autem ab humoribus ibidem aggestis, & acidam, acrem, muriaticamq; nactis conditionem; undè innumera propemodùm mala exoriuntur, ut primus omnium suspicatus est Fernelius,

nelius, moxque per Anatomem reliqui post ipsum detexerunt.

Cùm itaque hæc alicui accidunt, atque ab usu purgantium non desinunt, quę cæteroqui per evacuationem peccantium humorum desinere deberent, vel saltem infringi, ac sedari, ope aliorum medicamentorum diuresim, aut diaphoresim moventium, siccus Hydrops facillimè succedet: indè enim arguitur mala partium discrasia, & vitiosorum succorum repugnantia, quæ prædictis medicamentorum generibus nō cedit. Sed & quamvis genita, ac cumulata ibidem excrementa vi medicamentorum repurgentur, non tamen fieri potest, ut omninò evellantur, ob humorum crassitiem, viarum angustiam, glandularum ineptitudinem, & partium affectarum imbecillitatem, cùm neque medicamenta facilem habeant ad eas accessum, sine multa, & valida commotione, ac violentia.

Quòd verò siccus Hydrops, græcè Tympanites, indè potiùs oriatur, causa est, humorum crassities, & acor, unde multi, tenacesque halitus; atqui morbus hìc à materia crassa, concretaque, flatibus permista, dependet, à qua etiam Ventris tormina, circa Umbilicum cruciatus, & lumborum dolores exoriuntur, ut anteà animadversum. Sed tamen non solùm Hydrops siccus, verùm etiam congeneres alii morbi contingere possunt, quales sunt colici dolores, hyponchondriacæ affectiones, passiones hystericæ, Ischiades. Meminit autem potissimùm Hippocrates sicci Hydropis, tamquam morbi patentioris, qui scilicet visu, tactuque percipitur: eo enim imus Venter non solùm ingenter intumescit, sed percussus talem sonum edit, qualem Tympana, ut loquitur Galenus *in comm.* ad differentiam humidi Hydropis, qui Ascites ab Utris similitudine dicitur, in eo enim materia in Ventre collecta non est flatuosus aer, sed humor aquosus.

APHORISMUS XII.

Quorum alvi Intestinorum lævitate laborant, hyberno tempore per superiora purgari, malum.

PLures hìc Aphorismus patitur difficultates, si vulgari commentatione exponatur. Et quidem primò, cùm Hippocrates anteà generaliter vituperaverit usum purgantium per superiora Hyeme, non erat cur nunc idipsum repeteret in lęvitate Intestinorum, quæ multò magis vomitum recusat, cùm ex incoctione ciborum oriatur. Non videtur deindè consentaneum Rationi, lævitate intestinorum laborantes debere unquam vomitoriis tractari, cùm lævitas Intestinorum, græcè Lienteria, definiatur à Galeno tum *hìc*, tum *comm.*1.*lib.6.* *velox exitus eorum, quæ comeduntur, & bibuntur, quæque talia deiiciuntur, qualia fuere devorata*; vel breviùs: *Defectio coctionis*. Modò coctionis defectus accidit ex languore Ventriculi, & caloris naturalis concoquentis, ex ejusdem Galeni doctrina; Unde igitur desumi poterit indicatio promovendi vomitum in ejusmodi ægritudine, quæ potiùs roborantia expostulat? Prætereà excluditur in textu usus purgantium per superiora dumtaxat; videtur ergo tacitè is admitti per inferiora, ut deducitur ex præcedentibus Aphorismis, in quibus alter semper ex duobus admittitur, & alteruter tantùm vituperatur. Quis autem unquam commen-

mendaverit purgantia dejectoria in Ventriculi languore? Postremò pugnare videtur præsens Aphorismus cum XV. VI. ubi longo alvi profluvio laboranti spontaneus vomitus superveniens salutaris dicitur. Certè si spontaneus vomitus prodest, poterit quoque prodesse ex arte paratus; nam Medicus Naturæ imitator esse debet.

At hęc omnia solutu difficillima profectò forent, si Lienteriæ incommoda à languido Ventriculi calore deducere niteremur, &, ut Antiquioribus est creditum, à vitio concoctricis, retentricis, & expultricis facultatis; nam cùm in Lienteria cibi incocti statim egerantur eo ferè modo, quo sunt assumpti, ad imbecillitatem concoquentis facultatis, illos conficere, & in chylum permutare nequeuntis, causam ejuscemodi subitæ egestionis veterum plerique retulere: alii ad defectum etiam retentricis, unde debitum tempus concoctrici denegaretur: & alii ad irritatam simul expultricem, quæ antè tempus sollicitata cogeretur cibos præpropera propulsione ad alvum deturbare. Quocumque autem modo ciborum hæc cita dejectio explicetur, semper eædem occurrent difficultates. At verò si perpendantur, quæ ab eodem Hippocrate de lævitate Intestinorum dicta sunt, certè faciliorem, verisimilioremque hujus morbi causa inveniemus, atque propositarum difficultatum solutiones. Is enim *6. Aphor.* 1. inquit: *In longis lævitatibus Intestinorum si ructus acidus superveniat, qui priùs non erat, signum bonum*. Quoniam, ut subdit *in comm.* Galenus, *significant ructus acidi tantisper cibum in Ventriculo retineri, donec principium mutationis accipiat, & naturam suorum operum reminisci*. Siquidem jam satis anatome compertum est, ciborum dissolutionem, seu coctionem in Ventriculo, ope quorumdam succorum acidoacrium haberi, quin & distributionem eorumdem jam dissolutorum fieri in Intestinis tenuibus per misturam confluentium succorum, fellei scilicet, & pancreatici. Quoties itaque succi isti hebetes sunt, vel mucore retusi, præpediti, aliterve depravati, nulla, vel mala fit ciborum confectio, dissolutio, distributio, & secretio, sed gravamine intestinis illato sponte sua illi feruntur in alvum, & egeruntur. Neque verò improbabile omninò est, quod ex Vetustiorum Medicorum sententia refert Galenus *ibidem*, fieri ejusmodi ægritudinem propter intrinsecæ superficiei Intestinorum lævitatem. Etenim ex Anatome constat, internam Intestinorum tunicam rugosam, villosamque esse, innumeris glandulis miliaribus refertam, in quas hiant oscilla venarum lactearum, quę transeuntem chylum à suis fæcibus secretum exugant, deducendum deindè per proprios ductus in commune Pequeti Receptaculum. Si igitur contingat villosam hanc Intestinorum crustam à re quapiam erodente abradi, & complanari, ut deinceps nequeant lactea vasa præterfluentem chylum exugere, proculdubio sponte sua tota massa chylosa, vel etiam non confecti cibi ad alvum delabentur, & evacuationem promovebunt Lientericam. Idipsum quoque accidet à laxitate fibrarum intestinalium, & cùm à vitiatis felleo, & pancreatico liquore mala fit alibilis portionis dissolutio, atque à fæcibus secretio, ut latiùs *in nostra praxi* notatum est.

His itaque sic expositis, facili nunc negotio, Hippocratis mens in

præsenti Aphorismo dilucidabitur: eo enim primùm insinuare videtur lævitatem Intestinorum saltem aliquandò oriri vitio alicujus humoris, ut etiam videtur adnotasse Galenus *in comm. Aphor.*1.*lib.6.* qui propterea evacuatione egeat, sicuti superioribus Aphorismis de aliis meminerat. Mox vomitum non omninò in hac ægritudine prohiberi, si præsertim illa Æstate contingat ex humoribus Ventriculum occupantibus, cùm in hoc textu dicat hyberno tempore non licere per superiora purgari; undè in aliis temporibus, & præsertim Aestate fortè aliquandò licebit; aliter indefinitè dixisset in lævitatibus Intestinorum nunquam per superiora purgandum. Quòd hyberno præterea tempore malum sit Lientericos per superiora purgare: tum quia per id tempus vomitus non solet esse facilis; tum quia hyeme coctio, quæ in Ventriculo peragitur, melior esse consuevit distributione, quæ fit in Intestinis, ut antea ostensum est; quare ne vitiosi humores ibidem stagnantes ad Ventriculum per vomitum revocentur, propterea dixit malum hyberno tempore per superiora purgari. Accedit, quòd si Lientericus fluxus ex glandulis Intestinorum mucosis succis obsitis, & veluti incrustatis oriatur, certè illi per inferiora, & non per superiora purgandi erunt, quod & acutè quoque animadvertit Amicus meus semper recolendus Josephus Lanzonus Medicus Ferrariensis *animadv.* 22. Denique difficultati ex *Aphor. XV. VI.* propositæ facilè fiet satis, si dicamus, loquutum ibi Hippocratem non de Lienteria propriè dicta, sed de Diarrhęa, quas inter multum interest. Sed & ibi de vomitu spontaneo diarrhęæ contingenti; hic verò de purgationibus arte promotis sermo est: Atqui non semper licèt quocumque morbi tempore idipsum agere, quod aliquandò solet specialis, & provida morborum Rectrix, & Medicatrix Natura sponte sua operari: sic per hęmorrhagias narium, per suppurationes ex auribus, per parotidas, per Umbilici relaxationem, morbos sæpènumero, causasq; morbosas abstulit, per quas vias minimè Medico expediret. Ecquis unquam Naturæ solertiam poterit imitari, quæ sibi mille parat vias, ut seipsam à morbis vindicet, quemadmodùm Galenus animadvertit.

APHORISMUS XIII.

Qui non facilè per superiora purgantur, ad Veratrum admittendi sunt, pleniore cibo, & quiete, corporibus antè potionem humectatis.

Cum anteà Hippocrates de temporibus purgationi per supera, vel per infera, aptis, vel ineptis, deque constitutionibus, & habitibus corporum, necnon de morbis, in quibus vel una, vel altera evacuationis via magis, minusve conferret, sermonem fecerit, sequentibus quatuor Aphorismis de usu agit Hellebori Veteribus maximè commendati ad eam, quæ per superiora fit, evacuationem efficaciùs moliendam, illumque in medium adducit, veluti pro exemplo aliorum medicamentorum per os ducentium; atque inquit Corpora ad vomendum difficilia non esse ad usum Hellebori ducenda, priusquam fuerint humectata, cùm cibo, potuque, tum quiete.

Helleborus in officinis duplex semper est habitus, albus unus, niger alter. Albus ad vomitum, niger

ger

ger potiùs ad dejectiones paratissimus. De albo autem hìc mentio facta videtur, quòd de evacuatione per vomitum sermo sit, & usui is foret apud Veteres frequentiori, quibus familiarissimæ quoque erant vomitiones; unde Plinius *lib.*25. *cap.* 5. illud quondam terribile, posteà tam promiscuum evasisse scribit, ut plerique studiorum gratia, ad pervidenda acriùs, quæ commentabantur, sæpiùs sumptitaverint: sed & tutissimè sumi in Anticyra Insula, quoniam Sesamoides admiscent: In ejus autem usu cautionem sanè dignissimam proponit hoc Aphorismo Hippocrates, ne mala indè sequantur, quorum ipsemet aliàs meminit, cùm importunus, atque immoderatus est.

Primùm considerat num Corpora difficulter per superiora purgentur, an verò facilem subeant vomitionem. Si facilè ad vomendum deducantur, non erit, cur ad Hellebori usum deveniendum sit, cùm levi quocumque vomitorio Ventriculus possit exonerari. Solùm ergo Veratri usum admittendum consulit in difficulter vomentibus, quorum Ventriculus acriori eget stimulo, quàm ut à quocumque alio blandiori medicamento leviùs proritetur, ad difficilem vomitionem promovendam. Difficilis autem vomitus contingit, vel à structura Ventriculi se potiùs per fibras ad infera, quàm ad supera corrugantis; vel à crassiori tunica, qua interiùs ipse vestitur; vel à glutinosis, crassisque succis internam illius partem oblinentibus; vel ab ejusdem Ventriculi fundo distantiori, ut non tam facilè per vomitum subversus se possit per œsophagum exonerari, renitente quodammodò per angustiam, atque stomachum comprimente Diaphragmate, ut in arctis pectore sæpè evenit. Quocumque autem modo vomendi difficultas accidat, semper opus est validiori vomitorio, quo scilicet irritatio sensibilior, molestiorq; excitetur ad invertendum Ventriculi, & Intestinorum motum peristalticum, cùm vomitus motus Ventriculi sit inversus, conantis expellere ea, quæ illius cavum occupant.

Cùm igitur vomitus non facilè succedit his, qui ex allatis causis non omni leviori vomitorio per superiora purgari possunt, monet Hippocrates ad Veratrum esse admittendos: verumtamen pleniori cibo, & longiori quiete esse magnoperè præhumectandos. Siquidem Helleborus tenujum est partium, & inter pharmaca nimia acritudine, & ingenti mordacitate pollet, undè, ne Ventriculo vehementi noceat irritatione, atque inflammationem inducat, expediet illum præmunire humectantibus alimentis; secùs ab utraque facilè sequi posset convulsio, quam ex Helleboro lethalem idem Hippocrates pronunciavit 5. *Aph.*1. Humectabitur autem convenienter Ventriculus juribus potissimùm, & alimentis adiposis: quin & consueverunt plerique antè ejuscemodi vomitoriorum exhibitionem cibum ad saturitatem usque, & ex rebus præsertim oleosis, & pinguibus imperare, ut meliùs crassi, tenacesque succi cibo commisti unà simul evomantur, & medicamentum vomitum inducens quodammodò cibo retusum nequeat Ventriculum vehementiùs lacessere, & exagitare. Quod sanè nedùm in hellebori usu, sed in cujusvis alteriùs efficacis, & violenti vomitorii intelligendum: etenim Hippocrates eo solùm hìc usus est loco exempli.

Eadem

Eadem ex causa quietem servandam docet, antequam Helleborum sumatur, eamque non solùm Corporis, sed Animi. Confert enim utraque quies nedùm ad humefaciendum, verùm etiam ad vitale robur servandum, quod benè valere necesse est ad ferendam vomitionem: Equidem Corporis, & Animi motus plurimùm extenuant, & vires debilitant.

At cùm Hellebori usus veluti periculosissimus (tametsi multifariam illum corrigere, & præparare Veteres conati sint, ut apud Dioscoridem *lib.4.Aetium libr.3.c.124. Aeginetam lib.7.cap.21.& Galenum libr. quos quibus, & quando, & 3. de fractur.*) nostris temporibus exoleverit, alia, & quidem mitiora vomitoria excogitata sunt; in quibus tanta cautio, quanta in Helleboro expostulatur, non videtur necessaria. Verumtamen non temerè, & inconsideratè quæcunque vomitum movent usurpanda sunt, cùm aliquibus satis sint, quæ ex vegetalibus conficiuntur, aliis verò etiam, quæ ex mineralibus sunt parata: quo pacto hìc Hippocrates non omnibus vult Helleborum esse exhibendum, sed solùm iis, qui difficulter evomunt; unde pro varia evacuandorum humorum conditione, vomitoria ista evariare licebit.

APHORISMUS XIV.

Cùm biberit quis Helleborum, ad motiones quidem Corporum ducere magis; ad somnos verò, atque quietem, minùs. Indicat autem navigatio turbari motione Corpus.

POstquam Corpora ad Hellebori sumptionem sunt dispositâ, ut facilem ex illo nanciscantur evacuationem, consulit Hippocrates ad motiones esse ducenda, sumpto exemplo à navigatione, per quam constat illa turbari, & promptiùs evomere. Scitè autem advertit Cardanus, hunc Aphorismum scriptum fuisse ad commodam, facilem, celerem, minusque molestam ab Helleboro evacuationem; sequentem verò adjectum esse ad illam augendam, vel cohibendam, si fortasè diminuta, vel excedens videatur: qua ratione vindicatur Hippocrates à calumniis Galeni *in comm.* dicentis, *liquere, quòd hic sermo eamdem vim habeat cum priore*, quasi verò Hippocrates bis de eadem re verba fecerit.

Confert itaque motus evacuationi promovendæ; tùm quia humores attenuat, fluxilesque reddit; tum quia ductus corporis dilatat; tum etiam quia calorem suscitat, & medicamenti assumpti operationem sollicitat: contrà verò quies, & somnus impedit, cohibetque. Quamobrem experimur sisti somno omnes cujusvis generis evacuationes, uno solùm excepto sudore.

Non tamen motus adeò vehemens, & immoderatus esse debet, ut Corpus delasset, vires enervet, & ad cutim commotos humores deducat: hoc enim pacto retardaretur potiùs evacuatio, quæ ex assumpto vomitorio desideratur; quinimmò duceretur vis venefica epoti Hellebori in partes Corporis penitiores, non sine gravi noxa totius. Sed & nec quicumque motus ad vomitum promovendum exquiritur, sed qui corpora turbare valeat, & nauseam movere, cujusmodi est navigatio, per quam inæqualiter illa exagitantur. Unde existimavit Argenterius, conducibiles solùm in id esse navigatio-

tionem, equitationem, & ambulationem per circulum. Adderem ego motum illum nostratibus puellis consuetum, quo pensiles è suspenso fune librati in aere ducuntur, reducunturque.

Sed an statim ab assumpto Helleboro, aliove vomitorio medicamento movendum sit Corpus? Putaverim eousq; quiescere oportere, quousque medicamentum fuerit in ventriculo dissolutum, sive, ut practici loquuntur, à potentia deductum in actum: cùm verò Ventriculum vellicare, & nauseam movere cœperit, turbatione commovere necessum erit; quod & plerique facere consueverunt sola linguæ, & summitatis œsophagi vellicatione. Verùm hac in re plurimùm tribuendum prudentiæ, & sagacitati assidentium, ne diutiùs, crebriùs, aut impensiùs, quàm par sit, Ventriculus proritatione subvertatur, & mala suboriantur non rarò immedicabilia. Idem quoque servandum erit in usu subducentium medicamentorum, in quibus prò quiete somnus, & pro motu vigilia (si fortasse illum Corpus ferre nequeat) commendabiles erunt, prout medicamentum dilui, aut exacui expostulaverit.

APHORISMUS XV.

Cùm voles Helleborum magis ducere, move Corpus; cùm verò sistere, somnum inducito, nec moveto.

QUòd hoc Aphorismo doceat Hippocrates modum, quo assumptum Helleborum evacuationem copiosiorem eliciat, patet per adverbium illud, *magis*: nam procul dubio vehementiùs, uberiusque purgabit Helleborus, si à motu seipsum insinuaverit, atque confluentes humores adhuc à Ventriculo, & Intestinis remotiores eduxerit; potissimùm si motus ejus sit conditionis, ut præter attenuationem, amplificationemque, agitet, turbet, & nauseam moveat, ut anteà dictum est.

Sicut autem motus confert ad copiosiorem evacuationem promovendam; ita quies, & somnus eamdem, fortasse immoderatam, sistit, & cohibet; quamobrem Hippocrates consulit hoc eodem Aphorismo à motu abstinendum, & somnum esse inducendum, si illam comprimere opus fuerit.

At quo pacto somnus inducatur, Hippocrates non explicat. Et quidem non tam facilè est in egestionibus à purgante medicamento excitatis, quo scilicet Venter assiduò ad secessus proritatur, somnum allicere. Verùm ad compescendas evacuationes per alvum immoderatas non rarò cibus assumptus mirè contulit: eo enim allecta Natura ab evacuatione desistit, & fibræ Ventriculi, ac Intestinorum plurimùm eadem de causa delassatæ contrahuntur, & confluxuros humores detinent, quinimmò vis medicamenti à portionibus cibi humidioribus nō leviter infringitur, ipsæque succorum particulæ jam anteà dissolutæ, & attenuatæ, semmoperè crassescunt, atque consistunt. Attamen in vomitu, quia Ventriculus graviter afficitur, & per plures horas nausea, & subversione tenetur, non videtur opportunum cibum assumere; is quippè subindè gravatus, magis, magisque ad vomendum sollicitaretur, non sine graviori noxa. Proderunt eapropter, quæ stomacho grata, reficere quidem possunt, sed vi quadam opiata vomitum sedant,

qualia

qualia sunt vinum, vini spiritus dulcis redditus, Aqua cinnamomi stillatitia, Elæosaccharum ejusdem, vel citrii, tinctura alkermes, aliudve simile, foto quoque intereà Ventre rebus aromaticis, puta oleo Mastiches, & Magni Ducis, elixire Quercetani, Aqua ardente, Balsamo orientali, vel Tolutano, idque genus aliis. Sed & Theriaca præsertim recens vino diluta efficacissima quoque est, sicut etiam Mitridatium, & Diascordium dosi convenienti, pro ratione virium, & ætatis. Laudanum denique opiatum, & aliquo liquore solutum, aut in pilulam cùm confectione hyacinthina redactum in compescendo vomitu, ut & in cæteris evacuationibus cohibendis, præcellere dicitur; cavendum tamen ne importunè, aut excedente dosi exhibeatur, nam consopitis omninò viribus, stupefactoque Cerebro lethum afferret ab evacuatione.

APHORISMUS XVI.

Carnes sanas habentibus Helleborus periculosus: facit enim convulsionem.

QUòd aliàs Hippocrates de quocumque purgante medicamento in benè valentibus protulit, nunc speciatim de Helleboro adnotat, & quidem albo, quo nimirùm vomitus concitatur, ut ex hactenùs traditis clarè deducitur.

At mirum videri potest, quòd Helleborus sit unquàm sanis exhibendus; ut exindè convulsionis periculum timeatur. Quis enim unquam sanæ mentis Helleboro utetur, aut suo, aut alieno consilio, cùm benè valet? Quamobrem videtur hic Aphorismus inutiliter adjectus, quo fortassè debeant benè valentes commonefieri, ne Helleborum assumant. Verùm non dixit Hippocrates *benè valentibus*, sed *sanas carnes habentibus* Helleborum esse periculosum: nam possunt Corpora sanas carnes habere, & aliqua ægritudine laborare, præsertim citrà febrim, & absque ullo sanguinis vitio, sed sola quarumdam partium affectione, uti est dolor lumborum, genuum gravitas, Ischiades, ardor stomachi, &c. In his enim affectibus solebant Veteres vomitoriis uti, immò quacumque ex occasione Helleborum potare: tam illis familiare, & consuetum erat vomere. Hos ergo consulit Hippocrates ab Helleboro abstinere, si carnes sanas habeant; additque rationem, quoniam Helleborus convulsionem affert.

Sed quomodò ex Helleboro Convulsio oriatur, dubitari non incongruè potest. Et quidem non ex vi purgante id evenire fatendum, ex eo potissimùm, quòd cætera cathartica medicamenta etsi vehementissima, uti sunt colocynthis, scammonium, elaterium, convulsionem non afferant. Videtur itaque convulsionem afferre Helleborus acritudine potiùs Ventriculo, & nervis infensa, quemadmodùm Cantharides speciatim nocuæ sunt Vesicæ urinariæ: Colocynthis, & Scammonium Intestinis, Opium Cerebro. Propter vomitum enim, quem violenter inducit, fibras stomachi lacessit, & nervos ejusdem compungit, ac extorquet, undè fit, ut convulsionem, quæ passio nervorum est, pariat. At verò magis afficit Helleborus habentes carnes sanas, quoniam in his nervorum fibræ exquisitioris sensus sunt, atque adeò faciliùs acris, atque irritantis medicamenti vim,

mole-

moleftiamque percipiunt, quam minimè perfentirent fi hebetioris fenfus forent, aut multa pinguedine, & crafforum fuccorum copia infarcirentur. Qua etiam ratione fit, Ventriculum lentis, vifcofifque humoribus, aut adipofis cibis oblitum acritatem Hellebori minùs perfentire, quàm fi omninò vacuus, & benè valens fit. Hinc experimnr graviùs affici eos, qui jejuni Arfenicum, Auripigmentum, Sublimatum, aliudve iftius generis venenum affumpferunt, leviùs, vel nullimodè, qui à paftu: cujus rei non ignari circumforanei pharmacopolæ, arcanorum jactatores, ut rudem plebeculam illudant, venena fumunt, poftquàm fe plurimùm ingurgitaverint, & cibis potiffimùm oleofis, ac pinguibus, quibus interna Ventriculi tunica ad veneni efficaciam retundendam obliniatur.

Cæterùm Convulfio hic ab Hippocrate notata, non vera convulfio intelligenda eft, fed motus convulfivus: Siquidem per convulfionem veram, nervi, & mufculi ad fua principia retrahuntur, & retracti perdurant, ut in Tetano, Opifthotono, & Emprofthotono; at verò convulfio, quæ ex Helleboro contingit, refert potiùs inæquales, atque irregulares earumdem partium commotiones, fpafmodicas, congruentiori nomine, appellatas, quemadmodùm in Epilepfia.

Sed quibus remediis fuccurrendum iis fit, qui ex ufu Hellebori, aliufve fimilis medicamenti, motus iftiufmodi convulfivos patiuntur, non erit abfre hic breviter memorare, idque lubentiùs, quoniam non funt hi eifdem omninò remediis tractandi, quæ ufui effe folent cæteris convulfionibus, aut motibus convulfivis, ab humore nervos occupante progenitis, in quibus purgantia, diffolventia, & calefacientia dicta à practicis commendantur; fed potiùs humefacientibus, & obtundentibus acrimoniam ab Helleboro inductam. Quare jura ex vegetalibus, quæ nervis opitulentur, & Stomacho grata fint, proderunt, cujufmodi præcipuè parari folent ex bardana, ftœchade, vifco quercino, malo cydonio, cum floribus nympheæ, & violarum arefactis. Cydonium ipfum five crudum, five coctum fertur Hellebori albi antidotum, itemque Gelatina C.C. & conditura florum nympheæ. Mirificè etiam conferre putantur extractum baccarum fambuci, & hyperici, Theriaca, & Mithridatium recens, cum pulvere feminum paftinacæ. Exteriùs verò proderunt quæcumque leniunt, & partes concitatas demulcere valent; undè oleum hyperici, baccarum lauri, & vitellorum ovorum; itemque radices Angelicæ in Vino excoctæ, & in cataplafmatis formam applicitæ conferunt; balneationes quoque vel ex aquis thermalibus blandè laxantibus, vel ex artificialibus, cum medicamentis anodynis, præfertim chamæmelo, meliloto, hyperico, aliàs profuiffe vifæ funt. Cætera ex communi agendorum methodo petenda erunt.

APHORISMUS XVII.

Eum, qui non febricitat, cibi faftidium, morfus oris Ventriculi, vertigo, & oris amaritudo, purgatione indigere per fuperiora fignificant.

HActenùs opportunum, convevenientemque vomitoriorum medicamentorum ufum, animadverfiones, cautionefque, in Hellebori

bori exhibitione descripsit Hippocrates, nunc signa tradit eorum, qui per superiora, vel inferiora purgandi sint: Et primùm, eum, inquit, qui non febricitat, sed nausea, ac ciborum fastidio, itemque morsu oris Ventriculi, vertigine, atque oris amaritudine afficitur, purgatione indigere per vomitum significari.

Recenset itaque hic indicia, quibus Medici dignoscere queant, quandonam per superiora vitiosos humores expurgare cogantur, sectantes naturæ motum, ut idem Hippocrates alibi scripserat, quò movendus, ducendusque humor vergeret.

Et quidem ad superiora ferri indicabunt. Primum, *ciborum fastidium*, quo designatur Ventriculus inutilibus humoribus oppletus, undè illius fibræ laxatæ nequeant corrugari, succi dissolventes, digestioni addicti, præpediti, aut retusi, famis sensum non exacuant, & vis ipsa ciborum concoctrix hebescat, & elangueat. Secundùm, *morsus oris Ventriculi*, qui nonnisi ab humoribus præter naturam ibidem congestis, acribus, & biliosis dictis, fit, quibus nimirùm Stomachus vellicatur, & compungitur, ea doloris specie, qui græcè Cardiogmos, & Cardialgia appellatur. Tertium, *Vertigo* designans, iisdem humoribus in Ventriculo collectis, sive per nervos, sive per arterias Cerebrum affici, & pravis halitibus adeò tentari, ut subindè in suis operationibus turbetur, & vertiginem incurrat, vel simplicem, vel tenebricosam dictam. Quartum, *oris amaritudo*, quæ à degeneratis pariter humoribus, amarorem præsefe-rentibus exoriri; Undè œsophagus, palatum, & lingua pari affectione per consentientes glandulas, tunicasque cum salivario rore depraventur. Quamobrem cùm hæc omnia manifestissimè demonstrent vitiosos humores Ventriculi Cavum occupare, meritò per superiora, veluti per loca conferentia, illi erunt exturbandi. Si enim ad inferas partes deiicerentur, usu purgantis dejectorii, non tam promptè, atque expeditè evacuarentur, & procul dubio infici quodammodò quoque possent, qui in intestina confluunt succi: quin & catharticum ipsum ab eorumdem succorum miscela depravatum, & corruptum graviorem molestiam afferret, atque ex diuturniori mora in Intestinis, venæ lacteæ inquinarentur, facilèque oriri possent tormina, diarrhææ, febres, præter alia non leviora reliquorum naturalium viscerum mala, speciatim verò Renum, & Vesicæ, ob transmissionem alicujus portionis dejectorii medicamenti: id enim cujuscumque generis illud sit, diureticum fieri solet, quemadmodùm testantur urinæ per id tempus coloratiores, multùmque turbatæ.

Hæc autem indicia simul juncta dixit indicare per superiora purgationem, absente tamen febre, nam si fortasse illa febri sociarentur, certè non à præsentia humoris in Ventriculo, quæ planè vomitum indicat, sed ab ipsa febre oriri possent. Quamobrem si humor Ventriculi cavum occupans desit, evacuatio minimè indicabitur, quæ nonnisi expostulata videtur ab humore Ventriculum replente: at verò non raro à febre accidit cuncta hæc oriri, quæ tamen purgationem non exigunt, immò & aliquandò contraindicant, ut cùm febris inflammationi, vel phlogosi copulatur.

Verùm quamvis ista signa citrà febrim Corpus denuncient per superio-

periora purgandum, eo quòd designent Ventriculum malis humoribus repletum; non tamen si febris adsit, oportebit semper, & omninò à vomitoriis abstinere, si ex iisdem, aliisque signis coniiciamus, humorem Ventriculi cavum occupare; etenim semper ac humores Ventriculum infestant, vomitu eiiciendi sunt; undè sensus Aphorismi is erit, ut si absente febre, nausea, morsus oris Ventriculi, vertigo tenebricosa, & oris amaritudo quempiam affecerint, vomitus semper indicetur; si verò hæc omnia à febre habeantur citrà humorem in Ventriculo contentum; ab illo abstinendum, cùm hæc eadem à sola febre pendere possint; at si prætereà, etiam humoris præsentiam in Ventriculo sequantur, & non à febre exoriantur, vomitus adhuc erit procul dubio indicatus, potissimùm inter ejusdem initia. Dixi inter ejusdem initia, nam si fortasse hæc accidant tempore declinantis febris, quoniam significant criticam evacuationem per superiora futuram, oportebit à vomitorio abstinere, & Naturæ motum criticum expectare, ex regula ab eodem Hippocrate tradita *Aph. 20. lib. 1. Quæ judicantur, & judicata sunt integrè, neque movere, neque novare aliquid, sive medicamentis, sive aliter irritando, sed sinere oportet*, de qua etiam re legendus Galenus 3. *de Crisib.* Liceret autem, si præmonitam evacuationem minimè Natura expleret, ut alibi notatum. Verùm inter ea, quæ vomitum movent, & citò, ac tutò conferre solent, præstant ex stibio concinnata.

APHORISMUS XVIII.

Dolores, qui sunt suprà præcordia, quicumque egent purgatione, medicari oportere per superiora significant: quicumque autem infrà subsistunt, per inferiora.

Docet & hoc alio Aphorismo Hippocrates, quando purgandum sit per superiora, & quando per inferiora, idque ex dolore partes supra, vel infrà præcordia occupante, potissimùm deducit, dummodò purgatione opus fit.

In doloribus itaque, sive (ut exponunt Fuchsius, & Heurnius) in molestiis, seu affectionibus suprà præcordia, vel (ut alii vertunt) suprà Septum transversum, si purgatione egeant, vomitu potiùs utendum, quia breviori via, & faciliori molimine se Natura exonerabit; immò humores ipsi evacuãdi promptiores, paratioresque erunt ad exitum. Non tamen dixit in doloribus, seu molestiis quibuscumque, sive in doloribus simpliciter, & absolutè: nam neque Pleuritis, aut Peripneumonia, neque Angina, aliusve dolor cum inflammatione, purgationem indicabit; Sed in doloribus, qui purgatione egent, quales scilicet à Ventriculi orificio superiori ex pravis humoribus oriuntur. Sed neque defuerunt, qui etiam in affectibus Pectoris, & Pulmonis, cum inflammatione conjunctis, vomitum commendarint, quemadmodùm præ cæteris Rulandus, qui usu cujusdam Aquæ, benedictæ à seipso appellatæ, Pleuritidem, Pulmoniam, Empyema, cæterasque ægritudines Thoracis tutò se curasse testatur; quamobrem hac ratione sensus istius Aphorismi generalissi-

lissimus foret, aptandus cuicumque ægritudini suprà Septum transversum. Quod si non suprà septum transversum, sed suprà præcordia dolores, ac molestiæ hìc intelligantur, sententia hæc procul dubio clarior fiet, quippè præcordia sub nomine phrenos græcè nuncupata, comprehendunt etiam Viscera plurima sub septo transverso constituta, ut Hepar, Ventriculum, Lienem, & alia adjacentia, in quorum doloribus, seu molestiis, purgare per superiora tutiùs licebit, ob consensum, quem ista ineunt cum eodem Ventriculo, in cujus cavum sæ plerumque exonerant.

Quemadmodùm affectiones partium superiorum ob loci promptitudinem indicant per superiora purgandum; ità è converso quæ inferiores partes molestant, exigunt purgationem per infera: difficillimè enim humores in imo Ventre consistentes possent per vomitum expurgari, cùm tamen promptissimè in Intestina confluentes ad alvum deponantur. Nec absre dixit Hippocrates: *quicunque infrà subsistunt*, ideft stabiles, & firmi sunt; nam si fortasè vagi forent, hanc, vel illam partem impetentes, non temerè purgationem exquirerent, cùm non benè constaret per quas vias esset educendum; quin & verendum foret, ne à flatibus orti commoda adhuc purgatione desinerent, sed contrà potiùs exacerbarentur.

Neque verò rationi dissentaneum putandum est, nedùm de evacuationibus per cathartica tantùm Hippocratem loquutum, verùm etiam de quibusvis aliis egestionibus, suprà, vel infrà, promovendis, ut propterea sensus Aphorismi sit, in doloribus suprà septum transversum, & vomitione, & anacatharsi, prout alterutra opus fuerit, utendum esse, infrà septum transversum verò, & dejectione, & diuresi, pro loci, & humoris proclivitate: non minùs enim una, quàm alia evacuatione corpus affectum purgari posse experimur; quamvis hìc de catharsi propriè videatur loquutus Hippocrates.

APHORISMUS XIX.

Qui in medicamentis purgati non sitiunt, non cessant, priusquam sitiant.

PRoponitur in hoc Aphorismo ab Hippocrate signum completæ purgationis à medicamento habitæ, illudque dicitur esse sitis evacuationem subsequens, ut propterea eousque purgationem esse producendam videatur assertum, quousque sitis comparuerit.

Affert Galenus *in comm.* quatuor causas, ob quas sit futura sitis ex purgante medicamento. I. *Ratione ipsius Ventriculi, qui ex caliditate, vel siccitate, vel ambabus qualitatibus promptè ad sitiendum perducantur.* II. *ratione medicamenti, cùm acre fuerit, calidum, & mordax.* III. *propter humorem evacuatum, qui plerumque bilis amara est.* IV. *ex superabundanti evacuatione, per quam rorida substantia educta, siccitas deinde subsequitur, & sitis.*

At quamvis hæc, ut plurimùm ità se habeant, non tamen semper, & ubique veritati consonant, cùm non rarò expertum sit ingentem sitim fuisse subortam absque ulla, vel modica evacuatione, atque ab usu medicamenti leviter purgantis, quod sedandæ siti usui esse solet, quemadmodùm

modùm fatentur de pulpa tamarindorum, de caſſa, de violis. Contrà verò ſitis nulla, vel exigua ſubſequuta eſt à cathartico vehementiori; Unde fallacem nimis conjecturam plerique exiſtimarunt ſuccedentem ex purgatione ſitim; quin & de veritate iſtius Aphoriſmi magnoperè ſunt veriti. Si prætereà perpendantur, quæ à Galeno ſunt in ejus argumentum propoſita, planè aliàs, & quidem graviores addere poterimus difficultates: etenim ſi ex caliditate, & ſiccitate ſitis oriretur, procul dubio febre hectica laborantes immenſum ſitirent, nullatenùs verò hydropici; neque verò propter medicamentum, cùm acre fuerit, calidum, & mordax; neque propter humorem evacuatum, etſi bilioſus ſit, ſitis orietur; nam etiam levia, & quæ benedicta appellantur purgantia medicamenta, ſitim ſæpiſſimè excitant moleſtiſſimam; & evacuato humore, prẹſertim bilioſo, febrem, & ſitim inferente, utraque potiùs deſinere deberet.

Quod prætereà idem Galenus ſcribit 1. *de ſimpl. med. facult. cap.* 30. augeri ſitim vel ob caloris copiam, vel ob humoris inopiam: ob caloris copiam quidem ex febribus, aere æſtivo, cibis calefacientibus, & exſiccantibus, purgantibus medicamentis, venenis erodentibus, aliiſque; ob humoris inopiam verò, ex laboribus, vigiliis, ſudoribus, cæteriſque evacuationibus immodicis, neque veritati cohæret; Siquidem Hydropicos intenſa, & moleſta ſitis urget, quæ nec ab humoris inopia, neque à caloris copia dependet.

De organo, ſeu ſitis ſede dubitare ulteriùs contingit: nam quamvis *in comm. hujus Aph.* & alibi, putaverit Galenus eſſe Ventriculum: Alii tamen nedùm ex Recentioribus, ſed ex Vetuſtioribus Philoſophis, & Medicis Pulmonem exiſtimarunt: cujus ſententiæ fuerunt Plato, & Ariſtoteles. Unde ſicut edaces dixerunt eos, qui latiorem Ventrem à nativitate nacti ſunt, ità bibaces ex adverſo, qui ampliorem, longioremque thoracem. Hippocrates etiam *lib. de Carnibus* idipſum manifeſtè docere videtur aſſerens per laryngis rimam aliquid potulenti in tracheam, & pulmonis bronchia delabi, ad illum irrorandum, humectandumque; cui conſentit pariter Galenus 8. *de plac. Hipp. & Plat. cap.* 15. Hinc idem Hippocrates *hoc eodem* 4. *Aphor.* 54. inquit: *Quibus plurimùm ſiccæ tuſſes leviter irritantes in febribus ardentibus fiunt, non multùm ſiti infeſtantur.* Quoniam, ut ſubdit *in comm.* Galenus, *madeſcunt loca, quæ ad aſperam pertinent Arteriam, & ideò minus ſiticuloſi fiunt.* Quamobrem pluries expertum, magis extingui ſitim uſu gargariſmorum, quibus ſcilicet aſperę Arteriæ ductus humectatur, quam ſi liberalior potus Ventriculum irroraret. Huc etiam facit quod notavit pariter Hippocrates *in epidemiis* magnoperè ad omnem ſitim prodeſſe os claudere, & tacere; quandoquidem ex loquela non ſolùm ſalivarius ros extenuatur, & deficit, verùm etiam Thorax, Pulmo, & aſpera Arteria plurimùm defatigantur, & exareſcunt: ſi autem à Ventriculo ſitis oriretur, haudquaquam proficeret ſilentium, eo loco ab Hippocrate commendatum, cùm vox, & loquela, ad Thoracem, Tracheam, & Pulmonem pertineat, juxtà illud: *Cor ardet, Pulmo loquitur.* Atqui non raró à paſtu ſi diutiùs eloquamur,

vehementiùs sitimus, etsi Ventriculus uberiori potu jam inundet.

Ex his igitur, aliisque, quæ consultò omittimus, videntur planè rationes à Galeno pro expositione hujus Aphorismi superiùs adductę non minimùm enervari. Quamobrem, ut sensum Hippocratis verisimiliùs assequamur, & côngruentiùs tueamur à vindiciis, scire oportet, sitim in Animantibus induci ex defectu ejus humoris, qui per sua vasa circumfluus irrorandis partibus addicitur, & latex, ac lympha ab Anatomicis vocitatur: etenim in statu naturali pari circuitu partes cunctas Corporis petit, irrigat, & humefacit, quo sanguis in easdem illapsus alit, fovet, atque in vita tutatur: hìc idem aqueus humor glandulas salivarias pervadens, fauces, linguam, & guttur irrorat, atque gustui, & loquutioni peragendæ plurimùm confert; oculos quoque oblinit, serum in pericardio conservat, & pro pulmonibus aliqua sui parte in pectoris cavo colligitur; immò universas glandulas Corporis alluens, nec non articulos, membranas, parenchymata, non solùm nutricatui, & incremento proficit, sed etiam à plurimis ægritudinibus cuncta tuetur. At verò sicuti in statu naturali substantia, qualitate, & quantitate convenienti, cùm per suos ductus circuit, omnia hęc Corpori beneficia elargitur; ità in statu morboso, si in his deficiat, mille propemodùm incommoda parit: potissimùm autem sitim excitat, si desit, totoque ferè corpore exhauriatur, sudoribus, mictionibus, sputo, lachrymis, aliisque immodicis evacuationibus, sive spontè, sive arte promotis. Similiter si glutinosior, salsior, acrior, acidior redditus, nequeat fauces, guttur, & linguam convenienter irrigare, ut experimur in catarrhis, in febribus, in subito timore, & aliquandò etiam mox à pastu. Si præterea aliò confluat, quàm ut decet, aut alicubi restagnans extrà proprios ductus feratur, ut in hydrope, & dipsaco. Quare non mirum si diversimodè sitim sedari comperiamus, largo nedùm aquæ haustu, sed & vino, ejusque spiritu, aliquando spiritu vitrioli, vel salis, cæterisque multum inter se disparibus, quandoquidem non ab una, eademque causa lymphæ vitium exoritur, & sitis.

Naturalis præterea sitis in Ventriculo quidem, & in faucibus excitatur, ac persentitur; at verò morbosa, & quæ præter naturam evenit, etiam in gutture, trachea, & pulmonibus; undè sæpenumerò accidit, ut ingenti siti crucientur ægrotantes, etsi Ventriculuş multis humoribus, etiam aqueis, sit repletus, immò nonnumquam adhuc languidus, & nausea affectus. Sunt insuper, qui solis gargarismis ab ejusmodi sitis molestia liberantur, & alii inspirato dumtaxat Aere frigidiori: sub quo sensu dixit Hippocrates tusses leviter irritantes in febribus sitim remittere.

Purgantia autem medicamenta postquam dissolutionem in Ventriculo passa sunt, suas operationes plerumque exerunt in Intestinis tenuibus, ubi irritatione simul, ac fermentatione indebita cum liquoribus felleo, & pancreatico perpetim inducta, eos primùm humores diluunt, & extenuant, qui tunicis, & glandulis eorumdem impacti fæcum depositionem non rarò etiam remorantur; undè prima Alvi exoneratio, tota fermè stercoraria esse solet. Mox si ejus sint efficacitatis, ut lacteas venas subeant, atq; etiam

cum

cum sanguine secundùm partes saltem tenujores misceantur, ipsum fundunt, & glandulas potissimùm Mesenterii laxant, exturbant, & extenuant, ideòque vasa lymphica illuc pertingentia pari molestia cogunt lympham ubertim effundere, & quandoque etiam sanguine intinctam, ut in hypercatharsi contingit.

Quoniam verò in glandulis præsertim solent vitiosi, & inutiles humores inhærere, cùm ob spongiosam earumdem substantiam facilè suscipiant, & difficulter deponant, quos semel humores excepere, idcircò fit, ut nunquam à catharticis congrua purgatio sit successura, ni glandulæ malis humoribus sint inanitæ, & ex præterlabente lympha quodammodò detersæ, ut indè universalis Corporis purgatio, & veluti purificatio, habeatur.

Hinc modò ad expositionem præsentis Aphorismi dicendum, Hippocratem hoc loco de ea purgatione habuisse sermonem, quæ ex medicamentis verè purgantibus, & catharticis universalibus dictis, peragitur, neutiquam verò de laxantibus solùm, & lenitivis appellatis, quæ num Antiquis cognita fuerint, alibi discussum. Ea verò cùm sint addicta purgandis non solùm primis ductibus Corporis, sed etiam intimioribus ejusdem partibus, atque à Ventriculo remotissimis, planè in glandulas Mesenterii, & Pancreatis, immò in arterias, & venas, vires suas diffundunt; quamobrem nedùm excrementa in eisdem primis ductibus stagnantia, sed etiam penitiores alios, & alios humores, tum utiles, tum alibiles, sed degeneratos, exturbant, & evacuant; cùmque cum his multum lymphæ pariter educatur, emunctis ferè glandulis universis, proindè ingens sitis ad ejuscemodi purgationem subsequitur, quam Hippocrates hoc loco veluti signum completæ purgationis in toto Corpore specialiter consideravit, ut proindè dixerit: qui in medicamentis, scilicet catharticis, & universalibus purgati, ideſt humoribus sive quantitate, sive qualitate peccantibus inaniti, non sitiunt, non cessant purgari, priusquam humores ex glandulis, & ex vasis sanguineis, ac lymphicis, educti non fuerint, ut propterea ab horum evacuatione sitire cogantur. Hinc sitis subsequens à medicamento purgationem, non est generale indicium cujuscumque evacuationis à cathartico habitæ, sed ejus dumtaxat, quæ à vehementioribus inducitur, atque totius ferè Corporis est, cum lymphæ, & seri sanguinis eductione. Quod si prætereà hypercatharsi subsequatur, procul dubio sitis molestissima accidet, præter alia, & graviora symptomata, immodicam, inconvenientemque evacuationem comitantia, de quibus Galenus *comm. 36. & 37. 2. libr. Aph. & alibi.*

Quamquam autem videatur Hippocrates in hoc Aphorismo ex superveniente siti completam purgationem determinare, non tamen putandum metam exindè præfigi in quibusvis evacuationibus promovendis: sitis enim ex medicamento purgante proveniens designat solùm maximam in humoribus, & partibus solidis motionem, unde licet purgationi superveniat, non tamen illam sistit, sed attenuato, dissolutoque nimiùm sanguine, potiùs augere potest. Quare si fortasse purgati non eò devenerint, ut sitiant, non idcircò sunt ad sitim subeundam alio fortè medicamento pur-

gante cogendi, ne utiles humores dissolvantur, fundatur sanguis, & hypercatharsis subsequatur, omninò perniciosa: quoniam ex eodem Hippocrate, evacuationes non sunt multitudine æstimandæ, sed si talia deiiciantur, qualia conveniunt; & ægri facile tolerant 1. *Aph.* 23. Præterquamquòd infidele signum est in purgationibus sitire, cùm interdùm sitiant à medicamento ægrotantes, nec tamen bene sint purgati, & aliquandò sitiant ex peculiari Ventriculi constitutione, quandoq; etiam à conditione medicamenti, ab æstu Aeris, à morbo, aliisque causis innumeris.

Notabile verò est, quod monet Cardanus hoc loco, multùm conferre motum ad juvandam purgationem, cùm catharticum sitim non inducit, ne scilicet aut penitùs non purget, aut parùm, & imperfectè, deducto argumento ex præcedenti Aphorismo XV. *cum volueris ducere Helleborum, move Corpus*. Etenim assumpta medicamenta, quæ non purgant, plerumq; nocua sunt, & mortifera, nisi eiiciantur, ut contigit Adolescenti Eubæo 5. *epidem.* Verumenimverò pluries expertum in praxi, magnoperè promoveri purgationes catharticorum, epota aqua frigida; quinimmò usitatissimum est Medicis Romanis largissimas aquæ gelidæ potiones commendare iis, qui catharticum assumpserunt, ut subinde abundantiùs egerant, & absque siti, laxatis nimirùm, humectatisque ductibus, atque lubriciori alvu reddita, quæ non rarò constipatur, & contrahitur à medicamento fibras Intestinorum ex irritamento corrugante.

APHORISMUS XX.

Non febricitantibus si tormina acciderint, & genuum gravitas, & lumborum dolor, purgari per inferiora oportere significatur.

Anteà *Aph.* 17. tradidit Hippocrates signa purgandorum humorum per superiora, nunc indicia profert, quibus internosse liceat purgationem esse faciendam per inferiora; & sicut ibidem de non febricitantibus sententiam protulit; ità hìc etiam febricitantes excipit, aitque tormina, seu cruciatus circà umbilicum, gravitatem genuum, & lumborum dolorem, citrà febrim, indicare purgationem per inferiora moliendam; undè oportebat hunc Aphorismum anteriùs scribi, ut connexa oratione notarentur signa utriusque evacuationis per supera, & per infera promovendæ. Recenset itaque tria signa demonstrantia purgationem faciendam per inferiora, tormina nimirùm, seu cruciatus circa umbilicum, genuum gravitatem, & lumborum dolorem; quæ sanè denunciant humorem infernas partes occupantem, ut etiam superiùs ostensum est. At verò speciatim hæc tria memoravit, non quòd alia idipsum non indicent, sed quòd per hæc necessariò purgandum sit, ne humores in iisdem partibus affectis firmati graviora mala afferant, vel saltem irresolubiles deinceps fiant; Quamobrem non immeritò adjectum est verbum *oportere*. Excipiuntur autem febricitantes, quoniam in his ejusmodi signa non semper indicant materiam humoralem, vel omninò purgatione educendam; siquidem non rarò in febribus decubitus humorum ad eas

partes

partes denunciant criticas motiones, vel abscessus ad articulos, undè à purgante medicamento esset abstinendum, ne motus criticus Naturæ impediretur, aut aliò distraheretur, non sine febrientis nocumento. Cæterùm semper ac ejusmodi accidentia ab humoribus contingunt, qui in inferiores partes tendant, purgatio non poterit non esse salutaris, cum & loci promptitudinem, & humoris vergentiam, & facilem à purgante medicamento evacuationem illa denuncient.

Verumtamen animadvertere oportebit, an non faustus, ac salutaris eventus ejuscemodi evacuationem subindè subsequatur. Quippè nisi statim profecerit, verendum, ne à majori commotione humorum, & tumultuaria viscerum naturalium concussione futurus sit gravior affectus in imo Ventre, cujusmodi siccus Hydrops ab Hippocrate *Aphor. XI. hujus libri* præsagitur. Quare vitanda erunt ea, quæ in purgationibus nimiùm exagitant, & flatus excitant; sed potiùs in usum ducenda sunt, quæ gratiora visceribus, sine ulla perturbatione, vitiosos humores blandè subducant, & amicabiliter alliciant.

APHORISMUS XXI.

Dejectiones nigræ sanguini atro similes, & sponte procedentes, sive cum febre, sive sine febre pessimæ: & quantò colores pravi fuerint plures, eò deteriùs. A medicamento verò procedentes, meliores sunt, idque quantò plures fuerint colores non pravi.

DEjectiones tum sponte naturæ habitas, tum à medicamento promotas considerat hoc loco Hippocrates, easque sive nigras solùm, sive multicolores: & quidem spontè factas omninò vituperat, sive nigræ compareant, sive alterius coloris à naturali recedentis; meliores verò judicat, si ab assumpto medicamento proveniant, eoque magis si colores plures fuerint, nec multum à naturalibus, & consuetis recesserint.

Prudenter autem existimat Argenterius duas in hoc Aphorismo sententias contineri, alteram quidem pertinentem ad nigras dejectiones spontè procedentes; alteram ad pluralitatem colorum in dejectionibus apparentium; neq; enim nigræ evacuationes, plures colores admittere possunt: quamobrem unus Aphorismus in hunc modum scribendus foret: *Dejectiones nigræ, qualis est sanguis niger, sponte procedentes, sive cum febre, sive sine febre pessimæ.* Alter verò: *Dejectiones, quæ sponte factæ plures habent colores, deteriores sunt, quàm si fiant à medicamento.*

At quænam sunt istæ dejectiones nigræ sanguini atro similes? Certè eas hìc Hippocrates non intelligit, quæ atrabilariæ dicuntur; nam de his infrà. Nec, quæ concretum, nigrumque sanguinem referunt, aut propriè sanguineæ sunt, quippè non dixisset, *sanguini atro similes*; ubi similitudinem tantummodò, non substantiam, vel qualitatem in excretionibus notavit. Nec præterea humorem illum, quem melancholicum appellant, ut *in comm.* Galenus interpretatur: etenim dixisset, dejectiones nigræ bilis, quemadmodùm Veteres melancholiam nuncupare consueverunt; sed & neque ejusmodi melancholicus humor uspiam reperitur, cùm satis, superque à Recentioribus ostensum sit,

quaternarium humorum numerum fictitium esse, & qui in Liene fingitur potiùs acore, quàm craſſitudine, ac nigritie talis appellatur, & si fortaſsè in alvum decumberet, non quidem per venas, ſed per arterias illuc mearet, adeòque ſimul cum ſanguine effundi deberet, quemadmodùm in hæmorrhoidibus; cùm tamen nullius harum evacuationum meminerit hìc Hippocrates. Pari modo reliquæ egeſtiones nigræ ab aduſta bile, vel pituita, perperam à Veteribus excogitatæ, veluti omninò commentitiæ, reiiciendæ ſunt, quæ & hìc neque aptari poſſent, ubi iſtiuſmodi nigræ dejectiones etiam ſine febre peſſimæ referuntur, cùm cæteroqui aduſta pituita, & bilis, nonniſi cum acutis febribus jungi poſſe perhibeantur.

Veriſimiliùs itaque putandum cohærenter Anatome dejectiones nigras in hoc Aphoriſmo ab Hippocrate memoratas fieri vitio ſucci pancreatici acido-auſterioris redditi, & præter Naturam fermentantis tùm bilem è cholidoco defluentem, ſed craſſam, & inertem, tùm partem cibi depravatam, & corruptam: ea enim eſt conditio iſtiuſmodi acidi humoris, cùm auſterior fit, ut compingat ſimul, & in atrum commutet quidquid craſſiuſculum adiicitur, eo fermè modò, quo fieri experimur ex acido Vitrioli cum alkali gallarum in atramento ſcriptorio, & potiſſimùm compactiori: cùm enim pancreaticus hic humor à naturali ſtatu receſſerit, & ponticam auſteritatem acquiſierit, ſic felleum liquorem combibit, craſſa præſertim pituita conjunctum, ut atramentum æmuletur: quamobrem in his, in quibus ejus acor prævalet, uti in Hypochondriacis, Scorbuticis, Lienoſis, aliiſque, ſolent ejuſcemodi atræ egeſtiones apparere, quæ vulgò melancholicæ appellantur. Quòd ſi acidum iſtud etiam in Liene exorbitet, unde ſanguis è ramo ſplenico in meſentericum derivans traiiciatur in Arterias, indeque etiam in venas, quæ turgidæ, & varicoſæ hæmorrhoidales cæcæ nuncupantur, procul dubio egeſtionem quoque promovere poterit conſimilis atri coloris, & non raro etiam concreti ſanguinis, ſi diuturniorem moram ibidem contraxerit, ut ſæpeſæpiùs obſervatum. Et quamvis in Aphoriſmo videatur ſimilitudo potiùs notata, ut propterea non ſanguis niger, ſed alius humor nigro ſanguini ſimilis deſignetur; ſi tamen ex græco codice verba textus examinentur, non videtur concretus, & nigricans ſanguis ab ejuſmodi dejectionibus excluſus; unde Fuchſius exponit, *veluti ſanguis niger*: & Heurnius *cujuſmodi eſt ſanguis niger*: ideſt ab acido auſteriori concretus, & ater redditus.

Dejectiones præterea iſtæ peſſimæ cenſendæ ſunt, cùm ſponte proceſſerint: *ſponte* quidem, quoniam ſignificant talem, ac tantam eſſe humoris virulentiam, ut ſponte ſua, nullo adigente medicamento, viam faciat, & exitum ſibi paret. *Procedentes* verò, ideſt non ſemel exeuntes, ſed iteratis vicibus, & per univerſam ferè morbi latitudinem perſeverantes, etiam inter initia. Siquidem ſymptomaticæ evacuationes ſolùm à principio comparent, & continenter perſeverant; at verò criticæ, ſtatim abſolvuntur, & nonniſi circa declinationem accidunt. Unde ſi dejectiones iſtæ nigræ ſemel tantùm appareant, non erunt æquè malæ, ac ſi integra morbi duratione perſeverent.

Neque

Neque verò eft neceffe illas cum febre conjungi, ut malæ fint, quoniam haudquaquam à febris focietate malitiam fufcipiunt, fed ab humoris exeuntis conditione, ac pravitate, & à vifcerum difcrafia. Quare perindè erit, fi febris adfit, vel abfit. Eft tamen verum, quòd longè pejores cenfendæ erunt, fi febrim comitem habeant; nam præter morborum, & fymptomatum pluralitatem, arguunt quoque fanguinis vitium, indebitamque inductam in illo fermentationem, & Cordis, aliorumque vifcerum læfionem: idque five febris fymptomatica putetur, five effentialis dicta.

Cæterùm peffimas dixit Hippocrates, non exitiales, ficut de atra bile pronunciavit, & cùm ad morbos acutos, vel diuturnos cum extenuatione, ac languore, confequuntur: etenim iftæ medelam non admittunt, ut inferiùs oftendemus: at verò quæ hìc memorantur, poterunt artis induftria temperari, & corrigi, fi potiffimùm diù non perduraverint, & vires aliundè conftiterint, in ætate non admodùm provecta: quod fanè præftari poterit ufu roborantium medicamentorum, & acidum fuperabundans corrigentium, qualia præfertim funt ex chalybe compofita, & alkalina appellata.

Verumenimverò pravitas, & pluralitas colorum apparentium in excretis augent malitiam, & periculum affectorum: an quia ex humorum heterogeneitate, varia quoque vifcerum difcrafia fignificatur, quæ propterea non tam facilè queat artis auxilio emendari; an quia extremam denunciant corruptelam, varii, pluresque humores, degenerati in virides, & porraceos, æruginofos, lividos, & atros. Unde idem Hippocrates 2. *Aph.* 14. dicebat: *In profluviis alvi mutationes excrementorum iuvant, nifi ad mala mutatio fiat*. Pluralitas autem colorum in excretis hoc loco intelligitur eorum, qui omninò præter naturam funt, fecùs verò fi fecundùm naturam forent: quamobrem rectè in textu dicitur: & quanto colores *pravi* fuerint plures; Pravi autem colores à naturalibus, & confuetis penitùs declinant, cujufmodi effe folent vitellini dicti, porracei, æruginofi, lividi, &c. Atque hinc facilè occurri poterit difficultati ex præcitato *Aphor.* 14. 2. ubi mutationes excrementorum utiles referuntur, cùm hìc dicantur perniciofæ: ibi enim mutatio fieri intelligitur in coloribus Naturæ confuetis, & à malis in bonos; hìc verò in morbofis, & de malis in pejores, ac peffimos.

Sed cur à medicamento procedentes nigræ dejectiones meliores reputandæ fint? Et quidem nigras non folùm, fed & flavas, virentes, aliafve dejectiones vi medicamentorum habitas nemo ampliùs reformidat, cùm unicuique compertum fit eas potiffimùm confequi conditionem, & tincturam medicamentorum: Rhabarbarum enim ad flavum, fenna, & cafia ad nigrum, agaricus ad album excretos humores colorant; quin pro varia eorumdem excrementorum vi, & mifcela, multi quoque, & varii colores in excrementis comparere folent, & non rarò abfque ullo vifcerum vitio, aut morbofæ conftitutionis veftigio. Sed etfi morbificam caufam confequantur, adhuc decedentes ex affumpto medicamento humores pravi validam arguunt Naturam, & feipfos non adeò rebelles, ut eidem evacuanti obfiftant, vel non ftatim

obſequantur. Non tamen hinc quis exiſtimet, omninò periculo vacare, quæ à medicamento prava, & atra procedunt: etenim Hippocrates non ſimpliciter nigras dejectiones ope medicamenti habitas bonas dixit, ſed meliores, comparatè nimirùm ad eas, quæ ſponte Naturę contingunt; nam nigræ dejectiones ex pravis humoribus ſemper malæ exiſtimandæ ſunt, eo quod denuncient pravas ineſſe Corpori diſpoſitiones, undè nigræ illæ prodeant, adeò à naturali ſtatu recedentes.

Poſtremò advertit Hippocrates, quò plures colores in excretis à medicamento comparuerint, eo minùs malos eſſe, quoniam univerſam humorum colluviem, omnemque malum Corporis apparatum indè evacuari ſignificatur, adeòque Naturam medicamento adjutam potuiſſe modico temporis intervallo vitioſos humores deponere, & expurgare abſque partium ſolidarum noxa ſenſibili. Colores autem plures, & non pravi, ſi omninò ſecundùm Naturam ſint, certè nedùm meliorem, ſed etiam optimam indicabunt egeſtionem, ut anteà ex *Aphor.* 14. 2. memoratum eſt: ſi verò præter Naturæ morem accidant, denunciant quidem profuturam evacuationem in genere cauſæ, cùm pravi humores excernantur; at verò in genere ſigni malam ſaltem arguunt viſcerum diſpoſitionem, unde tam prava colorum varietas exoriatur.

APHORISMUS XXII.

Morbis quibuslibet incipientibus, ſi atrabilis vel supernè, vel infernè exierit, lethale.

PRæcedenti aphoriſmo Hippocrates nigras ſimpliciter dejectiones vituperavit; nunc verò ſpecialiùs, quæ atræ bilis conditionem referunt, omninò exitiales aſſerit, neque ſolùm per inferas partes, verùm etiam per ſupernas, modò morbus inchoet.

Et quidem initiantibus morbis ſolummodò, illius evacuationem exitialem eſſe docet: quandoquidem *nil tunc excernitur* (inquit *in comm.* Galenus) *Naturæ ratione, ſed omnia ſunt ſymptomata earum, quæ præter Naturam ſunt in Corpore diſpoſitionum; unde cùm adeſt cruditas humorum, aliquid utiliter evacuari eſt impoſſibile: ſiquidem oportet coctionem præire, ſubſequi verò diſcretionem; & poſteà evacuationem, ut bona ſit criſis.* Hinc communi voto damnantur à Medicis evacuationes habitæ in principiis morborum, cùm vel multitudinem, vel pravitatem ſignificent; at verò iiſdem declinantibus, & poſt humorum coctionem, quælibet excretio ſalutaris eſt, veluti procedens à victrice Natura corpus à ſuis impuritatibus repurgante.

At quamvis cujuslibet humoris evacuatio inter initia morborum mala ſit, longè tamen periculoſior erit, ſi atram bilem redoleat. Dicitur autem à Medicis Atra bilis, humor ille, qui colore nigricat, ſed non concreſcit, ut ſanguis, immò in terram decidens fermenteſcit, & bullulas excitat, velut Acetum, aut Vinum, lumini objectum ſplendet, & acrimoniam, mordacitatemque ſapit; quamobrem viſcera, per quæ tranſit, erodit, & ulcerat inſtar aquæ ſtygiæ. Hinc inter humores omnes, qui ſtatum Corporis morboſum conſequuntur, peſſimus hic omninò reputatur, & venenoſus, veluti extremam nactus corruptionem, vitæ penitùs inimicam.

Verùm quo pacto ejusmodi deleterius humor Atrabilarius in humano corpore generetur, non inutiliter quæri potest. Hactenùs est creditum, Bilem duplicem in humano Corpore reperiri, naturalem unam, & alibilem, in venis unà cum sanguine contentam; alteram nonnaturalem, & excrementosam in cysti fellea collectam, ac continenter in tenuja intestina confluentem; fieri autem, ut eodem ægrotante, vi, atque pernicie morborum, viscera, & præsertim Jecur intemperetur, atque ejusmodi biliosi humores putredine, & exustione degenerent in vitellinos, croceos, mox etiam in æruginosos, porraceos, ac denique in atrabilarios, extremum corruptionis terminum designantes, qui propterea veluti summè recedentes à consueto Naturę, ubicumq; comparuerint, lethum prænuncient.

Sed jam satis, superque ab Accuratioribus Medicis, de Bile in venis contenta excogitatum, vanum, & futile detectum est, ut de illa ulteriùs verba facere pudeat. Solùm Bilem in cysti fellea contentam, & per cholidocum in jejunium intestinum transmissam, gravem, nocuamque mutationem subire posse constat Anatome, si nimirùm indebita fermentatione cum aliis humoribus, & præsertim Pancreatico, illuc confluentibus, præter morem invertatur, & nedùm colore, sed etiam acritate, & malitia, commutetur in naturam fermè deleteriam; unde apposité quidem Galenus 6. *de loc. aff. c.* 5. animadvertit generari non rarò posse in humano Corpore humores veneno similes, qui scilicet idipsum agant, quod à venenis assumptis, vel inflictis fieri experimur.

Et quidem si felleus hic humor acer, & oleosus redditus cum acido pancreatis, aliove, commisceatur in Intestinis tenuibus, ità ingenti fermentatione exacuitur, ut erodendi vim adipiscatur; neque solùm in Intestinis, sed & in Ventriculo ex depravato ejusdem fermento, corruptisque cibis; pariterque ex lympha acriori cum fermento glandularum vitatio. Nec dissimilem pati solet serum urinarium depravationem, si acrius sit, & sale acidiori inspergatur; itemque si menstruus sanguis, atque alia Uteri recrementa fermentis hystericis coinquinentur, & subsistant. Quamobrem ubique ex mala, atque indebita mistura fermentorum poterunt pravi, & deleterii humores progigni, & è diversis egeri emissariis, venenorum Naturam redolentes; undè erosiones, pustulæ, ulcera, gangrænæ, aliaque hujus generis perniciosissima.

Quoties itaque ex inconvenienti mistura, ac fermentatione succorum, alii, & quidem præter Naturam exorti, præsertim acres, atri, & venenosi, per alvum, aut per os egeruntur, multis ex rationibus mortem prænunciant: quippè significant viscera non bene suos humores secernere, & repurgare, sed potiùs ex vitiata textura, & crasi, illos inficere, unde fermentationes, dissolutiones, distributionesq; alimentorum pessimæ fiunt in prægrande virium dispendium: sed & humores ipsi depravati acritudine veluti arsenicali, & acore fermè vitriolico, partes, quas pervadunt, pungunt, erodunt, ulcerant, & gangrænam, aut sphacelum inferunt; immò sanguinem ipsum, aut coagulando, aut exsolvendo, ineptum circulationi reddunt: infecto autem sangui-

ne,

ne, & vel concreto, vel exsoluto, motus Cordis desinit, & vita. Cæterùm egestiones istiusmodi aut suprà, aut infrà habitæ, sunt tantùm nobis indicia, quibus malam viscerum, & fermentorum constitutionem conjiciamus jamjam lethum comminantem, nam non ex eo, quod nigra prodeant, sed quòd intus genita vitæ fomitem inficiant, & corrumpant, mors imminet.

APHORISMUS XXIII.

Quibuscumque per morbos acutos, vel diuturnos, aut vulnera, aut quemvis alium modum extenuatis, nigra bilis, aut veluti sanguis niger, per inferiora subsederit, postridie moriuntur.

VIdetur hic Aphorismus multùm cum XXI. congruere: verùm ubi anteà dejectiones nigras universim vituperavit Hippocrates, nunc specialiùs exitiales eas inquit in extenuatis. Decernit enim nigram bilem, aliumve nigrum humorem per inferiora excretum in valdè extenuatis postridiè mortem portendere.

Cùm igitur indefinitè afferat paulò post successuram mortem iis, qui extremè extenuati sunt, si nigra dejecerint, inutilis procul dubio censenda est quorumdam Interpretum controversia, qua ambigunt, num de atra bile propriè dicta, an verò de melancholia sermonem habuerit. Nam quæ adjecta sunt; *aut veluti sanguis niger*: manifestè declarant, omnem cujuscumque nigri humoris dejectionem voluisse illum comprehendere, ut proindè parum, vel nihil intersit, num bilis atra, an melancholia, vel alius niger humor, egeratur, modò Corpus vi morbi sit extenuatum; etenim imminentis mortis causa propriè ad languorem, & Corporis extenuationem refertur; undè hujus Aphorismi rationem afferens *in comm.* Galenus, subdit: *est enim in talibus*, idest extremè extenuatis, *natura imbecillis adeò ut non possit concoquere, neque discernere, neque excernere, quæ ità prava existunt.* Quin Heurnius historiam cujusdam ducis militum refert, qui cùm diù quartana febre laborasset, indèque macruisset, tandem à concreti sanguinis per alvum excretione postridiè obiit. Porrò in hoc nec atra bilis, nec melancholicus humor prodiit.

Quamvis autem hoc loco, nigræ solùm dejectionis, sive atræ bilis, sive melancholiæ, aut fæculenti sanguinis Hippocrates meminerit, veluti omninò exitialis in extremè emaciatis; non tamen hinc erunt eximendi aliorum humorum, immò etiam ipsis sanguinis, & chyli egressus inconvenientes: etenim 5. *Aph.* & *alibi*, tabidos etiam brevi morituros ait, si alvus immodicè solvatur; sed, si dejectio nigra lethalis est extenuatis, ob extremam maciem, & virium languorem, sanè longè periculosior erit dejectio sanguinis, aut chyli, quòd arguat summam naturæ labefactionem, quæ difficillimè in extenuatis remittitur. Quare in his quælibet evacuatio magnifacienda est, sed ejus potissimùm humoris, qui tuendæ vitæ magis conferat, cujusmodi est sanguis, & chylus.

Sed quod de dejectione Hippocrates adnotavit, an exponi quoque possit de vomitu, non irrationabiliter ambigitur; cùm atram bilem infernè, vel supernè exeuntem mortiferam præcedenti Aphorismo pronunciaverit. Et quidem si causa in-

instantis mortis provenit ex extrema macie, & summo virium languore, nulli dubium, quod etiam vomitus niger valdè extenuatis lethalis sit: Rarò autem tabefactis, & languidis vomitus accidit, quibus præ summa virium jactura vomendi conatus nullus esse potest; undè factum puto hanc evacuationis speciem Hippocratem tacuisse.

De cæteris evacuationibus veluti per urinam, sputum, itemque furfures, sudamina, tubercula, adhuc dubitari potest, an non citam mortem portendant, si nigra compareant in extenuatis. Et dicendum lethalia plerumque indicia esse; sed non ad tam breve tempus, ut postridiè mortem afferant; immò dubiam aliquandò fieri conjecturam, cùm ob morborum, sive acutorum, sive chronicorum, eorumque temporum varietatem, diversimodè sit prognosticandum; atque aliter in viris, ac in fœminis, & aliter adhuc in epidemiis constitutionibus. De qua re legendus idem Hippocrates *in epidemiis, & in prognost.*

Quoniam verò hìc solùm nigri cujuscumque humoris lethalem exitum in extenuatis adnotavit, videndum, cujus generis extenuatos intelligere voluerit. Interpretes communiter eos exponunt, quibus nedùm spiritus, & humores consumpti sunt, sed etiam solidæ partes exhaustæ, tum acutie, & pravitate, tum morbi longitudine cum evacuatione conjuncta: etenim extenuatio talis, ac tanta esse debet, quæ virium dissolutionem, & Naturæ languorem inferat, ut proindè vitiosi humores sponte sua effluant. Nisi quippè penitùs extenuati forent ægrotantes, profectò non tam citam mortem subirent, ut in Aphorismo dicitur, quandoquidem plurimi ab eodem Hippocrate referuntur *in libris epidemiorum*, qui nigra dejecerint, & minimè obierint, vel saltem in longius tempus vitam protraxerint. Sic Herophon *ægrotus III.* 1. *epidem.* quinta die nigra dejecit, & 17. judicatus est. Et *Aeger III. 3. epidem. sect.* 1. qui decumbebat in Dealcis horto, quinta, sesta, & octava die, ac denuò quintadecima, & decimaseptima, & per universum ferè morbi decursum nigra egessit, & graveolentia, quadragesimá tamen perfectè convaluit.

De tempore tandem jure etiam dubitari potest, num in principio solùm, an solùm in augmento, & statu, aut in declinatione, comparentes nigræ dejectiones exitiales sint, an verò quocunque tempore indiscriminatim. Et sane, cùm de extenuatis sermo sit, nequit intelligi de morbi principio, quando omnia symptomata debilia, & levia sunt, nec tantus marcor esse potest, quantus videtur exigitus ad carnium dissolutionem, & virium languorem; quin & Hippocrates ipse *per morbos acutos*, dixit, *vel diuturnos*: modò diuturni morbi dicuntur, qui quadragesimam diem transilierunt. Ad declinationem verò deducti, nunquam morbi lethales esse consueverunt, etiam ex documento Galeni 3. *de crisib. cap.* 5. dicentis; *Nemo unquam vi morbi, in ejusdem declinatione mortuus est, nisi solùm ex accidenti, aut ex aliquo errore commisso, vel à Medico, vel ab ægroto.* Igitur in augmento, & statu morborum id evenire fatendum: in augmento quidem, si morbus fuerit acutus, quippe tunc extenuatio provenit ex virulentia, quemadmodùm in Pestilentiis; In statu verò, si fuerit chronicus,

nicus, cùm ex ipsa morbi diuturnitate Corpus languefiat, & contabescat.

APHORISMUS XXIV.

Difficultas Intestinorum, si ab atra bile inceperit, lethalis est.

INter plurima damna, quæ Atra bilis deorsùm excreta afferre potest, memorat hoc loco Hippocrates Dysenteriam, veluti frequentiùs ex illa procedentem, cùm infernas partes petierit in alvum delata. Est enim difficultas Intestinorum, græcè Dysenteria, frequens, cruenta, & dolorosa dejectio; Quamquam nomine Mysenteriæ quicumque alvi fluxus cum dolore junctus non raro intelligatur, ut propterea Diarrhœam quoque comprehendat, quemadmodùm deducitur ex Galeno 3. *de sympt.cauf.cap.* 8. Plerumque illa fieri dicitur ab humoribus acribus, qui vellicando Intestina, & dolorem afferant cum torminibus, & sæpiùs compellant ęgrotantes desidere: Nonnumquam etiam à mucosis, & salsis humoribus, qui tenacitate assiduò torqueant, salsedine verò erodant, & ulcus inferant.

Et quidem ab his inducta Dysenteria non tam facile sanatur, immò omninò lethalis dicitur, si ab atra bile incæperit, quoniam ab illa non solùm Intestina ulcerantur, sed exeduntur, ac mortificantur, ob virulentam ejusdem conditionem. Atque hinc monendi sunt quicumque rem medicam sunt facturi, ut non tam glutinantibus remediis Dysenteriæ opitulentur, quam corrigentibus, & acidos, ac acres humores temperantibus: quo pacto non semel vidimus dysentericos veluti repente sanatos hujusce generis medicaminibus, tormentilla, bistorta, plantagine, centinodio, verbasco, baccis sambuceis, croco Martis, colchotare Vitrioli, hæmatite, sanguine leporino, & similibus. Hac quippe ratione non solùm affectis intestinis consulitur, sed specialiùs humori ulceranti, & corrumpenti, unde affectio ortum ducit, quemadmodùm ex anteà traditis facile est deducere. Verùm de hac re latiùs in nostra praxi.

APHORISMUS XXV.

Sanguinem quidem suprà ferri, qualiscumque sit, malum: infrà autem, bonum, cùm niger deiicitur.

SPecialiùs hoc Aphorismo sanguinis excretio consideratur, & tàm per superiora, quàm per inferiora; sed cùm suprà fertur, malum dicitur, cùm infrà, bonum, si niger deiiciatur.

De evacuatione itaque sanguinis per os habita, manifeste intelligendus Hippocrates, ut interpretatur Galenus, excepta illa, quæ per nares fit. Siquidem è naribus sanguinem fundi, & sæpissime salubriter, innumeris fere constat experimentis, cùm & febres tertianæ, & continuæ, & ardentes, non raro etiam malignæ, & pestilentes, critice terminentur, ut extant exempla tum apud Hippocratem, & Galenum, tum etiam apud reliquos rei medicę professores. Solùm vituperantur stillæ sanguinis è naribus erumpentes, veluti signum ingentem pravitatem denuncians, sicut pariter immoderata hæmorrhagia, quæ non facile sistitur: cæterùm in reliquis conferre consuevit; unde plerosque

novi,

novi, qui à periodica per eas partes sanguinis eruptione nedùm à gravissimis capitis doloribus evaserunt, sed etiam ab aliis pessimis ægritudinibus præservati diutissimè vixerunt.

Sanguis igitur per os excretus hoc loco vituperatur, & quidem tum ratione sui, qui de genere earum rerum est, quæ nunquam egeri debent, tum ratione viscerum, & vasorum, in quibus asservatur, quoniam ea reserata, aut erosa credendum, cùm prodit. Et quidem sive è Capite, sive ex Ventriculo, sive demùm ex Thorace prosiliat, semper sui, & principalis alicujus visceris noxam arguit, & non levem vitæ labefactionem, quippè quę suo fomite depauperetur.

Neque verò ab his solùm egrediens cruor malus est, sed, quod majus, quia alicubi stagnans, ut facilè est, illicò concrescit, acorem contrahit, & corrumpitur, ac tandem in pus vertitur: ex pure autem innumera propemodùm detrimenta exoriuntur, febres potissimùm, ulcera, marcores; Unde idem Hippocrates 2. *Aph.* 47. *Dum pus conficitur, dolores, ac febres accidunt*: & 6. *Aphoris.* 20. *Si in Ventrem sanguis præter naturam effunditur, necesse est suppurari.* Et 7. *Aphor.* 15. *à sanguinis sputo, puris sputum; à puris sputo Tabes, & Mors.*

Quamvis autem sanguis per os excretus semper aliquid mali referat, & sive spumosus sit, & floridus, sive nigricans, & concretus, quemadmodùm colligitur ex adjecta voce: *Qualiscumq; sit*; idest cujusvis generis, & conditionis; Nihilominùs levius malum portendit in fœminis, in quibus sanguinis excreationes utiles esse consueverunt, etiam per tussim, modò à suppressis menstruis purgationibus procedant; quamobrem idem Hippocrates 5. *Aphor.* 32. *Mulieri*, inquit, *sanguinem evomenti, menstruis erumpentibus, solutio fit*; reseratis nimirùm uteri ductibus, atque exeunte sanguine per loca convenientiora. Et *Aph.* 33. *ejusdem*: *Menstruis deficientibus, sanguis ex naribus fluens, bonum.*

At quod fœminis salubriter accidit ex menstruorum suppressione, non rarò etiam contingit viris ex pleuritide, si nimirùm sputum sanguineum comparuerit, ut dicitur 1. *Aph.* 12. Quare generale hoc Hippocratis effatum in aliquibus excipietur; Verumtamen oportebit diligenter advertere, num sanguis ipse immediatè è suis vasis prodeat, sequaturque alicujus principalis visceris erosionem; an verò ex tumore jam dirupto, vel suppurato, excernatur; etenim sicuti in priori casu semper malum, ità in posteriori sæpissimè bonum; quinimmò *morbo laterali laborantes si in quatuordecim diebus non repurgantur, ad suppurationem vertuntur*, 5. *Aph.* 8. *Suppurati verò nisi in quadraginta diebus purgentur à die, qua ruptio facta fuerit, in tabem transeunt*, *eodem* 5. *Aphor.* 15. Quòd si sanguis è glandulis faucium exsudet, & sputo excernatur, non solùm nil mali portendere solet, sed sæpenumerò etiam prodest; compertum enim pluries est vehementi capitis dolore vexatos veluti momento convaluisse, excreto è prædictis locis faucium sanguine. Quo sensu exponendus idem Hippocrates 7. *Aphor.* 37. ubi sibi ipsi contradicere visus, inquit: *Quicumque evomunt sanguinem, si sine febre quidem salutare; si verò cum febre, malum:*

Adeò-

Adeòque non omnem ſanguinis per os evacuationem malam pronunciat, immò ſalutarem vocat, ſi ſine febre ſit. Planè is intelligendus de ſanguinis exitu haudquaquam à Ventriculo, cujus vomitus peculiaris actio eſt, ſed à glandulis faucium, & gulæ, è quibus proſiliens ſanguis evomitur. Quamquam & abſq; ulla Ventriculi læſione, ex viſcerum naturalium obſtructione, aut timore, poſſit ſanguis ubertim evomi, aut excreari, pari modo ac ex utero malè affecto contingit, ut anteà notatum eſt.

Sicuti ſuprà ejectus ſanguis, quicumque ſit, malum dicitur, ità deorsùm excretus, bonum, ſi tamen niger egeratur: at qua ratione, non benè conſtat, præſertim ſi ad memoriam revocentur, quæ præcedentibus Aphoriſmis ſunt recenſita, in quibus dejectiones nigras peſſimas Hippocrates promulgavit. Quare cùm in præſentiarum nigrum ſanguinem per inferiora excretum bonum proferat, videtur ſibi ipſi manifeſtiſſimè repugnare. Verũ quamvis hæc apud cæteros Expoſitores non ſint facilia ſolutu, ſic tamen à nobis explicantur, ut quemadmodùm Hippocrates ſuperioribus Aphoriſmis nigras damnaverit dejectiones, ortas ex mala, indebitaque miſtura, ac fermentatione ſuccorum fellei, & pancreatici in Inteſtina tenuja confluentium: ità hìc laudabiliorem exiſtimet nigram dejectionem procedentem à ſanguine ex venis hæmorrhoidalibus concreſcente: manifeſtè enim hoc loco opponit ſanguinem per os excretum ſanguini deorsùm exeunti, ubi anteà non ſanguinem, ſed dejectiones nigras ſanguini atro ſimiles retulerit, eaſque ab interioribus, & malè affectis viſceribus promanantes. Sed & multùm quoque intereſt nùm ſanguis in ipſis viſceribus degeneratus concreverit, an ſolùm in venis ſedis ſua craſſitie ſubſederit, aut tanquam impurus à reliquo ſepoſitus ſponte ſua prodierit. Quamobrem jure addit Hippocrates, *cùm niger deiicitur*: nam ſi fortaſsè purus, & floridus egeratur, profectò malum erit, & quidem præter Corporis languorem, ac decolorationem, pulſuum imbecillitatem, viſcerum labefactionem, minabitur tabem, vel hydropem. At verò ſi niger deiiciatur, & per intervalla, periodo latiori, plurimùm proderit, præſertim Melancholicis, & Niphritide laborantibus, ut dicitur *6. Aph.* 11. immò ſolet à graviſſimis ægritudinibus præcavere *6. epidem. ſect.3.* ubi, qui hæmorrhoidas habent, neque pleuritide, neque peripneumonia, neque phagædena, neque furunculis, neque tuberculis terebinthi figuram habentibus, neque lepra, neque vitiliginibus correpti referuntur. Iis enim omninò ſuppreſſis, Hydrops, aut Tabes ſubſequitur, ex eodem *cap.6.Aph.* 12. Unde nec ſuprà modum fluere, nec omninò ſupprimi, ſalubre erit.

APHORISMUS XXVI.

Difficultatem Inteſtinorum habenti, ſi veluti carunculæ deiiciantur, lethale eſt.

HIc iterùm de Dyſenteria ſermonem habet, quam terminum ſortiri lethalem inquit, ſi in egeſtionibus carunculæ deiiciantur. Neque verò incipientem intelligit, veluti in *Aph.* 24. ſed aliquantulum protractam, ut oſtendunt verba illa, *difficultatem inteſtinorum habenti*: quæ ſanè ægrotantem diutiùs

ea

ea affectione detentum significant. Sed enim neque carunculæ, & strigmenta Intestinorum statim inter initia comparere possunt, quippè primùm humores varii, & acres, mox verò mucosa quædam, deinde cruenta, postremò strigmentosa, veluti carunculæ, egeruntur: his autem apparentibus lethale signum est, *quòd neque caro concrescere, neque cicatrix obduci in his possit*, ut subdit *in comm.* Galenus.

Adnotat autem non ineptè Cardanus lethale hoc loco intelligendum, quod plerumque mortem affert, & natura sua, non tamen necessariò, nec semper, nisi adjungatur virium imbecillitas, materiæ pravitas, vel fragmenti intestini excretio; quo casu æger omninò morietur. Quamobrem in Dysenteriis consideranda sunt quæcumque in ulceribus perpenduntur, conditio videlicet ipsius ulceris, pars ulcerata, & causa vel faciens, vel fovens ulcus: ex his enim oritur, unde ulcera lethalia fiant. Ab ulceris namque conditione præsagire solemus lethalem eventum, si magnum, profundum, malignum, putridum, exedens, cum inflammatione, aut gangræna conjunctum, illud sit. A parte affecta, si principem partem occupet. A causis demùm, si ab acribus, erodentibus, venenosisque humoribus foveatur. Idipsum planè observandum in Dysenteria, siquidem cùm intestina gracilia sunt affecta, à pravis, ac deleteriis humoribus, unde fætida, livida, nigra, egerantur, cum ramentis Intestinorum, ingenti dolore, cibi fastidio, febre, virium jactura, certè mors præsto erit. Porrò cùm ista desint in Tenesmo, etsi non raro carunculæ egerantur, mors non ideò necessariò subsequitur. Sub Carunculis autem comprehenduntur nedùm glandulæ internam Intestinorum tunicam occupantes, sed etiam fibræ illæ carneæ, quibus interiorem eorumdem substantiam communiri Anatomicorum nupera diligentia detectum est, ad motum peristalticum perpetuandum. Si ergo ulcus eò pervenerit, ut exesa interna tunica duriori, fibras istiusmodi erodat, & exteriorem pervadat longè molliorem, irreparabile profectò exitium portendetur, & eo citiùs, quo priora intestina, & tenuja, magis fuerint affecta, cùm ista discissa non coalescant, ex eodem Hippocrate *6. Aph.* 18. *&* 24.

APHORISMUS XXVII.

Quibus febricitantibus sanguinis fluxerit multitudo quacumq; ex parte, cùm reficiuntur, alvi iis humectantur.

PRognosim proponit hoc Aphorismo Hippocrates succedentis alvi humectationis in febricitantibus ex fluxu sanguinis præcedenti, undecumque prodierit: Rem tam rarenter visam, ut perpauci sint, qui illam observaverint; unde factum quoque est, ut Expositores de ejusdem veritate plurimùm etiam dubitaverint; proindè non mirum, si quod Fuchsius non solùm in febribus, verùm etiam in aliis morbis fieri dixit, alii ex adverso ad febres dumtaxat contraxerint; & quam sententiam Cardanus universaliter veram fassus est, probabilem solùm, neque necessariam, statuerit Argenterius. Sed videamus quomodò illam nos congruis aptemus argumentis.

Sanguinem immodicè fluentem jam anteà nocuum adnotavimus, cùm

cùm indè vita humana ſenſim fatiſcat, ac tandem deſinat, ſi fortaſsè ad eam pertingat quantitatem, ut motum Cordis intercipiat. Si ergo febrientes accidat larga ſanguinis profuſione debilitari, etſi extinctâ febre evaſerint, à reſumptis viribus facilè oriri putandum non levem alvi laxitatem; tum quia ubi anteà excrementa cujuſvis generis detinebantur, mox ſtatim vigorata natura, deponuntur, & alvus fit lubrica, idque potiſſimùm ſi à languente Ventriculo cibi nec benè digeſti, nec benè ſint diſtributi; tum quia lympha, cauſa febris, tenujor reddita, ac detenta, propter immoderatum ſanguinis exitum, incipit deindè, cùm Corpus reficitur, ad alvum deponi, ideòque excrementa ſolvere, atque inteſtina reddere lubriciora; tum demùm quia, refectis partibus, omnia illarum recrementa, pari modo deferuntur ad alvum, quæ priùs vi morbi detenta fuerant: quo ſcilicet pacto experimur, declinantibus febribus cunctas promoveri evacuationes, tum ſenſibiles per alvum, urinam, ſputum, ſudorem, tum etiam inſenſibiles, per poros cutis perſpiratione. Porrò ab immodica ſanguinis evacuatione fieri plerumque ſolet, ut multo ſero in vaſa inanita intruſo per febrim ſcateat, & deinceps revaleſcens, in alvum, aut veſicam deponat.

Speciatim autem notavit Hippocrates id febricitantibus accidere, quoniam per febrim plerumq; Corpora exareſcunt, undè ſeroſa excrementa non tam facilè per id tempus egeruntur; at verò deſinente febre, cùm gravamini illa deindè ſint toti Corpori, ſolent à Natura in priſtinum ſtatum reſtituta, per proprios, & patentiores ductus evacuari. Hinc meritò adjecit, id dumtaxat accidere, cùm corpora reficiuntur. Atqui non parùm in idem conferet felleus humor, qui per febrilium acceſſionum tempora depravatus, ineptus evaſerat fœcum repurgationi, mox in ſalubrem ſtatum revocatus conſueto uſui ſecretionis, excretioniſque inteſtinalium excrementorum, reficitur.

Verùm alvum humectari ſolummodò animadvertendum, cùm memorata excrementa feruntur ad Inteſtina; at ſi fortaſsè in vias urinarias ducerentur, copioſior urina potiùs, quàm lubricior alvus fieret, ut deducitur ex 3. *prorhetic.* 40. Sic pariter, ſi ad convaleſcentis Corporis refectionem ciborum frugalitas ſervetur, undè multa excrementa nequeant cumulari, nec profectò alvus humectior evadet: ſequitur enim lubricitas alvi immodicam excrementorum collectionem, quæ nonniſi largiorem ciborum uſum conſequi ſolet, cohærenter his, quæ idem Hippocrates edocuerat 2. *Aphor.* 7. & *Aphor.* 17. *ejuſdem*: ubi cibum præter naturam plùs ingeſtum morbum facere dicitur, idque patere ſanatione, hoc eſt, collectorum excrementorum expurgatione, ut ſubdit *in comm.* Galenus.

APHORISMUS XXVIII.

Quibus bilioſæ ſunt dejectiones, hæ ſuperveniente ſurditate ceſſant, & quibus ſurditas adeſt, ſupervenientibus bilioſis dejectionibus, ceſſat.

A Translatione humorum de una in aliam Corporis partem varias, diverſaſque accidere ægritudines, in confeſſo eſt apud omnes; cùm illi prò varietate partium, in quas ferun-

feruntur, varias quoque excitent operationum læsiones, adeòq; morbos omninò differentes; unde qui humor stomachum vellicando cardialgiam affert, si fortasse in Cerebrum, vel meninges deducatur, phrenitidem, aliumve morbum pariet: & qui suo acore alvum ſtypticam facit, in renes delatus lapides procreat, in liene reſtagnans ſcirrhum, in pleura pleuritidem, atque alibi aliàs promovet affectiones. Hinc perpendens Hippocrates in febribus potiſſimùm ejuſmodi humorum in caput, & aures decubitum, vel ex his in alvum depoſitionem, adnotat, ſurditatem oriri, vel deſinere.

Pro bilioſis autem dejectionibus eas intelligit, quæ tenujum, & labilium ſunt humorum, qui ſponte ſua mobiles facilè ex una in aliam partem deducuntur. Hæ verò tam ſunt frequentes in febrientibus, ut vix unum ex millenis invenias, qui ejuſmodi humorum egeſtiones per alvum non patiatur: cùm enim in febribus ſanguis indebitè fermenteſcens, ſecundùm aliquas ſui partes ſaltem acrior evadat, fit propterea, ut ejuſcemodi acrium ſuccorum in cyſti fellea copioſior ſecretio, ac repurgatio habeatur, undè fæces, urinæ, immò etiam ſudores, cæteraque cutanea ſpiramenta conſimilem referant conditionem, & non raro cutis ipſa pariformiter inficiatur. Igitur ſi fortaſsè per conſueta Corporis emiſſaria recrementa iſta minimè repurgentur, ſed in ſanguine detenta ferantur in caput, & aures, procul dubio ſurditatem afferent, oppletis nimirùm ductibus auditioni conferentibus, cùm etiam in ſtatu ſano, ejuſdem generis excrementa in primam auditus ſemitam deponantur, unde Cerumen exoritur, flavum ſimul, & ſalitum. At verò ſi ab his in alvum deferantur, flavæ dejectiones comparebunt, & quidem affluentiores, deſinente interea ſurditate.

Verùm advertit & rectè Galenus, non de ea hic ſurditate Hippocratem locutum, quæ ex habitu difficulter ſolvitur, & propriè ſurditas appellatur, ſed quæ repentè in febribus, vel aliter fieri ſolet, & ſubſurditas, ſeu gravis auditus dicitur: illa quippè vitium organi ſequitur, vel ſaltem à tenaci, hærenteque humore dependet: hæc verò, quæ febricitantibus accidit, quoniam à fluente humore procedit, perſeverans eſſe non ſolet; quamobrem qua facilitate evenit, eadem, detruſo inferiùs humore, breviſſimè deſinit.

Cæterùm hæc tunc ſolùm eventui præſagito reſpondebunt, cùm ſurditas, ſeu ſubſurditas ex memoratis humoribus provenit; nam ſi fortaſsè aliundè illa oriatur, ut accidit Hermocrati *ægroto II. 3. epidem.* certè prognoſis fallet. Sed & poterit quoque humor in auribus collectus aliò diverti, & per ſudorem, aut urinam expurgari, deſinetque ſurditas, abſque ulla per alvum evacuatione. Itaque debent iſta reciprocè reſpondere, ut aphoriſtica hæc ſententia ubique vera inveniatur.

Undè autem conſenſum hunc Aurium cum Inteſtinis deducamus, ut his fluentibus illæ laborantes exaudiant, arduum ſanè eſt ex Anatome explicare, niſi ſolùm communes Arteriarum vias recenſeamus, & mutuò inter ſe referentes ambarum partium glandulas; unde non ſemel vidimus brevi ſolutas parotidas ingenter tumefactas, egeſtionibus per alvum habitis. Attamen credi-

derim istiusmodi subsurditatem febricitantibus evenire ab humoribus dumtaxat circa Ventriculum collectis; sicut enim sæpenumerò experimur aures obsurdescere, & tinnitum, sibilumque pati in vertiginosis ab affecto Ventriculo, immò & dolores, cæterasque capitis affectiones à stagnantibus ibidem humoribus excitari; sic pariter credere licet in surditate hic ab Hippocrate memorata ex suppressis egestionibus obtingere. Neque verò verisimile videtur tantam humorum colluviem posse Aures occupare, quanta solet per alvum deindè in febrientibus egeri. Satis enim est, nervos per eas partes excurrentes præter naturam affici, vellicari, atque à pravorum succorum pręsentia gravari, aut extorqueri, ut mox Cerebrum, ejusque organa sensuum coafficiantur: fiet autem, ut potiùs Aures in his lædantur, quàm sensus alii, à conditione vitiosi humoris acris, & biliosi, quippè is, ut anteà dictum, multum respondet cerumini, quod Aurium recrementum est felleum, & amarum.

APHORISMUS XXIX.

Quibus febricitantibus sexto die rigores fiunt, difficile judicium sequitur.

AD prognosim quoque pertinet hic Aphorismus, quo edocemur rigorem febrientibus contingentem sexto die difficile judicium præmonstrare.

Rigor quidem adeò solet esse febricitantibus familiaris, ut unum ex peculiaribus symptomatis, quæ febres comitantur, recenseatur. Potest autem & Periodicus, & Criticus, & Symptomaticus esse. Periodicus, cum accessiones febrium intermittentium, potissimùm tertianarum initiat, renovatque; & sicuti is inseparabile, propriumq; signum earumdem esse solet, ità quoque bonum existimatur, de quo Hippocrates *hoc eodem libro t.63. quibus in febribus quotidiè rigores fiunt, quotidiè febres solvuntur.* Criticus est, cum continuis, vel continentibus febribus supervenit, præcedente coctione: eo namque febres aut desinunt, aut in intermittentes commutantur; unde Hippocrates *Aphor. 58. hujus*, inquit: *febre ardente laboranti, rigore superveniente, solutio fit.* Symptomaticus demùm febricitantibus accidit, sed absque ulla febris remissione, irritamentum, ac pravitatem humoris arguens, & si fortasse ægro jam debili accidat, lethale signum dicitur, *tex. 46.* Modò rigor hoc loco memoratus nec periodicus, nec criticus esse potest, sed omninò symptomaticus, adeòque non bonus.

Neque verò ex uno tantùm capite malus ille censendus est, nam sexto die contingens veluti inter initia febris, & vigente cruditate, malignitatis nota esse solet, ut ex Hippocrate pluribus in locis epidemiorum clarissimè deducitur, & quæcumque per hæc tempora contingunt, mala sunt; undè & morbus regius, & sudores sexto die incidentes, pessimi ab eodem Hippocrate proclamantur: quamobrem Galenus tyrannicum illum appellavit.

Sed quàm nocuus, molestusque sit Rigor febricitantibus, ex ipsius natura deducendum: est namque universalis concussio Corporis cum sensu frigoris illata ab humore partes ejusdem sensu præditas irritante. Ex hac autem concussione adeò totum Corpus affligitur, ut veluti à longo itinere defatigatum, ac verberibus cæsum conqueratur: succeden- V. Gal. de sympt.caus.c. ult. de Rigor. trem. palp. c.6. &comm. 63.hujus.

cedente verò intermissione, qua omninò febre vacet, quodammodò reficitur, & quiete compensat, quod à febre rigorifica perpessum est. At verò si febris intermissio nulla sequatur, talem ex rigore molestam concussionem rependere cùm non possit, magis, magisque debilitatur, & fatiscit, ut tandem succumbat. Accedit, quod causa rigoris humor est partibus omnibus infensus, itemque sanguini, lymphæ, & liquori nervorum; quapropter nisi deindè repurgetur, & per aliquã evacuationẽ egeratur, procul dubio mala minabitur periculosiora.

Quamquam autem Hippocrates speciatim notaverit rigorem sexto die malum, non ideò cætera accidentia, si fortè eodem die, aliove non critico, contingant, bona censenda erunt, cùm & sudores, & vomitus, & dejectiones, & Icterus, aliaque hujus generis, tum sexto die, tum aliis diebus, nec criticis, nec indicibus, antè coctionem, difficile judicium portendant: quælibet namque evacuatio non ex præcedente coctione, secretioneq; contingens, pro symptomatica habenda est, veluti ex pravitate, vel multitudine proveniens, nec tamen ejus humoris, qui morbum facit. Hinc Philini uxor 1. *epidem.* cùm octava die superriguisset, vigesima obiit: & uxor Dromeadæ passa rigorem tertia, & sexta, paulò post periit. Sic & Hermocrates 3. *epidem.* morbo regio affectus sexta die, periit vigesima septima. Contra verò Epicratis uxor, quæ superriguit decimaquarta, judicata est quadragesima. Quare, ut rigor, aliusve Naturæ motus, criticus, & salutaris censeatur, coctionem, secretionemque peccantis humoris consequi debet, cùm febris intermissione conjuncta, cõcurrentibus quoque aliis bonę judicationis indiciis.

Qualenam sit ejusmodi difficile judicium; deduci potest ex 1. *epid. s.* 2. *const.* 2. ubi Hippocrates, *cruda, et incocta, & in malos abscessus conversa* inquit, *aut judicationẽ non futurã, aut dolores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidivam significare.* Quod & *in comm.* *istius Aphorismi* rememorans Galenus subdit: *eos qui in hoc die* (puta sexto) *fiunt rigores, difficile habere judicium, hoc est malũ afferre, ac si malè judicantes dixisset; vel certè infirmum, ut qui facilè recidivam facerent, vel in longum tempus protraherentur, ac si dixißet difficulter solubiles.*

APHORISMUS XXX.

Quibuscumq; accessiones fiunt, quacumque hora febris dimiserit, si eadem cras occupaverit, judicium habent difficile.

ET hic Aphorismus ad partem pertinet prognosticam eventus febrium, & quidem ex repetentibus paroxysmis eadem hora inconcussa, & invariata, eas solutu difficiles testatur. Exemplum affert Galenus febris, quæ semper eadem hora, puta tertia, redeat, & tum primo, tum secundo, tertio, ac quarto die initium resumat, & sic deinceps, licèt alia quavis hora intermittat, & desinat. Tales enim, inquit, febres horam sui principii in accessionibus inconcussam, & invariatam habentes, futuras longas, & difficulter solubiles; idque sive quotidiè, sive tertio, sive quarto quoque die, illæ repetant.

Et sanè, quod de quibusvis periodicis febribus sermo hic fit ab Hippocrate prolatus, colligi posse videtur ex adjectis dictionibus. *Quibuscumq; accessiones fiunt.* Accessiones

autem indefinitè comprehendunt quotidianas, tertianas, & quartanas. Verùm cùm idem dicat *si eadem cras occupaverit*: quotidianas potiùs expressas voluit, vel tertianas, quartanasq; duplices, triplicesq; singulis scilicet diebus affligentes. Quamquàm probabile quoq; sit voluisse id exempli loco notatum, quemadmodùm alibi consuevit, pari loquendi formula usus, generalia medicinæ dogmata singularibus exemplis tradere.

Sed num voluerit sub quacumque hora intermissionis febris designare repetitionem, incæptionemq; sequẽtis accessionis, itaut finis unius sit initium alterius; an verò principium singulorum paroxysmorum eadem semper hora contingat, licèt finis, & declinatio cum intermissione variet, ab Expositoribus disceptatur. Sub priori sensu interpretatur Heurnius, qui vult casum ab Hippocrate fingi, si sequenti die, invaleat febris eadem hora, qua desiit antecedenti. At verò sub posteriori exponit Galenus, qui servari quidem semper horã, in qua accessio suum faciat initium, nõ servari verò aliàs, in quibus finitur, ut anteà notatum est, commentatur; parumq; interesse, an quacumq; hora, & citiùs, & tardiùs febris desinat, dummodò eadem semper hora redeat, & incipiat. Et quamvis utraq; expositione sensus Aphorismi cohęreat experimento, suisq; rationibus fulciatur; lõgè tamen probabilior videtur, & menti Hippocratis congruentior interpretatio, si finem unius accessionis, alterius principium excipiat, ut cùm expectatur intermissio præcedentis, & altera subsequentis febris accessio subingreditur. Etenim hic Aphorismus videtur scriptus de febribus continuis, licèt periodicis, cũ intermittentes *Aph.*43. dicantur periculo vacare, quę propterea difficile judicium habere nequeunt. Cùm igitur febres accidunt, quarũ remissiones initiantes succedentiũ accessiones excipiunt, ut quotidianæ, tertianæ duplices, hemitritæi, aliæque *per subintrantiam* dictæ, tunc profectò difficile judicium sequitur; in his enim multi, & mali solent esse humores ingeniti, foci febrium sordidi, & fermenta viscerum non minimũ depravata. Accidit pręterea ex ejusmodi febrium generibus ingens in viribus jactura, cùm neq; coctiones ciborum, neq; alimenti distributiones cõmodè peragantur, & quod graviùs, ob accessiones sibi subitò succedentes Natura nequeat, ut in intermittentibus, restaurari, sed sensim hebescit, & elanguet. Secùs autem accideret, si febris omninò intermitteret, desineretque, ut existimat Galenus.

Quam pręterea idem Galenus rationem difficilis judicii affert, desumptam ex fixa, firmataq; causa accessionum, quę idcircò difficulter solubilis sit, multis improbat Argenterius, sed potissimùm ex eo, quod erraticæ febres deberent esse facillimè solubiles, ob vagam, instabilemq; causam, ex qua oriuntur, cùm tamen ex eodem Hippocrate habeatur difficillimę solutionis esse, atque adeò longissimas evadere; quin & illæ, quę fixam, stabilemq; causam recognoscunt, ob id ipsum solvi faciliùs deberent, quippè quæ meliùs subiiciantur coctioni, secretioniq; quàm si erraticam, vagantemq; consequantur; undè concludit faciliùs concoqui biliosam materiam stagnantem, quàm fluentem, vagantemque pituitam; itemq; citiùs febres cõtinuas ex humore in venis concluso, quàm intermittentes, procedentes ex humore per habitũ Corporis diffuso, ut idemmet Galenus arbitratur: sed enim experimur tertianas, & quartanas in-

ter-

termittentes, menfuras, & annuas evadere, cum hyemem prȩfertim attigerint.

At quamquàm hæc adversùs Galeni expofitionem ab Argenterio propofita non levis momenti videantur, haud tamen improbabilis illa penitùs dicenda erit, fi repetitiones febrilium acceffionum ftatis femper horis habitæ, invariatam temporis invafionem fervent. Siquidem reditus acceffionis febrilis eadem femper hora immutabiliter arguit æquabilem, conftantemque in vafa fanguinea fermenti febrilis intrufionem, atque in vifceribus, feu focis febrium, per uniformem, determinatamq; fermentefcentis fanguinis in fua emiffaria depofitionem. Verùm quo pacto ifta accidant, clariùs infrà explicabuntur.

APHORISMUS XXXI.

Febricitantibus laffitudinem habentibus in articulos, et circa maxillas potiffimùm abfceffus fiunt.

2.Aph.5. ALibi dixerat Hippocrates fpontaneas laffitudines morbos prænunciare, iifque propterea ufus eft veluti fignis futuras ægritudines præmonftrantibus; nunc & eafdem affumit in figna prognoftica futurorum abfceffuum in articulis, & circà maxillas, fi febricitantibus accidant, & abfque ulla caufa manifefta.

Notavit autem fpeciatim febricitantes, quoniam licèt abfceffus quibufcumque ægrotantibus accidere poffint ex multa, & tenui materia, cum virium languore, vel ex tenaci, & craffa expulfioni repugnante; frequentiùs tamen febrientibus contingunt, eo quod humores febrim excitantes per indebitam fermentationem motui magis fubii-

ciātur, & de loco in locū ferri poffint.

Cùm itaque hi citrà quamcumq; evidentem caufam, membra Corporis defatigare valentem, laffitudinem incurrunt, ut vel fi minimùm, leviterq; moveantur, fe impotentes percipiant, abfceffibus fubiiciuntur; etenim exindè fignificatur humores ad partes mufculofas, itemque ad tendines, & ligamenta articulorum decumbere, unde impedimentum motus, & impotentia regendi Corporis pondus exoriatur.

Quoniam verò laffitudo triplex memoratur à Galeno *comm. eiufdem Aph.* 5.2.*lib.* prima quæ ulceris, altera quæ tentationis, tertia quæ inflammationis fenfum refert, dubitari hoc loco poteft, quænam potiùs hìc fit adiicienda, quæ futuros abfceffus in loca articulorum prænunciet. Et dicendum, omnem, & quamcumque effe comprehenfam, cùm unaquæque ab humoribus exoriatur, & folùm inter fefe differant fenfu, quem partibus inferunt; quamobrem non immeritò Hippocrates indifcriminatim laffitudines nominavit. Porrò ad partes laffitudine affectas veluti debiliores facilè quicumque humores appellunt, & abfceffus inferunt.

At verò non ex modica, ac momentanea Corporis laffitudine, hi protinùs funt præfagiendi, fed ex continuata, diùque perfeverante affli&tione, ut propterea in Aphorifmo notentur, qui *habent*, hoc eft, qui perpetim patiuntur *laffitudines*, non qui *habuerunt*, vel paffi funt. Indè enim arguitur imbecillitas artuum, qui facillimè eapropter excipere poffint decumbentes humores.

Sed & in articulis, & circà maxillas potiffimùm memorantur abfceffus fieri, quoniam humores à par-

partibus nobilioribus sepositi non alibi promptiùs recipi, & consistere possunt. Sunt enim in articulis vacuitates; glandulæ verò veluti partes Corporis spongiosæ facilè etiam excipiunt, & detinent: harum autem præcipuè notavit, quæ circà maxillas sunt, uti in buccis, juxtà aures, itemque in collo & in jugulo ad linguæ radicem, quippè in has sæpissimè vitiosos humores à Cerebro, aliisque internis visceribus abscedere experimur.

Quamquam autem articulos, & glandulas circà maxillas abscessus pati retulerit Hippocrates, non tamen reliquas idipsum subire posse negandum: etenim sectis cadaveribus, pluries abscessus inventi sunt in glandulis Mesenterii, & Pancreatis, itemque in glandulis lumborum, & Renum, aliisque, & sanè, qua ratione pone aures, & in collo glandulæ suscipere possunt vitiosos humores, eadem, & cæteræ tum internæ, tum externę abscessus pati poterunt; quinimmò non semel expertum est multò anteà quàm exteriores glandulæ tumerent, interiores in Mesenterio intumuisse; undè rationabiliter quidem dissolventia, & diaphoretica medicamenta, in ejusmodi tumoribus à peritioribus Medicis commendantur, quæ scilicet impactos, hærentesque humores incidant, attenuent, dissolvantque, & per patentiores ductus foras amandent, quemadmodùm de urina multa, & crassa idem Hippocrates *Aph.* 74. hujus fassus est, inquiens: *Quibus speratur futurus abscessus ad articulos, eos liberat ab abscessu urina multa, crassa, & alba, qualis in laboriosis febribus quarto die quibusdam incipit fieri, &c.* de qua re inferiùs.

APHORISMUS XXXII.

Quibus autem convalescentibus ex morbo pars aliqua dolet, ibi fiunt abscessus.

QUod de febricitantibus ex lassitudine præcedenti Aphorismo pronunciavit, nunc de convalescentibus ex dolore partem aliquam infestante idipsum profert Hippocrates. Quare & hic Aphorismus prognosticus quoque est, alterum tradens indicium abscessus futuri, & quidem ea in parte, quam dolor excruciat.

Proponit autem convalescentes ex morbo, idest, qui nuper è morbo servati sunt, præsertim acuto; nam ex morbis chronicis non tam facilè abscessus eveniunt, resoluta nimirùm sensim materia morbifica ex morbi diuturnitate: quippè ex reliquiis humorum non benè subactis, nec expulsis, ejusmodi abscessus fiunt.

Pro dolente verò parte non solùm intelligit, quæ revera dolore, sive pungente, sive gravante afficitur, sed quocumque modo laborantem, imbecillam, & languidam. Cùm enim abscessus, translatio fit humoris de una in aliam partem, præsertim ignobilem, certè nisi hæc languida sit, & imbecilla, commotum humorem minimè excipiet; undè sive à dolore re ipsa cruciante, sive ab imbecillitate undecumque inducta, pars aliqua laboret, obnoxia fiet abscessui. Hinc experimur in partes torpidas, exangues, extenuatas, aut doloribus affectas, commotos humores decumbere, & abscessus parere. Quod verò vulgò dicitur dolorem trahere, veluti cucurbitula, ridiculum est, cum & Ga-

lenus

lenus ipse *3. de natur. fac. 13.* languorem in partibus, non dolorem accuset.

APHORISMUS XXXIII.

Sed si antè morbum aliqua pars doluerit, ibi morbus statuitur.

QUemadmodùm præcedentibus duobus Aphorismis ex indiciis concomitantibus, vel consequentibus morbos, conjuncta videlicet lassitudine, aut insequente dolore, prognosim futuri abscessus deduxit Hippocrates; ità hìc ex præcedente morbum dolore in aliqua parte Corporis coniicit futurum morbum ibidem consistere, & firmari. Quamobrem inquit Galenus *in comment. si quis velit connectere duobus prioribus sermonibus illum, qui nunc dicitur, ad unius Aphorismi integritatem, sive seorsum unumquemque scribere, nihil refert, nam & communitas eorum ostensa est, & singulorum proprietas in sermone præposito.*

Cùm igitur antequam morbus invadat, pars aliqua Corporis ad ægritudinem disposita dolore afficitur, vel aliter molestatur, aut languet, ibi futurus morbus firmabitur, sumpta conjectura ex languore ejusdem partis affectæ. Nam sicuti spontaneæ lassitudines, antè morbi invasionem contingentes, Corpus obnoxium ægritudinibus protendunt; ita labor, dolor, languor cujusvis partis, prænunciat futuram in eadem parte affectionem; quippè pars dolens, aut aliter affecta subiicitur recipiendis humoribus præter naturam adauctis, & vitiatis, qui propterea ibidem consistentes morbum excitabunt, inflammationis, tumoris, aut abscessus naturam referentem; nisi tamen evacuatione per vias urinæ, vel Intestinorum, aut etiam per sudorem, vel narium hæmorrhagiam, aliterve, vitiosus, ac collectus humor egeratur, ut ex eodem Hippocrate deducitur *6. epidem. sect. 4. inter initia.*

APHORISMUS XXXIV.

Si febrem habenti suffocatio repentè supervenerit, nullo tumore in faucibus existente, est lethale.

PErtinet quoque hic Aphorismus ad partem prognosticam, atque eo interitus præsagitur febricitanti, si repentè suffocatione corripiatur citrà faucium tumorem. V. Hipp. in Coacis præn. ubi eadē die, vel tertia periturum ægrum scribit.

Quandoquidem inquit *febrem habenti*, procul dubio is, cui hæc accidunt, febre multo anteà correptus existimandus est: idque magis, quoniam suffocatio dicitur supervenire; quare eadem repentè contingens erit symptoma superveniens febricitanti.

De qua verò febre intelligat Hippocrates, dubitat *in comm.* Galenus. Et quamvis de eo, cui magna insit febris, videatur interpretari; contingit tamen, subdit, etiam sine magna febre, strangulatione repentè superveniente, hominem interire; inevitabilior autem, & citior est mors, ut ne sperari quidem possit illius salus, cùm vehemens febris detinet ægrotantem, ob majorem respirationis indigentiam.

Sive igitur acuta, & gravi febre, sive etiam leviori æger afficiatur, si nullo tumore fauces occupante videatur repentè suffocatione corripi, is prædicitur interiturus. Cùm enim citrà causam evidentem suffocatio supervenit, vel in pulmone, vel in as-

pera arteria vitium aderit, & quidem ejus conditionis, ut non tàm mole, quàm venefica pravitate respirandi organa inficiat; vel etiam à Spinæ vertebris luxatis, atque introrsùm inflexis partes respirationi dicatæ comprimuntur: quorum utrumque lethale est, medelam haudquaquam admittens. *Suffocatio* namque *non aliud est*, inquit Galenus, *nisi interitus subitus propter defectum inspirationis, qui fit ex angustia alicujus instrumenti ex iis, quæ observiunt respirationi*. Quoniam verò dixit nullo tumore in faucibus existente, implicitè proindè intelligendum voluit tumorem guttur occupare: quæ enim internam partem asperæ arteriæ infestant, vel exteriùs circum obsistunt, haudquaquam visu spectari possunt, etiamsi os undequaque amplificetur: inflammato autem gutture, ejusque musculis, impeditur inspiratio, & expiratio, vel per compressionem, si fortè exteriùs inflammatione gravetur, vel per obstructionem, si interiùs constipetur.

Sed quid, si tumor in faucibus appareat, an non lethale signum existimandum sit? Et quidem sine vitæ periculo ejusmodi in faucibus tumor non erit, cùm non minùs periclitentur ægrotantes ex impedita respiratione, quàm ex impedita ciborum deglutitione. At verò longè periculosior censenda est læsio respirationis, quàm deglutitionis; cùm sine respiratione, & aere diù vivere nequeamus, absque deglutitione verò, & sine cibo ad plures dies vivere possimus. Accedit, quòd tumor apparens in faucibus, multis, variisque medicamentorum generibus tractari potest, & non raro ad maturationem, vel resolutionem perductus ægrum incolumem relinquit, secùs verò qui guttur, & asperam arteriam occupat; & si fortasse maturitatem subeat, delabente in pulmonem, & thoracem purulenta materia, necem quoque affert.

Dubitari præterea solet, quinam tumor hic ab Hippocrate memoretur, cùm apud Medicos tres species tumorum (excepto Erysipelate) cōmuniter recenseantur, phlegmonis, scirrhi, & œdematis. In codice græco scribitur *œdema*, idest tumor mollis factus à phlegmate; undè is videtur speciatim in Aphorismo notatus, eoque magis, quia citrà dolorem est, cujus ne quidem verbum facit Hippocrates in textu. Verùm crediderim potiùs inflammationem intelligendam esse, cùm febricitanti superveniat, ubi humores acritudinem, tenuitatemque sortiuntur. Præterquamquod tumores œdematosi veluti à lentis humoribus inducti sensim, & per paulatinam congestionem fiunt, nec facilè gutturi, aut asperæ arteriæ adnascuntur; in Aphorismo autem dicitur repentè suffocationem fieri oportere, & minimè apparentem. Quamquam si fortassè œdema exoriatur adhuc vitæ periculum minetur, ob interclusam respirationis semitam. Usus est autem nomine œdematis Hippocrates, quod omnem tumorem, seu inflammationem significat, ut etiam *in comm.* Galenus advertit.

Non est autem prætereundum periclitari aliquandò ægrotantes, & suffocatos interire, absque ullo tumore, aut inflammatione gutturis, vel faucium, ob malignam solùm, venenatamque inspirati aeris conditionem, quemadmodùm contigit circà Annum Domini 1618. quo tem-

tempore per Italiam, sed præsertim in hoc Regno Neapolitano sæva lues contagiosa viguit, qua innumeri ferè pueri periere. Id verò potissimùm illa affecti patiebantur, ut fauces, & guttur livescerent, & fætorem emitterent pestilentem. Compertum quoque est suffocari homines, cæteraque animalia peculiaribus halitibus è quibusdam cavernis, ac fodinis erumpentibus, non dissimiliter ac iis accidit, qui aerem illum exhauriunt è crypta ad lacum Anguianum sita. Ex densiori etiam, aut plùs justo tenujori aere idipsum pluries visum, quemadmodùm in cellis vinariis ex fermentescente musto, locis occlusis, specubus subterraneis, thermis, hypocaustis, aliisque, ut latiùs in nostra Medicinæ parte theoretica. Verumtamen suffocatio in hoc Aphorismo memorata nonnisi grave Pulmonis vitium sequitur, atque ab interna, non autem ab externa causa illatum, ut anteà dictum est.

APHORISMUS XXXV.

Si febrem habenti repentè collum pervertatur, ac vix possit devorare, non existente tumore, lethale est.

UBi præcedenti Aphorismo lethale signum ex subita suffocatione febricitanti superveniente à læso gutture, vel pulmone, desumptum est; nunc ab impedita deglutitione idem indicium sumitur ob vitium faucium, & gulæ. Equidem sicuti respiratio pertinet ad asperam arteriam, ejusque ductus, ita ad fauces, & œsophagum deglutitio.

Et sanè utrumque symptoma considerat Hippocrates in febricitantibus, quibus semper gravius, ac periculosius est ejusmodi extraordinariis accidentibus molestari, cùm per febrim vires magis labefactentur, vitæ usus, & operationum vitalium commoda sensibiliùs afficiantur, quæ planè diutiùs læsa esse non possunt, etsi in cæteris ægritudinibus faciliùs sufferantur.

Quoties ergo præter incommoda febris, & symptomatum, illam frequentiùs concomitantium, accidit febrientes rarioribus, insuetisque aliis vexari, longè majus periculum imminet. Et quidem de vita magnoperè ambigendum, si repentè illis collum pervertatur, contorqueaturque, ut vix, ac ne vix quidem possit deglutire. Significatur enim, talem, ac tantam læsionem in musculis moventibus, flectentibus, & circumvolventibus collum inductam esse, ut etiam nervi, & vertebræ spinalis medullæ coafficiantur; undè etiam gula, quæ per fibras, & musculos, spinæ adhæret, suo munere degluriendi defungatur. Atqui hęc non sine luxatione, inflammatione, paralysi, aut convulsione contingunt, quæ febricitantibus omninò mortifera esse solent. Sed & impedimentum deglutitionis non leviter quoque incommodat, cùm Corpus alimento, & debita virium instauratione privet. Quod autem ab inflammatione ex luxatis vertebris, aliave simili affectione spinæ id oriatur, clariùs expressit idem Hippocrates 2. *epidem. sect.* 2. & Galenus 4. *de loco affect. c.* 3. Quamobrem quomodocumque spinæ vertebræ offendantur, adhuc contusione, vulnere, contorsione, valdè de exitu lethali timendum erit.

V. Cels. lib. 2. c. 6.

APHORISMUS XXXVI.

Sudores febricitanti si incæperint, boni tertio die, & quinto, & septimo, & nono, & undecimo, & decimoquarto, & septimodecimo, & vigesimoprimo, & vigesimoseptimo, & trigesimoprimo, & trigesimoquarto: Hi enim sudores judicant morbos; qui verò non ità fiunt, laborem significant, & morbi longitudinem, & recidivam.

PErgit Hippocrates examinare sudores in febribus evenientes, per quos hæ sæpissimè judicantur: eos autem inquit, si incæperint diebus imparibus, potissimùm indicibus, & decretoriis, bonos, & salutares esse; secùs in aliis. Quare considerat hìc solummodò tempus apparitionis sudoris, nam de substantia, qualitate, loco, & modo, infrà.

Quamquam autem ferè omnes Interpretes unanimi consensu generalem hanc Hippocratis sententiam exponant, indeque rationem dierum judicatoriorum tueantur; si nihilominùs perpendantur accuratiùs, quæ hìc eorumdem serie is complexus est, procul dubio plures, & quidem non levis momenti difficultates occurrent excutiendæ.

Primùm autem se offert examinandum, cur ad seriem criticorum, & indicum, quartum diem in hoc Aphorismo non retulerit, recensuerit verò tertium, & quintum; itemque cur vigesimumprimum, non vigesimum, qui tamen ab eodem inter potiores criticos alibi refertur, & cur vigesimumseptimum, non vigesimumoctavum, veluti per septenos comparatum ad vigesimumprimum.

Nec deindè difficultate caret, quare tempus sudoris incipientis in febribus sit hìc per dies impares, veluti crisimos recensitum, cùm tamen idem Auctor 1. *epidem.* judicatorios dies diviserit in impares, & pares, eo sanè discrimine, ut si morbi per dies impares exacerbentur, imparibus quoque judicentur, & per pares, diebus paribus.

Sed etsi per dies impares ingravescentes morbos speciatim voluerit hoc Aphorismo designare; unde postmodùm non decimumtertium, sed quartumdecimum recensuit, & trigesimumquartum, non trigesimumtertium, vel trigesimumquintum, in quibus accessiones repetunt sensibiliores, graviusque affligentes, cùm febres periodum servant tertianarum.

Undè præterea tantam fidem hoc loco judicatoriis diebus præstitit Hippocrates, qui in *libris epidemiorum* quamlibet diem tum imparem, tum parem, decretoriam notat. Equidem Larissæam Virginem sexta die judicatam refert, ut & filiam Eurianactis. Pythion æger primus 1. *epidem.* decima die sudavit, & judicatus est; aliique plures pari modo judicati commemorantur, ut latè à nobis ostensum est alibi *cap. de crisibus, & diebus criticis*. Quamobrem Celsus diligentissimus cæteroqui præceptorum Hippocratis observator nullam dierum criticorum rationem habendam voluit, sed tantùm accessiones repetentium febrium considerandas, cùm ex illis morbi judicium sumant.

Animadversione pariter dignum videtur, cur omiserit quadragesimum diem ultimum criticum acutorum morborum, in quo multi à gravissimis morbis vindicati memorantur, ut prætercam reliquos dies

in

in chronicis conſiderabiles, ſexageſimum, octogeſimum, centeſimum, & centeſimum vigeſimum. Hinc traditam criticorum dierum rationem ſuſpectam plerique habuere, neque ſolùm ex Recentioribus, ſed apud Vetuſtiores quoque, ut teſtis eſt ipſemet Galenus, qui *in comm. hujus Aphoriſmi* hæc habet: *Non parva eſt de diebus ſcriptis in Aphoriſmo diſcordia, cùm alii alios pro arbitrio ſcribant.*

Adhuc inſuper inquirendum foret, quomodò poſſit ſudor die tertio, vel quinto, criticus, & ſalutaris eſſe, cùm tunc morbus in principio ſit, quo tempore nunquam ſalubriter Natura movet, quæ tam brevi concoquere, & malos humores ſecernere nequit. Contra verò qui fieri poteſt, ut ſudor poſt vigeſimumſeptimum, vel trigeſimumprimum erumpens tam malus ſit, ut morbi longitudinem, laborem, vel recidivam portendat, ſi aliter ſuccedat, cùm jam perdiù is duraverit, ejuſque cauſa morbifica magna ex parte domita putanda ſit, cum ſignis coctionis, & criſeos, præſertim quia ſudores ab humoribus tenuibus proficiſcuntur, & hìc ab Hippocrate conſiderantur, veluti acutis morbis finem imponentes, qui propterea ultrà quadrageſimum producti non referuntur.

At quamvis hæc plurimi facienda ſint, ut aliàs quoque meminimus; aphoriſticam hanc tamen Hippocratis ſententiam non incommodant, quippè is ſudores hìc memorat, qui frequentiùs febrientes allevant, & potiùs iteratò febres ſenſim ſolvunt, quàm ſemel per abſolutam, exactamque criſim judicant, quemadmodùm Galenus 3. *de criſib.* adnotavit; rarò nimirùm febres præſertim productas unica, perfectaq; criſi terminari, ſed ſæpiùs repetitis evacuationibus deſinere, quas idem ſolutiones appellavit, cohærenter his, quæ Hippocrates ipſe *Aph.* 63. hujus, ex rigoribus quotidiè recurrentibus, febres quotidiè pariter ſolvi animadvertit, potiſſimùm per ſudores. Quoniam verò iſtę per dies plerumque impares invadunt, nec quadrageſimum tranſcendunt, ideò factum, ut impares præſertim notaverit, omiſeritque quadrageſimum. Quòd autem de ſudoribus non ſemel apparentibus, & judicantibus febrim, ſed incipientibus apparere, & pluries redeuntibus agere conſtituerit, patet manifeſtè ex contextu ejuſdem Aphoriſmi, nam inquit: *ſudores febricitanti ſi incæperint*: ſi ergo enarratis diebus incæperint, ac deinceps progrediantur, utiles exiſtimandi erunt. Cùm imparibus autem connumeravit quartumdecimum, & trigeſimumquartum, an quòd voluerit ſequi Priſcorum morem, qui ex Pythagoreis hos dies magis commendabiles fecere; an quia ſub his adjacentes comprehenſos voluit, quos ideò non retulit; an demùm quia, quæ ſæpiùs obſervavit, ſcripſit. Atqui anticipantes, aut ſeriùs redeuntes febres non rarò in cauſa ſunt, ut criſes, quæ cæteroqui die impari evenirent, pari accidant; etenim fieri poteſt, ut tandiù iteratis acceſſionibus præveniant, aut remorentur, ut tandem dies permutent. Cæterùm quarti diei Hippocrates non meminit, quoniam ſudores hìc conſideravit in declinationibus febrium comparentes, quæ cùm per dies impares ponantur exacerbari, propterea illi nonniſi in diebus imparibus quoque prodibunt. Sed & rarò criſes obſervatas teſtatur Galenus in quarto die, qui ſe ſemel tantùm,

tùm, & Archigenem bis in tota vita vidisse fatetur.

V. etiam Hippocr. progn. 2. t. 26. & Mercur. 3. de excrem. 1.

Quod postremò sudores aliis diebus contingentes, quàm in his, qui notantur in Aphorismo, laborem portendant, morbi longitudinem, vel recidivam, intelligendum, cùm absque signis coctionis accidunt, neque vi Naturæ post secretionem expellentis; tunc enim humorum multitudinem, aut pravitatem consequuntur, adeòque morbum futurum longum, molestum, redeuntem, ancipitem, & non rarò etiam capitalem, si præsertim alia pravitatis indicia simul copulentur.

APHORISMUS XXXVII.

Frigidi sudores cum acuta quidem febre mortem; cum mitiori verò longitudinem morbi significant.

QUalitatem nunc sudoris in febrientibus considerat Hippocrates, & præsertim eam, quæ ad tactum pertinet; veluti sensibiliorem, frequentioremque, frigoris videlicet, aut caloris. Inquit autem frigidos sudores semper malos esse, sed tamen cum acuta febre junctos, mortem; cum mitiori verò, solùm longitudinem ægritudinis præsignare.

Et quidem oportet sudores in febribus calidos persentiri, tum quia à partibus viventibus calore prędítis emanant, tum quia sanguinis, vitæ fomitis, serositates redolent, & salium misturas, undè sensionem tactui inferunt calorificam: quo scilicet pacto calor è corporibus percipitur, media actione sensui tactus illata: quamobrem quæ acriùs tactum afficiunt, patentiusque cutis poros divellunt, discerpuntque, ea quoque calorem excitant urentiorem. Contrà verò quæ coarctando constipant, vel obtundunt, sicuti tenuiores partes hebetant, ac figunt, ità sensum frigoris inducunt, & non rarò etiam stupefaciunt, si fortasse modum excedant. Hæc autem ab uno, & solo sanguine, vel in motum celeriorem adacto, vel contra præpedito, contingunt; siquidem quoadusq; sanguis mediocriter fluidus per venas, & arterias excurrit, atque portione sui florida, & vivifica cunctas Corporis partes irrigat, & quaquaversum inseritur, calor, quem vitalem appellamus, in iisdem persentitur, quæque indè prodeunt, etiam excrementa, caloris quoque sensum exhibent. At verò, ubi præter naturam is afficitur, & vel exsoluta portione volatili, vel etiam coagulata, vel aliter irretita, circuitum æquè benè persolvere nequit, immò effœtus, vapidusque, nec arteriolarum externarum partium subit, nec cutim convenienter fovet; cùmque ab acido potissimùm serosiores, & lymphicæ portiones ex eodem malè affecto, pressiùs, infensiusque exprimantur, & per glandulas subtercutaneas in exteriorem Corporis ambitum protrusæ, ab ambiente Aere figantur, sudor proindè frigidus exoritur.

Atque hinc sudores frigidi cum acuta, & continua febre conjuncti mortem prænunciant, quippè qui significent eam in sanguine, cæterisque liquoribus Corporis discrasiam, & depravatam affectionem inductam esse, ut jam jam cruorem, floridamque illius portionem figendo, aut exolvendo circuitum remoretur, & pulsationes in corde, & in arteriis intercipiat, magno cum vitæ discrimine. Frigidis quibus sudoribus

doribus legimus periiffe Philifcum, Silenum, uxoremque Dromedaæ 1. *epidem.* Quòd fi febris acuta, & continua non fit, fed levis, & pufilla, ut ex adjunctis fymptomatis, ab humore potiùs in glandulis fubcutaneis concreto, atque fenfim per febrim extenuato, ejufmodi fudor exorietur, quare longitudinem folummodò præfignabit.

Eft tamen verum, quòd multum differt fudor frigidus cum febre acuta copulatus, ab eo, qui mitem febrem comitem habet: qui enim febri acutæ, & continuæ jungitur, veluti ab exfoluto fanguine procedens, præter fenfum frigoris, inftar glutinis adhærefcit, undè liquatæ fubftantiæ alibilis portionem exhibet; qui verò febri mitiori fociatur, cùm nonnifi lympham craffiorem in glandulis hærentem, fenfimque contabefcentem pro materia recognofcat, procul dubio ferofiorem conditionem participabit, adeòque minus malus erit, quoniam nil aliud mali arguit, quàm multam, craffam, crudamque materiam, quæ tandem diuturnitate temporis diffolvetur, & fuperabitur.

Debent autem mites ejufcemodi febres tales reverà effe ex fui natura, modicum fcilicet, levemque receffum à confueto, & fano ftatu Corporis inducentes: nam fi fortafsè mites, & pufillæ forent ex maligna, venenataque conditione, quemadmodùm Galenus animadvertit, pufillas febres inquiens quandoque valdè malignas effe, certè majus, celeriùfque periculum minantur, an quòd internam alicujus vifceris inflammationem confequuntur, an etiam quia corruptionem, & gangrænam.

Quoniam verò indifcriminatim dixit Hippocrates, frigidos fudores malos effe in febricitantibus, meritò dubitari poteft, an de fudore quocumque morbi tempore erumpente intelligere voluerit; an verò de fudore folùm in diebus criticis. Et quidem cùm fuperiori Aphorifmo fudoris meminerit certis folùm diebus prodeuntis, videtur notaffe dumtaxat eum, qui, quo die crifis expectatur, erumpat, ut exiftimat Heurnius. Verùm, non eft, ut Aphorifmum, ad hos tantummodò fudores contrahamus, cùm & reliqui etiam inter initia febrium comparentes, fi frigidi fint, idipfum præfagiant. Immò fatetur Mercurialis rariffimè contingere, quòd ægri in principiis morborum multum fudantes, aut non periclitentur, aut longa ægritudine non corripiantur. Quin & calidi quoq; fudores lethales effe confueverunt, fi ægrum non allevent, & vires diffolvant. Quamobrem non ideò, quia fudores Hippocrates frigidos vituperavit, calidos perpetuò utiles putandum, cùm & hi, nifi modum, quantitatemq; fervent à viribus tolerabilem, atque univerfales fint, è toto nimirùm Corpore manantes, in febrium declinationibus, quæ propterea fubindè intermittant, peffimi quoq; cenfendi fint. Atqui non femel vidimus ejufcemodi frigidos, exitialefq; fudores cōpefcuiffe diaphoretica alexipharmaca, veluti Antimonium diaphoreticum ritè præparatum, & convenienti dofi Diafcordii Fracaftorii commiftum, itemq; Bezoardicum minerale, aut martiale cùm extracto ligni aloes, fal volatile viperarum, aquam magnanimitatis, fpiritum falis ammoniaci dulcem redditum, elixir vitæ, idque genus alia; fotis intereà partibus extimis fpiritu vini, vel fimplici, vel cum caphura mifto: quod planè plerifque paradoxum, qui

3. de excrem. 6. 1

V. progn. 2. 26. & aph. 56. infrà.

qui tamen vel ex ipso Nicolao, ad id *Rosatam novellam* prescribente, discere deberent, qua ratione istiusmodi mala tractanda sint.

APHORISMUS XXXVIII.

Et qua parte Corporis sudor est, ibi significat morbum esse.

SUdores in febribus, ut salutares sint, nedùm calidi, sed è toto Corpore stillantes esse debent, cùm inter evacuationes universales à Medicis referantur. Quandocumque igitur particulares sunt ex una, vel altera corporis parte manantes, mali putantur ex 2.*prognost.* 26. Damnat itaque illos hìc Hippocrates nedùm ut causas morbosas, verùm etiam ut signa, ostendentia illam partem, undè effluunt, speciatim affectam esse. Non tamen hæc cutanea solùm intelligenda, quasi verò sudor ex poris cutis erumpens, eamdem cutim laborantem designet, sed potiùs viscera interiùs recondita; quamobrem è capite profluens, Cerebrum, ejusque meninges laborare designabit; è pectore verò Pulmonem, & Cor. Neque insuper ex illo semel erumpente, idipsum conjectandum erit, sed ex iteratis, recurrentibusque sudoribus; Undè experimur eos, qui Cerebro destillationibus obnoxio laborant, in somno circà frontem, & cervicem sudore perfundi, & nares humectiores pati: qua ratione dicebat Hippocrates 6. *Aphor.* 2. Quibus nares natura humidiores, & genitura humidior, ii minùs integra sanitate fruuntur: quoniam Cerebrum serositatibus abundat. Oportet autem sudorem in his sponte prodire, nulla causa externa impellente, puta æstu aeris, exercitiis, hypocaustis; quippè à superabundanti humore necesse est, ut is solummodò erumpat; quamobrem sicuti egestiones per alvum, aut per vias urinæ spontè habitæ, & plusquam Natura postulat, excedentes, multitudinem humorum ostendunt, eorum præsertim, quæ imum ventrem occupant: ità pariter exsudationes particulares adauctæ, atque alicubi collectæ serositatis indicia sunt. At verò plerumque in glandulis, quæ innumerabiles per habitum Corporis dispersæ detectæ sunt, serosi isti humores colliguntur, ut præ cæteris prodidit Uvarthonus *in sua Adenographia*: hæ autem vel cùm à frigore ambientis exprimuntur, vel cùm ab ejusdem æstu attenuantur, & rarescunt, vel cùm adeò turgidæ, ulterioris lymphæ incapaces evadunt, solent spontè sua illam in sudorem adigere. Atque hinc obesiora corpora, veluti succiplena, facilè ex quacumque levi causa copioso sudore perfunduntur.

V. Avic. 1.p.cant. tr.2.

Neque verò sudor qua parte erumpit, malè affectam illam solùm indicat, sed eam quoque, unde provenit. Expertum enim, Caput aliquando sudare ab affecto Ventriculo, aut Utero, ut in Vertigine sympathica, & hysterica affectione. In his enim non tantùm morbus in Capite, & Cerebro designatur, ubi sudor comparet, sed potissimùm in Ventriculo, in Utero, unde affectum Cerebrum titubat: sic pariter sudat cervix, & frons ex syncope, inopino timore, Cordis anxietate, aliisque vehementioribus animi pathematis, neutiquam morbo Cerebrum afficiente, sed Cor; quoniam ex Corde vehementer perturbato, sanguis tumultuariè commovetur, & in serositates extillat, caput,

put, & faciem potiſſimùm perfundentes, ob Imaginatricis conturbatæ vim, moleſtamque impreſſionem, à triſti, & injucundo objecto ſuſceptam.

Poſtremò ejuſmodi ſudores plerumque noctu, & inter dormiendum contingere ſolent. Compertum enim habemus, eos, qui pectore laborant, vel laxiori, imbecilliorique capite ſunt præditi, per noctem ſudare circà partes eaſdem, in quibus ſe læſos experiuntur; ſenſim ſcilicet ſe exonerante Natura, quibus ſuperfluitatibus opprimitur. Vigilantes quoque conſueverunt nonnulli circà Stomachum, & Ventriculum ſudare, cùm præſertim multò cibo, immoderatòque potu infarciuntur. Qui propterea doloribus articulorum obnoxii ſunt, ſolent ſæpiùs ex nullo, vel levi motu in plantis pedum, & volis manuum craſſiori humore interdiù madeſcere. Quare pars ſudans ſignificabit morbum in ſeipſa latentem à ſuſceptis ex imbecillitate humoribus, vel aliundè tranſmiſſis, vel ibidem aggeſtis, & ingenitis. Hinc medicamenta ejuſmodi humores abſcindentia dirigi debebunt tum ad partem ipſam, quæ ſudat, tum ad eam, quæ ſudoris materiam procreat, & ſuppeditat.

APHORISMUS XXXIX.

Et qua parte Corporis calor, aut frigus, ibi morbus eſt.

NEdùm à ſudore particulatim erumpente latentis ibidem morbi indicia ſumere poſſumus, verùm etiam ex aliis accidentibus, quæ eidem inſueta contingunt; unde ex mutato cutis colore, ex tumore, dolore, alopecia, aſperitate, & duritie, aliiſque, idipſum coniicere ſolemus. Notat autem ſpeciatim in hoc Aphoriſmo Hippocrates ſenſum caloris, aut frigoris, qui ſi fortaſsè in aliqua parte diutiùs perſeveret, nec facilè cedat, eam ægritudine laborantem, deſignabit.

Et quidem calor, aut frigus partem affectam indicabunt, ſi modum, & temperaturam exceſſerint, cùm receſſum arguant à conſueto, & naturali: calor etenim alicubi exuperans, ſicut & frigus, deſignant humorem ibidem collectum hærere; qui aut indebitam fermentationem excitet, aut circumeuntem ſanguinem retardet, aut conſuetam perſpirationem impediat, aut alibilem ſuccum depravet, aliudve præter Naturæ morem agat, quod ſenſum acuat, vel obtundat; quemadmodùm à ſanguine reſtagnante plerumque accidit, ut in tumoribus. Sed & aliquandò fit, ut partem exſolutam, vel emortuam denunciet, adeoque præſentem, vel imminentem gangrænam. In his etiam, qui quartanas, vel tertianas febres patiuntur, frigus moleſtiſſimum, quale glaciei, inter initia paroxyſmorum circà lumbos perſentitur, deſignans ad eaſdem partes ejuſcemodi febrium focos pertinere; quemadmodùm noviſſimè demonſtravit Franciſcus de leboe Sylvius.

Neceſſe autem eſt, caloris, aut frigoris exceſſum ità partibus accidere, ut diutiùs perſeveret; nam ſi fortaſsè illicò diſpareret, cùm non à firma, ſtabilique cauſa procederet, certè vel nullam, vel levem tantummodò partis ægritudinem indicaret, ſed ſolam ejuſdem imbecillitatem, qua obnoxia illa denotaretur perturbationibus ſubeundis, præſertim ex halitibus, è quibus fugaces ejuſmodi calores excitari ſolent.

Pari

Pari ratione, si fotibus calorificis sensus frigoris desineret, nec liceret latentem in parte morborum arguere: etenim non rarò ab æstu aeris immoderato facies plurimùm calere solet, quæ frigida ablutione illicò mitescit; & contrà sæpissimè per hyemem algent manus, pedesque, nullo interiùs latente morbo, quoniam mox igne, aliove corpore calorifico in naturalem, consuetumque calorem restituuntur. Quare ejusmodi excalefactiones, refrigerationesque, ab internis causis induci debent, neque ut levis momenti sint, oportet, ut proindè obsistant adhibitis extrinsecùs medicamentis, secùs latentem sub cute morbum non indicabunt.

Morbus denique ex ejusmodi sensu frigoris, vel caloris, in partibus affectis indicatus, materialis esse debet, nam quemadmodùm dolor non fit nisi à solvente continuum; ita frigus, & calor in partibus excitatus non sine aliquo sensu doloris, absque causa materiali nequit haberi, puta ab humore sensum frigoris, vel caloris inferre valente. Porrò omnes istiusmodi sensiones cum tactu sunt: Tangere autem, vel tangi, nisi Corpus, nulla potest res.

APHORISMUS XL.

Et ubi in toto Corpore mutationes fiunt, si Corpus refrigeretur, vel rursùs calefiat, vel color alius ex alio oriatur, longitudinem morbi significat.

Etiam ex coloribus in Corpore apparentibus, mox verò disparentibus, cæterisque mutationibus repentè subortis, atque evanidis; morbi conditione judicium ferri posse decernit Hippocrates; & ubi præcedentibus Aphorismis partem affectam ex sudore, ac sensu caloris, aut frigoris dignoscendam protulit, nunc ex mutationibus Corpori contingentibus, futuri morbi chronici prognosim exhibet. V. etiam Cels. lib. 2. c. 5.

Mutationes ægris Corporibus evenientes quamvis plurimæ esse possint, sensibiliores tamen, frequentioresque referuntur, quæ visu, & tactu cunctis innotescunt, veluti excalefactiones, refrigerationesque, & colorum mutationes, præsertim in facie. Hæ modò cùm subindè fiunt, & sæpiùs evariant, malè affectam Corporis, & sanguinis, aliorumque humorum, constitutionem designant. Sicut enim colores, qui naturaliter Corporibus accidunt, ex sanguine, cæterisq; succis cum sanguine commistis exoriuntur; undè vulgò fertur: *qualis color apparet in cute, talis humor abundat in Corpore*. Ita in statu morboso, colores varii in cute apparentes varietatem confluentium in sanguinem humorum consequuntur, atq; adeò depravatam ejusdem sanguinis habitudinem. Itemque sicut calor moderatus, conformis, & consentaneus vitæ à sanguine convenienti est, ita ab eodem malè affecto, ac vitiato, variæ, differentesque colorum mutationes proficiscuntur.

Non tamen hìc intelligendas vult Hippocrates eas Corporis mutationes, quæ sensim, aut progressu temporis ægrotantibus eveniunt, vel certa solùm periodo, statutoq; ordine redeuntes, sed subitaneas, repentinas, inordinatas, quemadmodùm colligitur ex eodem *lib. de iudiciis*, unde hic Aphorismus videtur desumptus. Et sanè: Siquidem mutationes periodum servantes, & per intervalla redeuntes, cujusmodi in febribus intermittentibus, in quarum

rum initiis cutis friget, & pallet, calet verò, & rubet in augmento, non semper morbi longitudinem portendunt. Quare tunc potiùs erunt obfervabiles, cùm repentè accidunt, & evanefcunt; ut cùm facies e.g. mox robet, mox pallet, modò livefcit, modò flavefcit, calet, & friget; quodque uni parti accidit, contingat quoque reliquis, ac toti corpori, & quidem vel fimul juncta partium omnium extimarum, vel unius poft aliam, continuata mutatione.

Sed cur hujufmodi repentinæ mutationes morbi longitudinem prænuncient, difficilioris eft inquifitionis. Et crediderim id ex mala, variaque fanguinis affectione verifimiliùs provenire. Cùm enim partes acres, acidas, ferofas, craffas, exolventes, coagulantes, aliafq; in fe ille fufcipit, varias affectiones partibus, quas permeat, imprimit; undè acritudine calorem, & ruborem, acore, pallorem, & frigus, ferofitate mollitiem, alborem, & madorem, craffitie nigrorem, tumorem, & hebetudinem, & fi fortafsè falfilaginem contrahat, pruritum, afperitatem, & erofionem partibus inferet. Hinc Hippocrates *lib. de offibus* fcribit: *laxatis venis*, feu potiùs arteriis, *ex corde fiunt colores rubicundi, ac lucidi; adftrictis verò virides cum pallore, aut etiam lividi*. Laxantur autem, aut conftringuntur arteriæ, & venæ, prout fanguis acrior, & floridior, vel contrà acidior, & confiftentior evaferit. Modò fanguis, cùm varias contrahit affectiones, atque diverforum fuccorum mifturas, certè longiùs tempus exigit, ut percolatione, fecretioneque in emiffariis habita, in ftatum naturalem redigatur. Accedit, quòd ex varia, ac multigena fanguinis conftitutione vifcera Corporis diverfimodè quoque afficiuntur, illorumque fermenta vitiantur, quocircà ob differentem eorumdem difcrafiam, non tam facilè poteft ægritudo indè deducta removeri, fed in longum tempus neceffariò protrahitur; fed & neque periculo vacabit, fi præfertim alia copulentur, quæ illius pravitatem, ac malitiam oftendant, quippè non fine vitę difcrimine fit fæpenumero morbi longitudo: neque hìc Hippocrates longum morbum atteftatus, fecurum illum, & falutarem eft aufus affirmare.

In fine.

Verùm hæc non ex quacumq; caufa profecta putandum, fed ex infixa, ac tenaciter hærente, fecùs morbi longitudinem minimè portenderent, veluti fi à vaporibus tantummodò provenirent memoratæ colorum mutationes: hæ etenim in affectionibus hyftericis, in morbillorum, ac variolarum eruptionibus, in Renum, & Inteftinorum doloribus, fæpiffimè accidunt citrà diuturnitatem.

APHORISMUS XLI.

Sudor multus ex fomno factus abfque caufa manifefta, Corpus uti pluri cibo fignificat; Si verò cibum non accipienti hoc accidat, fcire oportet, quod evacuatione indiget.

PErutili fanè documento admonet hoc Aphorifmo Hippocrates, quid ex multo fudore conjectandum, quidque agendum fit, tradita caufa immoderatæ iftiufmodi fudationis. Undè ad diagnofim ille pertinet, qua curatio congruenter inftitui poffit. Verùm funt hìc plura diftinctim animadvertenda.

Sudor primùm refertur multus, seu copiosus: quandoquidem salutaris, ut ille sit, non parcus, & imperfectus esse debet, sed qui universam causam morbificam extrà Corpus educat. Jure ergo adnotatur multus, ut exindè ambigere non liceat ab ejus parcitate catharsim judicari necessariam, quæ compleat, quod à sudore fortassis perfici non potuit.

Dicitur inductus ex somno; nam ut superiùs innuebamus, sudor salutaris esse debet calidus, universalis, & in somno factus: si modò is calidus, universalis, & copiosus, in somno contingens, non prosit, illius malitia aliundè petenda erit, cùm iteratò profluat, & non allevet.

Sed & prætereà absque causa manifesta adiicitur: idest, quòd prodeat non ex æstu ambientis aeris, aut hypocausti, nec ab assumpto medicamento sudorem eliciente, nec aliquam aliam causam, quę ipsum promovere valeat, sed solum internam, reconditamque, consequatur.

Cùm igitur hæc simul junguntur, sudor autem non semel accidat, sed sæpiùs repetat, Corpore intereà nihilum proficiente, suspicari primùm licebit eum à ciborum, & potuum copia provenire, unde tanta ejusdem materia suggeratur: solent quippè partes Corporis, præsertim extenuatæ, aut etiam viribus exsolutæ, statim ab assumpto cibo, dilutiores ejus particulas in suis poris excipere, quibus deindè gravatæ, cùm nequeant omnes in sui nutricatum transmutare, coguntur in adjacentes glandulas deponere, & mox per sudorem excernere, qui sanè desinet assumpto cibo, & potu frugaliori, quantus scilicet satis sit viribus reficiendis, absq; ullo partium gravamine. Si autem sudor multus ciborum, & potuum copiam non sequatur, planè designabit ingentem aquei, & serosi humoris collectionem, quæ omninò evacuatione egebit. Verumtamen sudor si modicus foret, languorem potiùs Naturæ, vel rariorem cutis texturam argueret, cùm fortasse diutiùs repeteret.

At quo genere evacuationis impurum ejusmodi Corpus repurgari debeat, in Aphorismo Hippocrates non explicavit. Quare licèt pressiùs intelligi possit, quæ per cathartica peragitur, quibus compactiores, crassioresque succi, à sudationibus relicti, efficaciùs educuntur; nihilominùs etiam, quæ per vias urinæ fieri solet, admitti poterit, si præsertim ad eas vergere videantur, qui excernendi sunt. Nam qua ratione crassi humores ad articulos deponendi, solent non raró per vias urinarias expurgari, poterunt & eadem, qui per cutim omninò excerni nequeunt, in Renum ductus transmitti, & evacuari. Sæpè etiam expertum est ex stypticiori alvo, laxatis urinæ meatibus, uberiùs illam profluxisse, crassam, turbidamque, ac multò sedimine saturam. Verùm tutius semper erit catharticis uti, si non semel & vehementioribus, saltem blandioribus, & per intervalla, prout res ipsa, & vires tulerint. Ea autem ejus potissimùm sint generis, ut simul incidant, & attenuent, referantq; conditionem hydroticam, aut phlegmagogam.

Neque verò hic reticebo, quod jam pridem iterato usu comperi, contumaces morbos, atq; reconditas morborum causas, in penitioribus Corporis partibus hærentes, tutò, salubriterque fugari, & quod admirabiliùs, absque ulla multoties evidenti evacuatione, bicipiti pulvere

nostro,

nostro, ex cerussa stibii Salæ, & nitro ex lotionibus ejusdem elicito, atque ad plures dies exhibito, dosi tamen varia pro Corporum, & ætatum diversitate. Mirum enim quàm efficaciter omnes istiusmodi ægritudines depellat, quæ cæteroqui aliis cujusvis generis medicamentis obsistunt. Verùm in illius præparatione diligens, & sagax artifex expostulatur, ut res ex voto succedat.

APHORISMUS XLII.

Sudor multus calidus, vel frigidus, semper fluens, frigidus magis, calidus minùs, significat morbum.

SUdorem quoque hìc multum, seu copiosum, superque fluentem considerat, illumque ait omninò morbum indicare, leviorem tamen, si calidus, graviorem, si frigidus ille sit. Equidem modicus sudor utpotè levis momenti ab Hippocrate parvipenditur, veluti levem quoq; causam designans; at verò abundans, & perpetuò profluens, non semel scilicet, aut unico die, præsertim critico, sed tota morbi duratione contingens multitudinem simul, & malitiam arguit, quæ saltem diuturniori tempore emendari poterit: Pravitatem autem significabit majorem, vel minorem, prout frigidus, vel calidus ille fuerit; nam calidus tenues, mobilesque humores designabit, qui faciliùs exsolvi, & expurgari possint; frigidus verò, crassos, & consistentes, coctionis longè difficilioris. Quamobrem non *magis*, *&* *minùs* legendum existimant Fuchsius, & Heurnius, ut Leonicenus vertit, sed *majorem*, seu longiorem morbum, & *minorem*, seu breviorem.

Consideratur præterea hìc sudor è toto Corpore manans, non verò ex aliqua tantùm parte. Ita enim meliùs nectitur Aphorismo præcedenti: nam de sudoribus particularibus anteà verba fecerat. Quamquam nil repugnat, ut etiam aptari possit sudoribus ab una, vel altera parte erumpentibus; equidem sicut se habet sudor universalis ad totum Corpus, ita sudor particularis ad speciales Corporis partes, ideòque sudor multus, sive frigidus, sive calidus semper fluens morbum omninò magnum indicabit, vel dignitate partis affectæ, vel symptomatum magnitudine, ac sævitia, aut curandi difficultate. Hinc omnis sudor bonus, calidus est; at verò non omnis sudor calidus, bonus est, nisi alia conjungantur, quæ sudoris bonitatem attestentur, ut præsertim, si in declinatione morbi fiat, præcedentem coctionem subsequatur, feratque deinceps ægri levamen, ac morbi, causæ morbificæ, & symptomatum abolitionem.

APHORISMUS XLIII.

Febres quæcumque non intermittentes tertiò die fortiores fiunt, magis periculosæ. Quocumq; autem modò intermiserint, periculum abesse significant.

ORditur nunc Hippocrates accidentia febrium, quidq; boni, aut mali ex illarum accessionibus, ac progressibus præsagiri possit, pluribus Aphorismis edocet. Primùm autem illarum continuitatem, atque intermissionem memorat, *aitque intermittentes periculo vacare, continuas verò, & præsertim tertio quoq; die ingravescentes, periculosas magis, magisq; fieri, quo graviores, validioresque fuerint.

*V. etiam in coac. prænot. ubi: Febres cõtinuæ per tertium augescẽtes periculosæ.

Omnes itaque febres complectitur, cum dicat *quæcumque*: quo nimirùm nullam excipit, modò non intermittat. Dicuntur autem non intermittere, cùm ægrotum nunquam febre vacantem deserunt, licèt magis, vel minùs excrucient, prout magis, minusve ad augmentum accesserint, in quo omnia symptomata vehementiora fiunt. Has febrium species Græci consueverunt *synochas* appellare, idest continenter affligentes, non quòd suis quoque temporibus particularibus careant, sed quia ægrum nunquam immunem relinquunt, quamvis pro varia materiæ morbificę motione, modò incipiant, modò augeantur, aut stent, modò denique in declinationem vergant, quam nondùm absolutam alia accessio febrilis excipiat, cum iisdem omninò molestiis, ut priùs; sed & non raro tertio quoque die vehementiùs adoriuntur, & affligunt.

At quęnam sint ejusmodi febres continuę tertio quoq; die vehementiùs affligentes, controvertitur apud Expositores. Fuchsius semitertianas interpretatur, græcè *hemitritæos*, de quibus Hippocrates 1. *epid. const.* 1. hęc habet: *Febres horridę, continuę, acutæ, omninò non intermittentes; forma autem erat semitertiana, uno die leviores, altero verò graviùs invadentes, & in summa acutiores evadentes*. Hinc duas statuunt exigi conditiones in Febre semitertiana, ut nimirùm continua, & acuta sit, itemque horrifica, & alternis diebus graviùs affligens: quas ut Galenus eidem aptaret, semitertianam fecit febrem compositam ex tertiana intermittente, & continua quotidiana: hac enim ratione inquit simul horrificã fieri, tertiis quibusq; diebus ingravescentem, & continuam, atq; acutam.

2. de differ. febr. c. 8.

At crediderim, voluisse hìc Hippocratem eas febres memorare, quæ græcè *Tritæophyes* appellantur, tertianarum naturam referentes. Harum quoque meminit Galenus 2. *de differ. febr. c.* 2. vocatq; tertianas extensas, quæ scilicet de uno in alterum diem adeò protrahuntur, ut antequam prior accessio desinat, nova per triduum subingrediatur. Tritęophyes ergo istæ febres, pręterquamquòd sua natura molestissimę, cùm continuę sint, & de tertio in tertium novis semper accessionibus recurrentes, solent etiam gravissimis symptomatibus stipari, quę procedentibus paroxysmis magis, magisque increbrescunt: quamobrem pręlanguidi redditi ęgrotantes facillimè succumbunt; jure igitur in Aphorismo referuntur periculosiores.

V. 2. in 6. epid. 23.

Verùm quomodocumque intermittentes periculo vacare, qua ratione adjectum sit, non omninò benè constat; cùm apud plerosque gravissimos Auctores habeatur, ab intermittentibus febribus ęgrotos periisse, & non sine nota malignitatis; quamvis à Galeno proditum sit *in comm. istius Aphor. Solæ illę, quę in quietem febre vacantem desinunt, periculo carent, etiamsi vehementissimam, & valdè longam habuerint accessionem. Non absque ratione autem eas, quæ in quietem febre vacantem desinunt, esse absque periculo, inquit, ut quæ non ex inflammatione aliqua, neque ex maligna humorum putredine occasionem habeant: neutra enim harum ad quietem pervenit febre vacantem*. Attamen non desunt, qui vel omninò falsum, vel non perpetuò verum hunc Aphorismum asserant, pręsertim quia citrà inflammationem, & absque humorum maligna putredine continuę, & periculosę febres observatę sint,

sint, immò exitiales, & malignæ sæpesæpiùs videantur cum intermissione, ut de Hermocrate scribit Hippocrates 3. *epidem. ægr.* 2. qui licèt pluries à febre liber visus fuerit, nihilominùs vigesimaseptima die mortuus est.

At esto hæc à quibusdam opponantur, haud tamen rationabiliter evinci poterit, febres revera intermittentes periculosas esse, ni priùs successu temporis in continuas permutentur. Per id enim, quòd verè intermittunt, periculo vacant, unde ut periculum minentur, continuæ fieri debent. In quacumque cujuslibet accessionis intermittentium febrium declinatione febrile fermentum, veluti sanguini extraneum, repurgatur, & expellitur, vel per sudorem, vel per dejectionem, aut vomitum, vel per urinam, vel saltem insensibiliter media transpiratione: cùmque mors contingere nequeat absque proxima, & continuata sanguinis, & cordis læsione, qua utriusque motus interrumpatur, fit proindè, ut cum febris intermissione illa haberi nequeat.

Quæ verò febres referuntur intermittentes, & mortem attulisse, revera intermittentes non fuerunt, vel continuæ mox evaserunt. Et quidem sunt, quæ remissionem, declinationemque subeunt, non tamen omninò desinunt, sive ad quietem febre vacantem perveniunt, undè apparenter solùm videtur intermittere; quemadmodùm Hermocrati accidit, qui visus est à febre immunis, sed reverà febricitabat, idque ex eo potissimùm, quia numquam symptomatibus fuit vacuus, ut benè etiam observat Mercurialis *hoc loco*, unde de non legitima, & vera intermissione suspicari jure possumus; quin & sæpesæpiùs absq; ulla evacuatione, vel manifesta causa, perfectè declinasse non licèt credere.

Sunt prætereà quæ primùm intermittentes, deindè transeunt in continuas, ut cùm fermentum febrile anteà extraneum sanguini, deinceps intraneum evadit, aut ex mala sanguinis habitudine, aut ex viscerum discrasia, undè perpetim sanguis inficiatur, contrahatque simile vitium, quod aliundè suggerebatur. Sic aliquandò acidum ex Pancreate sanguini suggestum, ità illum succedentibus paroxysmis vitiat, ut nedùm acorem imprimat difficulter secernibilem, verùm etiam eumdem reddat concrescentem, unde febres simul continuæ, & malignæ.

Sed dubitari potest, an Hippocrates hunc Aphorismum voluerit intelligendùm de omnibus febribus intermittentibus, ut nimirùm illæ vi solùm intermissionis periculo vacent; an verò solas tertianas expresserit, cùm earum dumtaxat, quæ tertio die fortiores fiunt, in priori Aphorismi parte meminerit. Et quidem probabile videtur excipere voluisse solùm tertianas febres quomodolibet intermittentes: etenim hac ratione exceptio memorata in secunda parte Aphorismi responderet adamussim generali assertioni primę. Verùm quia febres istiusmodi periculo vacare dicuntur, uti intermittentes, procul dubio parum intererit, an tertianæ, quotidianę, vel quartanæ sint, dummodò intermittant, & ægrum febre vacantem deserant. Febres siquidem omnes à periodis desumptæ, possunt ab uno, eodemque humore diversimodè tamen affecto exoriri, ut aliàs à nobis est ostensum. Quare eas periculo vacare putandum non à conditione peccantis humoris, qui idem in omnibus

nibus esse potest, sed ab intermissione; Quamvis tertianæ cæteris semper securiores hoc Aphorismo notentur, cùm intermiserint, fortè quia cæteris breviores. Cæterùm dicuntur intermittentes febres periculo vacare, secluso quocumq; alio morbo, cum quo illæ copulari possunt: quippè quartanæ febres, cæteroqui tutissimæ, ubi intermiserint, si cum obstructione, & scirrho Lienis conjungantur, lethales esse consueverunt, sicut pariter tertianæ cum Ictero, ac Jecinoris tumore, & quotidianæ cum Ventriculi languore, fluxuque cæliaco: Idipsum de cæteris dicendum. Porrò quo tempus intermissionis longius fuerit, eò febris securior fiet: habet enim Natura, quò meliùs seipsam reficere valeat.

APHORISMUS XLIV.

Quos febres longæ exercent, iis tubercula, vel labores in articulis fiunt.

FActa distinctione febrium quarumcumque in acutas, & chronicas, quemadmodùm illæ solent sępissimè per sensibiles evacuationes terminari, potissimùm verò per sudores, urinam, ac dejectionem, quoniam excitantur ab humoribus fluxilioribus, & facilè mobilibus:ità istæ potiùs per abscessus desinunt, quod crassi, tenacesque humores difficiliùs extrà Corpus per consueta emissaria queant expurgari. Hinc Hippocrates, eos, hoc Aphorismo prædicit, qui longis, ac diuturnis febribus laborant, in tumores, & articulorum dolores incidere, quo tempore declinationem attigerint. Humores enim in his febribus, tùm ex crassitie, & ineptitudine ad motum, tum ex imbecillitate Naturæ, quæ tanta diuturnitate debilis evasit, nequeunt nisi in articulos decumbere, ut anteà quoque monstratum est; undè postmodùm labores, & dolores accidunt. Tubercula verò licet in articulis pariter non rarò oboriantur, nil tamen prohibet, quin etiam in reliquis partibus, præsertim adenosis, erumpant, ubi facilè ejusmodi humores adhærescunt, & in tumores attolluntur. Hinc tubercula non ad articulos referenda putat Cardanus, & Fuchsius Aphorismum legendum esse arbitratur cum particula disjunctiva, *vel*, ità ut tubercula ad totum Corpus, labores verò, seu dolores ad articulos pertineant. Verùm qua de causa longis febribus hæc accidant docet Hippocrates Aphorismo sequenti.

APHORISMUS XLV.

Quibus tubercula, vel in articulis labores, ex febribus accidunt, ii pleniore utuntur cibo.

EXplicat hoc Aphorismo Hippocrates, quibus tubercula, vel in articulis dolores ex febribus accidant, eos nimirùm, qui pleniore utuntur cibo, à febribus evasi. Quare de convalescentibus post febres diuturnas, dictum exponunt cum Galeno Fuchsius, & Cardanus; nec absque ratione; siquidem remanent ab his febrientes multùm languidi, & extenuati, proindeque partes diù alimento depauperatæ, mox uberiùs pastæ, facilè ob debilem concoquendi facultatem pravis, atque indigestis succis opplentur, qui deindè ad glandulas Corporis, vel ad articulos depositi, abscessus, tubercula, & dolores articulorum excitant. Hac eadem ratione experimur

mur à diuturnis ægrituditudinibus sanatos, plurimùm famescentes, nec tamen benè cibos conficientes, excrementorum pluralitate, obstructiones incurrere, aliaque hujus generis mala. Neque verò poterunt aliundè hæc accidere; etenim qui ex febribus convalescunt, post evictam, expulsamque causam, vindicatos esse oportet; si ergo non ab humoribus, qui febrim excitarant, nec à reliquiis eorumdem tubercula, & labores articulorum pendere possunt, quippè eos expulsos credere est, si febris desiit; procul dubio à copia ciborum, & ab excrementorum indè emergentium superfluitate tubercula,& articulorum dolores exoriri putandum. At verò pro varia excrementorum, sive ad cutim, sive ad articulos, motione, depositioneque, modò articularii dolores, modò tubercula excitabuntur, ut etiam superiùs animadversum est.

APHORISMUS XLVI.

Si Rigor incidat, febre non intermittente, ægro jam debili, lethale est.

Rigor, ut in febribus sit salutaris, sequentem opus est, ut habeat intermissionem, seu quietem omninò febre vacantem. Si enim exindè febris non intermittat, nec ægrum immunem deserat, certè mali morbi testimonium erit, & ingentis pravitatis indicium, ut latiùs à nobis *Aph. XXIX.* est ostensum. Si prætereà ægrum debilem invadat, lethale signum omninò erit, ut hìc ab Hippocrate indicatur.

Advertit autem, & rectè Galenus, aliud quid referre verbum *inciderit*, ac *incidat*: *Inciderit* enim *unum significat Rigoris insultum*; *incidat verò*, *plures*. Unde Rigor hoc loco notatus, non erit qui semel contigerit, sed qui pluries repetierit. Plurimùm namque affligitur æger à Rigore ob vehementem totius Corporis concussionem, per quam vires infringuntur, & universa membra delaxantur, quæ sanè incommoda, nisi febris intermissione, restauratis scilicet viribus, compensentur, gravissima existimanda sunt. Quod *si prætereà aliqua evacuatio rigorem subsequatur, quæ nullam faciat intermissionem, propter utrumque dissolvi hominem par est, tum quia vis imbecillis ferre non potest rigoris agitationem, tum quia ab evacuatione dissolvitur. Si verò solus accidat rigor, nulla evacuatione subsequente, utroque modo casus caret bonitate, nam tanquam causa mala vires hominis tentat; & malum signum erit, illius indicans imbecillitatem, quæ solita erat noxios humores in rigoribus evacuare, nunc verò hoc non potest efficere*. Hactenùs Galenus.

Insuper animadversione dignum est, quod verbum *incidat* non significat Rigoris repetitionem à principio habitam, sed vel in augmento, vel in statu contingentem, cùm anteà febris absque rigore invaserit; unde *incidat* perindè est, ac *superveniat*, sive casu, & sine ulla causa rationabili contingat. Porrò ità fit, ut ab humore maligno, & irritante, non verò à Natura, quæ causam morbificam adoriatur. Rigor excitetur; unde meritò Galenus illum vituperat, & veluti causam malam, vim, facultatemque Corporis lædentem, & uti signum malum ejusdem indicans imbecillitatem, idque potissimùm;

quia febris non intermittit.

Quoniam verò Hippocrates inquit in ægro debili ejusmodi Rigorem lethale signum esse, videndum quam imbecillitatem intelligat, partis scilicet naturalis, vitalis, an animalis. Et quamvis de omnibus exponi possit, cùm unaquæque in ægrotantibus mala sit, & à singulis benè constantibus salutis spes affulgeat, juxta ac idem auctor scripsit 2. *Aph. Mente constare, & benè se habere ad ea, quæ offeruntur, bonum; contra verò malum*. Nihilominùs specialiùs vires attenduntur, quibus Natura pugnam cum morbo sustinet. Parùm autem refert an debilitas absque causa manifesta contingat, an etiam aliquam evacuationem, aut extremam inediam consequatur, modo talis sit, ut Naturam ferendo impotentem effecerit. Cæterùm de Rigore legi meretur idem Hippocrates *lib.* 1. *de morbis*, & Cardanus *in comment. istius Aphorismi*.

APHORISMUS XLVII.

Excreationes, in febribus non intermittentibus, lividæ, cruentæ, fætidæ, & biliosæ, omnes malæ. Sed si prosperè excernuntur, sive per alvi excretionem, sive per urinas, bonæ. Si verò aliquid eorum, quæ non confert excerni, per hæc loca excernitur, malum.

STatim in ipso limine commentarii incusat Galenus Hippocratem proxilitatis, asserens potuisse sententiam hanc dici compendiosiùs; Sed nedùm is à Cardano defenditur, verùm inscitiæ potiùs ipsemet Galenus insimulatur. Etenim Hippocrates excreta in febribus trifariam hic considerat, examinata primùm illorum natura, deindè excretionis modo; postremò successu. Excreta siquidem preter Naturæ morem semper reipsa mala sunt: quæ facilè educuntur, bona; difficulter verò mala: & demùm si exindè levetur æger, atque in meliùs proficiat, bonum; contra, malum. Aphoristicam hanc proptereà sententiam ita exponit Cardanus, ut excreationes in febribus non intermittentibus, qualitercumque pravæ fuerint, seu colore, seu odore, seu substantia, seu permistione, aliterve, malum significent, itemque si difficulter prodeant, & absque levamine, secùs bonæ erunt. His adiici quoque debet locus, per quem fiunt, quemadmodùm ex textu deducitur; nam si per loca consueta, & conferentia habeantur, bonum; per aliena verò, & insueta, malum.

Quamvis insuper Hippocrates retulerit excreationes speciales per alvum, & vias urinæ, qui debuisset generalioribus Aphorismum describere, ut obiicit idem Galenus; implicitè tamen continentur sub his quæcumque evacuationes. Mos enim Hippocratis est, sub speciali cujuspiam exemplo generalem proponere doctrinam. Sed & voluit is quoque universas evacuationes cum particularibus comparare, pendentes ex affectionibus similiter universalibus ad particulares relatis: quoniam ut benè idem Cardanus *specialia signa in morbis universalibus, & universalia in morbis specialibus, non significant bonum, neque salutem. Undè excreationes in febre non sunt bonum signum, sicut nec urina in morbo laterali, sed sunt signa impertinentia*. Hæc pro Hippocrate

erate adversùs Galeni calumnias ex Cardano. Nunc sensum Aphorismi aperiamus.

Memorat Hippocrates excreationes, seu per os expurgationes, in febribus, veluti evacuationes particulares nihilùm facientes in febrientibus, in quibus commendabiles solùm sunt universales. Illæ etenim veluti non pertinentes, nec facientes ad rem, causamque morbosam, malæ censendæ sunt, & præsertim si fuerint lividæ, cruentæ, fætidæ, & biliosæ, quippè quæ incongruentes simul, & ineptæ, quoniam lividæ, cruentæ, fætidę, biliosæ. Nam lividæ, & fætidæ, corruptelam; cruentæ, & biliosæ, sanguinis vitium, & vasorum laxitatem, aut erosionem arguunt. Hæc autem si continuè febricitantibus accidant, pessimam in sanguine diathesim, & in visceribus pectoris, aut capitis gravem indicant affectionem.

Verumtamen quæ ex propria substantia, aut conditione excreationes malæ sunt, poterunt aliquandò bonitatem participare, si prosperè, & faciliter prodeant. Neque verò hæ solùm, sed propterea quæ per alvum, & vias urinæ contingunt, bonæ erunt, si modum servaverint Naturæ convenientem, putà absque dolore, aut anxietate, & sine ullo virium dispendio. Etenim quamvis excrementa alvi, & vesicæ pravam referant conditionem, si tamen commodè, & absque molestia egerantur, salutaria sunt, expulsa nimirùm causa morbosa. Contrà verò oberunt, si Natura potiùs lacessant, & crucient, viresque labefaciant: quod autem benè prodeant, argumento erit *coctio, & bona tolerantia*, inquit *in comm.* Galenus; *atque cum his, & morbi species, & tempus anni, & regio, & ætas, & natura ægrotantis.*

Concludit demùm Hippocrates: *Si verò aliquid eorum, quę non confert excerni, per hęc loca excernatur, malum.* Quibus admonet malam, & perniciosam esse evacuationem per has vias eorum, quæ excerni non debent, veluti chylus, sanguis, vel alius ab illo, qui morbum faciens, debet evacuari, nam quemadmodùm expellenda si retineantur nocent, ita retinenda si egerantur, non proficiunt: quod planè intelligendum nedùm de substantia rei excretæ, sed etiam de qualitate, & tempore excretionis. Undè sex universim semper sunt in quacumque evacuatione consideranda, substantia, & natura rei, quæ excernitur, num sanguis, chylus, pus, caro, vermis, lapis: Qualitas rei excretæ, num calida, frigida, benè, vel malè olens, mordax, salsa, acida, tenax, aut fluida, alba, vel nigra: Quantitas, num moderata, vel immoderata, servata præsertim proportione cum morbo, & causa morbosa: Tempus, num cocta, vel cruda materia, inter initia, aut in declinatione morbi. Locus, an per loca consentanea, & consueta Naturæ, an verò per dissentanea, ut si fæces per os, non per alvum. Modus demùm, num cum dolore, anxietate, vel sine ulla molestia, nulloque negotio. Hinc facilè quispiam conjectabit, num utilis, salubrisque sit, an perniciosa evacuatio, undecumque illa prodierit, quemadmodùm hoc loco Hippocrates edocere visus est.

APHORISMUS XLVIII.

In febribus non intermittentibus, si partes exteriores sint frigidæ, interiores verò urantur, & sitim habeant, lethale est.

IN hoc Aphorismo interitus præsagitur his, qui febre non intermittente laborantes frigent exteriùs, interiùs verò æstuant, & sitiunt. Et quamvis ferè omnes Interpretes id accidere fateantur febribus ardentibus malignis, veluti lipyriis, quarum proprium est ingenti siti ægrotantes cruciare, & æstu immodico exurere, non tamen cæteris quoque febribus idipsum quoque evenire posse negandum, si internam inflammationem consequantur. Verùm necesse est, febres hasce continenter affligere, cum ejusmodi accidentia nequeant cum intermittentibus conjungi, ut prudenter ab Hippocrate est animadversum, fuitque pariter notatum à Galeno *comm.43. hujus*, qui intermittentes febres nec ab interna inflammatione, nec à maligna humorum putredine oriri posse docuit.

Ut autem hæc interitum portendant, non satis est ægrotantem interiùs uri, atque ingenti siti cruciari, sed etiam necesse est exteriora frigere: quippè viscerum internorum æstus ab inflammatione procedens sanguini circumeunti impedimento est, immò signum est manifestissimum remorantis sanguinis, qui nonnisi ab acido figente restagnat, adeòque non solùm frigus extimis partibus incutit, verum etiam gangrænam internam inducit, uti sectionibus Cadaverum pluries innotuit.

Sed & Erysipelas non rarò interiores partes occupat, unde æstus, & sitis ingens. Quemadmodùm enim partes cutaneæ erysipelate sæpesæpiùs affici solent, & quandoq; etiam erratico; ità internæ, præsertim Pulmo, Diaphragma, Jecur, aliæque pari modo erysipelate infestantur, ut propterea multos in praxi ejuscemodi molestiis vexatos, cum inquietudine, anxietate, linguæ scabritie, hoc mali genere ægrotantes suspicari liceat; unde postmodùm fit, cur non semper suppurationes consequantur, cum deinceps isti convalescunt, resoluta nimirùm insensibiliter materia, quemadmodùm externo erysipelati contingit. Porrò erysipelata interius progenita nedùm admittit Galenus *in comm. & alibi*, sed etiam Aetius, qui præterea *lib.5.cap.89.* ex diversis partibus erysipelate affectis, varias quoque febrium ardentium species distinguit; unde *lipyriam* appellat, quæ fit ex erysipelate in Ventriculo, *Typhodem*, quæ in Jecore, & *Crymodem*, quæ in Pulmone. Hippocrates etiam 5. *Aph.*43. meminit erysipelatis in Utero, itemque erysipelatis in Pulmone 2. *de morbis*, unde ab exterioribus ad interiora idem verti, malum scripsit 6. *Aph.* 25. ab interioribus autem ad exteriora bonum.

V. etiam Gal. 7. Aph. 42.

Idem p. de morbis.

Adjecit in textu Hippocrates sitim, veluti symptoma omninò cum febre ardente conjunctum, siquidem duo referuntur signa illius pathognomonica, calor exurens, & ingens sitis. Verùm crediderim, funestum etiam futurum eventum ex solo internorum viscerum æstu, atque extimarum partium refrigeratione. Sitis autem sive adsit, sive desit, nil quidpiam perniciei detrahet, aut addet: equidem si adsit, ardorem viscerum confirmat; si verò desit,

eorum

eorumdem stuporem, & gangrænam arguit. Atqui sitim fortasse adjunxit Hippocrates veluti signum, quo internarum partium æstus patentius possit internosci, non tam ex sensu ipso, quo sæpè istiusmodi febrientes carent, quam ex linguæ scabritie, & ariditate, quæ in his numquam abest.

APHORISMUS XLIX.

In febre non intermittente si labrum, palpebra, vel supercilium, vel oculus, vel nasus pervertatur, vel non videat, vel non audiat; jam debili existente Corpore; quidquid horum evenerit, mors proxima est.

TRadit & hoc alio Aphorismo Hippocrates imminentis exitii signa in febricitantibus, desumpta ex læso sensu, & motu animali, atque adeò ex hebetatis organis in id concurrentibus, hisque potissimùm quæ Cerebro sunt proximiora, ac visui, & auditui sunt destinata, atque ex contractis partibus ad labia, & palpebras spectantibus.

Et quidem hæc febre non intermittente laborantibus si acciderint, instantis interitus indicia esse testantur, nam si fortasse inter initia paroxysmorum intermittentium febrium eveniant, quo tempore per rigorem, horroremque universum Corpus concutitur, nil damni timendum foret; febre enim intermittente, illa statim desinerent; neque verò tam facilè est ejuscemodi symptomata intermittenter febribus per rigorem, aut horrorem evenire, & diutiùs perseverare.

Animales autem operationes hìc speciatim læsas memorat, & tùm quæ ad motum, tum quæ ad sensum pertinent, contorsionem nimirùm, seu contractionem labii, palpebræ, supercilii, oculi, vel nasi, atque hebetudinem visus, & auditus. Contingunt enim ejusmodi contractiones vitio Cerebri, & nervorum, indeque derivantis liquoris, qui fibras nerviceas irroraturus, acritudine potiùs, atque infensa conditione vellicat, & compungit, unde convulsionem manifestam parit in partibus proximioribus, & Cerebro attiguis. Solent etiam non rarò nervi, & Cerebri meninges phlogosi, aut erysipelate corripi, ut propterea potiùs proximiores, quàm remotiores partes contorqueantur. Idipsum quoque arguit læsa videndi, atque audiendi facultas, cùm perceptiones, sensionesq; quæcumque, ut fiant, ad Cerebrum per nervos referri debeant.

Verumtamen ægro jam debili hæc accidere oportere animadvertit, quandoquidem perfractis viribus vitalibus, læsiones istæ partis animalis omninò erunt inemendabiles, nequeunte scilicet Natura per sanguinem operationum Animalium vitia corrigere, atque in pristinum vigorem restituere. Symptomata autem virium languorem comitantia, aut consequentia, semper cæteris pejora sunt, & mortem mox futuram portendunt, succumbente nimirùm violentiæ morbi Natura.

Ne quis autem putaret symptomata isthæc partem animalem læsam indicantia junctim esse intelligenda, advertit postremò Hippocrates, unumquodque illorum satis esse ad exitum lethalem prænunciandum, cùm ad virium vitalium languorem, quæcumque animalis operatio læsa si consequatur, naturam omninò labefactatam, ac summè

mè fatiſcentem deſignet. Itaq; debilem ægrotantem in operibus vitæ, præſertim pulſu, nullo negotio è medio tollunt, & è viventibus eripiunt quæcumque aliæ partis animalis læſiones etiam in externis ſenſibus, ſi ab internis proficiſcantur. Cæterùm de tempore nequidem verbum fecit Hippocrates, quoniam quandocumque prodierint, ſemper mala ſunt, quamvis plerumque in augmento, aut ſtatu febrium univerſali comparare ſoleant, & lethum afferant.

APHORISMUS L.

Ubi in febre non intermittente difficultas ſpirandi, & delirium acciderit, lethale.

PRæcedenti Aphoriſmo læſas in febricitantibus partis animalis operationes tum ad motum, tum ad ſenſum pertinentes adnotavit Hippocrates, nunc eas conſiderat, quæ organis ſpiritalibus debentur, nempè reſpirandi difficultatem cum delirio conjunctam, hancq; exitioſam quoque pronunciat, ſi febrem non intermittentem conſequatur.

Difficultas autem reſpirandi hìc ab Hippocrate memorata, non quæcumque, & levis ſolùm, per intervalla recurrens, ſed gravis, & continens intelligitur: quippè illa ferè ſemper febres acutas comitatur, etiam intermittentes, ſaltem inter initia, aut cùm increverint, ſed citrà periculum, quoniam his remittentibus deſinit. At verò, quæ hìc conſideranda proponitur in febre non intermittente, perſeverans eſſe debet, quæque nedùm ſtatis horis invadat, ſed quouſque febris duraverit, ægrotum continenter afficiat. Porrò hæc accidit febricitantibus non ex ſola febris conditione, quæ plerumque reſpirationis uſum depravat, ob novi ſemper, recentiſque Aeris indigentiam, ſed potiſſimùm ob maximam in Pulmonibus ſanguinis exagitationem, fermentationem, & phlogoſim, quæ non rarò etiam eryſipelatodem inflammationem arguit, Pulmonibus ipſis, & Cordi ſummoperè infenſam, à qua pauciſſimi ſunt, qui mortem effugiant.

Reſpirandi difficultati adiicit Hippocrates delirium, ut propterea hæc duo juncta voluerit. Ex ambabus enim, vitali ſcilicet, & animali potentia læſis, mortem prę-monſtrari animadvertit. Et quidem, cum utrumque in febribus non intermittentibus jungitur, internam indicat inflammationem, potiſſimùm pulmonis; undè reſpirandi difficultas veluti conſequens inflammationem, eſſet quodammodò cauſa delirii. Sed & inflammatio diaphragmatis idipſum afferre poteſt, cùm illud arterioſum, & nervoſum viſcus ſit, ac principale reſpirationis Inſtrumentum, quamobrem ipſo inflammato, & reſpirandi, & ratiocinandi vis, atque facultas, ſæpiſſimè læditur; quinimmò Antiquis ſemper putatum, delirium quodcumque ſympathicum, & interruptum ab una, & ſola diaphragmatis inflammatione proficiſci: quod tamen non omninò verum, ut latè oſtendimus in noſtra praxi *capite de phrenitide*.

Verùm cùm plures difficilis reſpirationis differentias retulerit Hippocrates *6. epidem. ſect.* 2. ſub illis verbis: *ſpiritus pravi, crebri, magni, rari, hic quidem tardus, ille verò velox*. Jure dubitari poteſt, quam hìc ſpecialiùs notatam ille voluerit. Et acutè quidem Fuchſius, ſi hæc,

si hæc, inquit; duo symptomata difficultas spirandi, & delirium conjungantur, necesse erit Hippocratem interpretari de magna, & rara spiratione, quòd scilicet illa proprium sit delirii symptoma, quemadmodùm in prognosticis disertè iis verbis testatur: magnus spiritus, & ex longis intervallis, delirium declarat. Et mox rationem assignans subdit: quippè ambo hęc, magnitudo scilicet, & raritas spirationis, veluti oblitæ actionis pathemata sunt. Si verò sensim de difficultate spirandi loquamur, delirio amoto, tunc hæc ipsa, propter mala, quæ instrumentis spirationi inservientibus accidunt, & quæ à Galeno *in comm.* recensentur, evenire solet, velox, & crebra erit. At verò concludit, hæc duo symptomata in hoc Aphorismo conjungit Hippocrates, aitque esse lethalia, quòd nimirùm, & Cerebrum, & Instrumenta spirationis læsa esse significent.

1. progn. 27.

Sequitur autem Pulmonis, aut Diaphragmatis inflammationem Cerebri commotio, & delirium, non tam propter nervos mutuò communicantes, quàm ob arterias, & medio sanguine, qui sua per inflammationem contracta acritudine, Cerebrum vellicat, atque ad depravatè operandum lacessit, ac disponit, ut aliàs à nobis demonstratum est. Cæterùm hæc nonnisi febres continuas comitantur, proindè scriptum; *ubi in febre non intermittente*: hæc enim delirium propriè inter sua symptomata non admittit.

APHORISMUS LI.

In febribus abscessus, qui ad primas judicationes non solvunt, longitudinem morbi significant.

QUamvis Hippocrates simpliciter dicat *in Febribus*, tacitè tamen subintelligendum *productis*, ac *protractis*. Etenim, ut superiùs animadversum, istæ sæpesæpiùs per abscessus judicantur. Cùm autem superveniens abscessus illas non terminat, diuturniores futuras significat, nondùm scilicet universa febrium materia ad habitum Corporis seposita, sed crassiori, compactiorique adhuc interiùs hærente, quæ febrim in longiùs protrahit.

Quoniam verò abscessus morbi longitudinem significare dicuntur, qui ad primas judicationes non solvunt: jure propterea dubitari solet, quid pro illis intelligere voluerit Hippocrates. Sed benè Fuchsius ex græco codice interpretatur, qui in primis diebus judicatoriis contingunt; at non prima, aut secunda septimana, cùm febres istę longę sint, nec tam citò possint primis hebdomadibus judicari, sed posterioribus; undè non referenda prioritas hęc ad dies ipsos criticos, sed ad abscessus eruptionem ita ut sensus fiat, futuras febres lōgas, cùm nō desinunt statim, ac abscessus apparuerit, argumento, quòd adhuc causa persistat, nec sufficienter per abscessum sit evicta, nec perfectè à sanguine seposita. Qui verò cum Brasavolo Philotheum sequuto, pro *non solvunt* ad febrim relato, passivè vertunt *non solvuntur*, idest abscessus, plurimùm aberrant à veritate, & ab Hippocratis mēte; cū impossibile videatur, abscessus, statim ac apparuerint, solvi, & evanescere, quippè qui fiūt ab humoribus crassis, & cōsistentibus,

tibus, non nisi diutissimo tempore solubilibus, ut benè etiam Fuchsius advertit. Quamquam & abscessus ipsi si diutiùs persistant, nec tàm facilè solvantur, aut maturentur, aliam diuturni morbi speciem inferāt, in adaucta magnitudine dictam.

APHORISMUS LII.

Iis, qui in febribus, vel in aliis morbis spontè illacrymant, nihil horribile accidit; qui verò non spontè, horribilius.

Signum hoc à lacrymarum apparitione desumptum pertinet etiam ad Cerebri, & partis animalis læsionem. Non voluntariæ autem illæ esse debent, quæ scilicet ægrotantibus invitis, & citrà quamcumque causam manifestam accidunt, & absque ulla oculorum, & palpebrarum ægritudine. De his quoq; meminit pluries idem Hippocrates, præsertim verò 1.*prognost.*13.4. *&* 6. *epidem. sect.* 1. *&* 1. *epidem. const.* 3. Undè Celsus *lib.* 2. *cap.* 4. inter mala signa retulit *sine voluntate lacrymare*: quippè prosiliunt lacrymæ istæ ob languorem, laxitatemq; caruncularum ocularium, itemque Cerebri, & meatuum in oculos patentium, undè serositates extillant, quæ plerumque etiam in his acritatem sapiunt, à consimili lympha procedentes. Quòd si voluntariæ prosiliant lacrymæ, vel patentem aliquam causam, aut oculorum ægritudinem consequantur, nil mali prę-sagiunt, nisi quòd ab ipsis oculis malè affectis indicatur, quemadmodùm ex lippitudine, inflammatione, dolore, quibus nil horribile accidit illachrymari. Sic pariter si ob mærorem, commiserationem, gaudium, itemque fumum, pulverem, solare lumen, aeris alicujus corporis contrectationem, aliudque simile lachrymæ defluant. Cæterùm in eo, quod culpatur Hippocrates, aut primus librarius, à Galeno, quòd scripserit in Aphorismo *horribilius* comparativè, cùm antea nihil horribile dixerit per negationem, scitè defenditur à Cardano *in comm.* qui prætereà non solùm *malum*, sed etiam *mortem* ex non voluntariis lachrymis præsagiri animadvertit, ut accidisse refert suæ uxori Lucię Bandaretæ, cui ob diarrhœam pereunti fluxere ubertim lachrymæ per tres horas antè obitum. Verùm tum crediderim eas minari lethum, cùm cæteris, & quidem gravioribus symptomatis associantur, ut accidit Dealcis uxori *ægræ XV.* 3. *epidem.* Porrò ipsæ solę non omninò sunt exitiales, ut pluries expertum.

APHORISMUS LIII.

Quibus circà dentes in febribus quidam lentores nascuntur, iis fortes fiunt febres.

A Lentore circà dentes adnato in febrientibus præsagit hoc Aphorismo Hippocrates febres futuras vehementes. Sunt autem lentores tenaces quidam, glutinosique succi faucibus sæpenumerò adhęrescentes, & non rarò etiam linguæ, ac dentibus, cùm uberiùs cumulantur, undè in oris hiatu per diducta labia in liquati glutinis modum extenduntur. Nedùm verò ex viscosis, crassisque humoribus Ventriculi, & œsophagi tunicas, glandulasq; occupantibus, gignuntur, verùm etiam ex lympha crassiori è ductibus Stenonianis derivante per palatum in gingivas, & dentes, quæ deindè partim inspirati, expiratiq; Ae-

ris

ris miscela, partim ex halitibus è Ventriculo, & Pulmone elevatis acorem præseferentibus, partim denique ab æstu febris adeò densatur, ut glutinis tenacitatem referat.

Ab his igitur portenduntur febres acerbiores, tum quia acris lympha, aliusve succus similis febrilem fermentationem potentiùs promovet, & diutiùs conservat, copia simul, & crassitie; tum quia viscosi ejuscemodi humores oris hiatum liberiorem impedientes, ægros in respiratione anxios faciunt, præpeditis non leviter Aeris ductibus; undè etiam sitis, & æstus major. Sed & sanguis ejus generis lympha irretitus, mirùm quàm subigi, & commoveri debeat, ut seipsum per febrim extricet.

Opitulabimur verò ejusmodi malis, nitro aqua dissoluto, vino albo veteri, ejusque spiritu, os sæpiùs abluendo; itemque elixire proprietatis Helmontii, spiritu salis ammoniaci dulci reddito, balsamo salis, aliisque, etiam assumptis, ex liquoribus in idem conferentibus.

APHORISMUS LIV.

Quibus plurimùm siccæ tusses leviter irritantes in febribus ardentibus fiunt, non multum siti infestantur.

MEmorat hìc Hippocrates, quàm prosint siccæ tusses leviter guttur irritantes, febrientibus, cùm eos à molesta siti eximant. Febres namque ardentes duobus semper, tamquam pathognomonicis signis, sociari solent, urente nimirùm ardore, & siti molestissima: modò hæc abesse solet, vel non plurimùm urgere, cùm siccę tusses leviter fauces, & guttur proritant, scilicet irrorantis partibus, tum Pulmonem, tum Ventriculum spectantibus, undè sitis originem sumit, ut aliàs ostendimus.

Siccas tusses intelligit eas, ex quibus nil, vel tenue admodùm, & serosum expuitur, ad differentiam tussis humidę, per quam crassum, multumque sputum educitur. Eas autem fieri credendum à serosa, & aquea materia, ad partes faucium, & gutturis pertingente, quam Recentiores Anatomici lympham ex primo ejus Inventore Th. Bartholino appellarunt. E Cerebro, & glandula pituitaria putarunt Veteres in os extillare; at sagaci industria Thomę Vvarthoni, & Nicolai Stenonii, detectum est per peculiares ductus à postica capitis parte, & ex glandulis circà aures sitis, in radicem linguę, & in musculos buccinatores depluere; quamobrem madidum os in statu sano perpetuò experimur.

Ab his igitur madescit guttur, & sitis, infringitur, cùm in febribus fortasse liquatur, diluiturque plùs ęquo lymphicus ejusmodi humor, ut etiam exindè tussicula excitetur.

At qua de causa per tussim hanc sitis pręcipuè remittatur in febricitantibus? Anteà meminimus ex doctrina ejusdem Hippocratis, & Platonis, sitim vigere in gutture, & Pulmone, ut propterea illa faciliùs, promptiùsque sedetur collutionibus, & gargarismis; quibus partes istę irrorentur, & madescant, defluentibus nonnihil per latera asperę arterię sensim, ac pedetentim in Pulmones. Cùm itaque vi febris lymphicus hic humor tenuatur, & confluens in laryngem, titillando, tussim promovet absq; screatu, non multùm contingit siti febrientes infestari, qui cęteroqui Causone affecti vehementer sitirent. Debent autem

autem ejuſcemodi tuſſiculæ leviter irritare; ſic enim arguunt tenuem, ſeroſumque humorem in eas partes illabi; nam ſi fortaſsè copioſior, vel craſſior humor tuſſes pareret moleſtiores, tale emolumentum haudquaquam afferrent, immò pectus, & Pulmonem moleſtè admodùm concutiendo, febrim potiùs exaſperarent, & ſitim adaugerent. At verò levis irritatio, neque moleſtam tuſſim infert, neque partes ſpiritales concutit, ſed blando ſolùm madore illas lenit, & irrigat.

Quia verò tuſſes dixit Hippocrates leviter irritantes, ſanè non ſemel, ſed iteratò repetentes, ac perſeverantes intellexit: hac enim ratione poterunt illæ ſitim lenire, ſi nimirùm ſæpiùs fauces, & guttur humefaciant; quamobrem non immeritò adjectum eſt adverbium ***plurimùm***, quo ſignificetur, multoties per tuſſim eas partes irrigari oportere.

Tandem dicitur non multùm ſiti febrientes infeſtari, non quòd omninò ſiti careant, ſed quòd mitius afficiantur, adeòque illa, quæ per febrim ardentem moleſta nimis eſſet, & inextinguibilis ſitis, per ejuſcemodi gutturis, & Aſperæ arteriæ irrorationem plurimùm remittatur, ſedaturque, ut proindè magna ex parte tolerabilis evadat.

APHORISMUS LV.

Ex inguinum tumoribus febres omnes malæ, præter diarias.

LOca tumorum, nempè inguina, quæ Leonicenus adjecit in ſua verſione, alii Expoſitores detraxerunt, feceruntque ſententiam univerſaliorem, comprehendentem quemcumque Tumorem glandularum: etenim, ut advertit præ cæteris Fuchſius: Bubones græcè Hippocrati in Aphoriſmo notati ſignificant tumores omnes adenum, ſeu glandularum, ex Galeno 2. *ad Glauconem cap.* 1. Undè malè Leonicenus hanc vocem ad inguinum tantùm adenas tumefactas contraxit, cùm omnium adenum tumores ſignificet. Occaſionem autem (ſubdit idem Fuchſius) errori huic dedit vox ambigua ***Bubon***, quæ, ut teſtis eſt Phavorinus, & locum Corporis, & malum denotat, inguina nimirùm, & tumorem adenum.

Itaque non ſolùm ex inguinum tumoribus, ſed ex aliis quibuſcumque tumefactis glandulis febres obortæ malæ cenſendæ ſunt, exceptis diariis: etenim diariæ febres cùm ſua natura breviſſimæ ſint, vixque ſpatium unius diei tranſcendant, certè non poterunt aliundè pendere, quàm à materia facilè difflabili, vel ad ſummum à confluxu, & ſuppuratione humorum in adenibus collectorum, citrà ſanguinis, aliorumque liquorum, vel viſcerum infectionem, quare levis omninò momenti erunt. At verò cùm terminum Diariarum tranſegerint, & in longiùs producuntur, ab alia planè materià, præterquam ab halitibus originem trahent, adeòque vel grave vitium glandularum, vel internarum partium infectionem arguunt difficulter reſolubilem, præſertim quia glandulæ in humano Corpore talem, ac tantam interſeſe ineunt ſocietatem, ut etiam vitia protinùs communicent. Obſervatum namque eſt pluries in cadaverum diſſectionibus ad colli, mammarum, aliarumque externarum partium glandulas tumefactas, præceſſiſſe malè affectas eas, quæ interiùs reconduntur in Meſenterio; Pan- V. Hipp. 6, epid. 2.

Pancreate, lumbis, cęterisque visceribus, ut alibi etiam notatum.

Quamvis autem videatur loqui Hippocrates de bubonibus sponte subortis, si tamen ex venerea lue proveniant, judicium longe diversum faciendum erit: ex ea enim, cùm prętcr materiæ depositionem, vitium in sanguine, cæterisque liquoribus, immò & in partibus solidis pręsignetur, etiam absque febre, periculo illi non vacant, nam, & dolores articulorum, exostefes, ulcera, tabes, aliaque gravissima symptomata, consequi solent, ut passim experimur.

Solent quoque bubones malignam, pestilentemque febrim ostendere, quæ absque dubio pessima est, & lethalis. Quin & non rarò ab illis mox apparentibus, febre necdùm conspicua, ægrotantes veluti repentè perierunt, ut malo fato experti sumus anno *1656.* cùm gravi pestilentia Regnum hoc Neapolitanum devastaretur. Sed hæc meminisse non juvat.

Salubriter autem ejusmodi malis occurrere expediet ope dissolventium medicamentorum, sanguinem, & viscera à labe veneni repurgantium, ut sunt omnia Bezoardica, & Alexipharmaca, spiritus theriacalis, spiritus caphuræ, & salis ammoniaci dulcis redditus, extractum ligni Aloes, tinctura Alexipharmaca, elixir vitæ Quercetani, & proprietatis Helmontii, Bezoardicum minerale, & Joviale, Mercurius diaphoreticus, idque genus alia. Glandulis verò tumefactis primùm extrahentia, ut emplastrum sodicationum Paracelsi, tum suppurantia, deindè caustica, & exedentia, tandem digerentia, detergentia, & repurgantia, erunt admovenda, ut nimirùm per eas diutulè reseratas Corpus universum, fortafsè labe infectum, inaniatur.

APHORISMUS LVI.

Febricitanti sudor superveniens febre non deficiente, malum. Prorogatur enim morbus, & multam significat humiditatem.

Sudor, ut febricitantibus prosit, debet febrim vel adimere, vel remittere; cùm autem neutrum affert, profectò malus erit: & quidem si cum aliis signis pravam febris naturam denotantibus copuletur, etiam mortis periculum minabitur; at verò si his destituatur, morbum fore longum tantummodò præmonstrabit, quippe qui ab humorum copia proficiscatur, ut hìc memorat Hippocrates. Hic Aph. scribitur etiam lib. de judicationibus.

Advertit autem Fuchsius sudorem crebrò, & assiduè repetentem esse oportere, ut multam materiam, productumque morbum prænunciet. Et quidem si semel accideret, non mirum si febris non esset desitura; considerabilis autem fit, cùm repetit, & febrim non interrumpit. Eo enim ex universo Corpore fluente, fieri nequit, quin vires langueant, & à perseverante febre magis, magisque debilitentur. Sed & idem omninò accidere poterit, si sudor semel contingens copiosus fuerit, atque universalis, nec tamen febrim præcidat; æquè enim vires infringuntur iterato sudore, ac uno, & copioso. Malus quoque istiusmodi sudor erit, quia etsi calidus, ac universalis, consentaneusq; febribus, morbum tamen non solvit: decretoria enim non decernentia mala, aut difficilis judicii.

Cùm ergo febrim sudor superveniens non interrumpit, profectò morbum longum ostendit, quippe qui is sit,

ſit, qui per ſudorem veluti per evacuationem convenientem, nec deſinat, nec intermittat, idque nonniſi à copia, & multitudine ſeroſæ ſubſtantiæ, quæ planè longiùs tempus exigit, ut ſecernatur, ac repurgetur. Præſtabit ergò ad ægritudinem hanc breviandam paulatim imminuere tantam ſeroſæ materiæ ſuperfluitatem, & quidem non ſolùm dejectoriis, præſertim hydragogis, verùm etiam diureticis convenientioribus, quæ ſanè hac in re plurimùm prodeſſe poterunt.

APHORISMUS LVII.

Qui à convulſione, aut diſtentione nervorum tenetur, febre ſuperveniente, liberatur.

FEbrim non adeò malam eſſe, ut pleriſque perſuaſum, ſed plerumque juvamento eſſe, atque plurimis ægritudinibus ſuffragari, jam alibi ex pluribus ejuſdem Hippocratis teſtimoniis demonſtravimus; ſed tamen vel ex hoc præcipuè Aphoriſmo palam fieri poteſt, quo Auctor confitetur, Spaſmum, ac Tetanum ea ſuperveniente ſanari. Sunt enim iſtæ ægritudines nervorum, & muſculorum, inductæ ab humoribus fibras eorumdem rigidas, contractas, obduratáſque reddentibus, ut proptereà motui, & flexioni incommodent; undè deſcribuntur à Medicis contractiones nervorum, ac muſculorum, ad propria capita: quàm autem febris his attenuandis, diſſolvendiſq; opportuna ſit, cuique notum. Neque verò ſolùm in ejuſmodi capitis affectionibus, ſed in cæteris quibuſcumque, in quibus digerere, diluere, ſecernere, ac repurgare opus ſit. Hinc quemadmodùm convulſiones, diſtentioneſque nervorum, ac

V. etiam in coac. prænot. 5.3.

ſimiles aliæ ægritudines febre superveniente deſinunt, quippè quæ diſſolvendo, repurgandoque vitioſos humores, remedio eſt; ita ex adverſo ſi illæ febri accidant, omninò exitioſæ ſunt, ut idem Hippocrates meminit *in Coac. prænot.* inquiens *cum febre acuta convulſiones pernicioſæ*. Sed de hac re aliàs. Aph. 26.

Inutiliter autem videntur allaborare, qui nimis anxiè exponere ſtudent, quid per convulſionem, quidque per diſtentionem nervorum, ſit hìc intelligendum, cùm ex græco codice habeatur memoratus in Aphoriſmo *Spaſmus*, & *Tetanus*, qui nonniſi nominibus differunt, altero generaliori, ſpecialiori altero; cæterùm tum parte affecta, tum cauſis conveniunt, iiſdemque ferè remediorum generibus tractari ſolent.

Quamquam autem à convulſione, & diſtentione nervorum habito febris ſuperveniens ſalutaris ſit, illa tamen neque lenta nimis eſſe debet, neque multo poſt tempore à convulſione, diſtentioneque; compertum enim non ſemel mihi eſt, febres modum quemdam non ſervantes convulſis ejuſcemodi nulla ratione profuiſſe, ſed potiùs mortem prænunciaſſe, veluti quæ ab interiori ſanguinis, & liquoris nervorum labe illata, exſolutam vitæ compagem, arguant, & lentæ admodùm tenaces ſuccos nervos infarcientes nequeant digerere. Debent itaque febres convulſis ſupervenientes neque mites omninò eſſe, neque admodùm vehementes, & moleſtæ, ſed diariarum naturam quodammodò ſapere, ut nimirùm convenienti calore, ac moderata humorum commotione hærentes in fibris nervorum ſuccos diſſolvant, & per convenientiora Corporis emiſſaria deponant; undè idem Hip-

pocra-

pocrates *in Coac.* inquit *convulfionem folvit febris fuperveniens acuta, quæ priùs non fuit, fi verò fuit priùs, jam exacerbata*; fed & paulò poftquam convulfio acciderit, febrem expedit fupervenire, impactos fiquidem humores, hebetatas partes, contractas, obduratafque nervorum, ac mufculorum fibras, non tàm facilè febris concoquere, atque ad priftinum ftatum revocare poterit, præfertim quia hujus generis humores acidi, aufterique effe folent, & cùm diuturnitate temporis concreverint, inemendabiles fiunt, quamobrem Hippocrates coac. prænot. *fect.* 3. v. 55. ait *fyderationes repentè exolutorio modo fientes, temporis progreffu febre accedente, perniciofæ funt*. Hac eadem ratione contingit membra jam pridem paralyfi refoluta difficillimè fanari, etfi magna, & efficacia medicamenta adhibeantur, quæ proximè ad febrim inferendam accedant: Procedente enim tempore adeò illa ab humoris impacti vitio hebefcunt, ut tandem veluti emortua videantur.

Sed num liceat febrim, cùm fortefortuna non fupervenit, medicamentis ad id facientibus, excitare, quæri hìc non abfre poteft. Et quidem videtur Hippocrates fuadere 2. epidem. fect. 5. ubi *fi Puerperis*, inquit, *convulfio fiat, febrem excitato*. Verùm neque tam facilè eft id agere, neque tutum, & nec ex voto fortitum pro libitu deindè arcere; femel enim inducta febris diutiùs planè hærebit, aut etiam exafperabitur, ex mala humorum, ac vifcerum habitudine: licebit autem folummodò iis remediorum generibus uti, quibus paffim experimur tenaces humores attenuari, hærentes diffolvi, atque per fudorem, vel urinam, fenfim, paulatimque deduci. Idque fortafsè crediderim, voluiffe Hippocratem fub nomine febris fignificare, cùm ejufmodi medicamenta, fudorem potiffimùm prolicientia, potentia præftent, quod à febre natura fieri confuevit. Sed de his etiam aliàs.

APHORISMUS LVIII.

Febre ardente laboranti, rigore fuperveniente, folutio fit.

Rigor febricitantibus undequaque moleftiffimus, tum ex fenfu frigoris etiam penitiores partes cruciante, tum ex univerfi Corporis ingenti, atque inæquali concuffione, qua vires plurimùm infringuntur, folet aliquando criticus, & falutaris fieri, cùm fubfequentem febrem vel interrumpit, vel terminat. Et quidem cùm poft præcedentem vitiofæ materiæ coctionem, fecretionemque, ejufdem extra Corpus propulfionem, vel per fudorem, quod frequentius, vel per dejectionem, aut urinam, quod rariùs, confequentem retrahit.

Meminit autem hìc fpeciatim Hippocrates febris ardentis, quippè quæ continens fua naturá eft, nec unquam ægrum immunem deferit, quin non raró, ut idem Hippocrates author eft, feptima die perimit; neque verò quam notham, & fpuriam vocant, fed legitimam, & exquifitam notaffe; credendum eft, cùm fine ulla adjectione illam protulerit, & cui rigor accidere poffit: conftat autem hunc nonnifi exquifitæ poffe fupervenire.

At undè poffit Rigor continenter

febrientem arripere ? Hippocrates 1. *de morbis* id ita definit: *Frigescente sanguine, necesse est & reliquum totum Corpus perfrigerari, & ubi hujusmodi quid factum fuerit, Rigor appellatur: & si quidem vehemens fiat rigor, vehementior etiam fiet tremor, nam dum contrahuntur venæ, sanguine coacto, & congelato, Corpus etiam contrahunt, & tremere faciunt; si verò minùs aliquanto sanguinis coactio fiat, hic Rigor appellatur; Horror autem dicitur debilissimus rigor*. Verùm ardens febris, vel ab eo, quod in sanguine vitiosum est, per indebitam commotionem, fermentationemque excitatur, vel etiam ex eo, quod aliundè suggeritur, & cum sanguine commiscetur. Per Rigorem autem, universalemque Corporis concussionem sæpenumerò utrumque repurgari solet, ac per sudorem, aliamque evacuationem, à sanguine secedere, & extramitti, undè postmodùm febris vel omninò desinit, vel saltem intermittit, quamobrem idem Hippocrates animadvertit: *Quibus in febribus quotidiè Rigores fiunt, quotidiè febres solvuntur*. Hinc Rigor in his est indicium futuræ solutionis per aliquam evacuationem, quam Natura moxmox tentans perficiet aliquandò, cùm & nonnunquam ipsa eadem accessione Rigoris, interdùm etiam succedentibus diebus contingat. Sic mulier, quæ decumbebat in littore *Ægra XIII. 1. epidem.* trimestri fœtu gravida nonnisi crisim passa est per vomitum, & sudorem in decimaquarta die, licèt riguerit in undecima. Qui verò in sutrina decumbebat, judicatus est cum ipso rigore in septima, 4. *epidem.* Sed & neque

Aph. 3.

Rigore solùm, verùm etiam Horrore idem contingit, ut de Nicodemo in Abderis, & de Virgine Larissæa, aliisque meminit idem Hippocrates 3. *epidem. sect. 3. ægrot. X. & XII.* neque tantùm febres ardentes, & continentes, sed aliàs quoque exindè judicatas testatur 1. *epidem. ægrot. VI.* & alibi.

Sed quid, si à Rigore, vel Horrore febris nec desinat, nec intermittat ? Profectò mali judicii signum erit: arguit enim Naturam tentare sui exonerationem, sed ex defectu secretionis, concoctionisque, non posse, atque adeò imbecilliorem fieri per Rigorem, sine spe succedentis criticæ evacuationis; hinc mortua decimaquarta die refertur 3. *epidem. ægr.* 12. *sect.* 2. quæ mulier decumbebat in mendacium foro, cùm in quarta riguisset, & bis in septima, semel rursùs in decima, bis denuò in undecima, atque semel iterùm in tertiadecima. Verendum etiam plurimùm in istiusmodi iteratis Rigoribus absque crisi, ne Cerebrum, Diaphragma, aliæque nervosæ partes metastasim patiantur ab irruente humore seroso, & acri, undè postmodùm internæ inflammationes, erysipelata, deliria, atque hujus generis alia, ut non semel in praxi sumus experti.

APHORISMUS LIX.

Tertiana exquisita septenis circuitibus, cùm longissima est, judicatur.

CUm de Rigore nuper meminisset Hippocrates, veluti futuræ judicationis indicio, isque tertianas

tianas exquisitas intermittentes speciatim comitetur, harum terminum nunc proponit, ut indè coniiciamus, quo tempore cæteris febribus continentibus ille superveniens possit criticam referre evacuationem, & salubriter easdem desituras indicare. Est autem tertiana exquisita intermittens hìc per antonomasiam intelligenda, quæ nimirùm alternis diebus invadit, in singulis accessionibus spatium duodecim horarum non transcendit, rigore incipit, sudore, vomitu, vel dejectione terminatur, præter ea, quibus ad illam internoscendam adnotavit Galenus 2. *de differ.febr.c.3.et* 1. *ad Glauconem c.5*. Septenis verò circuitibus desinere omninò dicitur, quia causam tenuem, facilèque subigibilem recognoscit, quæ sponte sua secernitur, & à reliquis humoribus repurgatur, ut aliàs ostendimus in *nostra praxi tractatu de febribus*. Cumque circuitus alternatim repetant tertio quoque die, proindè fit, ut ad summum, non, ut plerique putant, XIV. sed potiùs XIII. die, qua septima accessio recurrit, penitùs terminetur; ni tamen error aliquis contingat, aut ex parte Medici importunè medicamenta præcipientis, vel ex parte ægrotantis, qui fortasse in sex rerum nonnaturalium usu deliquerit.

V. Gal. in cõm.

Sed, *ut tardissimè*, inquit, *judicatur*; nam fieri potest, ut etiam antè hoc tempus desinat, puta quarto, quinto, aut sexto circuitu, seu septima, nona, vel undecima die, pro corporum affectorum varietate, & humoris febrem foventis, fortasse parcioris, ac benignioris, faciliori resolutione; quamobrem rectè dixit extremum illius terminum esse septimum accessionis reditum, cùm scilicet nullo artis auxilio interrupta, sponte sua, ut consuevit, procedit; si enim ope antifebrilium medicamentorum, quemadmodùm nostra ætate fit, usu Corticis Peruviani, ejus impetus infringatur, & periodicum fermentum hebetetur, profectò citiùs esset abitura, sicut jam nunc passim experimur.

Verùm quod hic septimo circuitu, ut tardissimè, tertianam febrim desituram inquit, in *Coacis prænotionibus*, ad nonum protulit; ibi enim: *Tertiana exquisita in quinque, aut septem circuitibus, aut ad summum in novem judicatur*, fortasse ex mala habitudine Corporis patientis, ex abundantiori, consistentiorique humore, ex inclementi tempestatum constitutione, aliave de causa, quæ illius solutionem retardare queat. Hinc putaverim finem tertianarum hìc ab Hippocrate recensitum plerumque intelligendum, cùm pro rerum, causarumque in id concurrentium varietate, & ocyus, & seriùs, & faciliùs, & difficiliùs, desinere possint; quemadmodùm easdem experimur modò simplicibus, levioribusque, modò plurimis, & gravioribus symptomatis stipari.

APHORISMUS LX.

Quibus in febribus aures obsurduerunt, sanguis ex naribus fluens, aut alvus turbata, solvit morbum.

ETsi anteà Aphorismo XXVIII. scripserit surditatem desinere supervenientibus biliosis dejectionibus; hìc tamen non per dejectionem solùm, sed è naribus hæmorrhagiam, si febrientibus accidat, eamdem, neque jamdiù genitam, stabilemq; sed ipso febris decursu inductam, à metastasi peccantis humoris solu-

tum iri docet. Idipsum expressiùs retulisse videtur *libr. de judicationibus* inquiens: *Quibus in febribus aures obsurduerunt, his, non soluta febre, insanire necesse est. Solvit autem sanguis ex naribus erumpens, aut alvus biliosa egerens, aut dysenteria accedens, aut coxarum, aut genuum dolor*. Hinc autem colligere est oportere febrim desinere, vel saltem multùm mitescere, cùm subindè aures obsurduerint, translatione scilicet humoris in organa aurium, & præsertim in eam auditionis semitam, quæ Tympano attigua est, atque in glandulas auribus circumjacentes, undè postmodùm in alvum is ferri possit; Si verò febris exindè non solvatur, delirium accidit, perturbato potiùs per humoris metastasim Cerebro, adigente, commoventeque non leviter febre superstite, quam sanè subsurditas veluti novum symptoma sequetur, haud verò ut criticus abscessus judicabit; delirium autem si non vocis, saltem mentis erit. Porrò id cum surditate solvetur, aut erumpente affluenter è naribus sanguine, aut diarrhęa, vel dysenteria superveniente, aut translato in coxas, vel genua humore aures occupante, undè postmodùm in his dolor, & fortassis etiam tumor sensibilis, ut in cæteris judicatoriis abscessibus fieri solet. Quòd autem fluens è naribus sanguis Cerebri sensoria gravata, & malè affecta levet, atque alvus soluta surditatem adimat, jam cunctis notum, estque à nobis latiùs anteà demonstratum in expositione *Aph. XXVIII.* Advertere hinc modò est, non dixisse Hippocratem solvi ex ejusmodi evacuationibus febres ipsas, sed morbum, cum scilicet, qui ex metastasi aures in surditatem, & Cerebrum in insaniam deduxerat.

APHORISMUS LXI.

Febricitans, nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet recidere.

Dubitat *in comm.* Galenus, sitne reverà hic Aphorismus Hippocratis, an à quopiam alio intersertus; *siquidem is*, inquit, *non modò die quartodecimo multos vidit judicatos, sed etiam in vigesimo, & quadragesimo, & sexagesimo, & octuagesimo; ipsi verò judicant, & vigesimaquarta, & trigesimaquarta, & ab initio protinus quarta.* Sed cùm alibi idipsum omninò scriptum sit ab Hippocrate præsertim verò 2. *epidem. si non die impari febris dimittat, reverti necesse est.* Et in *Coacis prænotionibus*: *quibuscumque desinunt febres non in diebus judicatoriis, his recidivæ fiunt*: profectò ad alium, quàm ad Hippocratem, sententiam hanc referre, nefas. Sed tamen quæ commentatus est Cardanus, ut eamdem generalem faceret in febribus quibuscumq; non tanti sunt, ut mereantur assensum; quin in plurimis is ab Argenterio redarguitur, quippè qui in decretoriis diebus colligendis, reducendisque ad septenarios, sophistam sapiat. Quamobrem pręstabit in aliorum Interpretum sententiam concedere, qui cum Galeno pro imparibus judicatorios substituunt; vel cum Philotheo ad acutas tantùm febres mentem Hippocratis contrahunt. V. 3. progn. & 2. Aph. 24.

Verùm cùm à nobis aliàs ex eodem Hippocrate sit ostensum, quemlibet diem sive imparem, sive parem, criticum esse posse, si cum signis coctionis conjungantur, & causæ morbificæ motionem, evacuationemque comitetur, planè hunc Aphorismum referre licebit ad eas tantùm febres,

quæ

quæ diebus imparibus suos paroxysmos proferunt, aut in iisdem exacerbantur, cujusmodi sunt tertianam periodum iterantes, sive simplices, sive duplices; Sed enim scribitur 1. *epidem. sect.* 3. *Quæ paribus diebus exacerbantur, paribus judicantur*; undè credere decet voluisse hìc solùm eas febres memorare, quæ circuitum subeunt per dies impares, cæteroqui inter acutas frequentiores. Porrò constat apud omnes iis diebus febres omnes judicari, in quibus accessiones incutiunt, nam quibus crisis imminet, nox præcedens molesta fit, nec unquam visa est crisis in die à febre vacuo, aut absque magna colluctatione Naturæ cum morbo, & causa morbosa; & licèt decimaquarta dies in acutis dicatur critica, revera tamen crisis accidit in fine accessionis tertiædecimæ diei, quę cùm soleat ex impetu paroxysmi, ob maximam morbificæ causæ commotionem, molestior fieri, atque ex conatu Naturæ crisim promoventis in longius tempus produci, fit propterea, ut beneficium criseos reluceat in decimaquarta die, cùm victrix Natura, morbosa causa depulsa, immunis à febre remanet: Atqui accessiones febrium intuiti, sæpissimè quoque experimur, in septima accessione febrim finiri, quamvis illa ad decimamquartam diem extendatur, ex motu nimirùm ejusdem febris in suis repetitionibus quodammodò variantis, & paroxysmos postponentis; equidem, ut alibi meminimus, oportet non dies, sed accessiones intueri.

Cùm igitur febres desinunt in iis diebus, in quibus accessio vel nulla fit, vel levis, & admodùm remissa, de illarum reditu plurimùm verendum, quippè quæ desinant absque crisi, sive morbificæ causæ evacuatione; hæc autem, ut dictum, nunquam accidit sine vi, atque impetu ejusdem, sese vehementiùs commoventis, & Naturæ propellentis ad consueta Corporis emissaria; idcircò cùm adhuc intus remaneat, procul dubio febrim denuò excitabit, nam quæ relinquuntur in morbis recidivas facere consueverunt.

Verùm dixit Hippocrates, *solet recidere*; non enim est omninò necesse, ut febricitans recidat, cùm à febre evaserit in die non critico, aut impari, & absq; crisi: expertum enim pluries est, desiisse febres citrà quamcumque evacuationem, & absq; vehementi Naturæ commotione: an quia iteratis egestionibus per singulos præcedentes paroxysmos solutionem sensim passæ sunt; an quia modicus, exiguusque humor illas fovebat, qui insensibiliter difflatur; an etiam quia antifebrilium medicamentorum usu pedetentim extenuatus, edomitusque est; nisi verò aliò translatus, & è primigenia conditione mutatus, aliam morbi speciem excitet, ut in abscessibus.

APHORISMUS LXII.

Quibus in febribus morbus Regius antè diem septimum accidit, malũ.

Mirum sanè est, quàm sit Hippocrates ex hoc Aphorismo reprehensus, quòd in eo sententiam protulit vel erroneam, vel saltem non ubique veram. Plinius enim *lib.* 26. *cap.* 12. illum falsitatis arguit, cùm se scire fateatur *vixisse aliquos ab hac desperatione*. Averroes etiam *lib.* 4. *collect. cap.* 43. in suis Regionibus idipsum experientia reprobatum contestatur. Sed & Galenus quoque *in comm.* 81. *super* 4. *de ratione victus in acutis*, consimilem ferè

V. etiam libr. de judicationibus, ubi morbus regius, & singultus in ardēte 5. die: lethale dicitur.

sententiam interpretatus, quodammodò etiam Hippocratem sugillat. Quem textum exponens Prosper Martianus, ut veritati istius Aphorismi pariter consuleret, voluit hìc adiiciendum esse *sine rigore*, nam si fortasse cum rigore Icterus accidat antè septimum, salutarem putat.

Verùm meminisse juvat eorum, quæ à nobis dicta sunt *in nostra Practice cap. de Ictero*, sæpissimè illum fieri prætertim in acutè febrientibus, à sanguinis vitio ex corrumpente veneno, & à lympha vitiata lixivii conditionem adepta, ut quemadmodùm à vipera demorsis accidit momento ferè temporis flavescere, serpente nimirùm brevissimè per totum Corpus veneno, atq; universum sanguinem corrumpente; ita febris pravitate à consimili humore sanguinis diathesim invertente, verisimile admodùm est Icterum morbum in ægrotantibus proficisci. Neque verò credere fas est voluisse hìc, Hippocratem Regium morbum commemorare, qui ex Jecoris inflammatione, scirrho, obstructione, ac duritie fieri putatur. Nam, præterquamquod ejusmodi morbi sæpesæpiùs visi sunt nullum planè Icterum attulisse: & contrà hic visus est pluries ab omni Jecoris vitio alienus, de his adhuc sejunctam orationem idem Auctor habet *Aph.64. huius*, & *Aph. 42. sexti*, ubi ab affecto Jecinore Icterum memorat. Hìc autem ejus dumtaxat meminisse videtur, qui citrà viscerum læsionem à solo sanguine per febrim commoto procedit; cùmque is criticè prodire nequeat in tàm brevi temporis spatio, quo secretio fermenti febrilis nondùm facta est, meritò calamitosus ab Hippocrate existimatur. Atque hinc planè fit, cur febrem solvere ipse dicat *c.4. de rat. vict. in acutis*, si cum rigore conjungatur; absque rigore verò exitialem esse, si præsertim accedat intempestivè, quóniam per rigorem motus Naturæ criticus designatur, qui febrile fermentum à sanguine repurgat, atque ad Corporis habitum deponit; at verò absque rigore, is omninò symptomaticus habebitur corrumpentis veneni malitiam arguens.

Quamquam autem plerumq; accidat malè cedere febrientibus Icterum antè septimum; fieri tamen potest, ut prævalente Natura, etiam antè septimum repurgatio illa, quæ in sanguine à fermento maligno, desideratur, commodè, & salubriter habeatur, ut in suis Regionibus calidioribus fatetur Averroes: multùm enim variant morbi pro climatum varietate, & qui alicubi longiores observantur, fiunt alibi breviores, beneficio Aeris, ciborum, & potuum natura meliori, aliisq; de causis. Quamobrem cùm Icterus acritatem, tenuitatemque humorum consequatur, & hi promptiùs secernantur, ac difflentur sub cælo æstuosiori, quàm frigidiori, quemadmodùm faciliùs æstate, quàm hyeme, idcircò fit, ut in Regionibus calidis citiùs, atque antè septimum, in frigidis seriùs ille febrim judicet: Porrò Hippocrates (ut aliàs animadvertimus) ea posteris tradidit, quæ observavit, & frequentiùs accidisse vidit. Neque verò in hoc Aphorismo dixit, exitialem esse morbum Regium antè septimum, sed tantummodò malum; quippè negari non potest, quòd lateat in sanguine tantæ commotionis, ac fermentationis incitamentum, ut illum, cæterosq; liquores tumultuariè perturbet. Quòd si præterea Jecoris phlogosim, aut phlegmonem erysipelatodem consequatur, nedùm malus, & calami-

V. hist. Philist. 7. epid.

lamitosus, sed planè exitialis dicendus erit, non quòd omninò perimat, sed quòd plerumque perimere consueverit: nam ex eodem Hippocrate 1. *epidem. const.* 3. habetur. *Quibusdam morbus Regius accidit sexta die. Verùm bis purgatio per vesicam, aut alvus exturbata profuit, aut larga sanguinis eruptio, velut Heraclides, qui decumbebat apud Aristocydam, nam huic & naribus sanguis erupit, & alvus turbata est, & per vesicam purgatus est, vigesima die judicatus est; non velut Phanagoræ servus, cui nihil tale factum est, & mortuus est, &c.*

V. etiam Histor. Hermocratis ægr. 2. 3. epidem.

Cæterùm rectè quidem advertit Galenus *in comm.* morbum Regium antè septimum malum esse, sed non tamen post septimum periculo vacare, si præsertim cùm delirio conjungatur; ut propterea jure scriptum sit ab Hippocrate *Aphor.* 64. *bujus*: *quibus in febribus morbus Regius septimo, vel nono, vel undecimo, vel quartodecimo supervenerit, bonum, nisi dextrum hypochondrium obduruerit; si verò non, malum est.* Cùm enim ex inflammatione Jecoris, vel cystis felleæ oritur, quocumque tempore accidat, semper malus. Atque hinc patet, de Ictero hìc meminisse Hippocratem, qui febribus accidit ex solo sanguinis vitio, citrà cujusvis visceris obstructionem, aut tumorem; in Aphorismo verò LXIV. sequenti, de eo etiam, qui ex malè affecto Hepate procedit. Verùm si dextrum hypochondrium non obduruerit, & à sola febre Icterus proficiscatur, nisi crisis conditionem referat, & sanguinis repurgationem consequatur, adhuc malus erit, cùm evacuationes quæcumq; non tempora, aut dies ægritudinum, sed criticum Naturæ secernentis motum, ut salutares sint, consequi debeant.

Pro Coronide tandem hìc non diutiùs reticebo Aquam illam *ex albo albi, cap. de Ictero*, à nobis memoratam, fieri ex albumine ovi, quousque in spumam abierit, conquassato, & cum aqua graminis, vel fontis permisto, adjecto saccharo candido ad gratiorem potionis saporem. Hæc autem mane, & vespere, jejuno stomacho, ad uncias quatuor pluries exhibita, mirum quàm tutò, feliciterque Icterum quemcumque sanet, etiam ubi cætera non profecerint: quod sanè millies expertum.

APHORISMUS LXIII.

Quibus in febribus quotidiè Rigores fiunt, quotidiè febres solvuntur.

Rigorem in febribus periodicis succedentis intermissionis indicium esse docet hoc Aphorismo Hippocrates, ut qui semel nonnumquam incidens in febre continenti, post signa coctionis, illam omninò judicet, si in cæteris quotidiè recurrat, illarum saltem singulares paroxysmos terminet, atque ab aliis succedentibus interrumpat, quemadmodùm in tertianis febribus, sive simplicibus, sive duplicibus, passim experimur.

Quamvis autem acriter plerique disceptent, an Rigor propriè causa dici debeat ejuscemodi intermissionis in febribus, an verò potiùs indicium, de re tamen mihi videntur vel levissima movere altercationem; nam utrumque, vel alterutrum si dicatur, parùm ad medicinam faciendam intererit. Et quidem esto sit causa, per universalem Corporis concussionem, qua noxiùs humor febrim excitans à sanguine repurgetur, ut vult Galenus; vel ut indicium, denotans accessionem illam

jamjam

jamjam iri terminatum, ut plerique alii arbitrantur; profectò non tanti erit, ut peculiaris de illo ratio habenda sit, quin simul febrim ipsam, cujus symptoma præcipuum est, non æquabiliter respiciat. Verumtamen quoniam in istiusmodi febribus intermittentibus, quas rigor anteit, fermentum febrile sanguinem in motum fermentationis indebitum adigens, extraneum est, atque à visceribus naturalibus accedit, rationabilius videtur illum indicem, non opificem intermissionis appellare. Cùm enim sanguis indebitè fermentescit à dissentaneo humore, aliundè suggesto, undè frigora, & rigores ineunte paroxysmo, argumento est, iterata circulatione seipsum pedetentim repurgaturum, atque in propria secernicula, immò in patentiora emissaria, quod alienum, vitiosumque est, depositurum, ut alibi demonstravimus. Hinc Rigor præcursor est intermittentium febrium, & cùm continuis, aut continentibus supervenit, illas pariter interrumpit, sin secùs, malignitatis nota est periculi plena, ut anteà dictum.

Non est igitur, ut se tantoperè torqueant hic Commentatores in divinando, num Hippocrates propriè Rigores, an potiùs frigora voluerit intelligenda, comprehendendi ergo cæteras quoque febres quotidianas, semitertianas, duplices tertianas, duplicesque quartanas. Nam indefinitè eas memorat, quæ rigoribus arripiunt, quemadmodùm *libr. de judicationib.* inquit: *quibus febribus Rigor accedit, febris solvitur:* Ideft singularis illa accessio, quæ Rigorem prodromum sortitur; ut propterea sicuti continuis superveniens Rigor paroxysmum illum interrumpit; ita intermittentibus, quotidiè recurrens, quotidianas accessiones infringit, & terminat. Quia verò non omnes quotidianæ febres, idest quotidiè repetentes, rigoribus socientur, ideò fit, ut non omnes ad ἀπυρεξίαν, seu quietem febre vacantem, revera perveniant, cùm adhuc febres illæ quotidianæ, fieri putatæ ab humoribus phlegmaticis, accessiones tam longas sortiantur, ut vix ægrum à febre immunem deserant, veluti Galenus ipse testatur. Verùm quid de his verisimiliùs liceat existimare, jam à nobis latè dictum est de febribus *in Praxi*: Cùm & ipsemet Hippocrates plerasque omnes febres ex bile oriri crediderit, quasi verò ab uno, eodemque humore, diversimodè tamen affecto, aut cum aliis succis commisto, varias parere possit febres, atque pro ejusdem collectione, & ad fermentescendum promptitudine, citiori, vel tardiori, nunc quotidiè, nunc verò alternis diebus, & ultrà, repetentes efficiat. Sed tamen advertere decet, speciatim voluisse Hippocratem admonere, quam utilitatem sint febrientes ex rigoribus suscepturi, ut etiamsi quotidiè febribus divexentur, algeant, & vehementer concutiantur, per Rigorem tamen, quietem febre vacantem, & ἀπυρεξίαν nanciscantur, qua omni periculo se exemptos credant. Hinc de Rigoris beneficio monitos voluit Medicos, & ægrotantes, nihilùm intereà reliquarum febrium, aut symptomatum illas comitantium sollicitus, sive intermittant, an non, & sive periodo quotidiana, tertiana, aut quartana, redeant. Cæterùm usus est voce solutionis, non judicationis: Nam reverà febris ipsa integrè non finitur (aliter minimè rediret) sed solùm accessiones illæ repetentes singillatim desinunt, & humores fermen-

V. Brasavolum, & Fuchsium hic.

V. lib. de Natura humana.

mentationem indebitam in sanguine excitantes in singulis paroxysmis solvuntur, tametsi ab aliorum suggestu, novi, & novi ingruant; at verò non plures in una, eademque die, ut in febribus subintrantibus dictis evenit, etenim *quotidiè* inquit, idest semel in die, sed iteratò in succedentibus diebus, ne fortè inter initia febris solùm, Rigor invadat, nec deinceps repetat, velut in continuis mali moris. Quamquam duplex tertiana intrà unumquemque diem bis affligens, rigore si inchoet, etiam aliquandiù intermittat.

Quod de Rigoribus hìc tradidit Hippocrates, licebit pari ratione ad Horrores extendere. Siquidem duplices, triplicesque quartanæ horrore prodromo invadentes ad ἀπυρεξίαν quoque deveniunt, & in singulis accessionibus solvuntur; ut propterea non semel datum sit, illas iteratò usu Corticis Peruviani, aliove simili medicamento, pro re nata, sigillatim salubriter fugasse, quemadmodùm ad tertianas fieri consuevit. Quomodò autem istæ, sicut pariter Rigores, & Horrores intersese differant, dictum est à nobis in parte Medicinæ practica.

APHORISMUS LXIV.

Quibus in febribus morbis Regius septimo, vel nono, vel undecimo, vel quartodecimo, supervenerit, bonum: nisi dextrum hypochondrium obduruerit; si verò non, non bonum.

Rectè quidem advertit Galenus, meliùs fuisse, hunc, qui nunc scribitur, Aphorismum, illi fuisse conjunctum: *Quibus in febribus morbus Regius antè diem septimum accidit, malum*, ut totus sermo talis fiat: *Antè septimum quidem diem morbum accidere regium, malum omninò; post septimum verò bonum, nisi dextrum hypochondrium obduruerit*: nam absque ordine videtur hìc interjectus. At hoc non multum refert. Id verò magis intererit, morbum Regium hìc recensitum pertinere potiùs ad Jecoris affectionem; ut proindè sensus sit, illum à septimo deinceps febrientibus supervenientem, meliorem esse, utpotè qui probabiliùs sanguinis repurgationem consequatur, nec corrumpentis veneni malitiam arguat, sed secernentis Naturæ vim, & efficacitatem. Conferendus autem huic est alius Aphorismus ex Coacis prænotionibus (undè hic planè desumptus est) sententiam procul dubio clariorem reddens: ibi enim scribitur: *Morbus Regius ante septimum diem accedens, malum. Septimo verò, ac nono, & undecimo, ac decimoquarto, judicatorius est, si non precordia induret; sin minùs ambigua res est.* Nam si fortasè ex Naturæ repurgantis motu, felleus humor in cystim quoque plusquam deceat, irrumpat, & tumorem, inflammationemque pariat, profectò ex istius malitia, pessimi morbi indicium erit. Quamobrem inquit, *si non præcordia induret*, quasi verò is causa sit ejuscemodi tumoris, & inflammationis. Quod si Icterus veluti symptoma dextri hypochondrii inflammationem potiùs consequatur, planè pessimus existimandus erit, tanquam pejoris morbi testimonium, nec absque veneni corrumpentis malitia, per quam habitus Corporis universus colore ad croceum, cum virore commistum, inficitur. Verùm cùm Hippocrates adnotaverit hanc coloris ad cutim translationem à septimo per dies indices, aut judices, suspi-

Marginal notes: In cõm. — Idẽ ferè lib. de judication. — V. 3. de morbis.

ſuſpicandi anſam præbet futurum in his Icterum, veluti à febre, non ab Hepatis inflammatione, oriundum, ut propterea voce uſus ſit generaliori, duritiei, ſeu duri tumoris in hypochondrio dextro: durities autem nedùm inflammationi, ſed etiam obſtructioni, & ſcirrho convenit. Sed hæc non tanti ſunt, ut ſententiam aphoriſticam invertant: nam,ut anteà dictum, quælibet Hepatis ægritudo quocumque tempore contingentes per ſe perpetuò mala eſt, ſecluſo morbo Regio.

Si verò, ſubdit, non in his, ſed in aliis à ſeptimo diebus, intrà decimumquartum Icterus accidat, non bonum; nam reverà malum adeò non eſt, ut de diebus antè ſeptimum anteà dixerat, nec ex altera parte bonum, quia fit in diebus, in quibus Natura movere per criſim non ſolet, cùm nonniſi per dies acceſſionum, cujuſmodi in his generibus febrium ſunt impares, in morbum, cauſamque morbi, impetat; quamobrem phraſi clariori ſcripſit *in Coacis prænotionibus*; *ſin minùs, ambigua res eſt*: ut nimirùm ſignificaret, ancipitem indè futurum eventum, ſaltem ægritudinis diuturnioris, aut in deteriorem, puta hydropem, permutatæ. Ultrà decimumquartum diem non meminit, fortè quia de Ictero in acutis febribus ſermonem habendum voluit; at non ideò, ſi ultrà hoc tempus febrientibus contingat, omninò bonus, ſi à Naturę expellentis motu, poſt coctionem, ſecretionemque non oriatur, quamvis deinceps malitiam ſemper diminuat; attamen rarenter accidit Icterum ſupervenire febribus in longum productis, modò alias ægritudines non arceſſant, vel in deteriores commutentur. Cæterùm etiam abſque febre, *morbo Regio laborantibus*, *Hepar durum ſi fiat, malum eſt*, 6. *Aph*. 42. tunc enim durities Jecoris ſequitur Icterum; & periculum non ex Ictero naſcitur, ſed ex Jecinoris duritie, ac tumore, qui ſemper malus: ſiquidem ſcirrhum, cachexiam, hydropem ſive humidum, ſive ſiccum, alioſque graves morbos minatur. Spes autem ſalutis aderit, ſi ſubindè ſponte ſua per alvum, aut per vias urinæ, vel etiam per hæmorrhagiam vitioſus humor egeratur, ut accidit Heraclidi 1. *epidem.c.*

APHORISMUS LXV.

In febribus circà Ventriculum fortis æſtus, & cordis morſus, malum.

Videntur hæc duo hìc ab Hippocrate memorata, cum acutis, continuiſque febribus conjuncta, inflammationem præmonſtrare imminentem in iis præſertim partibus, quæ Ventriculum, ejuſque orificium ſuperiùs circundant: illa autem eryſipelatis potiùs conditionem referet, undè major acritudo, morſus, & vehemens æſtus oriatur. Anatome enim pluries compertum, ejuſcemodi malorum cauſam extitiſſe excitatas circà Stomachum, aut Pylorum, inflammationes, itemque in Hepatis lobo, qui Ventriculo ſuperincumbit, in Omento, in Pancreate, immò etiam in exteriori Ventriculi membrana, ut proindè ęgrotantes brevi vita defuncti ſint. Sed & non raro etiam contigit hęſiſſe in his partibus acres quoſdam, virulentoſque humores, qui non tam mole,aut copia, quàm pravitate nocerent, & nervos, qui plurimi per eaſdem partes ſparguntur, acriter compungerent, & laceſſerent. At hæc profectò nonniſi in acutis febribus fieri poſ-

possunt, quas plerique non irrationabiliter existimarunt, numquam ab internis inflammationibus, vel ab hærentibus humoribus in apicibus arteriarum, esse subjunctas. Cùm autem in febribus ista copulantur, palàm est fieri non posse ægrotantes non periclitaturos. Sive ergo Κοιλίην Ventriculum, sive inferiorem Ventrem interpretemur (cùm utriusque dolores magnificiat Hippocrates in Coacis prænotionibus) idem omninò timendum erit; quamquàm Cordis morsus, in græco codice Καρδιωγμὸς si pro stomachi dolore exponatur, minus periculum arguat, quàm si Cordis motus palpitationi similis intelligatur; quippè hæc longè deterior putanda est, veluti proximior Cordis affectio, atque eo magis, quo acutis, continuisque febribus sociatur, veluti disparis omninò conditionis. Atqui malum, inquit, non lethale: siquidem etsi ista periculum vitæ minentur, non tamen spem salutis adimunt, ut de malignis febribus, quibus hæc plerumque accidunt, scripsit alibi Galenus. Verumtamen si partium extimarum frigus accedat, omninò exitiosum; ut anteà dictum.

APHORISMUS LXVI.

In acutis febribus convulsiones, & circà viscera dolores vehementes, malum.

Convulsionem febri supervenientem pejorem asseruit Hippocrates 2. *Aphor. 26.* nunc verò simpliciter malam ait; fortè quia hìc iteratas, & pluries invadentes intelligit, neque unius tantùm partis, sed totius, jam anteà acuta febre correpti, cui etiam circà viscera dolores vehementes accidant. Sed gravius profectò est, quod scribit *in fine libri de judicationibus*, ubi: *si à febre detentum convulsio corripuerit, sedatur febris eadem die, aut postridie, aut tertia die*. Et *libr. Coac. prænot. Convulsio in febre fiens, sedat febrim eadem die, aut postera, aut tertia*. Undè non videtur tam mala convulsio acutis febribus contingens, quemadmodùm in hoc Aphorismo memoratur. Verùm si perpendantur, quæ ibidem Hippocrates adnotavit, nullo negotio hæc diluentur. Is enim paulò antè inquit: *Convulsio in febre fiens, & eadem die desinens, bona est*, & mox; *si verò tempus, in quo incæpit, transgrediatur, & non desinat, malum est*. Quare tunc convulsio febri superveniens bona est, cum eadem die desinit, cùm autem tempus istud transgreditur, omninò mala. Si præterea repetat, aliisque ægritudinibus societur, veluti hoc loco referuntur vehementes circà viscera dolores, procul dubio nedùm mala, sed exitialis existimanda erit. In coac. prænot.

Et quidem vehementes viscerum dolores fieri nequeunt, nisi ab humoribus acribus, acidis, aculeatis, partes præsertim membranosas, & nerveas lancinantibus, qui per febrim acutam impensiùs irritati convulsiones planè molestissimas excitant, quamobrem non immeritò eas cum viscerum doloribus conjunxit in hoc Aphorismo Hippocrates, ut vel ex hoc coniiceremus ab his easdem profecturas; & quamvis perpetuò malæ putandæ istæ sint, pejores longè tamen erunt, si ad febres acutas consequantur, quippè quæ nedùm viscerum, sed & totius sanguinis diathesim vitiatam designent, quam etiam per convulsiones iteratas nervorum liquor non dissimiliter comitabitur. Verumtamen malum solum-

modò dixit, non lethale; quandoquidem possunt quoque febrientes ab utrisque tutò evadere, si nimirùm vitiosi humores ferantur in alvum, aut vesicam, & criticè, ut moris est, egerantur: quo sanè modo lactentes vidimus sæpiùs liberatos, qui cùm à lacte in intestinis concreto acerbè simul ventre dolerent, febrirent, & convulsionibus corriperentur, soluta posthac alvo, in pristinum salutis statum fuere restituti.

APHORISMUS LXVII.

In febribus ex somnis pavores, vel convulsiones malum.

Aph. 1.2. Alias meminimus, somnum Animantibus concessum, ad levamen, & quietem Corporis, & Animi, ubi potiùs laborem afferret, & lassitudinem, lethalem eventum portendere, ex Hippocrate, nunc verò si pavoribus interrumpatur, malum dicitur, in febrientibus acutè. Accidit enim sæpenumerò illos absq; ulla externa causa inter dormiendum frequenter exterreri, immò neque ex phantasmatibus horrificis, aut somniis tumultuosis, è genere terriculamentorum, expavescere, idque toties, quoties sopore arripi contigerit. Subitos autem istos, repentinosq; à somno timores, quamvis plerique ad Cerebri læsionem retulerint, quasi verò vaporibus melancholicis, aut atrabilariis suffundatur, quia tamen quæsiti de his terriculamentis ægrotantes nil se visum passos conqueruntur, cùm cæteroqui nec somno reipsa, in quo insomnia, capiantur, putaverim ego illos oriri ab irritamento potiùs pravorum humorum circà præcordia restagnantium, quibus nerveæ illorum partes lacessitæ quodammodò convellantur, & Cerebrum excitent cum terrore, ob concussionem, exagitationemq; fibrarum nervearum, & liquoris easdem irrigantis. Equidem ejuscemodi pavoribus sæpissimè puellos affici experimur cùm à lacte coagulato, & acido febricitant; quod cùm Ventriculo, & Intestinis infensum fiat, nec promptè egeri possit, partes istas in illis exquisito sensu præditas vellicat, & lacessit, adeòque repentinas expergefactiones, & pavores inducit. Idipsum à vermibus etiam pati solent, undè est, ut huic malo indiscriminatim nostrates fœminæ occurrere satagant remediis lumbricos enecare creditis. Modò quis unquam in his Cerebrum ferietes humores, aut vapores melancholicos effinget? nisi melancholicos cum acidis confundat. Atqui contingunt plerumq; ex somno (si tamen verus somnus is sit) punctiones istæ, quoniam per id tempus laxatæ quodammodò nervorum fibræ, magisque hiantes poruli faciliùs admittunt, qui ex acidis, pravisque succis fermentescentibus halitus, vaporesque infensi quaquaversum diffunduntur. Hinc ad convulsiones non irrationabiliter ejusmodi repentinos ex somnis pavores referrem, inductas tamen non ex affecto nervorum principio, sed ex horum apicibus, fibrisque proritatis. Qua fortasse ratione Hippocrates cum his junxit in Aphorismo convulsiones, nimirùm ut eas febrientibus malas pronunciaret, quæ veræ convulsiones sunt à Cerebri vitio proximo, & quæ à sola, atque interrupta irritatione fibrarum nervearum in partes desinentium. Porrò in veris convulsionibus proximè Cerebrum, & principium nervorum afficitur à vitiato illorum liquore in acidum pariter degenerato; undè & hæc,

hæc, & graviora mala proficisci facilè est. Sive ergo illæ oriantur ab acido liquore, nervorum principium afficiente, sive ab humoribus circà præcordia restagnantibus, & partes sensu præditas vellicantibus, semper malum, designata nimirùm malitia, tum à pravis humoribus, tum à partibus affectis. Quod si somnus majori ex parte, vel suavis, vel molestus provenit, ex benè, vel malè affecto Ventriculo, & adjacentibus visceribus, ut Helmontio non sine ratione visum est, planè cùm in his partibus pravi succi hærent, fieri nequit, quin turbulenti somni fiant, & pavoribus interrupti.

APHORISMUS LXVIII.

In febribus spiritus offendens, malum: convulsionem enim significat.

lib.2.c.7. ID hìc significat spiritus offendens, sive spiritus in faucibus elisus, ut vertit Celsus, ac Respiratio subsistens, & interrupta, quemadmodùm ex eodem Hippocrate deducitur 2.*epid.sect*.3. & 6.*epid.sect*.2. & quidem tum in inspiratione, tum in exspiratione, ut adnotat Galenus *in comm.* Id autem passim accidit pueris ejulantibus, & suspiriosis, plerumque ex angustia spiritalium organorum. Hanc autem interruptam Respirationem in febricitantibus, instantem convulsionem arguere, atque adeò malam esse, monet hìc Hippocrates, veluti quæ fiat à languente vi musculorum Thoracem, & Diaphragma attollentium, ac deprimentium pro Respiratione; illi verò, cùm motus suos peragant ope nervorum, quandocumq; deficiant, hos quoque fatiscere designant: & quidem in febribus à vitiato, exsolutoque liquore, qui nedùm illos haudquaquam convenienter irrigat, & confirmat, sed potiùs inficit, & perturbat; undè etiam non rarò anxietas, angor, & cordis tremor, cum pulsu inæquali: semper autem ac sanguinis vitio ex febribus indicato, per indebitam ejusdem ab extraneo humore fermentationem, accedit quoque liquoris nervei malitia, procul dubio non solùm dubius eventus, sed omninò perniciosus pertimescendus est; quandoquidem partes cunctæ Corporis ab his proximius robur adipiscuntur, suasque exerunt operationes; quin immò Cor, & Vita ipsa sustinetur. Quamobrem ipsis à consueta, naturalique constitutione permutatis, depravatisque, necesse est reliqua omnia non dissimiliter titubare,

V. Gal. 3.de diffic. resp. 9 & 6. Aphor. còm. 54.

APHORISMUS LXIX.

Quibus, adhuc febricitantibus, urinæ sunt crassæ, grumosæ, paucæ, multitudo earum tenuis superveniens juvat: præcipuè verò tales veniunt, quibus ab initio, vel non ita multo post, sedimentum inest.

URinas in posterum considerat Hippocrates cum excretorum in illis varietate, ut exindè, quoad fieri potest, coniiciamus, quænam in febrientibus meliores, pejoresque dici queant, cùm febrilium fermentorum mutationem consequuntur, quippè non semper è liquoribus cum sanguine commistis procedunt, neque perpetuò serum illud referunt, quod cum sanguine circumfluit, atque ejusdem vasa, partesque cunctas Corporis pervadit, sed sæpenumerò à cibo, potuque nuper assumpto, à Sacco lacteo, & ductibus chy-

Idem dicitur in coac. prænot.

chyliferis, à glandulis Mesenterii, & vasis lymphicis, atque à visceribus hypochondriorum, per compendiosiores vias, recta in renes, & vesicam fertur; unde dubias profectò, & infideles notas ex illa elicere cogimur, idque potissimùm in iis, qui peculiari quadam constitutione varias perpetim, differentesque urinas proferunt, & quandoque à consueto hominum alienas. Cùm ergo à sanguinis sero prodeunt urinæ, atque à fermentis partium vitiatis secernuntur, observandas verisimile est hìc Hippocratem voluisse, prſertim in febribus, quandoquidem in his, per indebitam sanguinis fermentationem, plerumq; solent cum serosis ejusdem portionibus aliæ impuritates per vias urinarias repurgari, ideòque quę penitùs latent, quodammodò denunciare.

Quibus itaque non sine febre, inquit, urinæ sunt crassæ, & grumosę, sed paucæ; si contingat tenues deindè fieri, & affluentiùs profluere, proderit. Pro crassis, grumosisque intelligit, quæ commistam, compactamque simul referunt serosam substantiam cum recrementis è sanguine semotis, ut grumos quodammodò plurium Corporum unà collectorum exhibeant, vel, ut communiùs dicitur, substantiæ simul aquosæ, & hypostasis, concretæ: hæc enim cùm debeat, ut salutaris sit, in urinis innatare, si fortasse sit sparsim concreta, & cum illis commista, ex nondùm peracta secretione, concoctioneque, urinam procul dubio reddet crassam, & grumosam, quam idem Auctor *lib.* 1. *de morbis*, à pituita progenitam existimat. Oriri autem ejusmodi crassitiem grumosam, hoc loco memoratam, à concretione, mistioneque summa hypostasis cum sero urinario, deduci potest ex appendice ejusdem Aphorismi, ubi adiicitur: *tales equidem prodire, quibus ab initio, aut non multo post sedimen in urinis adfuit*; cùm scilicet primùm urinæ visæ sunt cum suo sedimine innatante, mox verò ita cum illo commistæ, & concretæ, ut grumum referant; at postmodùm per fermentationem febrilem dissolutæ, ac secretæ, tenuesque redditæ, crassitiem in copiam commutant, & conferunt, tum quia compingentia salia cum sero commista diluta egerunt, tum quia coctionem, secretionemque fermenti febrilis jam peractam indicant. Tenues autem urinæ hìc memoratæ non simpliciter aqueæ, & pellucidæ intelligendę sunt, sed ut à crassis, & grumosis contradistinctæ; sicut enim nimium crassæ, & in grumos compactæ malæ hìc referuntur, ob coctionem, secretionemque deficientem; ita ex adverso bonæ existimandæ sunt, quæ tenues deindè fiunt, ac dissolutæ, idest non ampliùs grumosæ, habentque sedimen omninò secretum, dissolutum, & innatans. Hinc rectè Actuarius *libr.* 1. *de judiciis urinarum cap.* 11. scripsit, *nonnunquam in morborum fine copiam profluere urinæ albioris, & tenuioris, atque mediocrem continentis subsidentiam, præsertim cùm præcesserit urina crassior, & grumosior.*

Judicium autem ab eodem Hippocrate prolatum *lib. de judicationibus*, huic planè nullatenùs contradicit. Ibi enim inconstantes omninò urinas in febribus vituperat, ac de crassis in tenues, iterùmque de tenuibus in crassas vicissim permutatas. Inquit enim: *In febribus si mutationes habeat urina, diuturnitatem temporis significat, & necesse est ægrotum mutari, & ad deteriora, & ad alteram partem. Et si*

urinæ

urinæ ab initio non sibi similes fuerint, sed ex tenuibus crassæ fiant, iterumque penitùs tenues, tales ægrè judicant, ac inconstantes sunt. In hoc autem Aphorismo non solùm constantes, sed etiam crassas in moderatè tenues permutatas recenset, easque solito affluentiores.

APHORISMUS LXX.

Quibus febricitantibus urinæ sunt perturbatæ, quales jumentorum, iis dolor Capitis vel adest, vel aderit.

Cum recrementa sanguinis, aliique humores per Renum tubulos repurgati, & cum sero urinario commisti, sua quique non petunt loca, sed sursùm, deorsumque tumultuariè feruntur, urinas reddunt confusas, & perturbatas. Has ergo considerat in hoc Aphorismo Hippocrates, utque eas à turbidis, sed mox posteà subsidentibus, distinguat, adiicit, *quales Jumentorum*; siquidem in his nedùm paulò post quàm fuerint excretæ, sed deinceps adhuc, perpetuòque turbulentiam, confusionemque servant; sed neque à frigore ambientis aeris concreverint, neque diù sepositæ in corruptionem abierint, aut Renum, & Vesicæ ægritudines consequantur; quamobrem non immeritò advertit, & eas in febricitantibus hìc notari, & quæ non semel turbatæ comparent, sed quæ perturbatæ sunt, & tales perseverant.

Equidem in febribus dumtaxat fieri potest (quicquid in contrarium opinetur Cardanus) ut urinæ omninò perturbatæ sint, & perseverent, quales jumentorum, quandoquidem in aliis ægritudinibus citrà febrim, quod turbulentum in iis excernitur mox subsistit, vel evolat, quemadmodùm in Renum affectionibus, catarrhis, aliisq; sicut etiam ab esu ciborum diuresim promoventiũ. Oportet autem urinas ejuscemodi turbatas, ab intimiori causa serum urinarium confundente, exagitari, quæ profectò in sanguine, cæterisque liquoribus inhærebit, ut talem in ipsis fermentationem excitet, & tumultuariam commotionem pariat, quæ sanguinis serum, recrementa partiũ, & salia fermentorum turbet, & implicet; veluti pluries expertum in febribus malignis, & pestilentibus, à fermento sanguini immisto omnia depravante, & confundente. Hinc brevi vita defuncti referuntur uxores Dromeadę, & Philini, Polyphantus, & Evalcidæ famula ab Hippocrate 1. *& 7. epid. Nam*, ut idem subdit: *urinæ densę, & conturbatę certum signum sunt doloris capitis, cõvulsionis, & mortis*; procul dubio à veneno dissipante, & corrumpente. Sed & nequeunt deinceps contenta urinarum perturbata adhuc à liquoribus Corporis sepostia subsidere, quia per intraneam fermentationem acorem nacta, ita simul compinguntur, & cum sero urinario commiscentur, ut ab invicem disiungi non possint, quemadmodùm experimur in Vino, quod per æstum dierum Canicularium, aut à Tonitru, ventisque Australibus impetuosioribus, indebita fermentatione effervescit, confunditur, & perturbatur, ut tandem in corruptionem desinat.

Hinc modò palàm fit, qua de causa dolor Capitis exindè subsequatur, aut immineat; quoniam ex acritate, & virulentia in sanguine inducta, nerveæ partes Capitis ab illius transitu, & percolatione, vehementer vellicantur, & compungũtur: Neque verò hinc dolent solùm, sed etiam V. etiam in coac. prænot.

etiam non raro inflammantur, undè phrenitides, lethargi, convulsiones, ut memoratis ex Hippocrate ægrotantibus accidit; quamobrem sub nomine Cephalalgiæ comprehensas crediderim reliquas omnes Capitis affectiones, dolori analogas, vel affines.

Quòd si turbidæ ejuscemodi urinæ pedetentim progressu temporis subsideant, procul dubio meliores fient, atque ab enarratis Capitis affectibus præcavebunt: quippè portendent sensim quoq; internam sanguinis commotionem sedari, & fermentantes humores ab utilibus secerni, ac repurgari. Undè idem Hippocrates *6. epid. sect. 6.* commonefacit, *urinas multam subsidentiam habentes à mentis motione liberare*, quemadmodùm in Dexippo. Non est igitur, ut tam facilè credamus perseveranter turbidas excerni urinas à flatibus, ut plerique sunt arbitrati, adeoque illos excutere oportere, sed potiùs diaphoreticis pluries memoratis compagem fermenti febrilis dissolvere, alexipharmacis ejus malitiam oppugnare, & evictam, secretamque per easdem vias urinarias expellere.

APHORISMUS LXXI.

Quibus septimo die fit crisis, iis nubecula rubea quarto die in urina apparet, & alia ex ratione.

Alibi dixerat septenorum quartum esse indicem; nunc sumpto exemplo à febribus, quarum crisis incidit die septima, inquit, nubeculam rubeam in quarta præcedere in urinis. Verùm hoc non ubique verum experimur, sed in quibusdam solùm febrium generibus, quę nimirùm fermentationem in sanguine consequuntur à vitio ejusdem intraneo, quales Veteribus synochæ dicebantur, ex non benè repurgato ejusdem sanguinis sero, cujus causa in fervorem, & indebitam commotionem adigitur, ut seipsum ab illo extricet, potissimùm quia ob remoram in vasis sanguineis contractam nimia infectus acritate cunctis visceribus molestiæ est. Sed neque nubecula hæc revera rubra est, sed vel pallida, vel flava, vel ad summum subrubra comparet, si crisis ad bonum futura sit: Quamobrem 2. *prognost.* dixit: *Nubeculæ, quæ feruntur in urinis, albæ quidem bonę sunt, nigrę verò malę*: Undè rectè Heurnius non rubram, sed subrubram vertit. Meminit autem dumtaxat crisis septimæ diei; nam in cęteris non planè constant ejuscemodi indicum, & judicum dierum proportiones, quippè sæpissimè Crises præmonstratæ in undecima, evenere postmodùm non decimaquarta, sed decima septima, vel vigesima, ac ulteriùs, pro ratione peccantium humorum, & viarum laxitate; immò pro diversitate morborum, causarum, & affectarum partium, ista non minimum variabunt substantia, colore, situ, tempore. Hinc appositè addidit, *& alia pro ratione*: potissimùm si cætera concurrant ad bonam, salutaremque crisim, eo die perficiendam, ut propterea significare voluerit, Morbum salubriter judicandum die septimo præferre signa coctionis, ac secretionis in quarto, reliquos ad alios dies differendos, non dissimiliter suis indiciis præmonstrari, eosque non unico evacuationis genere, sed pro ipsorum varietate, puta sudoribus, sputis, dejectionibus, atque etiam uberioris urinæ profusione, prout Natura in unam, vel aliam partem incli-

inclinaverit. Cæterùm, quod idem Hippocrates protulit *c. lib. prognost.* de urina subrubra, & sedimento simili, indicante morbum diuturniorem, licèt salutarem, intelligendum, cùm tota urina, ejusque serum, sanguineum ruborem refert, non verò cùm in sero urinario convenienter colorato nubecula solùm subrubra innatat, ut hìc, veluti inchoatæ coctionis indicium.

APHORISMUS LXXII.

Quibus urinæ albæ sunt, & perspicuæ, malæ: præsertim verò si in phreneticis appareant.

V. in Coac. prænot. lib. 2. prognostic. & de dieb. judicat.

CUm urinæ albæ, & perspicuæ, seu aquosæ, ut interpretatur Galenus, multis ex causis excerni possint, & pluribus in morbis comparere soleant, potissimùm verò Renum, ac Vesicæ, atque non rarò indicent crisim futuram per alvum, aut per abscessum, præter eas, quæ in statu sano quibusdam accidunt, vel ex consuetudine, vel ex largiori potu aquarum, præsertim diuresim moventium, visum est ità hunc Aphorismum vertere, aliter ac Leonicenus, qui malas ejuscemodi urinas indefinitè videtur interpretari; comparere autem solere in delirantibus: quasi verò exemplum dumtaxat apparitionis illarum voluisset Hippocrates hoc loco referre, cum tamen in Phreneticis maximè sint perniciosæ, quemadmodùm & Celsus hoc idem Hippocratis documentum sequutus exponit, *lib. 2. c. 4.* inquiens: *diluta quoque, atque alba urina vitiosa est, sed in phreneticis maximè:* Et Philotheus: *sed in phreneticis magis malæ*: Quamobrem Fuchsius Aphorismum hunc ita tradidit: *Quibus urinæ perspicuæ, & albæ sunt, malæ: maximè verò ubi in phreneticis apparuerint.* Rectè autem admonet *phreneticos*, non *delirantes*, hìc Hippocratem adnotasse: quippe phrenetici à delirantibus differunt, etenim non omnes delirantes phrenetici sunt.

Urinæ itaque albæ, & pellucidæ, quamvis plerumque à consueto Naturæ declinent, non tamen omninò malæ illicò sunt existimandæ, quasi verò semper morbosam reipsa Corporis constitutionem attestentur, cùm non desint, qui à natura ferè illas assiduò proferant, & benè valeant; quinimmò plerosque novi, qui se tunc morbosos existimarent, cùm urinas benè coloratas egererent. Malæ ergo solùm dicentur, quia non omnibus communes, & quodammodò à consuetis remotiores. At verò si in phreneticis observentur, omninò malæ, atq; ex Galeno perniciosæ, quippe qui testetur *se nullum vidisse phreneticum salvatum, in quo talis urina apparuisset*. Verumtamen non sunt hæ adeò cum phrenesi conjunctæ, ut illam perpetuò comitentur, aut consequantur, siquidem sæpissime etiam fit, ut in ea compareant nimiùm coloratæ, multòque susphure saturæ; sed si fortasse cum illa socientur, omninò malæ sint, nisi verò semel tantùm appareant: quippe tunc perniciosas penitùs illas credere licebit, cùm diù perduraverint, & quocumque tempore uniusmodi aquosæ prodierint. Hac enim ratione significant, partes sanguinis muriaticas, & sulphureas, acritate ingenti præditas, per febrilem fermentationem, cum sero urinario non repurgari, sed interiùs detineri; adeòque per Cerebrum, ejusque meninges, ac ductus, cum sanguine remeantes, continenter illius ple-

V. etiam in coac. prænot. ubi: albæ urinæ à phreneticis mortiferæ.

plexus, glandulásque vellicare, unde etiam liquor nervorum, & universa Hegemonicarum operationum Oeconomia coafficiatur, siquidem ros ille è sanguine per Cerebri corticem exudans, quo universa Animalis regio irroratur, & vivíscit, ex vitiata utriusque diathesi, omnia perturbat, depravat, atque adigit in furorem. Cùm itaque eo deventum est, ut partes Vitæ, & Rationi destinatæ perpetim laborent, à mutata tum sanguinis, tum nervei liquoris constitutione; procul dubio brevi futurum est, ut æger concidat. Spes autem inerit revalescendi, si ejusmodi sanguinis, & liquoris nervorum impuritates per consueta emissaria depellantur, potissimùm verò per urinas; quæ primùm flavescentes, & crassæ, mox etiam copiosiores, & sequestratæ repurgentur: quod planè usu Antimonii diaphoretici suo nitro sociati non semel peractum vidimus, sicut etiam ope Bezoardicorum.

Sed & advertere est, quod memorat Hippocrates 1. *epidem. const.* 3. accidisse Bioni apud Silenum decumbenti, Cratiæ apud Xenophanem, & Aretonis filiæ uxori Mnesistrati, ab urinis aquosis, multis, puris, & tenuibus, post judicationem, eos scilicet benè fuisse judicatos per dysenteriam; quasi verò istiusmodi urinæ post coctionem apparentes crisim portendant per alvum futuram. Possunt quoque hæmorrhagiam è naribus præsignare, præsertim in Juvenibus, si postquam diù probæ visæ, repentè attenuentur, & incrudescant, morbo ad declinationem perducto.

APHORISMUS LXXIII.

Quibus Hypochondria suspensa murmurant, lumborum dolore superveniente, iis alvi humectantur, nisi flatus erumpant, aut urinæ multitudo proveniat. Hæc verò in febribus.

De veritate istius Aphorismi valdè dubitat Argenterius, quippè qui non tàm facilè existimet, quomodò tria hæc genera evacuationum accidere possint in febribus ex hypochondriis inflatis, & dolore lumborum. Verùm si in memoriam revocentur, quæ aliàs à Nobis, *hoc eodem libro*, sunt recensita, benè poterunt, quæ hìc ab Hippocrate referuntur, Rationi, atque Experimento congruere. Inflantur siquidem, tumentque hypochondria à flatibus, seu halitibus elevatis ab humoribus crassis simul, tenacibus, & acidis, qui non rarò loca utriusque hypochondrii, occupant, præsertim verò glandulas Mesenterii, Pancreatis, & Omenti; cùmque per febrim sensim attenuentur, & dissolvantur, per arterias pedetentim in Intestina feruntur, vel etiam per vasa lymphica, aliosque ductus inconspicuos deducuntur in Renes, adeòque vel alvi fluxu, vel urina copiosiori, criticè evacuantur. De his ergo sermonem facit hoc loco Hippocrates, aitque, quibus in febribus (iisque potissimùm, quas Fernelius omnium primus recensuit ex hypochondriis infarctis oriundas) hypochondria tument, ac inflantur, ut suspensa, & elata fiant, si lumborum dolor superveniat, planè fieri, ut laxata alvus congestam succorum colluviem deponat, nisi aliunde in flatus exolvatur, aut

c Com. 1 ...

aut per Renes deducta urinam efficiat copiosiorem. A tumidis porrò, inflatisque hypochondriis coniiciemus crassorum, consistentiumque succorum copiam, fermentatione febrili, & acida conditione, in flatus evaporantem, adeòque epigastrium utrinque attollentem. A murmure, & lumborum dolore conjectabimus humores ipsos jam attenuatos, & dissolutos, vergere per Mesenterium in Intestina: murmur etenim à motu eorumdem peristaltico provenit; lumborum verò dolor, à pondere Mesenterii, quod cùm lumbis alligetur, juxtà ac Peritonæum, ubi flatulentis humoribus turgeat, gravat simul illos, & extorquet.

Quod verò hæc citrà Jecoris, Lienis, aliorumque adjacentium viscerum inflammationem evenire scripserit Hippocrates, colligere clarè est ex 2. *prognost.* ibi: *Præcordiorum dolores, ac tumores, si fuerint recentes, & non cum inflammatione, solvit murmur in præcordio obortum, & maximè quidem si pertransierit cum stercore, & urina, ac flatu; sin minùs, etiam ipsum per se, si transierit, prodest.* Dixerat autem *lib.* 1. *ejusd. oper.* tumores omnes in hypochondriis subortos, inter initia quidem, mortem brevi affuturam significare; post dies viginti verò, febre non desinente, ad suppurationem converti. Ea autem, quæ in hoc Aphorismo memorantur, his profectò non consonant, cùm & nos compertum habeamus, sæpiùs feliciter successisse, ex turgidis hypochondriis febres enatas, alvo, quæ priùs adstricta erat, laxata, aut copiosiori urina, solutas. Verùm, ut id promptiùs, feliciusque contingat, medicamentis insistendum, quæ amarore acorem corrigant, & incidendi, attenuandique vi, crassos humores ad exitum disponant.

APHORISMUS LXXIV.

Quibus speratur abscessus futurus ad articulos, eos liberat ab abscessu urina multa, crassa, & alba, qualis in laboriosis febribus, quarto die, quibusdam incipit fieri. Si verò ex naribus fluxerit sanguis, brevi admodùm solutio fit.

Alibi ex eodem Hippocrate ostensum est, non raró febrientibus, ex crassis humoribus, abscessus ad articulos evenire, atque ita febres desinere. In hoc autem Aphorismo memoratur, undè fit, quòd febris, quæ desitura per ababscessum visa est, & indicia ejusdem prætulerit, abscessu deindè non judicetur; idque propterea fieri, à crassa, & alba urina affluenter profusa. Equidem ubi humores in artus ferendi, vias urinarias petunt, fortè tenujores, fluxioresq; reddit, procul dubio vindicabunt ab abscessu. Verumtamen oportet crassam simul, albam, & copiosam excerni urinam: etenim hac ratione certi erimus, illos eosdem humores, qui febrim fovebant, & ad artus abscedere præmonstrabant, salubriter per Renes in Vesicam fuisse translatos. Quoniam verò à lympha plerumque consistentiori ejusmodi febres accidunt, undè Rheumatismi, cum lassitudinibus, & doloribus articulorum; proindè adjectum, *qualis in laboriosis febribus*, cujusmodi sunt, quæ cum sensu laboris, doloris, & lassitudinis in toto Corpore, contingunt: quippè vasa lymphatica plurima per articulos repunt, cõm. 31. hujus.

punt, & non rarò in eosdem exonerantur. In laboriosis autem febribus cum Rheumatismo sociatis, sæpissimè accidit, à quarta die in succedentes, consimilis conditionis urinam affluenter expurgari, exsoluta nimirùm per febrim lympha, atque simul cum sero sanguinis secreta, deductaque in Renes, & Vesicam, quemadmodùm passim experimur in praxi. Atque hinc planè dictum puto, nedùm abundantem, sed etiam albam, & crassam urinam esse oportere, cujusmodi lympha est.

V. 6. epidem. 4. 2. undè hìc Aph. desumptus.

Quod præterea additur: *Si verò etiam ex naribus fluxerit sanguis, brevi admodùm solutio fit*: in dubium revocat Fuchsius, an simul cum urinæ profluvio, an verò seorsim proficere, sit intelligendum. Et quamvis utrumque rationi, atque experimento congruere visum sit, & alterutro evacuationis genere febrientes ab abscessibus evasisse; nihilominùs si mentem Hippocratis attendamus, verisimiliùs asserere cogemur, junctim utramque evacuationem esse comprehensam: nam inquit, *si verò etiam ex naribus fluxerit sanguis*: Vel, ut alii vertunt; *quòd si narium quoque accedat profluvium, multo celeriùs liberantur*. Idque clariùs *cap. 6. epidem. sect. 4. si verò ultra hoc, adhuc sanguis è naribus largè eruperit, valde* etiam, seu, *prorsùs levat*. Quæ verba utramque omninò evacuationem referunt, simul junctam. Cæterùm sanguis è naribus profluens maximè quoque his confert, excreto indè ejusdem sero orgasmum in humoribus excitante: quo fortasse respiciens Hippocrates junctim urinam, & sanguinem profluentem, citiùs ægrotantem liberare inquit, ut è naribus tenujor, è renibus crassior humor simul educatur. Cui enim commodo esset narium hæmorrhagia, si sanguinis à lympha, & sero, repurgationi minimè opitularetur? Illum autem egredi Natura sinit, ut simul acres, tenuesque serosas ejusdem partes depellat, nisi verò ex accidenti deserat, acritate sibi exitum sero parante.

V. Heurniū hìc.

At verò eam ex his evacuationibus promovere satagemus, quæ tutior planè est, per vias urinæ. Hac enim & crassior, & tenujor humor commodè potest educi; quin si tantùm crassior expurgetur, is satis erit, ut ab abscessu tueatur, cùm tenujor facilè possit adhuc insensibiliter difflari. Conferent eapropter in hanc rem, quę attenuando, & incidendo, diuresim movent, adjuncta his quoque congrua victus ratione attenuante, ut Naturam huic operi intentam adjuvemus, vel diutiùs cunctantem excitemus.

APHORISMUS LXXV.

Si sanguinem, aut pus mingat, Renum, aut Vesicæ exulcerationem significat.

Sive hic Aphorismus scribatur per particulam, *aut*, disjunctivam, sive per, *&*, conjunctivam, magnam semper patitur difficultatem: quippè sanguis solummodò excretus per urinam, non semper indicat Renum, aut Vesicæ ulcerationem, cum multis aliis de causis egeri, & à plerisque aliis partibus prodire possit. Si verò simul cum pure excernatur, quamvis ulcerationis indicium certò sit, non proindè ex sanguine, sed ex pure certitudinem nanciscitur.

Eandem sententiam habet Celsus lib. 2. cap. 7. V. Gal. 6. de loc. aff. 3. Hippoc. etiā lib. de natura human. ait: quibus cruentæ urinæ sunt, his venæ laborant.

Sed

Sed & præterea fieri poteſt, ut ab eroſa Renum arteria, aut vena, ſanguis ad tempus ſolus prodeat, deinceps tranſiturus in pus, adeòque inchoatæ ulcerationis ſymptoma ſit, ſejunctim à pure. Præſtaret itaque pro utraque particula, *deindè*, vel, *mox*, ſubſtituere, ut ſenſus fiat: *ſi quis ſanguinem, deindè pus mingat, &c.* ſic enim Aphoriſmus veritati perpetuò conſonabit. At verò nec ſemel, nec ad breve dnmtaxat tempus, ſanguinis, & puris mictio, Renum, aut Veſicæ ulcerationem deſignabit, nam pluries expertum, ex dirupto apoſtemate partium ſuperiorum, & à Renibus remotiſſimarum, pus cum urina prodiiſſe; immò etiam ex Pulmonis vomica, atque ex Empyemate per eaſdem vias repurgato. Quamobrem neceſſe eſt, ut diutiùs mictio iſta perduret, & continenter purulentus ſanguis cum urina egeratur, ut à Renibus, vel Veſica manans dici queat. Atqui etiam, præter ejuſmodi egeſtionis diuturnitatem, à Renibus, aut Veſica ulceratis, pus prodire coniiciemus, ſi in urinis ſubſideat, vix, ac ne vix quidem, cum illis commiſtum: quoties enim cum iiſdem omninò commiſcetur, & confunditur, ex altiori profectò loco deſcendere credendum, ut multis oſtendit Galenus *lib 6. de loc. aff. cap.* 4. Contra verò ſi ſejunctim ab urina pus egeratur, procul dubio è meatu urinario, aut ex glandulis paraſtatis, gallica contagione infectis, ſponte ſua defluet, ut in virulentis Gonorrhœis paſſim experimur. Hinc tunc ſolùm purulenta mictio exulcerato Renes, aut Veſicam indicabit, cùm continua fuerit, cùm numquam ab urinis ſejuncta, cùm ſubſederit; & cùm ſanguinis exitum conſequetur. Denique prognoſim mictus ſanguinis, ac puris, retulit idem Hippocrates *lib. 2. prædict.* inquiens: *ſanguinem mingere, raró quidem, & ſine febre, ac dolore, nihil mali ſignificat, ſed laſſitudinum ſolutio ſit. Si verò ſæpiùs mingat, & aliquid ex his acceſſerit, malum eſt. Verùm prædicere oportet, ſive cum dolore mingatur, ſive cum febre, fore ut inſuper pus mingat, atque ita dolores, ac afflictiones quieſcant.* Verùm conferet in his plurimùm partem affectam internoſſe, & num pus ex aliis partibus procedens in tranſitu per Renes, Ureteres, & Veſicam, ſua acrimonia, ac virulenti conditione, illas exulceret, atque adeò, diverſarum partium affectarum complexu, nequeat tam benè diſtingui, undè pus prodeat, cùm ex pluribus confuſim emanet. Non multis ab hinc menſibus curandus ad me venit, qui ex mictu ſanguinis in urinam purulentam inciderat, cùm anteà gallica gonorrhœa teneretur, adeòque & ex meatu urinario, & ex renibus pus effunderet, nimirùm quandoque ſimul cum urina, & aliquandò ſeorſim. Mirum autem quàm in his proficiat uſus paſtillorum ex Cinnabari, itemque Ceruſſæ ſtibii A. . alæ, cum gummi terebinthi, balſamo ligni guajaci, & peruviano, extracto hyperici, & caphura.

V. Gal. 6. de loc. aff. c. 4.

V. Gal. in côm.

V. etiam Proſp. Martian. hoc loco.

APHORISMUS LXXVI.

Quibus cum urina crassa carunculæ parvæ, aut veluti capilli, unà exeunt, iis à Renibus excernuntur.

Lib.2.c.7. QUod hìc disjunctim scribitur de Carunculis parvis, aut veluti capillis, cum urina crassa excretis, Celsus junctim vertit, inquiens: *Si urina crassa carunculas quasdam exiguas, quasi capillos habet, utique in Renibus vitium est*. Sed & idem Hippocrates *lib. de Natura humana*, unde hic Aphorismus videtur desumptus, in hanc eamdem sententiam concedit, dùm inquit: *Quibuscumque in urina, crassa existente, carunculæ parvæ capilliformes simul prodeunt, eas à Renibus prodire nosse oportet, & ab Arthriticis*. Hinc P. Martianus pluribus contendit legendum esse hunc Aphorismum absque particula, *aut*; immò quo pacto scriptus invenitur *cap. lib. de Natura humana*. (propè finem.)

Sed quamvis ità verisimiliter liceat ex mente Hippocratis opinari, non tamen falsa erit, ut hìc traditur, ejusdem sententia. Quinimmò Galenus *in comm.* omninò existimat alterum de carunculis, alterum de capillis sermonem hìc factum, nam nullo modo, inquit, carunculas parvas assimilari posse capillis, ut propterea cum dictione, *aut* Aphorismum legendum velit. Expertum enim aliquando est, ab erosis, ulceratisque Renibus, carunculas, seu frustilla carnium durissima cum urina prodiisse. Et quamvis è sphynctere Vesicæ musculo similes substantię excerni possint, cùm tamen dolor, febris, aliaque affecti Renis indicia concurrunt, non est cur Vesicæ musculum erosum existimemus, qui nec alioqui tam duræ substantiæ est, nec, si semel ulceretur; urinæ exitum poterit impedire, aut aliquantulùm remorari, vel saltem sine ingenti dolore esse.

Mictum autem pilorum, aut capillorum, græcè *Trichiasin*, quamvis rarum, nonnulli conspexere, eosq; referunt, nedùm molles, flexibilesque, sed duros, rigidosque interdùm etiam fuisse, ut setas porcinas æmularentur. Undè verò illi procedant, non satis benè à Veteribus est explicatum. Galenus enim *in hoc comm.* illos gigni ait ex humori crassiori in Renibus quodammodò usto, ideòque quemdam memorat talia corpora tam longa minxisse, ut incredibilis longitudinis viderentur, qui tamen toto ferè anno in usu cibario habuerat legumina, & fabas fractas, & sæpissimè caseum tenerum, ac siccum. At verò *lib. 6. de loc. aff. c. 3.* eosdem in venis generari probabiliùs putat. Verùm, cùm ea, quæ ad Renes feruntur, non per venas, sed per arterias, lege Circulationis, deducantur, propterea verisimiliùs videtur in ipsismet Renibus crassos istos, consistentesque succos in capillamenta commutari; formam autem, & longitudinem, capillorum ad instar, sortiri, non quidem in Renum pelvi, sed in eorumdem tubulis, & fibrillis urinariis, per quas serum transcolatur, quippe alveoli isti quàm apte, præ nimia exilitate, congruunt producendis ejuscemodi filamentis, cùm nimirùm per ipsos protruduntur viscosi, concrescentesq; succi, fortasseà b acido indurati. (V. Hildan. C.5. obs.50.& 51.) (Vide Fuchs. in annot.) (V. Clar. Malpighi lib. de Renib.)

Quoniam verò in Renum alveolis contingit viscosos istiusmodi succos inspissari, & formam, figuramque

ramque capillorum induere, meritò proindè Hippocrates in hoc Aphorismo dixit, illos à Renibus excerni: nullibi enim, quàm in eorumdem exilibus tubulis, talem, ac tantam spissitudinem, longitudinemq; capillarem possent adipisci, præsertim quia ibidem consimiles succos, cùm in pelvim extillaverint, lapideam conditionem sortiri passim experimur. Plerumque autem viscosi isti succi à tenaciori lympha, vel à portione sanguinis glutinosa progignuntur, cùm utraque extra suos ductus effusa facillimè concrescere soleat. Atque hinc idem Hippocrates *c. lib. de Natura humana*, nedùm à Renibus, sed ab Arthriticis capilliformes carunculas prodire fassus est; quandoquidem Arthriticis à lympha vitiata afficiuntur, & circà artus plurima vasa lymphatica perreptare ex Anatome observantur.

Neque verò temerè adjectum credere est, ista cum urina crassa excerni oportere; etenim, si cum tenui egererentur, verendũ valdè foret, ne ab aliis partibus, quàm à Renibus prodirent, nam cùm tenues, & percolatæ minguntur urinæ, tubuli illi, & fibrillæ urinariæ obstructæ sunt, adeoque transitum carunculis, & capillamentis non concedunt. Crassæ igitur esse debent, ut patentes Renum tubulos designent, & nullum in venis, ac arteriis vitium consequantur, cùm absque febre ista plerumque prodeant, adeòque urina inculpata existente, quemadmodùm in statu naturali excerni consueverat, moderatè crassa. Conferet eapropter in id mirificè, præter alia, usus chalybis, quo acritudo seri urinarii in Renum erosione, & concrescentium acidorum succorum malitia in capillamentis retundatur.

APHORISMUS LXXVII.

Quibus cum urina crassa furfurea quædam simul exeunt, iis Vesica scabie laborat.

NE hæc quoque excretorum in urinis vitia ad sanguinem, & vasa sanguifera referrentur, cum urina crassa, non tenui, nec aquosa, excernenda inquit. Si enim cum hac efferrentur, degenerati sanguinis, succique alibilis, ex ardenti, pravaque febre, indicia forent, ut etiam admonet *in comm.* Galenus. Sic ergo Aphorismum hunc Hippocrates voluit intelligendum, ut ubi absque febre reliqua omnia benè se habeant, si urina moderatè crassa furfurea proferat, Vesicam scabie laborantem denunciet. Accidit autem Vesicæ scabies pari modo, ac externę cuti pruritus, ab acritate ejus liquoris, qui in nutrimentum ejusdem cedere deberet, atque ex mistura salium cùm urina densatur in furfures, & ima petens furfureum sedimentum exhibet, eo quòd referat exteriorem tritici corticem, non benè molitum. Ejus autem speciatim meminit Hippocrates *5. epidem. in histor. Filii Theophorbi*, qui id potissimùm ex Vesicæ scabie patiebatur, ut dùm mingere inciperet, ac desineret, pudendum confricaret, ex pruritu nimirùm ingenti ejus partis, ad Vesicam pertinentis. Solet etiam sæpissimè scabies ista in vulcuscula commigrare, & saniem proferre, ut dicitur *Aphoris. 81. hujus*, ut propterea quibusdam occasio fuerit, utramque Vesicæ affectionem confundere, non quòd revera

Idem lib. de Natur. human.

vera eadem sit, sed quòd altera in alteram facillimè commutetur, præsertim cùm ea, quæ urinis commiscentur, acria, & erodentia sunt, ut infrà.

APHORISMUS LXXVIII.

Quicumque spontè sanguinem mingunt, iis a Renibus venula rupta significatur.

PRo eo, quòd Leonicenus legit *sponte*, visum est aliis *repentè* substituere, quasi verò satis non sit sanguinem è Renibus absque ulla causa manifesta prodire, nisi etiam repentè exeat. At Hippocrates usus est ἀπὸ ταὐτομάτου, quæ dictio utrumque significat. Et quidem nullam causam evidentem ex iis præcessisse necesse est, quæ valeant venas adaperire, vel dilacerare; sed & opus præterea est, ut repentè mictus sanguinis suboriatur, ne fortasse sensim erumpens, & guttatim, à Vesica erosa emanare credatur, quæ cùm non multò sanguine scateat, profectò multum sanguinem effundere non potest. Ab ejusdem verò musculo janitore, si fortasse ulceretur, manabit quidem sanguis, sed ab urina sejunctus, ut propterea fieri non possit, quin repentè, & sine causa manifesta sincerus prodiens sanguis cum urina, à Renum venulis adapertis, vel erosis non proficiscatur.

An autem à Venis propriè, an potiùs ab Arteriolis is prodeat, jure dubitari potest: etenim post detectam sanguinis circulationem, cunctis notum, sanguinem in partes per arterias ire, redire verò per venas, quæ cùm suis intersepiantur valvulis, nil profectò poterunt effundere, quod semel in suis conceptaculis fuerit exceptum. Verùm cùm nomine venarum, tam venas propriè dictas, quàm arterias consueverit Hippocrates indiscriminatim sumere, non erit hìc, ut diutiùs mentem ejusdem exagitemus, dummodò constet de parte, quam ille potissimùm hìc considerandam voluit, affectam, cui sit remediis succurrendum.

At à quibus causis sanguifera Renum vasa interiùs dirumpantur, tacuit Hippocrates, quippè illæ innumeræ esse possunt. Attamen hìc commodè ad tres generaliores revocabimus: ad ea scilicet, quæ ipsius sanguinis sunt, ad vasa illum continentia, & ad ea, quæ per Renes transeunt, vel è Renum tubulis transcolantur. Quæ in sanguine sunt, & cum eo continuò commiscentur, serum, lympha, chylus, si acritatem, aut muriaticam conditionem, præsertim à visceribus hypochondriorum, nanciscantur, planè poterunt exilia Renum vasa, ut ejusdem generis alia, cùm illuc appulerint, erodere, aut relaxare, undè is spontè deindè exeat. Sic aliquos novi diutiùs sanguinis mictu, ab ejusmodi causa, detentos, qui à corrigentibus è re medicamentis postmodùm convaluere. Vasa ipsa sanguifera per Renum substantiam perreptantia si fortasse præter exilitatem, naturalem quodammodò constitutionem sortiantur, debilem, laxam, tenuem, vel etiam procedente tempore flaccescant, & extenuentur, facilè poterunt habenas quoque dare sanguini præterfluenti. Quæ denique per Renes, Renumque tubulos transeunt, serum urinarium, & cum eo diversi generis humores, salia, multaque

Emulgentes arteriæ si frãgantur, aut aperiantur, ubi serũ sanguinis exoneraverint, parient Ascitem: quò respexisse videtur Helmontius, qui ex labefactis renibus laticem à sanguine non repurgantibus, hydropẽ oriri dixit.

taque è superioribus viscribus in eas partes deposita recrementa, pus, sanies, ichor, viscosi, acidi, concrescentesque succi, undè postmodùm, arenulæ, calculi, sabulones, idque genus alia, quàm facillimè poterunt erodendo, lacerando, distendendo, gravando, aut aliter afficiendo, sanguinis exitum repentè provocare. Sed & quædam casu deglutita, dura, aspera, acuta, angulosa, cùm Renum alveolos subirent, mictum sanguinis non rarò excitarunt; ut sileam nunc ea, quæ veneni naturam referunt, & idipsum afferre solent, ut de cantharidibus memoratur, Vesicæ speciatim infensis, cùm ex his sanguis nec spontè, nec citrà causam manifestam egeratur. Quod verò de mutilatis fertur per certa intervalla consuetis sanguinem mingere, vel per alios ductus evacuare, nil penitùs evincit, quin etiam sanguis cum urina prodiens, venulam, aut arteriolam ab impetu sanguinis diruptam, significet.

V. quæ Heurn. ex Cælio Aurel. & Archigene hìc refert.

Ad sistendum autem ejusmodi sanguinis mictum, variè procedendum erit, pro causarum illum excitantium varietate, de quibus planè, præter ea, quæ hìc breviter sunt memorata, fusè à nobis actum est in parte Medicinæ Practica; Verumtamen specialiora hìc in usum ducenda erunt, quæ glutinandis vasis, & sanguini corrigendo, videntur magis accommoda, cujusmodi præsertim sunt ex Vitriolo, & Marte parata.

APHORISMUS LXXIX.

In quorum urinis arenosa subsistunt, iis vesica laborat calculo.

Cunctis Expositoribus magnarum difficultatum præsens hic Aphorismus, quippè qui adversantem habeat Experientiam, qua plurimos constitit toto ferè vitæ spatio arenulas minxisse, citrà ullam calculi Vesicæ suspicionem. Hinc autem factum, ut nonnulli Interpretes, Vesicæ vitio Renes quoque adjunxerint, quasi verò Hippocrates brevitatis gratia illos omiserit, qui tamen cum Vesica compatientes, forent hìc omninò cumulandi, ut vel hæc, vel illi, ex arenoso sedimento laborare intelligerentur. Sed nec defuere, qui in alia divagati, ne verbum quidem fecerint de sensu istius Aphorismi, exterriti fortasse, quomodò possent illum in rationabilem sententiam accommodare. Eum alii Hippocratis nomine indignum existimarunt, adeòque esse expungendum à serie reliquorum Aphorismorum. At meliùs Musa sagaci planè solertia invertendum illum voluit, ut potiùs ex Vesicæ calculo arenosa in urinis subsistere deducerentur. Sed tamen nec mutata sententiæ phrasi, nec ordine verborum inverso, adhuc in commodum sensum illum revocabimus, si urina arenosa contineat, crassa, mucosa, neque semel, sed assiduò ejecta, & quocumque diei tempore. Equidem comparent sæpenumerò arenulæ in quorundam urinis, citrà calculi suspicionem, sed illæ subsident omninò, ab his cæteroqui benè coloratis separatæ, atque matutino solùm tempore excretæ, vel certis solummodò

V.Gal.& Fuchs.

V.Prosp. Mart.

Brasavo. hìc.

modò diebus; at verò quæ ex calculo Vesicæ proveniunt, perpetuæ sunt, immò cum multo, crassoque sabulo commistæ, & quacumque ferè mictione, urina interim lixivium æmulante. Atque hinc Hippocrates *in urinis*, dixit, *arenosa*, seu potiùs sabulosa, non verò simpliciter arenulæ, *subsistunt*, ideſt crassæ, & compactæ resident; ut scilicet prædictas conditiones breviter simul complecteretur.

Eſt prætereà quod adiiciam, noluisse Hippocratem ad præsens tempus tantummodò hanc sententiam aphoristicam coarctare, sed illam extendere quoque putavit ad futurum, ut sensus esset, eos, quibus urinæ cum arenoso sedimento contingunt, vel jam tum laborare, vel in posterum Vesicæ calculo laboraturos; etenim ejusmodi sabulones in urinis indicio sunt multam crassorum, muccosorumque excrementorum in Vesicæ cavo congeriem coadunari, ut exindè calculus jam sit compactus, vel facilè deinceps sit compingendus. Porrò aliàs eſt à nobis demonstratum, lapides ex hisce recrementis viscosis simul, & salino-acidis exoriri, atque pluribus veluti lamellis paulatim incrustari, & increscere. At verò ex hoc edocemur, non solùm quid nobis sit coniiciendum ex ejusmodi arenoso sedimento, sed quibus præsidiis occurrere possimus calculo imminenti, potissimùm de eorum genere, quæ tantam saburram corrigere, & educere, alioque avertere valeant, meliori victus ratione servata, ut alibi fusiùs eſt à nobis memoratum.

V. 4. de morbis, & lib. 6. de Aer. aq. & loc.

APHORISMUS LXXX.

Si sanguinem mingant, & grumos, & stillicidium urinæ habeant, & dolor in imum incidat ventrem, & pectinem, & interfœmineum, ad Vesicam labor eſt.

Laborantis Vesicæ, & partium adjacentium indicia specialiùs tradit in hoc Aphorismo Hippocrates, desumpta ex situ, ex excretis præter naturam, operationibus læsis, ac dolore, ut propterea illa junctim, non separatim, sint sumenda, si non eodem simul temporis momento, saltem eadem morbi duratione, cùm fieri possit, ut ex his modò unum, modò aliud magis in singulos dies vigeat. Fiunt autem grumi, quoties sanguis è suis vasis exiliens in Vesicæ cavo colligitur, ibique nedùm propter glutinosam substantiam, sed etiam à sale urinario in ejusmodi affectibus acidiori reddito, facilè concrescit, & coagulatur. Eadem de causa urinæ stillicidium accidit, & dolor, potissimùm ex acritate ingenti ejusdem musculum janitorem, & Vesicæ collum vellicante; cùmque hæc ad pubem sita sit, & fundo interfœmineum occupet, seu perinæum, spatium scilicet illud, quod anum, & scrotum interjacet, idcircò utrumque locum dolor infestat, immò ab his, qui Vesicæ calculo laborant, gravior semper noxa percipitur in perinæo, ut nec equitare, nec sedere, citrà gravem ejus partis dolorem, valeant. Ab his ergo inquit ad Vesicam esse laborem: sive autem is revera lapis sit, sive tophus, sive tumor, aut concreti, compactique sabuli congestus, crassus, muccosusque succus, aliudve simile, non expressit, for-

forte quia hæc omnia, modò acorem referant, & compungant, idipsum possint excitare, neque solùm in ipsa Vesica, sed etiam in circumsitis partibus, ut experimentis pluries constitit.

APHORISMUS LXXXI.

Si sanguinem, & pus mingat, & squamulas, & gravis odor adsit, vesicæ exulcerationem significat.

Etsi sanguinis, & puris mictio non semper ulceratæ Vesicæ indicium sit, cùm etiam è Renibus egeri possit, ut dictum *Aph.* 75. attamen si prætereà pus malè olens cum squamulis mingatur, nonnisi à Vesica prodibit. Malus enim odor; quamvis pus, undecumque processerit, consequatur, nihilominùs cùm è Renibus, aliisque superioribus partibus emanat, magna ex parte in longo itinere remittitur; at verò proximè derivans ex Vesica longe graviùs fœtet, præsertim ex urinæ mistura. Squamulæ verò idipsum fortiùs attestantur, cùm exesæ Vesicæ certiora indicia sint. Hinc ista junctim sumenda, ut omnis dubietas adimatur, aliarum, quàm Vesicæ, partium affectarum. Meminit autem primò sanguinis Hippocrates, deinde puris, tum squamularum, & denique pravi odoris, servato nimirùm ordine, quo ista prodire solent ex illius ulcere; siquidem seriatim accidere necesse est, quamvis unum absque altero satis non sit ad ostendendam Vesicæ exulcerationem. Quare nonnisi ex diuturniori tempore hæc omnia evenire credendum est, cùm verisimile non sit statim ipsa prodire, vel modico post tempore sibi invicem succedere: non immeritò proindè usus est Hippocrates verbo, *minxerit* sanguinem, & pus, quo nimirùm designaret multò anteà urinam sic intinctam, & fœdatam prodiisse; mox verò adjecit, *gravis odor adsit cum squamulis*, qui ex præcedentibus excretionibus consequatur, & perseveret. Verumtamen & plùs, & minùs, & graviùs, & leviùs, ac inoffensiùs isthæc Vesicæ accidere possunt, pro varia ejusdem exulceratione, majori, vel minori, magis, minùsque fœda.

APHORISMUS LXXXII.

Quibus in urinaria fistula tubercula nascuntur: iis suppuratione facta, & eruptione, solutio advenit.

Mictionis mala nedùm à partibus suprà Vesicam positis, verùm etiam infrà ipsam, atq; ab illius meatu provenire possunt, potissimùm cùm urinæ exitus impeditur à re quapiam ibidem hærente. Hìc autem non ea, quæ simul cum urina loco moveri, & egeri possunt, sed quæ infixa, & stabilia sunt, considerans Hippocrates, meminit speciatim tuberculi, quod plerumque in ipsa urinaria fistula innascitur, & mictui impedimento est, adeòque Stranguriam, vel Ischuriam parit.

Quoniam verò tuberculorum meminit, quę ad suppurationem perduci possint, videtur propterea ejus dumtaxat generis illa cōprehendere quę ex sanguine, & carne excrescente proficiscuntur: multa enim in meatu urinario pręter naturam gigni solent, quę recenter admodū, immò sępenumerò difficillimè suppurationi subiiciuntur; quin & ex lue venerea

sunt,

sunt, qui carunculas iis in partibus patiuntur tam difficulter sanabiles, ut plerique ad extremum usque senium, maximo cum dolore, & mejendi difficultate immedicabiliter deducantur. At verò de iis solùm videtur locutus Hippocrates, quæ tubercula sunt nil quidpiam pravitatis, ac virulentæ conditionis participantia, sed ex simplici affluxu, aut congestione benignioris humoris progignuntur. Nisi etiam dicere velimus, non omninò, sed sub conditione solùm, si maturuerint, tubercula hìc suppurabilia voluisse illum adnotare. Et quamvis in meatu urinario progenita memorare visus sit, verisimiliùs tamen ad Vesicæ collum, & ubi Sphincter musculus jacet, istiusmodi tubercula nasci putandum est: scribitur enim in Coacis prænotionibus: *Quibus tuberculum est circà Vesicam*, *quod mingendi difficultatem facit*. Ubi de Vesicæ ductu, ejusque orificio, sermo est. Et sanè Sphincter musculus cùm excoriatur facillimè excrescentem carnem, & tuberculum contrahit.

Si ergo contingat istud suppurari, planè erumpente pure, detersaque parte tumefacta, & suppurata, fieri necesse est, ut solvatur morbus, qui ex enato tuberculo ægrotantem divexaverat; id enim est suppurationis beneficium in tumoribus, ut quod mole excesserat, & dolorem inferebat, adimatur, indeque symptomata consequentia desinant, cujusmodi esset Stranguria, vel Ischuria, in casu istius Aphorismi. In hunc eumdem sensum conferendus est Aphorismus *LVII. libri septimi*, ubi in consimilem sententiam scribitur, ex tuberculorum suppuratione, atque eruptione, dolorem ex tumore inductum desinere. Dixit autem Hippocrates fieri solutionem duntaxat morbi præcedentis: an autem alteriùs ex suppuratione consequentis mentionem factam significare voluerit, valdè ambigo, nam plerumque suppurationes istiusmodi partium perpetuò excrementis madentium difficillimè curantur, nec tam promptè ad consolidationem perducuntur: qua ratione desinere solet Pleuritis per suppurationem, superveniente tamen Empyemate. Hujus autem rationem nullam habendam censuit Hippocrates in Aphorismo, in quo solùm, undè urina supprimi posset, & non aliarum partium superiorum, aut ipsiusmet Vesicæ affectus, edocere constituit, siquidem urinarum vitia, atque mejendi difficultates, & impedimenta proficisci possunt, affecta nedùm Vesica, verumetiam partibus tum supra, tum infrà ipsam sitis: id quod in his Aphorismis monitum voluit.

APHORISMUS LXXXIII.

Mictio noctu plurima contingens, paucam significat dejectionem.

QUàm inter sese conveniant alvi solutio, & urinæ excretio, advertit in hoc Aphorismo Hippocrates, ut propterea unius evacuationis copia, alteriùs parcitatem designet, quod nedùm experimentis, & usu quotidiano, comprobatum passim testantur Authores, verùm etiam manifestissimè constat Anatome. At verò quamvis una alteram minuere possit, non tamen indè universaliter deducere licet, perpetuò verum esse, alterutram fieri copiosiorem, cùm non raro contingat utramque supprimi, vel saltem magna ex parte diminui, præsertim in febrientibus, in Colico-nephriticis, Asciticis, aliisque. Solet etiam non raro sudor, cùm

cùm ubertim effluit, utramque egestionem parcam admodùm reddere, absumptis nimirùm humoribus per cutim, qui fortè in vias urinæ, vel in alvum decubuissent. Itaque non videtur omninò verum, ut mictio noctu plurima facta modicam significet dejectionem.

Verumtamen credere licet voluisse hìc dumtaxat Hippocratem, istiusmodi evacuationes inter sese comparare, cùm vel ex criticis egestionibus partium infernarum futura morbi solutio speratur; vel cùm, absque ulla alia causa, alterutra illarum diminuitur, quæ præcedenti tempore spontè, convenienterque fluebant: vel cùm in affectibus Renum, aut Vesicæ sine ulla ope medica, aut medicamenti diuretici beneficio, urina multiplicatur, & abundantior mingitur: fore enim, ut tum si illa affluentiùs prosiliat, deficiat alvi exoneratio, ideòq; nullus sit admirationi locus, quamobrem urina sine evidenti causa copiosior habeatur. Equidem adhuc benè degentibus id sæpissimè contingit, ut quàm ex assumpto cibo, potuq; opperiuntur evacuationem, illa, altera congenere supplente, deficiat; atqui hyeme potissimùm abundantiùs mingere solemus, alvo intereà restrictiori, ut & ex suppresso Sudore sæpissimè quoque evenit.

Adjecit, nec absre, *noctu*: quandoquidem ex ambiente aere crassiori, pori cutis constipantur, & quicquid exindè perspirare interdiù consuevit, quodammodò retardatur, aut detinetur, indeq; fertur in vias urinæ, quæ propterea copiosior redditur: qua etiam ratione fit, ut serosi humores per noctem corpus aggravent, & glandulas præsertim oppleant, undè vulgò perhibeatur, per idem tempus catarrhos promoveri.

Sed præterea, cùm alimenti coctiones noctu, & quiete, meliùs peragantur, distributiones verò, secretionesque citiùs interdiù; fit proindè, ut ubi serosæ illius partes, motu, ac vigilia, per diem promptè admodùm è vasis chyliferis, aut sacco lacteo, per compendiosiores ductus, in Renes, & Vesicam feruntur; noctu diutiùs detentæ, adeòque cum chylo commistę, possint per vasa thoracica in Cor meare, indeque cum sanguine in arterias emulgentes saltem iteratò deduci, & mox per fibrillas, & glandulas urinarias in Renum pelvim, atque deindè in Ureteres, & Vesicam, transcolari. Unde si major pars humoris à cibo, potuque, eliciti, adhuc noctu feratur in Renes, procul dubio fæces in Intestinis relictæ, exuccæ admodùm, nimiùmque compactæ, & obduratæ remanebunt; quamobrem dejectio, & alvi exoneratio, vel nulla, vel modica, & tarda erit, eoque magis, si peculiaris urgeat causa, ob quam serosę alimenti portiones memoratum circuitum, haudquaquam perficiant, sed etiam recta in vias urinarias deducantur. Non immeritò igitur inquit: *Noctu*: Equidem, si per id tempus, quo urina diutiùs detineri solet, crebriùs adhuc, & affluentiùs egeratur, planè ex copiosiori ejusdem egestione, fæcum evacuatio nedùm parcior fiet, sed etiam in longius tempus prorogabitur.

Quoniam verò indefinitè inquit Hippocrates, plurimam mictionem noctu habitam paucam significare dejectionem; ista sanè poterit urinam subsequi, vel præcedere copiosiorem. Etenim cùm causa mictionis uberioris, ex sero, aut sanguinis, aut cibi, & potus assumpti, in Renes corrivante, proveniat, undè fæces

fæces exhaustæ, & nimiùm constipatæ remaneant; profectò non minùs mictio copiosa futuram mox alvi dejectionem modicam significabit, quàm hanc eamdem nimis adhuc parcam præcessisse: modò cætera, quæ cum his concurrere possunt, paria sint, nilque aliundè intermisceatur, quod istiusmodi permutationem, vicissitudinemque perturbet: cùm id, quæ sponte Naturæ fiunt, potissimùm consequi soleat.

Hinc postremò admonemur, utramque evacuationem fortasse immodicam, posse alterutrius beneficio, prout necessitas expostulaverit, diminui, aut sedari, promota nimirùm, usu medicamentorum, irruentis humoris derivatione, aut in Intestina, si urina affluentior mingatur, aut in Renes, si fortè alvus lubricior sit, quemadmodùm peritiores Practici in harum partium affectionibus agere consueverunt, & quidem cum ægrotantium emolumento: quamvis fluxuros potiùs, quam fluxos humores avertere, tutius semper, faciliùsque sit.

F I N I S.

INDEX
RERUM NOTABILIUM
Tertiæ Partis.

A

Autumnus

Cry-

G

H

I

Mictio-

Q

R

Synochæ

FINIS.